THEOLOGIA TRIPARTITA:

SIVE

RESOLUTIONES POLEMICÆ, SPECULATIVÆ, ET PRACTICÆ

Controversiarum Fidei & Quæstionum Theologicarum,

Quæ hodie per omnia usum præcipuum habent, tum ad convincendos expeditâ methodo Sectarios, tum Missionarios etiam, & quosvis animarum Curatores scientiâ ministerio suo ubique necessariâ instruendos accommodata.

ACCEDIT

APPARATUS NOVUS AD DOCTRINAM sacram; sive Conciones per singulas anni Dominicas & Festa in quavis materia facilè & eruditè proponendas; easq; tam voce, quàm gestu perorandi practica instructio:

Summa etiam Doctrinæ Christianæ selectissimis exemplis & brevi explicatione illustrata;

ac denique

Praxis meditandi & assistendi ægris ac moribundis utilissima.

Cum triplici Indice, Capitum, Rerum memorabilium & concionum.

PP. Eremitarum

AUCTORE

R. P. RICHARDO ARCHDEKIN,

Hiberno Societatis JESU Theologo.

Editio quinta & ultima, ab Auctore recognita, & aliquot Tractatibus auctior.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Hæredes JOANNIS WEIDENFELDT,

Et GODEFRIDUM DE BERGES.

Anno M DC LXXXIII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali.



A D

P.

Soci



pibus
tes ,
men e
tilium
incurf
labor
pendi
non a
Quar
eo no
modi
fine f
postu



ADMODUM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI

P. WINANDO WEIDENFELDT,

Societatis JESU per Rhenum Inferiorem Præposito Provinciali.



INter alia SOCIETATIS JESU decora, *Admodum Reverende Pater*, eximium ac singulare quiddam censentur Missiones, per quaternas Orbis partes institutæ; nam præter stabilia in diversis regionibus, volentibus atq; etiam adnitentibus Principibus ac populis erecta domicilia, ad eas quoq; gentes, ad quas habitationem non potest, caritatem tamen extendit: dum per Viros Apostolicos in gentilium & hæreticorum terras, velut in hostile solum, incursiones facit, & victricia divini nominis signa per labores & pericula gloriosè circumfert, non alio stipendio, quam honoris divini incremento; spe prædæ non aliâ, quàm animarum pretio magno emptarum. Quare cùm *Theologiam Tripartitam R. P. Archdekin* eo nomine commendari intelligeremus, quòd viris ejusmodi Apostolicis, qui, cùm omnia sua secum portent, sine sacculo & pera currere parati, quo salus animarum postulat, multis sese librorum voluminibus onerare non

debent, multum commoditatis afferret, cùm in ea habeant velut incluſam in nuce Iliadem, id eſt, brevi compendio quidquid ad fructuosè peragendum Miſſionariorum munus, ſive ad erudiendos Catholicos, ſive ad confutandos hæreticos, queat conducere. Rem nos Deo gratam facturos exiſtimavimus, ſi librum hunc, ut plures eo frui poſſent, denuò hîc prælo ſubjiceremus. Cujusnam verò honori editionem hanc novam addiceremus ac devoveremus, non procul nobis abeundum fuit, neç omnino è familia noſtrâ diſcedendum; ſuggeſſit enim affectus noſter & obſervantia, quam Tibi ut Nepotes debemus, imò ut Fratres, quo nomine bini Fratres noſtri Societatem Jeſu jam pridem ingreſſi nos Tibi devinxerunt, ut eundem Admodùm Rever. Paternitati Tuæ dedicaremus. Accedit, quòd huic ad Inferiorem Rhenum Societatis Jeſu Provinciæ ſis Præpoſitus, è qua non paucis Patribus ad Miſſiones deſtinatis liber hic ſervire poterit. Tu illum pro eximio Tuo juvandarum animarum zelo, eá, quâ ſemper erga nos uſus fuiſti, benevolentiâ, benignè, uti confidimus, admittes, Tuoque favore ac patrocinio dignaberis. Ita optant, voventque

Adm. R[da.] *Paternitatis Tuæ*

Obſervantiſſimi Nepotes

Hæredes JOANNIS Weidenfeldt.

EPISTO-





EPISTOLA DEDICATORIA

MISSIONARIIS APOSTOLICIS, ET PRÆSERTIM PROVINCIÆ Flandro-Belgiæ Societatis JESU.

IPsa frons prima hujus Operis non obscurè prodit, quos sibi Patronos designet. Vos [Missionarii Apostolici] vos militantis Ecclesiæ lectissimos Pugiles cum Hæresi, cum Vitiis, cum inimicis Crucis Christi ubique depræliantes, suos sibi Mecænates ambit, & me tacente deposcit. Si Germaniam qua patet universam, si amplissima Angliæ, & Hiberniæ Regna, si multiplices Belgarum Provincias latè circumspiciamus, habet sanè ætas nostra ex omnibus Ecclesiæ membris strenuissimos Fidei Defensores, ac veros Machabæos, de quorum laboribus, præliis, ac trophæis meritò sibi possit gratulari. Atque inter hos omnes Operis hujus Patronos, Vobis imprimis, Missionis Flandro-Belgicæ Socii, illud singulari quodam jure deberi, nemo nisi injurius inficiabitur. Etenim si quid est in Authore facultatis, si quid scientiæ, id omne à primis religiosæ vitæ incunabulis Provinciæ hujus institutioni sanctissimæ se acceptum referre nunquam satis testabitur. Accedit ejusdem Provinciæ in provehendis undique Missionibus Apostolicis ardor perpetuus, labor immensus, industria singularis, & nullis limitibus circumscripta. Quæ scilicet una, præter amplissimas Missiones Batavicas, Navales, Castrenses, & alias quas suo sinu domi complectitur, ad remotissimas etiam Gentes longè lateque suos Socios, ac labores extendit.

Atque imprimis, laboris vestri primordia circumspicienti, occurrit ille Provinciarum confœderatarum status ab homi-

num memoria longè deploratissimus, quando una cum avita Fide, pulsis undique fidei Præconibus, nihil aliud superesse vi debebatur, quam perpetuum Religionis Romanæ, ac pristin Pietatis exilium. Sollicitavit Sociorum animos vicina illa P triæ calamitas, ex quibus viri lectissimi, spretis hostium insidi vinculis, ac carceribus, pro communi salute caput & vitam ult offerre non dubitarunt. Duces huic expeditioni sese præbu runt Guilielmus Leonius & Cornelius Duystius, qui mult clam, multa palam perpessi, Apostolico ritu Provincias undiq: lustrantes, palabundas Catholici nominis reliquias in unum congregarunt, infirmos in fide roborarunt, atque innumeros lapsosac devios in viam salutis revocarunt. Horum inter undas Batavicas primus ardor, in absentium quoque Sociorum pectoribus novas flammas excitavit. Secuti sunt in eandem palæstram ex universa Provincia Athletæ fortissimi, qui rebus Religionis ubique inclinatis Athlanticos humeros supposuerunt. Atque inter primos Frisiam ad ortum occasumque lustravit, firmavitque Joannes Bargius: Zelandiæ Insulas unus eo tempore excoluit Nicolaus Romæus, qui verbo & scripto Sectariorum audaciam repressit, & Calvinum, detractâ larvâ, suis adumbratum coloribus repræsentavit. His in Messem nimis amplam, sed ea tempestate operariis vacuam, oportunè alii atque alii Sociorum manipuli successere, ac venturis postliminio ex Clero tam regulari quam sæculari auxiliaribus copiis, quâ licuit industriâ, ampliorem laboris campum aperuêre.

Neque defuit in hodiernum usque diem primævus ille Sociorum ardor. Ad vos, viri Apostolici, qui eandem vineam etiamnum excolitis, amplo cum fænore transierunt illi priorum temporum labores, prælia, pericula, sed & conjuncta periculis gloria. Nullus hic mihi calamus describet, quot vobis decurrant in cura animarum noctes insomnes, quot subeunda cum fidei hostibus certamina, quot declinandæ insidiæ, quot sustinendi carceres ac vincula, & graviora vinculis discrimina. Sed vel sic cum Apostolo palam facitis, verbum Dei non esse alligatum. Non tantum sonat in pulpitis, auditur etiam in ergastulis ac vinculis, per rura & campos, & naves, & privata summorum infimorumque domicilia vestra vox, labor & prædicatio decurrit. Multos quidem heroës è Societate Belgica quotannis, per octoginta & amplius annos, labor hic improbus immaturo funere conficit ac consumit: At nunquam desunt novi Athletæ, qui priorum casu animati potius quam territi, in palæstra tam nobili & vitam

tam & sanguinem profundere ultrò exardescunt. Et dubitabo ego (Illustres animæ) hoc qualicunque scribendi labore partem aliquam gloriæ vestræ è longinquo ambire, meamque elucubrationem toto affectu vestris meritis atque auspiciis consecrare.

Sed ecce ad remotiora dum rapior, domestica prætereo. Habet Societas Flandrica in Missione Batavica suas Indias, sed habet etiam in ipsa Flandria suam Bataviam. Vix unum est hujus Provinciæ Collegium, ex quo viri Apostolici ad arduas è propinquo Missiones non excurrant. Quas ego si singulas pro merito recenserem, mihi quoque longius excurrendum foret.

Ad vos igitur [sacræ Militiæ asseclas] demum venerabundus accedo, qui missioni Castrensi inter mille mortis discrimina sanguinem & vitam consecratis. De vestra virtute, infractis animis ac laboribus immensis, meritò sibi Societas Flandrica gratulatur, quibus Belgium, præ cæteris Gentibus, continuum pænè Martis domicilium, perpetuum aperit gloriæ theatrum. Nec nova vobis, nec obscura est hæc laudis, ac laboris palæstra. Primus hujus militiæ Ductor Thomas Saillius, à Principe Parmensi in conscientiæ suæ arbitrum adscitus, gregariis quoq; militibus in cunctis laboribus ac periculis invicto animi robore, diu noctuque præsto fuit. Princeps ex ardore tam generoso præcelsum Thomæ animum velut ex ungue leonem admiratus, plures hujusmodi Belgicos leones Castris suis adjungi peroptavit. Et quamvis eo tempore vix par laboribus Sociorum numerus Collegia incoleret, oblati sunt Principi Patres duodecim, quos ille primum in familiam suam adscivit, deinde more militari Libris Regiis inscribi, & in Missionem perpetuam firmare voluit. Quantus hic exercendæ virtutis tam propriæ quam alienæ campus patescat, quanti per annos plusquam octoginta exantlati labores, non tantum rerum in hoc Martio campo gestarum multitudine, sed etiam plurimorum Patrum sanguine consignatum habemus. Versatur adhuc in hominum atque annalium memoria Nicolaus Montanus, dictus per excellentiam, Burgundionum Apostolus, qui ad S. Quintini fanum multo vulnere confossus interiit. Et ut alios prætercam: in pugna Neoportana, inclinata belli fortunâ, cum Patres Castrenses inter laceros miserorum artus & cadavera aures adhuc spirantibus præberent, Petrus Buzelinus ab hoste hæretico comprehensus, & glande trajectus fuit. Sed & Laurentium Everardi, hostili cuneo immistum, & pro Societatis homine agnitum, Calviniana crudelitas interemit. Aliam huic vi-

ctimam, Othonem Campenſem, pro aliena ſalute laborantem eadem perfidorum rabies adjunxit. Cætera ſi perſequar his ſi milia, Iliadem conficiam. Infinitum quippe foret enarrare huji Miſſionis caſus & pericula, quæ in urbium obſidionibu cruentis congreſſibus, ac præliis, ſequentia deinceps tempo peperere.

Sed à Martis regno ad Neptunum tranſeamus: hujus quoq imperium ampliſſimum Flandro-Belgicæ Provinciæ naval Miſſio pervadit; ſoli Belgio propria, & à Principibus Auſtriac ſolenni diplomate Societati demandata. Arduum ſanè munus, & illis tantum deſtinari ſolitum, quibus animus eſt inſigni robore ſeptus, & vires animo pares. Hic nullus timori, nullus fugæ locus: quamvis & tonet cœlum, & fremant procellæ, & totus ex imo commoveatur oceanus, immoto tamen animo perſiſtendum eſt, qui nec conſpecta morte paveſcat, nec alios pavere patiatur. Ut nihil dicam de nauſea marina, de morborum contagione, de nautarum militumque colluvie: quid magis arduum videtur, quam animos illos, ipſo oceano majores, unius lignei carceris ergaſtulo dies noctesque coarctari: donec his anguſtiis pariter cum corpore ſoluti, tumulum domicilio ampliorem in medio æquore frequenter inveniant. Plures ſub hoc marmore æquoreo ſepultos Apoſtolicos heroes promptum foret, ſed prolixum, ex hujus Provinciæ monumentis enumerare.

Pergite illuſtres animæ, terras à tergo relinquite, immenſa maris ſpatia peragrate, non ut vellus aureum è Colchide, ſed ut animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas è barathri faucibus eripiatis. Sæviant procellæ, aſſurgant undæ, dehiſcat abyſſus: ſed nec undæ aut procellæ, nec abyſſus tota, nec omnes oceani fluctus charitatis veſtræ ardorem hactenus extinguere valuerunt. Hæc immenſa Apoſtolici pectoris decora non levibus tantum operis noſtri foliis, ſed monumentis perpetuò duraturis poſteritas celebrabit.

Sed alio me abripit Miſſionum Apoſtolicarum multitudo, priusquam vel unius magnitudinem poſſim dicendo exæquare. Terras, maria, caſtra, navigia momento prætervectus, ad ipſa Libitinæ regna tandem pervenio. Hic in limine primo occurrit lues péſtifera, lethalia ulcera, & gemitus cum morte luctantes. Inter hos quot ego Sociorum alacres vultus, & vivida inter languentes obſequia conſpicio. Horum alii morientes ad extremam luctam diſponunt, alii vivis neceſſaria ſubminiſtrant, alii tam animorum quam corporum plagas omni ſtudio lenire contendunt.

dunt. Verum nec ipsi fatis exempti, innumeræ in hoc obsequio charitatis victimæ intra Belgarum fines cecidere. Quorum ut plerosque sparsim extinctos prætercam, in solo Antverpiæ nobili Emporio, Patres, Fratresque viginti quatuor non magno intervallo pro civibus contagione afflatis, animas aliquando posuere, quorum numerum Andreas Schottus consulis Antverpiani filius suo funere nobilitavit. Quin & Gandavi annus hujus sæculi trigesimus in obsequio infectorum undecim socios è vivis abstulit. Atque eâdem contagione ad alias urbes, Bruxellas, Hallas, Cortracum, Belliolum latius progrediente, harum singulis binas ternasve hostias par charitas immolavit. Piget forte lectorem inter tot heroum funera diutius immorari. At non ignoro viris Apostolicis jucundum esse, non tantum majorum suorum gesta, sed etiam sepulchra ac monumenta intueri.

Hactenus intra Belgii fines versamur. Non potest ille Belgicus ardor unius Gentis aut Provinciæ limitibus coarctari. Per immensa totius oceani spatia ad Japones, ad Indos, ad ultimos terrarum Chinenses suam opem, & nova sociorum subsidia transmittit.

Prolixus forem si præteritorum temporum colonias, cum GasparcBarzæo, aliisq; Belgis ex hac Provincia in alterum orbem traductas, recensendo memorarem. Quorum laboribus non tota Ormusia, aliaque regna inter Indos, Japonesq; suffecere, adeo ut magni Xaverii votum perpetuum fuerit, Belgarum quamplurimos in sui societatem laboris adipisci, quorum nempe zelum, genium, & industriam ad infidelium conversionem præ cæteris natam & accommodatam censebat, ut suis ipse litteris testatur. Et ut antiquiora prætercam: Vidi, ipse vidi, cum duodecim simul lectissimi Patres, magnis Provinciæ sumptibus, & supellectili sacra instructi, hinc in Hispaniam enavigarent ad animarum subsidium, si daretur aditus, in novum orbem perrecturi. Vidi & ante hos P. Cornelium Beudin qui eodem profectus, & à barbaris fidei causâ trucidatus, præclaram martyrii palmam obtinuit. Notus quoq; mihi & familiaris fuit Ferdinandus Verbiest, qui magno ambitu cum aliis ejusdem Provinciæ Sociis Chinensem Missionem impetravit, jamque pluribus annis, in immenso illo Sinarum imperio Christianæ fidei negotium promovere pergit, idque tanto successu & authoritate, ut in ipsa Imperatoris Aula summam illam Mandarini dignitatem etiamnum obtineat. Quin & ex illis, quos ipse nuper in Scholis auditores habui, Lovanio ad novi Orbis subsidium non pauci se contulere, multoq; plures

 Missio-

Miſſionem illam ſummis votis ambivere. Nec mihi ignota ſunt paria plurium deſideria, qui etiamnum ad eandem gloriæ palæſtram magno animi ardore aſpirant.

Has ego Belgicas Miſſiones, ut magis mihi notas, dum recenſeo, ſimul in eandem gloriæ ſocietatem ſuo jure advoco, omnes omnium ordinum Apoſtolicos viros, qui ubivis gentium in pari cauſa pares animos ac labores impendunt, & vos imprimis, Miſſionarii verè Apoſtolici, qui per ampliſſima Angliæ & Hiberniæ regna contra Hæreſim ſceptro, ferroque armatam, inter mille vitæ diſcrimina aſſiduo dimicatis. In hac arena ſanguinolenta quot ego Campianos, quot Walpolos, quot Garnettos, Uritos, Colinos, hodieque conſpicio, quibus ad parem martyrii gloriam par animus exæſtuat. Teſtantur hunc animi ardorem tot præclari heroes, qui priorum pericula ſecuti, & palmam conſecuti fuerunt. Ex his longum foret enumerare ingentem ſeriem virorum illuſtrium, qui à tempore Henrici VIII. in hodiernum uſque diem, & dira tribunalia, & carceres, & vincula, & feralia pegmata ſua morte ac ſanguine nobilitarunt. Dabit hæc longo ordine, aliaque illuſtriora, Provinciæ Anglicanæ per P. Henricum Morum felici calamo conſcripta hiſtoria.

Utinam hic quoque liceret, in Miſſione Hibernica exantlatos tot annis Sociorum labores in publicam lucem proferre. Si exhiberentur oculis prima iſtius Miſſionis ab ipſo S. Ignatio conſtituta feliciter exordia: Si inter varias deinceps temporum procellas & perſequentium machinas invicta conſtantia: ſi Virorum in omni facultate illuſtrium domi foriſque eximia decora: ſi paucorum hominum docendo, prædicando, ſcholas erigendo, toto regno diffuſa induſtria: ſi tolerata non ita pridem dominante Cromvello bonorum rapina, & vincula, & carceres, & longinqua etiam ad barbaros exilia: denique ſi poſt extremam ruinam, inſtaurati, velut ex cineribus, priſtini labores, aliaque his ſimilia, ſub modio hactenus latentia, in lucem prodirent, ſtuperet ſanè poſteritas, res orbis theatro digniſſimas, intra ſilentii ac modeſtiæ cortinas tot annorum luſtris potuiſſe contineri. Magis ſcilicet hactenus intenti fuerunt illi, ut ſcribenda patrarent, quam ut patrata conſcriberent.

His quoque inter Operis hujus Patronos ſuo jure accedunt ex ſacra S. Dominici, ac S. Franciſci Familia, viri illi verè Apoſtolici, qui in excolenda Hiberniæ vinea tot annis ſtrenue deſudarunt. Prius ego Stellas cœli, quã hos Abrahæ filios, & tantis filiis digna facinora valeam recenſendo numerare. Quis enim ignorat quantum illi impendant ſtudii, & induſtriæ etiam inter exteras gen-

tes,

tes, Romæ, Pragæ, Lovanii, & in aliis doctorum Lycæis, pro formandis alendisque operariis in hanc Vineam perpetuò successuris. Quanti etiam domi sustinendi labores, ut cum reliquo Clero, Romanæ sedis, ac Religionis decus toto Regno integrum inviolatumque conservent. Adeo ut quod olim, in fulcienda Lateranensi Basilica, præstare visus est Seraphici Ordinis Patriarcha, id nunc in sustinenda Ecclesiæ Hibernicæ ruina ejus Soboles, aliis sociata, perficiat.

Jungite igitur ubique gentium felices dexteras vos omnes fidei Pugiles, qui sub purpureo Christi vexillo per Missiones Apostolicas toto orbe diffusi militatis. Bellum quod Lucifero, ejusque asseclis pro Deo, & Ecclesia pridem indixistis, ad extremum usque spiritum indefessi sustinete. Non vos frangat tyrannorum potentiá, perrumpetis; non domesticorum hostium invidia, superabitis: charitatem alii in otio, & umbra prædicent, vos illam in sole, & sudore, & orbis utriusque conspectu palam exercete. „State, cum Gentium Apostolo, succincti lumbos vestros in „veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præ„paratione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum „fidei, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Hoc ego verbum, hunc ego gladium in hoc opusculo quasi in vagina reconditum, ad vestras aras supplex appendo. Magnum operæ pretium me retulisse arbitrabor, si hæc arma litteraria, non levi à me studio fabricata, ad militiæ vestræ usum, ac supremi Ducis gloriam aliquando subserviant. Ita voveo,

Viri Apostolici

Humillimus vester cliens
RICHARDUS ARCHDEKIN. Soc. Iesu.
Hib. Kilken. an. 1678.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDUS divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex: Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ: Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum nobis JOANNIS Weidenfeldt, *quondam Civis & Bibliopolæ Coloniensis Hæredes humiliter exponi curarint se* Theologiam Tripartitam R. Patris Richardi Archdekin Soc. Jesu *primo Lovanii impressam, nunc prælo suo & sumptibus excudere statuisse: vereri autem ne alii quoq; captando lucro inhiantes eandem Editionem magno suo damno imitentur, seq; sperato laboris & impendii fructu frustrentur; demisse supplicando, quatenus indemnitati hoc loci suæ privilegio nostro Typographico consulere clementer dignaremur: Nos hisce precibus uti æquitati nitentibus benignum nostrum præbuerimus assensum; omnibus proinde Bibliopolis, Typographis & Bibliopegis, cæterisq; quibuscumque rem seu negotiationem librariam exercentibus serio & expressè, idq; sub pœna quinq; marcarum auri, mandantes ac præcipientes, ne eorum quisquam præter prædictos hæredes præfatam Theologiam intra decennium à prima editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines in simili vel alio typo vel forma recudere, invehere, apportare, clam seu palam divendere aut distrahere quovis modo præsumat; si quis verò edictum seu Privilegium hoc nostrum violare seu transgredi ausus fuerit, eum non solum exemplaribus ubicunque repertis, perperam quippe recusis & apportatis (quæ quidem dicti impetrantes propria authoritate, sive Magistratus illius loci auxilio sibi vendicare poterunt,) privandum, sed & supra fata pœna, ex semisse Fisco seu ærario nostro Imperiali inferen-*

rrenda; ex altero verò semisse injuriam passis pendenda, mni spe veniæ sublatâ mulctandum decernimus; dummodo tamen dictum opus tenorem hujus nostri Privilegii ro cujusq; notitia præimpressum exhibeat, eorumq; quatuor ad minimum exemplaria ad Cancellariam nostram Imperialem transmittantur. Mandamus porrò universis ostris, & Sacri Imperii Regnorumq; & Provinciarum nostrarum Hæreditariarum Magistratibus Ecclesiasticis & sæcularibus, cujuscunque ordinis, conditionis & gradus fuerint, ne quenquam huic nostro Cæsareo Privilegio ullatenus impunè contravenire patiantur; quin potiùs ejusdem transgressores supradictis pœnis aliisque modis idoneis coerceri curent: quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Vienna decima septima die Augusti, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo. Regnorum nostrorum Romani vigesimo primo, Ungarici vigesimo quarto, Bohemici verò vigesimo secundo.

Leopoldus, &c.



Leopoldus Guilielmus
Comes in Kinigsegg.

Ad mandatum S.C.M.
proprium

Christoph Beüer.

Facul-

Facultas R. P. Provincialis.

EGo infrascriptus Præpositus Provincialis Provinciæ Flandro-Belgicæ Societatis Jesu, ex potestate mihi facta à R^{mo} Patre nostro Joanne Paulo Oliva, ejusdem Societatis Præposito Generali, concedo facultatem imprimendi librum, cui titulus est, *Theologia Tripatita &c.* compositum à *R. P. Richardo Archdekin, ejusdem Societatis S. Theologiæ Professore*, & à Deputatis Societatis nostræ Theologis examinatum, & approbatum. In quorum fidem has propriâ manu subscriptas, & officii mei sigillo munitas dedi Antvverpiæ 2. Octobris 1677.

IGNATIVS Diertins.

Approbatio Censoris.

LIber, cui titulus est, *Theologia Tripartita &c.* quæ prodit auctior & emendatior, Authore *R. P. Richardo Archdekin, Societatis Jesu S. Theologiæ Professore &c.* non tantum solidè & orthodoxè, sed clare admodùm & nervosè in se continet, quod præ se fert, & in fronte proponit; ut proinde ex multorum voto, & ad communem plurimorum utilitatem meritò typis evulgetur. Antvverpiæ 23. Martii 1677.

ANTONIVS Hoefslach, Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Graduatus, librorum Censor.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

ELaboravi non ita pridem in Academia Lovanienſi, quantum ſinebat docendi cura aſſidua, Opus aliquod Theologicum, tam Miſſionariis Apoſtolicis, quam aliis paſſim opportunum, cujus mille fermè exemplaria paucorum menſium ſpatio diſtracta fuerunt, & plura etiamnum deſiderata. Poſtea pluſculum hic nactus otii, non ſine aliis impedimentis ultra Præfecturam ſtudiorum ſuperiorum, conatus ſum in eo genere Opus aliquod perfectum, & omnibus commune abſolvere. Sic ut exiſtimem in hoc opere nihil omnino deſiderari ad Reſolutiones ſive practicas, ſive ſpeculativas, in quæſtionibus etiam hoc tempore maximè expetitis, vel ad Doctrinam ſacram in quovis Sacerdotis munere facilè ac eruditè tractandam. Quæ omnia, cum tota operis materia, methodo, ac ſymmetria, ut facilius & copioſius ſub unum aſpectum cadant, plurimum opto, ut ſtudioſus Lector ſequentem Indicem ſingulorum Titulorum ac Capitum attentè percurrat, ubi forte plura non parum exquiſita, & ſuis uſibus apta reperiet.

Cum autem in Librorum delectu nihil gratius accidere ſoleat, quam ſi in eodem Opere ſimul concurrat ſuccincta brevitas, ſcribendi claritas, rerum novitas, materiæ varietas, & ad omnem Temporis uſum expedita utilitas, ita, niſi fallor, hujus Operis partes ſingulæ ſunt digeſtæ ac locupletatæ, ut hæc omnia ſingulari cum delectu, & in mole non magna, ad manum habeantur.

Quinimo ad minuendam Libri molem, nobis non parum curæ fuit ipſos typos, & formam chartæ talem, & tam commodam adhibere, quæ non permitteret Operis quantitatem, pro materiæ quam continet magnitudine, in ampliorem formam excreſcere, ut ſic paginæ paucæ materiam multam, & ſimul portatu facilem continerent. Ac per hanc induſtriam non tantum auctum eſt utendi commodum, ſed etiam imminutum Operis pretium, quod cum folia non ultra quinquaginta quatuor contineat, pretium quoq; debeat eſſe conforme.

Quin etiam ut Liber, in partes diviſus, magis eſſet ad uſum expeditus, & à Miſſionario, aut quovis alio portatu facilis, notandum, ſingulari ſtudio factum eſſe, ut ultima pars, quæ eſt, *Apparatus* ad Doctrinam ſacram, & quamlibet Sacerdotis functionem

nem, ſeparata ſit à reliquo opere, ſic ut poſſit ſeorſim compingi, & circumferri, & ad omnem occaſionem dicendi, docendi, infirmis, aut ſanis aſſiſtendi, copioſum ſubſidium in promptu præbere.

Notanda porrò eſt ſingularum inter ſe partium ſymmetria, & ad mutuum ſubſidium mutua connexio, quæ ſic ſtudiosè inſtituta eſt, ut una pars poſſit ad alterius partis uſum aptè accommodari. Si enim in prima parte ex polemicis controverſiam aliquam tractes, plurimum ad eam illuſtrandum conducere poſſunt quæſtiones Theologicæ tam ſpeculativæ quam practicæ, quæ in 2. & 3. parte continentur. Si è converſo, in his quæſtio aliqua agitetur, datur in eodem genere ad controverſias recurſus. Si ex *Apparatu* Doctrinam ſacram aut Chriſtianam populo sagaciori proponas, facile potes, ubi res requirit, fidei Controverſias, aut Quæſtiones Theologicas ex aliis partibus inducere. Cæteris quoq; Sacerdotis miniſteriis eadem poterit praxis accommodari: prout ſingula in Operis decurſu notata, & digeſta reperies.

Cum autem Curator animarum debeat eſſe omnibus omnia factus, & paratus in quavis temporum controverſia cuilibet interroganti debitè reſpondere, conatus ſum in ejus gratiam quæſtiones tam ſpeculativas quam practicas ita tractare, ut nullius hominis perſona, ſed ſola doctrina, quâ decet moderatione & modeſtiâ, attingatur.

Poſtremò, ad conciliandum gratam Materiæ varietatem, plurimum conducunt quæſtiones in omni genere ſingulares & exquiſitæ, cuilibet Functioni ſervientes, quæ in ſingulis Patribus ſuo loco tractantur, ut ſunt, Nova Sectariorum argumenta, & effugia: Pontificum & Conciliorum ſeries, decreta, & authoritas quoad ſingulas, etiam juris & facti quæſtiones: Errores moderni ſive Novatorum, ſive aliorum ſuis locis exhibiti: Opinionum variarum probabilitas tam in genere, quàm in ſpecie diſcuſſa: Reſolutiones particulares ad quoſcunque Miſſionarios, Curatores animarum, & ad partes Hæreticorum in quavis materia pertinentes. Hæc & alia plurima, tam polemica quàm practica, quæ in inſingulis libri partibus Index proximus exhibebit, non modicam rerum varietatem ad omnem uſum ſtudioſo Lectori paulatim aperient. Quorum ſingula cum legendo exploraverit, facilè comperiet, quæcunque ferè ſubſidia ex Theologia univerſa deſiderare poſſit, hic facili methodo digeſta, & propriis uſibus accommodata reperiri. De cætero, ſi benevolus Lector in his ſtudium noſtrum ſibi acceptum, & ad Dei gloriam opportunum fore experiatur, optatum laboris pretium me conſecutum facile agnoſcam.

INDEX CAPITUM ET TITULORUM HUJUS OPERIS.

PARS PRIMA.

Resolutiones Theologiæ Polemicæ,

De modernis Controversiis & Quæstionibus, facili methodo decisis.

TRACTATUS PRIMUS.

Methodus clara quemvis adducendi ad veram Ecclesiam.

CAPUT I.

Vera Ecclesia demonstratur horum temporum Libertinis. pagina. 1.

Articulus 1. *Rationes ex rebus creatis ad Creatoris fidem & cultum convincentes. pag.* 2. *& seq. per* 5. *paragraphos.*

Articulus 2. *Enervantur varia Argumenta, & effugia contra hæc à Libertinis opponenda.* 11

Articulus 3. *Ex admissa Dei existentia, facili methodo demonstratur progressus ad divina Attributa, alia Mysteria, & fidei nostræ Analysim.* 15. *per* 4. §§.

Caput 2. *Ostenditur quemlibet, etiam Christianum, non posse in sua fide & Secta salvari.* 20

Articulus 1. *Status Controversiæ, & Argumenta proponuntur ibid.*

Articulus 2. *Occuritur novo errori Sectariorum, maximè, Protestantium, dividentium Articulos fidei in Essentiales, & Accidentales, sive ad salutem non necessarios.* 23

Articulus 3. *Ostenditur Protestantes, aliasque Sectas, in articulis etiam Fundamentalibus non convenire.* 26

Articulus 4. *Potest vera Religio à falsis Sectis facilè discerni, neque excusabilis est Sectarius qui eam non investigat.* 28
Caput 3. *Argumenta qua evincunt, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, in qua salus possit obtineri.* 32
Argumentum 1. *Sola ostendit se potestatem suam à Christo derivare.* ibid.
Argumentum 2. *Ecclesia Christi est antiqua, omnes moderna Secta sunt nova.* 34
Argumentum 3. *Alia omnes Secta docent Hareses in primitiva Ecclesia damnatas.* 35
Argumentum 4. *Communis omnium Gentium consensus pro fide Romana.* 37
Argumentum 5. *Nulla est certa Ecclesia Christi in mundo, si non sit Romana.* 38
Argumentum 6. *Si Ecclesia Romana non sit vera, vel perierunt in aternum majores nostri, Martyres, Confessores &c. per 12. Secula ante Lutherum; vel certa est fides Romana Ecclesia.* 39
Argumentum 7. *In sola Ecclesia Romana persistit gloria Miraculorum à Christo vera Ecclesia promissa.* 40
Argumentum 8. *Sola Ecclesia Romana habet infallibilem fidei Regulam, & decisionem Controversiarum.* 44
Caput 4. *Ostenditur solam Scripturam non esse Regulam fidei, aut Iudicem Controversiarum.* 41
Caput 5. *Praecluditur effugium asserentium Scripturam per se claram esse, & apertam.* 46
Caput 6. *Frustra recurritur ad internum Spiritus privati testimonium.* 48
Caput 7. *Ostenditur Traditiones necessariò esse admittendas.* 50
Caput 8. *Ostenditur Ecclesiam Romanam cum suo Capite esse Regulam animatam, & Iudicem infallibilem Controversiarum fidei.* 53
§. 1. *Probatur illa infallibilitas ex Scripturis.* ibid.
§. 2. *Eadem infallibilitas Ratione manifesta comprobatur.* 54
§. 3. *Vlterius infertur, contra Sectarios, Pontificis in fidei Controversiis suprema, & irrefragabilis authoritas.* 56
§. 4. *Objectiones aliqua breviter dissolvuntur.* 57
Caput 9. *Methodus brevis ex pradictis refutandi Sectarium in quavis fidei Controversia.* 58
Caput 10. *Quadam Dilemmata formantur, Sectario breviter proponenda, & in illius principiis insolubilia.* 65

CON-

CONTROVERSIÆ RECENTIORES.

De authoritate Pontificis & Conciliorum.

Quæstio 1. *An authoritas Concilii Generalis sit supra authoritatem Pontificis?* 69
Quæstio 2. *An Pontificis Definitiones sint infallibiles absque assensu Concilii Generalis.* 72
Quæstio 3. *An Pontificis in definiendo authoritas infallibilis extendat se ad omnes tam Iuris, quam Facti quæstiones?* 76
Quæstio 4. *An possit error cadere in Ecclesiæ, aut Pontificis definitionem de sensu Scripturæ Canonicæ, aut de doctrina alicujus Libri Catholici?* 78
Quæstio 5. *An possit Ecclesiæ aut Pontificis definitio esse erronea de sensu Libri hæretici, cujus doctrinam condemnat?* 80
Quæstio 6. *An Pontifex sit infallibilis in materia Morum, Canonizatione Sanctorum, &c.* 84
Quæstio 7. *Quæ sint aliæ Pontificis Romani Prærogativæ.* 88

Ordo Successionis

Romanorum Pontificum. Item Scriptorum Ecclesiæ sex primis sæculis, ac Rerum in Ecclesia magis memorabilium postremis annis ferè ducentis. 91

Quæstiones Reliquæ.

De Conciliis Gennralibus ac Particularibus, cum varia eorundem notitia. 97
§. 1. *Spectantia ad convocationem, normam, ac potestatem Concilii Generalis.* ibid.
§. 2. *Pertinentia ad Concilium Provinciale ac Diœcesanum.* 100
§. 3. *Exponitur Series & Gesta omnium Conciliorum Generalium quæ pro legitimis, aut illegitimis haberi debent.* 101

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CONTROVERSIIS PARTICULARIBUS MODERNIS, ET V. JANSENIANIS.

Caput I. *Explicatur methodus in sequentibus Controversiis præcipuè observanda.* 111
Caput 2. *De Fide, Operibus, Gratia, & Prædestinatione.* 113
§. 1. *Sectarii refelluntur.* ibid.
§. 2. *De Gratia Christi, Operibus, Libero arbitrio Controversiæ Recentiores.* 116
Prima Iansenii Propositio cum censura Pont. verbis Authoris, &c. 117
Secunda ejusdem Propositio. 120
Tertia Propositio. 121
Quarta Propositio. 124
Quinta Propositio. 126
Caput 3. *De Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ.* 127
Caput 4. *De impanatione Lutherana, & præsentia Christi in solo usu.* 132
Caput 5. *De Sacrificio Missæ, & Communione sub utraque specie.* 134
Caput 6. *De Confessione Sacramentali.* 137
Caput 7. *De Purgatorio.* 139
Caput 8. *De cultu, & invocatione Sanctorum.* 142
Caput 9. *De Veneratione Imaginum Christi, & Sanctorum.* 144
Caput 10. *De sacris Reliquiis.* 146
Caput 11. *De numero Sacramentorum.* 148
§. 1. *De Conformatione.* 149
§. 2. *De Extrema Vnctione.* 150
§. 3. *De Ordine.* 151
Conclusio: Adversus Modernos vulgi errores à vera Fide retrahentes. 152
Genius fallax Novatorum quomodo cavendus. 154

TRACTATUS TERTIUS.

Notæ manifestæ falsæ Ecclesiæ in Sectis Modernis.

ARticulus 1. *Proferuntur varia loca Scripturæ sacræ à sectariis fraudulenter depravata.* 157
Articulus 2. *Exhibentur insignes Antilogiæ, quibus Lutherus & alii in sua doctrina sibi contradicunt.* 160

Et

Et quomodo Angliæ secta nova repugnet antiquæ. 163
Articulus 3. Confessio & Discordia sectarum quæ ex Lutheranismo & aliis prodierunt. 164
Articulus 4. Calumniæ quædam apertæ contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ à Novatoribus confictæ. 169
Calumnia 1. In cultu Imaginum. ibid.
Calumnia 2. de signo Crucis. 170
Calumnia 3. De quadam Ioanna Papissa luculentè refutatur. 172
Referuntur calumniæ quædam apertæ à Ministris præsertim in Anglia confictæ. 173
Ostenditur impostura iniquissima Antonii Egani *de quæstu simoniaco Ecclesiæ Romanæ per Apostolicos Missionarios.* 174
Contra fatuam Conclusionem Andreæ Sall *pro secta Protestantium suscipienda.* 177
Articulus 5. Novarum sectarum dogmata particularia proponuntur.
Hæresis Anglicana Protestantium, Puritanorum, Independentium. 179
Secta nova, Tremblantium dicta. 181
Secta Anabaptistarum, & Mennonistarum. ibid.
Hæresis Gommari, & Arminii. 183
Secta, & Errores præcipui Turcarum sive Mahometanorum. 184
Græcorum Schisma, & errores propositi, & refutati. 186

PARS SECUNDA.

Resolutiones Theologicæ in Scholis Controversæ.

Controversia 1. De varia in Deo Scientia, ac præscientia futurorum. 189
§. 1. Notio, ac divisio Scientiæ Divinæ. ibid.
§. 2. De Scientia Media, controversiæ status, & origo breviter exponitur. 191
§. 3. Explicatur, & probatur necessitas scientiæ Mediæ. 192
§. 4. Dissolvuntur breviter variorum argumenta contra scientiam Dei Mediam. 198
Controversia 2. An detur Prædeterminatio physica à Deo ad omnes actiones creaturarum. 204
§. 1. Status, & Historia hujus Controversiæ. ibid.
§. 2. Ostenditur Prædeterminationem physicam non esse admittendam ad causas sive necessarias, sive liberas. 206
Controversia 3. An Prædestinatio absoluta ad gloriam facta fuerit

rit ante prævisa hominum merita, & Reprobatio ante prævisa demerita? 213
§. 1. Exponitur status Controversiæ, & de ea variæ Scholarum sententiæ. ibid.
§. 2. Ostenditur Electionem ad gloriam factam fuisse post prævisa Electorum merita. 215
§. 3. Rejicitur Electio ante prævisa merita ut est conjuncta cum Reprobatione non Electorum. 220
Controversia 4. De Gratia Divina. 221
§. 1. Quid sit, & quotuplex Gratia Actualis, & quales de ea errores Pelagii, &c. 222
§. 2. An possibile hominem condi in statu puræ Naturæ absque dono supernaturali Gratiæ. 224
Controversia 5. An, & qualis detur Gratia Sufficiens. 226
§. 1. Exponitur status Controversiæ. ibid.
§. 2. Admittenda est Gratia merè Sufficiens. 227
§. 3. An detur Gratia Sufficiens omnibus, etiam obduratis, excæcatis, & facientibus quod in se est viribus Naturæ? 229
Controversia 6. De viribus Naturæ sine adjutorio Gratiæ Divinæ. 233
§. 1. Quid possit homo præstare absque Gratia in servanda lege naturæ, & tentatione superanda? ibid.
§. 2. An homo possit habere aliquos Actus moraliter bonos absque Gratia supernaturali. 235
§. 3. An solis Naturæ viribus possit elici Amor Dei super omnia? 237
Controversia 7. De gratia Efficaci, & in quo illa consistat, variorum sententiæ discutiuntur. 239
Controversia 8. De Iustificatione & gratia Habituali. 246
Controversia 9. De Merito bonorum operum. 248
Controversia 10. De Ecclesia, Pontifice, Concilio. 252
Controversiæ aliæ, in reliqua Theologia, brevi Methodo resolutæ, ex Censuris, Decretis aut Definitionibus Ecclesiæ, aut Summorum Pontificum. ibid.
§. 1. De operibus, gratia, & meritis tam hominum, quam Angelorum. ibid.
§. 2. De peccato Actuali & Originali. 254
§. 3 De Fide, Spe & Charitate. 256
§. 4. De Iure & Injuria. 257
§. 5. De Christo, & Verbi Incarnatione. 258
§. 6. De Sacramentis, & eorum effectu. 261
§. 7. Alia puncta doctrinæ modernæ ad pœnitentiā spectantia. 263

Punct.

Punct. 1. *Necessitas Dilectionis Dei.* ibid.
P. 2. *Dolor ex Metu gehennæ.* 264
P. 3. *Attritio in Sacramento* ibid.
P. 4. *Satisfactio ante Absolutionem.* 265
P. 5. *Confessionis institutio.* ibid.
P. 6. *Dilatio Absolutionis.* ibid.
P. 7. *Consuetudo peccandi.* 266
P. 8. *Timor relapsus.* ibid.
P. 9. *Emendatio pro tempore notabili.* 267
P. 10. *Observatio Remediorum.* ibid.
P. 11. *Dilatio pro quovis mortali.* 268
P. 12. *Absolutio, & confessio Venialium.* ibid.
Exemplar Diplomatum Pontificiorum contra Propositiones Bajanas, & contra Doctrinam Iansenii. 269. & *seq.*

PARS PRIMA.

Resolutiones Theologicæ ad Praxim accomodatæ.

TRACTATUS PRIMUS.

Principia Practica, sive Dictamina quædam generalia, ex quibus ritè intellectis Resolutiones particulares facilè deducuntur. 282.

PRincipium 1. *Dictamen Conscientiæ, & ignorantia invincibilis.* ibid.
P. 2. *Ignorantia vincibilis.* 284
P. 3. *In dubio quomodo agendum.* 285
P. 4. *Dubitanti favet Possessio.* 285
P. 5. *Dubium an Lex sit lata.* 286
P. 6. *An casus Lege comprehensus.* ibid.
P. 7. *An lex acceptata, aut abrogata.* 287
P. 8. *De fine Legis cessante.* ibid.
P. 9. *Dubius de Debito, de Solutione, & aliis.* ibid.
P. 10. *Dubium Possessori superveniens.* 288
P. 11. *Dubius de legis justitia.* 289
P. 12. *Legum interpretatio.* ibid.
P. 13. *Metus in violatione Præcepti negativi.* ibid.
P. 14. *Metus in violatione Præcepti positivi.* ibid.
P. 15. *Violatio Præcepti indirecta, &c.* ibid.
P. 16. *Quomodo Dubium à Probabili distinguendum?* 291
P. 17. *Operatio quando licita ex opinione Probabili.* ibid.
P. 18. *Conscientia practicè certa.* 292
P. 19. *De opinione minus Probabili.* ibid.
P. 20. *Quid in administratione Sacramentorum.* 293

P. 21. *Quid possit in Probabili Iudex, Advocatus, Medicus, Ius incertum, &c.* 294
P. 22. *Regulæ pro Opinionis delectu.* 296
P. 23 *An, & quomodo opiniones aliquando Probabiles, possint per Censuras aut aliter fieri Improbabiles.* 297
Sententiæ prohibitæ ab Alexandro VII. anno 1666. 298
Controversiæ Generales Recentiorum de Probabilitate opinionum. 302
§. 1. *Exponitur status Controversiæ, & Communis Authoritas contra impugnatores probabilitatis.* ibid.
§. 2. *Dissolvuntur aliquorum Theologorum argumenta.* 305
§. 3. *An, & quomodo assertio unius Authoris possit reddere Sententiam probabilem sic ut eam practicè liceat amplecti?* 309
§. 4. *Qui, & quales sint pauci Recentiores Scriptores, qui communem de probabilitate doctrinam impugnant.* 312
Controversiæ particulares de opinionum variarum probabilitate. 314
Quæstio 1. *Quinam Authores, & quâ ratione doceant probabilem esse doctrinam de licito usu Restrictionis purè mentalis, & aliis, eò pertinentibus?* ibid.
Quæstio 2. *An debeat censurari ut improbabilis hæc propositio, Reus & Testis non obligatur ad mentem Iudicis respondere, si dubitent an legitimè interrogentur à Iudice.* 316
Quæstio 3. *An probabile sit non requiri Intentionem internam, ut satisfiat præcepto recitandi Horas canonicas?* 317
Quæstio 4. *An probabiliter licitum sit in animo desiderare, aut à Deo postulare mortem, aut morbum alterius, si damna ab illo inique inferenda non possint aliter evitari.* 318
Quæstio 5. *An in Prælio navali probabile sit, licitum esse militibus ignem pulveri nitrico injicere, & se mari committere, ne ipsi cum navi, & opulenta præda in hostium manus deveniant?* 317
Quæstio 6. *An, & in qua necessitate teneatur Dives ex superfluis sui status proximo subvenire.* 320
Quæstio 7. *Quid sentiant Authores de opinione quæ docet, non esse Simoniam, obligare se pacto expresso conferẽdi spirituale pro temporali ex gratitudine, vel alio titulo non involvente commutationem justitiæ?* 322
Quæstio 8. *An, & qui Theologi admittant, excusandum esse ab omni culpa, etiam veniali, qui exercet copulam conjugalem solà causâ sedandæ libidinis?* 322
Quæstio 9. *An probabile sit, illum qui interpolatis vicibus per furta*

ta modica & tantum venialia ad notabilem summam pervenit, non obligari sub mortali ad totius summæ restitutionem. 323

Quæstio 10. *An probabile sit, illum excusari à Iejunio, qui posuit causam non necessariam v. g. Lusum pilæ, aut etiam causam illicitam, ex qua prævidet secuturam gravem Corporis defatigationem?* 324

Quæstio 11 *An probabile videatur, ligatum voto simplici Castitatis, si contrahat matrimonium sine dispensatione, peccare mortaliter in prima tantum petitione debiti, non in sequentibus.* 325

Quæstio 12. *An apud aliquos Authores probabile sit, licitum esse inebriare aliquem, qui decrevit magnum aliquod malum patrare, si nequeat alio modo impediri?* 326

Quæstio 13. *An qui Testamentum aut aliud instrumentum publicum & legitimum amisit, v. g. de sua nobilitate, patrimonio, &c. possit privatim simile conficere?* 327

Quæstio 14. *Quid agendum in Missione, ubi rara est præsentia Pastoris, de absolutione Sponsi, qui ipso die nuptiarum deprehenditur vagæ libidini assuetus in Confessione, quâ se ad Sacramentum Matrimonii suscipiendum disponit?* 328

Quæstio 15. *Quid dicendum in communi de aliis Consuetudinariis, qui more ordinario confitentur se ex pravo habitu in idem peccatum sæpe relapsos fuisse?* 330

Quæstio 16. *An probabile sit Confessarium, qui in Sacramentali Confessione novit Pœnitentem ad officium vel prælaturam indignum esse, posse illi, in electione gratuita & secreta, suum suffragium negare?* 331

Quæstio 17. *An probabile sit Regularem approbatum ab Ordinario ad confessiones sæcularium in una diœcesi, validè posse ubique confessiones audire sine approbatione Ordinarii istius loci in quo versatur.* 332

Quæstio 18. *An sacerdos Regularis manifestè idoneus, cui Approbatio ab ordinario injustè negatur, possit validè in illius diœcesi confessiones excipere.* ibid.

Quæstio 19. *An sit probabile, Peccata negativè dubia non esse necessariò in Confessione exponenda?* 334

Quæstio 20. *Altera quæstio est inter Recentiores, An probabile sit, illum qui post confessionem ritè institutam tendit ad Communionem, & recordatur peccati lethalis, quod per oblivionem inculpabilem omisit, non teneri illud peccatum confiteri antequam communionem percipiat.* 336

Quæstio 21. *An attritio concepta ex Metu gehennæ sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ, sic ut non requiratur Amor benevolentiæ.* 336
§. 1. *Proponitur status & progressus Controversiæ.* ibid.
§. 2. *An Attritio quæ concipitur ex solo timore gehennæ possit excludere voluntatem peccandi, & esse actus bonus, ac supernaturalis?* 337
Item, quod eodem spectat, an detur præceptum referendi omnia Opera in Deum ex puro motivo Charitatis benevolæ. 338
§. 3. *Ostenditur Attritionem ex timore gehennæ, cum Proposito de cætero non peccandi, & spe veniæ, dispositionem esse sufficientem in Sacramento Pœnitentiæ ad peccatoris justificationem.* 344
Quæstio 22. *An teneantur ullo præcepto Parochiani diebus Dominicis & festis interesse Concioni in propria parœcia, sic ut non satisfaciat qui solas Regulariũ Ecclesias frequentat.* 350
Quæstio 23. *An fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ, audientes Missam Dominicis & festis diebus extra templa parochialia, in solis Ecclesiis Regularium?* 354
Quæstio 24. *An satisfaciant præcepto annuæ Confessionis, qui quovis tempore, etiam Paschali, Regulari approbato confitetur?* 357
Quæstio 25. *An validè, aut licitè possit Episcopus Regulares ad sæcularium confessiones absolutè approbatos, propriâ authoritate pro libitu ad novum examen sub pœna suspensionis adigere, aut approbationes à Prædecessore legitimè concessas revocare?* 360
Declaratur generaliter, quas pœnas incurrant, qui concessa Regularibus Privilegia impugnant: aut qui violant debitam Episcopis reverentiam. 362

RESOLUTIONES PARTICULARES,

Ad Pastorale munus, personam, & privilegia speciatim pertinentes.

Quæstio 1. *An una Ecclesia parochialis possit duos simul Parochos habere?* 365
Quæstio 2. *An censeatur Parochialis Ecclesia vacare, sit promoveatur illius Parochus ad Episcopatum titularem in partibus infidelium, & in alicujus Episcopi Suffraganeum?* 366
Quæstio 3. *An possit Episcopus dispensare, ut quis ante annum 25. inceptum, obtineat Parochialem Ecclesiam?* ibid.
Quæstio 4. *Si ad concursum, qui fieri debet pro conferenda Ecclesia parochiali, unus solus accedat tempore statuto, an debeat ille*

ille examinari, & si reperiatur idoneus, Parochia illi conferri. ib.
Quæstio 5. *An in Parochialibus beneficiis quæ regularibus conferuntur, concursus institui debeat?* ibid.
Quæstio 6. *An in Parochialibus juris Patronatus laicorum requiratur Examen per concursum, unius aut plurium qui præsentantur?* 367
Quæstio 7. *Parochus tenetur de more facere professionem fidei coram Episcopo aut saltem ejus Vicario intra duos menses à die adeptæ possessionis: Quæritur, an si professionem illam omittat, incurrat pœnam amissionis fructuum?* ibid.
Quæstio 8. *Parochi tenentur ad Residentiam juxta Tridentinum* Sess. 25. cap. de reform. *Quæritur, an qui tenuem habet Parochiam, aut si in ea habitent tantum tres quatuor, aut paucissimæ personæ, teneatur etiam ad Residentiam?* 367
Quæstio 9. *Si Parochus habeat duas Ecclesias unitas, Quæritur, utra erit in qua debeat residere?* 368
Quæstio 10. *Quænam causæ Parochum à residendo excusent?* ibid.
Quæstio 11. *An attento novo jure Tridentini, possint abesse Parochi Studiorum causâ, ut olim licebat per quinquennium ex* cap. fin. de magistris, &c. 369
Quæstio 12. *An Episcopus possit obligare Parochos sub pœna excommunicationis aut suspensionis, ut doceant suos subditos doctrinam Christianam?* ibid.
Quæstio 13. *Quid potestatis, & privilegii habeant Parochi circa dispensationem in Festis, & Iejuniis, & de aliis eorum Prærogativis?* ibid. & 370
Resolutiones particulares, ad Hæresim & partes Hæreticorum, & curatores animarum ubique pertinentes.
Vide has fusè deductas infra in Tractatu 6. per totum. 539

TRACTATUS SECUNDUS.

De Absolutione Sacramentali.

Cum variis tam Missionum, quàm aliorum Facultatibus, & Privilegiis, & casibus reservatis.

Caput 1. *De Iurisdictione requisita ad Absolutionem Sacramentalem.* 372
Caput 2. *De Approbatione Confessarii.* 376
Caput 3. *De Impedimentis absolutionis per Reservationem, Censuram, &c.* 378
Quinam Casus censeantur Episcopis reservati. 381
Caput 4 *Casus & Excommunicationes Pontifici reservatæ.* 382
§. 1 *Reservata in Bulla Cœnæ Domini.* ibid.

§. 2.

§. 2. In Decreto, & Decretalibus Papæ reservata. 384
§. 3. In Clementinis & Extravagantibus Excommunicationes reservatæ. 384
§. 4. Aliæ Excomm. reservatæ, extra corpus Iuris, & Bullam Cœnæ. 386
Caput 5. Pro facultate absolvendi à reservatis, censuris, aliisque casibus ad quos possit confessarius recurrere? 387
§. 1. Facultates Missionum, pro Episcopis in Hibernia, & alibi concedi solitæ, & pro aliis infra exponendis. 388
§. 2. Pro Vicariis Apostolicis Hiberniæ. 390
§. 3. Pro superioribus Regularium, ibidem. 391
§. 4. Pro aliis quibusdam Missionariis. ibid.
§. 5 Pro Regno Angliæ. ibid.
§. 6. Pro Provinciis Hollandiæ, & Confœderatis. ibid.
Facultates Ordinariæ quæ quibusdam Regularibus aliquando conceduntur, etiam extra missiones, breviter explicatæ. 391

TRACTATUS TERTIUS.
De Confessione & Absolutione Sacramentali.

Cum Indulgentiis, etiam Missionum, & praxi Hæreticos reconciliandi.

Caput 1. De præcepto Confessionis. 395
Caput 2. De Integritate Confessionis. 397
§. 1. Qualis, & quando ea requiratur? ibid.
§. 2. Quomodo Species & Circumstantiæ exponendæ? 400
§. 3 Quomodo distingui debeat Numerus peccatorum. 401
Caput 3. De Confessione invalida, quomodò iteranda. 404
Caput 4. De Sigillo Confessionis. 407
Caput 5. De Satisfactione. 411
Caput 6. De Indulgentiis. 415
De Iubileo. 416
Caput 7. Indulgentiæ quædam Missionibus propriæ. 418
Caput 8. Praxis & forma Hæreticos Ecclesiæ Catholicæ reconciliandi. 421
Forma Professionis, fidei ex Trid. & Bulla Pii IV. 422
Praxis disponendi ad actus in Contritione perfecta requisitos 423
Forma integra absolutionis, ut est in Rituali Romano expressa. 424

TRACTATUS QUARTUS.

De Sacramentis reliquis in genere & specie.

Caput 1. *De pertinentibus ad Sacramentum in Communi.* 425
§. 1. *Quæ, & qualis esse debeat Materia, & Forma Sacramentorum?* ibid.
§. 2. *De Intentione Ministri, ac Suscipientis, & qualis ad valorem Sacramenti requiratur.* 427
§. 3. *De Effectibus Sacramentorum, & modo quo causantur.* 430
§. 4. *Quid sit Character Sacramentalis?* 432
Annotatio moderna de Sanctis Patribus. 433
Caput 2. *De Sacramento Baptismi.* 434
§. 1. *De ejus Materia, forma, & unitate.* ibid.
§. 2. *De Dispositione suscipientis Baptismum.* 436
§. 3. *De ministro Baptismi.* 437
§. 4. *De Patrinis.* 439
Caput 3. *De Sacramento Confirmationis.* 440
Caput 4. *De Sacramento Eucharistiæ.* 442
§. 1. *De materia & forma Sacramenti Eucharistiæ.* 443
§. 2. *De Ministro Eucharistiæ.* 444
§. 3. *Dispositio requisita in suscipiente Eucharistiam.* 446
§. 4. *Præceptum sumendi Eucharistiam.* 449
§. 5. *De Sacrificio Missæ.* 450
§. 6. *De Stipendio pro celebratione Missæ.* 453
Appendix, De Horis Canonicis. 455
Caput 5. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 458
Caput 6. *De Extrema unctione.* 462
Caput 7. *De Sacramento Ordinis.* 464
§. 1. *Materia, Forma, & Conditiones variæ ad sacros Ordines requisitæ.* ibid.
§. 2. *Singularum Ordinum scientia, ritus, officia, privilegia, &c.* 467
Caput 8. *De Matrimonio.* 471
§. 1. *De Sponsalibus.* ibid.
§. 2. *De Matrimonii valore, ministro, usu, &c.* 473
§. 3. *De Impedimentis Matrimonii.* 476
§. 4. *De Matrimonio revalidando, aut contrahendo in partibus hæreticorum.* 481

§. 5.

§.5. *Praxis & Forma qua dispensationes pro Matrimonio, aliisque Casibus ex Romana Pœnitentiaria peti & concedi solent.* 4

Forma Litterarum Romanarum in variis Casibus verbatim expressa. 48

TRACTATUS QUINTUS.

De Præceptis & Peccatis.

Principia quædam præmittenda. 48

Caput 1. *De spectantibus ad primum Decalogi præceptum. Ego sum Dominus Deus tuus &c.* 48

Caput 2. *De pertinentibus ad secundum Præceptum: Non assumes nomen Domini &c.* 49

§. I. *De Blasphemia,* ibid.

§. II. *De Iuramento.* 49

§. III. *De Voto.* 496

Caput 3. *De tertio Præcepto: Memento ut diem* Sabbathi *sanctifices.* 499

§. I. *De Festorum observatione.* ibid.

§. II. *De Iejunio Ecclesiastico.* 50

Caput 4. *De quarto Præcepto: Honora Patrem &c.* 506

§. I. *De obligatione Liberorum erga Parentes.* ibid.

§. II. *De obligatione Parentum erga liberos.* 508

Caput 5. *De quinto Præcepto: Non occides.* 509

De Homicidio, mutilatione &c. ibid.

Caput 6. *De sexto Præcepto: Non mœchaberis.* 511

De Luxuria. ibid.

Caput 7. *De Præcepto VII. VIII. IX. Non furtum facies &c.* 514

De Furto, Rapina, &c. ibid.

Caput 8. *De Contractu in genere.* 516

Caput 9. *De Donatione & Promissione.* 517

Caput 10. *De Commodato, Deposito, Mutuo.* 518

Caput 11. *De Vsura.* 519

Caput 12. *De Emptione, & venditione.* 521

De Simoniaca emptione, aut venditione. 523

Caput 13. *De Testamento.* 527

Caput 14. *De Restitutione.* 530

§. I. *Quinam teneantur ad restitutionem.* ibid.

§. II. *Quid restitui debeat à possessore aut Damnificatore, bonæ aut malæ fidei.* 533

§. III.

§. III. *Qualiter restituendum pro Homicidio, Stupro, Adulterio, Fama, &c.* 535
§. IV. *Quænam excusent à restitutione.* 537

TRACTATUS SEXTUS.

Resolutiones singulares.

Ad Hæresim, & Partes Hæreticorum, ac Curatores animarum ubique pertinentes.

Quæstio *Prima. De homine in fide dubio.* 539
Quæstio 2. *De relapsis in hæresim.* 540
Quæstio 3. *Professio fidei externa.* ibid.
Quæstio 4. *Interrogati de fide silentium.* 541
Quæstio 5. *Restrictio, æquivocatio in fide.* ibid.
Quæstio 6. *Interrogatus de Sacerdotio.* ibid.
Quæstio 7. *Usus Carnium inter Hæreticos.* ibid. fine
Quæstio 8. *Templa, Conciones, Preces Hæreticorum.* 541
Quæstio 9. *Officia in Templis Hæreticorum.* 543
Quæstio 10. *Bona ab Hæreticis possessa.* ibid.
Quæstio 11. *Beneficium à Patrono Hæretico.* 544
Libri Hæreticorum, quomodo prohibiti. 545
Quæstio 13. *Particularia de Libris Hæreticis, & prohibitis, & famosis: per plures quæstiones.* 546
Quæstio 14. *Absolutio in negatione externa fidei.* 550
Quæstio 15. *Bona Ecclesiæ.* 551
Quæstio 16. *Cibi ab Ecclesia prohibiti, per plures quæstiones.* 552
Quæstio 17. *Communicatio cum Hæreticis.* 553
Quæstio 18. *Fidelitas in pactis cum Hæreticis.* 555
Quæstio 19. *Disputatio cum Hæreticis, & ejus norma.* ibid.
Quæstio 20. *Educatio Liberorum in hæresi, exhæredatio &c.* 557
Quæstio 21. *Usus styli veteris in observatione Festorum &c.* 558
Quæstio 22. *Valor Sponsalium inter Catholicum & Hæreticum.* ibid.
Quæstio 23. *Matrimonium cum Hæretico ut licitum.* 553
Quæstio 26. *Parochi assistentia in partibus Hæreticorum.* 561
Quæstio 27. *Proclamationes in templo Hæretico.* 562
Quæstio 28. *De infantium Baptismo apud Hæreticos: per plures quæstiones.* 563
Quæstio 29. *Quas pœnas juxta leges incurrant Hæretici.* 565

PRO

PRO MISSIONE CASTRENSI, ET NAVALI.

De his Missionibus, & rebus ad eas pertinentibus Resolutiones singulares & variæ deducuntur. 567. & seq.

PRAXIS VARIA.

Ad brevem facilemque Directionem Confessarii, & dispositionem pœnitentis.

§. I. *Observanda Confessario in principio, & decursu Confessionis.* 57

§. II. *Observanda à Confessario post Confessionem.* 57

§. III. *Modus juvandi Rudes, & pueros.* 57

Motiva varia disponentia ad summam Peccati Detestationem Contritionem, & vitæ Emendationem. 57

Quanti momenti sit status Gratiæ. 57

Remedia & Documenta contra singula Peccata in particulari 58

APPARATUS

Materiæ & Formæ pro doctrina Sacra, & Christiana in quavis materia facile ac copiosè tradenda: Praxis accurata Ægris, Moribundis, ac aliis, per omnia assistendi: Praxis quoque Meditationum pro Sacerdote ad vitæ ac Functionum suarum perfectionem, ultimæ hujus operis parti infra annectuntur.

PARS PRIMA.

RESOLUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ,

De Modernis Controversiis & Quæstionibus, facili methodo decisis.

TRACTATUS PRIMUS.

Methodus clara quemvis adducendi ad veram Ecclesiam.

CAPUT PRIMUM.

Vera Religio demonstratur horum temporum Libertinis.



Rima ad salutem remora est effrænata vitæ licentia: hæc uti mentem cœco impetu convertit ad amorem creaturarum, ita eam penitus avertit à notitia, & cultu Creatoris: facilè enim error excæcat, quos libido dementat. Hinc fit ut nostro ævo plurimi passim reperiantur non tam hæretici, quam Libertini, qui Religionis omnis expertes, & rerum creatarum idolis affixi, nullã alterius vitæ curã admittunt. Serpit hæc dira contagio, non tantùm inter humiles casas ignaræ plebis; sed vel maximè homines in speciẽ politos, populiq; duces, & ipsas Principum aulas pedetentim invadit: ubi à multis Deus vix colitur, nisi purpuratus; cura omnis in Curia versatur; multa de statu publico, nulla de privata salute cogitatio. Fortunæ tantũ litare, viros principes ut Semi-Deos colere, & ab aliis coli, plurimis summa, aut unica Religio est. Hominibus sic affectis, ut sopor ille lethargic⁹ excutiatur, ante omnia necesse est, ut viva summi Numinis, æterniq; judicii cognitione percellãtur. Habenda igitur in prõptu argumenta, quibus per res creatas ad agnitionẽ Creatoris, & per sensuũ experimenta ad rerum à sensu remotarũ fidẽ, amorem-

quē traduntur: frustra enim hos, Catholicos reddere contend nisi prius veri nominis Christiani efficiantur. Quin & experien docet, quoscunque Sectarios, imo & Catholicos in fide languidi res, ex hac vivaci supremi Numinis, rerumque æternarum demo stratione, ad veræ Religionis investigandæ desiderium, firmamq in suscepta fide constantiam vehementer incitari.

ARTICULUS PRIMUS.

Rationes ex rebus creatis ad Creatoris fidem & cultum convincentes.

§. I.

1. DIco Primò; *Ex serie, & dependentia creaturarum colligitu necessaria Dei existentia, & Religio illi debita.*

Quia sicut mihi manifestum est meipsum, qui aliquando no eram, in hac rerum natura nunc existere, vivere, operari; ita mih certò innotescit existere aliquam causam primam & supremam, cu ego quod sim, aut vivam, acceptum referre debeo. Non enim potui hæc, quâ consto corporis moles, nullo procreante, repentè ex nihil prosilire: multò minus ego primus illius artifex esse potui, ac me ipsum è spatiis imaginariis in hoc orbis theatrum inducere: sic enim existere deberem antequàm existerem, & creare antequàm essem creatus; quod fieri penitus, aut intelligi nequit. Neque possum existendi exordium ab alia causa v. g. à meo parente derivare, nisi ille pari modo suam originem ab alio hauserit, & hic ab alio perpetuâ serie progrediendo, donec tandem deveniatur ad causam primam & necessariam, à qua & primus hominum parens, & ego, & omnes creaturæ principium aliquod existendi acceperunt.

Frustra autem, ne ad causam primam deveniatur, finget Atheus seriem infinitam causarum à se mutuo dependentium, in qua nihil primum, aut supremum reperiatur. Nam contra, ut rem obscuram claro exemplo expediam. Tametsi in catena ferrea ex alto protensa concipias seriem infinitam annulorum se mutuo sustentantium, necessariò tamen vel intra, vel extra illam seriem dabitur aliquid à nullo sustentante dependens, à quo annulorum omnium gravitas sustentari debeat, cum nullus in tota catena annulus possit seipsum sustentare. Sic etsi admitteretur possibilis series causarum infinita, necessariò tamen si non intra, saltem extra illam seriem exi-

stet

ſtet cauſa aliqua prima, ac ſuprema, à qua ſic procedunt ac procreantur univerſa, ut ipſa per ſe exiſtens, à nullo debeat originis ſuæ primordia derivare.

Unde ſequitur me huic ſupremo rerum omnium Conditori, ac meo primævo Parenti, ipſo creationis jure, ſinceram fidem cultumque debere; ac proinde ſi hunc præſtare omittam, debito ſupplicio ejus arbitrio plectendum eſſe.

2. Neque tibi in mentem veniat, tôtam hujus Univerſi machinam, ſine alio principio, mole tantum ſuâ ab æterno ſubſtitiſſe, nec niſi ex varia copuſculorum mixtura, motu, ſymmetria, novas rerum ſpecies componi potius, quam ab aliqua cauſa produci. Apage inane figmentum. Si enim mundus hic adeò longævus foret, ſatis ſanè ætatis haberet, ut ipſe pro ſe loqueretur, & illius æternæ, ac venerandæ antiquitatis teſtimonium aliquod exhiberet. Jam verò, ſi omnes mundi annales conſulamus, ſic inter ſe conſentiunt univerſi, ut ultra ſex millia annorum, nulla anteriorum temporum mentio reperiatur. Quin potius & novas artes, & ſcientias, & regiones priſcis ſeculis incompertas, non ita pridem inventas eſſe annalium monumenta conſignant, ac noſtrâ etiamnum ætas teſtatur. Quod ſi ante hæc tempora, infinita ſeculorum millia effluxiſſent, quo pacto immenſa illa annorum æternorum retroacta ſeries artibus his excogitandis, aut regionibus inveniendis non ſuffeciſſet?

Neque dicas, has artes, aut anteriorum ſeculorum memoriam intercidiſſe ex aliqua priſcorum hominum incuria, quaſi prætermiſerint illi priorum temporum geſta ac monumenta poſteritati conſecrare. Mirandum ſanè foret, in re tanta, tam publica, tam naturæ conſentanea; commune illud, & pluſquam Pythagoricum totius orbis ſilentium. Nihil enim hominibus magis jucundum, & à natura inſitum eſſe ſolet, quàm ſua, majorumque ſuorum decora, monumentis perpetuo duraturis, toti poſteritati celebranda tranſmittere. Idque nimis manifeſtum eſt ex ſingularum gentium annalibus antiquiſſimis, & Virorum illuſtrium præclaris facinoribus, non tantum in ſcriptis hiſtoriis, ſed etiam in vivis marmoribus, ac mauſolæis omni ſtudio ab oblivione vindicatis. Quod ſi ante præteritorum temporum memoriam ultimam, per immenſi temporis durationem, cum mundo homines extitiſſent, illos quoque idem ardor, eadem antiquitatis explorandæ cupido rapuiſſet. De his verò ultra primum Adami ævum ſilent omnium gentium hiſtoriæ, omnia priorum ſæculorum monumenta conticeſcunt. Neque poteſt, contra æternam mundi

durationem, insonare clarius testimonium, quam altissimum istu totius æternitatis silentium.

3. Frustra autem, ut hujus argumenti vim eludas, cum Machiavel asseclis, confugies ad ingentes aquarum eluviones, & varia orbis in cendia, quibus prætendas omnia prioris ævi vestigia ante Adamum consumpta fuisse. Hæc enim commenta, cum nulla fide, aut histori fulciantur, ad fabulas & chimæras facilè relegantur.

Sed age, ut rem pressius urgeamus, quæro, Ex his eluvionibus & incendiis aut hominum aliqui, aut nulli superfuerunt? Si aliqui; po terant illi rerum præteritarum memoriam in posteris conservare. S nulli, dic quæso, quo modo ad te, nullo qui referret superstite, harum eluvionum notitia pervênit? An non vides bellum istud esse, com mentum omni teste ac præsidio orbatum? Tuo igitur testimoni machinæ istius æternæ tota moles incumbit. Faciamus porrò tecũ, per hujusmodi eluviones, & orbis universi conflagrationes, omne genus hominum absumptum aliquando fuisse, nullo superstite qui anterioris ætatis notitiam propagaret. Sed hoc admisso, ulterius in quiro, quo pacto potuerint homines aliqui post communem inte ritum, sine parente, sine conditore, in hoc orbe terrarum denuò cõ parere? Vis ut more Deucalionis novum genus hominum ex saxis reparatum, aut potius ex orbe lunari delapsum credamus? Minimè, inquis, sed ex commixtione elementorum, ac calore solis, instar gli rium aut ranarum, novi iterum homines è terra prosiliêre. Si & hoc generis nostri probrum, potius quam Deum illius authorem admit tere non reformides: Dic quæso, Cur non & hoc tempore reperian tur homines aliqui terrigenæ, more ranarum aut muriũ in campis, aut paludibus, ex eadem corpusculorum mixtura proseminari? Adest non minor quam olim influxus solis ac syderum, præsto est eadem natura ac symmetria corporum sublunarium: hæc omnia modis in numeris assiduò miscentur, & agitantur: neque tamen hactenus u num nobis masculum, aut embrionem in orbe universo, extra athe orum cerebrum, protulisse memorantur.

En quo tandem evanescant dementes impiorum cogitationes! Quantumvis illi oblivione æternâ omnia involvant, & hominum genus ad ranarum aut pulicum sortem abjiciant, & mundum ipsum flammis & undis pœnè evertant, ne sic quidem supremum universi Conditorem effugiunt.

Cum igitur hactenus ostensum sit, nec mundum, nec homines ab æterno extitisse; neq; potuisse in tempore à seipsis, nec ab alio prin cipio in infinitum procreari, manifestè conficitur, à prima rerum o mnium causa ac conditore originis suæ primordia obtinere, cui proinde sincera fides, ac Religio debeatur.

§. 2.

§. 2.

Dico Secundò, *Ex ipsa hominis conscientia, & rerum cæterarum ordine perfectissimo, supremi Moderatoris providentia omnibus adoranda & colenda elucescit.*

4. AC primò quidem, hanc supremi Numinis agnitionem intimis hominum pectoribus ab ipsa natura insculptam esse deprehendimus, ex stimulis *Conscientiæ*, sive tacita formidine, quâ, admisso gravi flagitio v.g homicidio, homines etiam Ethnici concutiuntur, quantumvis illud in vasta solitudine, absque omni arbitro aut teste patratum fuerit. Quæro enim, quem potest ille homicida violatæ legis vindicem formidare? Non primò seipsum, nullum enim à se ipso supplicium pertimescit. Non alium hominem, qui crimen testetur, aut puniat: certus enim est, nullum mortalium sceleris sui conscium fuisse: & tamen tacitus illum tremor, & solicitus pavor exagitat. Deum igitur ubiq; præsentem, Deum omnia etiam occulta inspectantem trepidando metuit, & metuendo agnoscit; ad quem nempè, ut authorem naturæ pertinet, violatam naturæ legem in præsenti, aut futuro sæculo vindicare.

Hinc igitur agnosco, me in ipso mentis meæ tribunali adeò vivum circumferre supremi Numinis testimonium, ut si debitam illi fidem & obsequium illi non exhibeam, non tantum Deum Judicem, sed etiam meam conscientiam habere debeam contra me vindicem, testem, accusatorem.

5. Secundò: Si transfero oculos à meipso, in hunc *Orbem aspectabilem*, occurrit imprimis hæc, in qua consisto, Terræ & Maris ingens machina, in medio Aëre, nullo sustentante, librata. Hinc ascendo ad amplissimum globum Lunæ & Solis, qui constanti tot seculorum cursu orbem universum illuminat. Pergo hinc ulterius ad reliquas Stellas, multitudine innumerabiles, splendore eximias, miro & immutabili ordine in firmamento collocatas. Considero deniq; ipsius Firmamenti amplitudinem immensam, & motum præcipitem, tot tamen millibus annorum, absq; errore minimo, in suo cursu ac tramite persistentem.

Horum singula si cum Astrologis penitiùs contemplemur, comperiemus magnitudinem Solis plusquam centies & quadragies totius terræ globum superare. Terræ autem totius ambitus prope ad viginti duo leucarum millia porrigitur. Stellas in firmamento nocte serenâ conspicuas quis poterit numerãdo recensere, quæ ad constellationes mille viginti duas reducuntur? Et tamen inter has, plures stellæ quæ dicuntur primæ magnitudinis, totam terram plusquam quadragies excedunt, Distantiam autem immensam Fixarum à terra inde

inde conjicies, quod ipse sol, multò nobis vicinior, distet ultra quatuor milliones milliarium ; Luna verò ultra septuagies mille milliaria Belgica. Moventur autem Astra Firmamenti singula velocitate tam stupendâ , ut singulis horis multos leucarum millione conficiant, cum & ipse Sol in circuitu multò inferiori , non minù quam millionem leucarum in horas singulas decurrat. Quæ omni ad ampliorem longè numerum extendi censet Ricciolus, & ex part G. Hesius, aliique viri accuratissimi.

Nunc inquiro, à quo tandem possunt existere , & ordinari hæc quæ recensui universa? Non eo pertingit hominis industria, quæ ve in unius familiæ gubernatione mirum quantum desudat : nec opu est Angelicæ virtutis & intelligentiæ, angustis nempe spatiis ac limitibus circumscriptæ. Non igitur existunt illa nisi à supremo , & perfectissimæ mentis Artifice, qui singula cum nondum essent , e nihilo produxit, producta inter se aptissimo ordine disposuit , & si disposita in eodem tenore ad hunc usque diem continet , ac conservat. Non enim potuit ingens illa rerum machina per se, absque supremæ causæ adminiculo, ex nihilo emergere , ut in §. 1. ostendi; multoque minus absque ejusdem dispositione ac consilio in eam, quam descripsi, formam ordinemque fortuitò consurgere. Ut si in vasta solitudine occurreret Palatium amplissimum, optimo singularum partium ordine constitutum, nemo est hominum, qui illico non agnosceret, talem fabricam non casu fortuito, sed ab artifice mente & ratione prædito in talem ordinem formamque coâluisse.

Eodem modo ulterius investigandum, quonam moderante dirigatur *Motus Solis* perpetuus in suo accessu , & recessu , ad certos fines & usus rerum sublunarium , ut ver hyemi , veri æstas , æstati autumnus, ordine ac lege nunquam aberrante succedat ? Non possunt sanè hæc omnia ab alio principio promanare, quam à supremo, ac sapientissimo rerum omnium Moderatore cui curæ est tam vario solis motu, ac temporum alternatione, hominum genus, resque cæteras ab interitu conservare. Sol enim , cum sit mentis & rationis expers, neque rerum sublunarium exigentias intelligere , neque cursum suum certâ lege ad eorum usum, utilitatemque flectere aut ordinare potest. Cernimus enim verò, nec cymbam unam, utpotè ratione carentem, absque nauclero, nec currum unicum absque auriga ad destinatum locum motu se proprio , consilioque dirigere. Multo minus potuit tam varius, tam diuturnus solis , syderumque motus sine supremo Moderatore , per sex millia annorum , ad fines adeò admirandos cæco impetu inflecti, nullo consilio dirigi, nulla providentia gubernari. Inops iste est mentis qui hæc sine mente perfectissima fieri posse arbitratur.

Qui

Qui ergo creaturas etiam irrationales ad fines suos tam accuratè dirigit, quomodo patietur hominem ratione præditum, ab ultimo suo fine, qui est ipse Deus, impunè recedere, & ab ejus fide, & obedientia spontè aberrare.

§. 3. Dico Tertiò, *Spiritus à corporeo sensu separati, uti & miracula vim naturæ exuperantia, ad divinæ potentiæ notitiam, cultumque manifestè adducunt.*

6. PRimò quidem, Extra creaturas in hoc mundo aspectabiles, occurrunt etiam *piritus invisibiles* à materia, sensuque separati, ut sunt Angeli, ac Dæmones, qui in obsessis hominum corporibus sese produnt per operationes admirandas, quæ à nullo hominum possunt exerceri. Nihil enim certiùs est, quam dari artem magicam, & oculta cum dæmonibus pacta & commercia, ex quibus cogimur admittere spiritus corporis expertes, maxima agilitate, intelligentiâ ac potentia præditos, qua producuntur effectus qui omnem potestatem naturæ visibilis longissimè transcendunt. Sicut ergo inficiari non possumus existere hos Spiritus, qui sub aspectum non cadunt, à rebus corporeis separatos; ita necesse est agnoscere Spiritum aliquem supremum, ac potentissimum, qui occulta virtute cætera omnia moderatur, quem Deum vocamus? etsi illum nec visu, nec alio sensu percipiamus.

Secundò, supremi Numinis Majestatem nobis produnt, innumera omni ævo Miracula, quæ cum omnes naturæ vires excedant, à solo Deo ea provenire necesse est; qualia sunt tot manifesti favores sinceris Dei cultoribus concessi; tot pœnæ sacrilegis, ac perjuris repentè irrogatæ.

Quæro enim à qua virtute aut potestate prodierunt supra vim naturæ tot portenta olim patrata, dum divisis instar muri hinc & hinc oceani fluctibus populus Israeliticus, duce Moyse, profundum maris alveum sicco vestigio transmisit: aut dum Josue, invocato Numinis auxilio, in medio æthere præcipitem solis cursum extemplò frænavit. Et ut propinquiora memorem, quo authore Christus coram multis testibus Lazarum è monumento, filium viduæ è feretro, & plures alios luce orbatos ad vitam repentè suscitavit? Quâ vi, aut potentia plures alii Dei cultores, omni ævo ad nostra usque tempora, paria superioribus prodigia orbi palam spectanda exhibuerunt? Potuerunt scilicet homines, potuerunt elementa, potuit vis occulta naturæ ad hujusmodi prodigia sufficere, quæ omnem naturæ potestatem mani-

manifestè transcendunt. Diu sanè multumque universæ Naturæ opem implorabis, antequam eâ opitulante unius digiti vulnus momento obducas.

Sed ne tam potenti argumento ad præstandum Numini fidem cultumq; adigaris. hæc omnia ut Historias falsas, aut oculorum ludibria, cum Machiavello, dicere non erubesces. Verùm non advertis te pariter insano ausu omnium historiarum fidem & humanum commercium è mundo relegare? Gesta Regum, aut Cæsarum unde nobis nisi ex conscriptis majorum monumentis recensebis? At si tecum insanire velim, repudiabo universa. Proferes testes ac tabulas primorum Authorum fide, ac testimonio ad posteritatem transmissa. Dicam illicò, falsas historias, fictas tabulas, omnia hominum astu & fraude adornata. Nulla ergo deinceps in tabulis, nulla in testibus, nulla in hominum dictis aut factis fides residebit. Quod aliud non est, quàm necessarium vitæ humanæ commercium, & omnem probandæ veritatis viam penitus intercludere. En quo devenit ista hominum vesania, quæ dum tentat è mundo tollere fidem divinam, omnem pariter destruit fidem humanam.

§. 4.

Dico Quartò. *Ex prædictis apertè evincitur, quemlibet Dei agnitionem, cultumque liberè aversantem, rectè inter homines fatuum, aut amentem reputari.*

HOc ut demonstrē, assumo principium à Philosopho traditum 10. Ethicorum, & ab omnibus summo consensu receptū; *Quod universis videtur, id verum esse debet.* Hoc enim principio sublato, facilè negabo, bonum esse vivere, malum mori: mel dicendum dulce, sed amarum. De hoc autem si dubitavero, fatuus illico appellabor, quia hoc & universis videtur, & natura ipsa loquitur, mel scilicet dulce, fel verò amarum esse. Nam ut verissimè Tullius, *de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.* Nunc ulterius subsumo; Atqui universis mente sanâ præditis semper videtur semperq; visum est, dari in mundo aliquod Numen debitâ religione colendum. Constat enim ex omnium gentium historiis, etsi inventæ fuerint nationes quæ vitam duxerint sine domibus, sine vestibus, aliisque hominum commodo ac naturæ consentaneis; nusquam tamen extare gentem, aut urbem, cui nullus sit Deus, nulli ritus, nulla sacrificia. Adeò ut inter regiones postremo sæculo in novo quasi orbe repertas nulla sine religione aliqua vixerit, quamvis in cæteris vix à belluis differre viderentur. Neque potest communis ille hominum sensus

ſenſus ac conſenſus ab alia cauſa enaſci, quam à quadam luce, ac communi dictamine ab Authore naturæ omnibus impreſſo, ut illum tanquam primum originis ſuæ principium ſibi quærendum ac colendum agnoſcerent. Quod autem à natura duce, & ingenita omnibus luce proficiſcitur, id absque dubitatione verum certumq; à quovis ratione prædito judicari neceſſe eſt, Adeò ut ſi quis præfractè obluctetur; aliud exiſtimari nequeat, quam hominem illum læſo turbatoque cerebro, vim judicandi amiſiſſe, quâ ſolet verum à falſo diſcerni.

Atque hinc ulterius conficio, contra curam debitam inquirendæ Religionis, ab authoritate Libertinorum nullum poſſe prætendi argumentum, quos hic in delirantium numerum redigendos eſſe jam demonſtravi. Nulla ſanè fatuitas eſt ſine aliquo ſimilis cerebri patrono, neque tamen rebus communi orbis judicio receptis, quidquam derogare ſolent diſſona paucorum deliria. Communis certusq; eſt hominum ſenſus, vitam ſuam cuilibet æſtimandam; & tamen inventi ſunt aliqui, qui violentas manus ſibi intulerunt. Quid magis certum, quam nos aliquid certi cognoſcere, id tamen à Sceptícis præfractè negatur. Veritas eſt lumine naturæ nota, me non poſſe ſimul ſcribere, & non ſcribere, ſed & hoc à Parmenide pro falſo habetur. Nulla denique veritas adeò lucida eſt, ut ad eam proterva quorundam ingenia non caligent; quod ſi ad obducendam veritati caliginem, illa paucorum cæcitas ſufficeret, jam pridem omnis è mundo veritas exularet. Hoc interea ex dictis liquet, in nullo rationis dictamine, communem, orbis univerſi ſenſum magis convenire, quam in admittendo aliquo Numine ac Religione, quam quisque ex ſola naturæ luce ac magiſterio ſibi colendam eſſe decernit. Unde demum conficitur, nihil poſſe obtendi quo minus inter fatuos, aut emotæ mentis homines eſſe cenſeantur, qui contra veritatem adeò apertam paucos ſequuntur Libertinos, quos in hoc judicii impotes eſſe, & in media luce cæcutire, jam palam fecimus, & pluribus infra confirmandum erit.

§. 5.

Dico Quintò; *Ex argumentis hactenus allatis certò concluditur, ex neglectu Fidei, cultusque divini, ſequi pœnam ignis æterni.*

PRimò, Quia communi orbis conſenſu ex his, & ſequentibus argumentis, omnes non modo Chriſtiani, ſed etiam Judæi, Thurcæ, ac pleræque Gentes barbaræ omni ævo, hanc indubitatam intulêre ſententiam; *Qui negligit Deum in hac vita dignè colere,* in

in altera vita condignè punietur. Sicut ergo violatæ fidelitatis ergà Regiam Majestatem, condigna pœna est, ferri, aut flammæ tortura definito tempore duratura, ita neglectus fidei debitæ Regi æterno condignum supplicium est cruciatus ignis æterni. Quia Dei Majestas & excellentia cujuslibet Principis dignitatem infinitis gradibus antecellit.

Hoc cum ita sit, quo modo potero ego ad hanc totius Universi vocem obsurdescere, aut in hoc præ omnibus vitæ negotiis curam & cogitationem non intendere, ut divinæ Majestati debitam fidem cultumque persolvam. Si enim in periculis vitæ præsentis brevi finiendæ omni studio remedia quæruntur tutissima, quando magis id agendum est in præcavenda jactura vitæ æternæ, & vitandis pœnis perpetuò duraturis.

Secundò. Præter hanc totius naturæ vocem, Deus ipse per voces Prophetarum hanc doctrinam omni ævo hominibus propalavit, & *novissimè locutus est nobis in Christo Filio suo*, qui in testimonium *hujus veritatis* à se revelatæ, in publica orbis luce, cæcis à nativitate visum, claudis incessum, mortuis plurimis vitam momento restituit. Qui in dæmones, in elementa, in morbos omnes sola voce aut nutu, absolutissimum exercuit imperium. In cujus morte supra omnem naturæ ordinem, orbis universus densa caligine obductus est, & tota terræ machina horrendo tremore concussa, petris scissis, & mortuorum sepulchris divinâ virtute reseratis. Qui denique post mortem redivivus, pluribus palam spectandus & palpandus apparuit; ac demum divinâ luce refulgens, coram multis testibus, in cœlum propria virtute conscendit.

Quæ omnia, pariter cum sua Doctrina probatissimis *divinarum Scripturarum* monumentis, & innumeris per Evangelii præcones *Miraculis* confirmatâ, adeo omnibus manifesta reliquit, ut maxima pars orbis, non vi aut armis, sed aperta veritatis luce adacta, ejus doctrinam quantumvis arduam recipere, & suo sanguine consignare non dubitaverit. Doctrinæ autem à Christo traditæ *Primum Principium* hoc est, Deum debita fide, & cultu agnoscere recusantibus, paratum esse post hanc vitam supplicium ignis æterni. Sic enim loquitur Christus *Matth. 15. vers. 41. Ite maledicti in ignem æternum. & vers. 46. Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Dura, inquies, hæc sententia est. At omnium sententia est. Nulla Ecclesia, nulla inter Christianos Secta unquam dubitavit, sine vera fide impossibile esse Deo placere, aut ignis æterni pœnas evadere, si quis eam ritè propositam sua culpâ admittere recuset.

Nunc

Nunc igitur animum collige, & apud teipsum expende, quantum hactenus curæ adhibueris in deligenda illa Fide ac Religione, in qua possis Deo placere, & ignis æterni tormenta effugere. Quis viator sine ullo examine ingreditur quâmlibet viam primò occurrentem, nisi sponte velit in errorem, & interitum incidere? Non ideo via ad salutem recta est, quia lata, quia jucunda; cum ipsa veritas moneat *Matth. 7. v. 14 Angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Quia nempe viam veræ fidei pauci seriò investigant, sed illam ingrediuntur, ad quam vel commodum vitæ, vel lucrum, vel officium, vel amicorum exemplum invitat. Et tamen in altera vita nec officium, nec lucrum, nec amici ulli, sed Fides vera & sincera poterit te ab ignis æterni pœna præservare.

Interroga igitur teipsum iis verbis quibus à Christo interrogaris, Matth. 17. v. 26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Cras fortè stabis ante tribunal supremi Judicis, Fidei tuæ rationem redditurus, ubi in momento accipies extremam sententiam, unde pendet tota æternitas. Adhibe ergo nunc in inquirenda veritatis via illam curam ac studium, quod seriò à te adhibitum non fuisse, serò lugebis: in hoc enim puncto ad vitæ finem ultrò errare, aliud non est quàm æternum perire.

ARTICULUS SECUNDUS.

Enervantur varia Argumenta & effugia contra hæc à Libertinis opponenda.

RESpondebunt pro sua, suorumque errorum defensione, atheorum more, horum temporum Libertini: Hominem ex jure & dignitate naturæ suæ in res sublunares liberum dominatum, usumque obtinere. Durum proinde videri, à superiori aliquo Numine, nullo cogente, tot legum divinarum vincula subire, quæ naturali hominis libertati ac felicitati in creaturarum usu maximè præjudicant: ideoque nolle se ex doctrina sibi incerta, de libertatis suæ certa possessione deturbari.

Sed ut tuo etiam, Libertine, commodo consulamus, abs te quæro; An non tibi multò durius videatur eam de Deo, ejusque legibus doctrinam abjicere, quæ si vera sit, absq; ullo in futurum remedio, tibi allatura est calamitatem perpetuò duraturam; si verò falsa, nihil eam profitenti in hac, aut altera vita nocitura est? Si enim nullum existat numen, nullus quoque erit hominum qui post hanc vitam, tuum tibi in colendo Numine errorem exprobabit: illo autem existente, unà cum spreti Numinis ultione, consurget adversum te tota homi-

hominum multitudo, quæ ab orbe condito Deum ritè coluit, tuæque veſaniæ, quod à communi orbis ſenſu ultrò aberraveris, meritiſſimo jure inſultabit. Securum igitur te reddit Numinis veneratio graviſſima pœna atheis perpetuò formidanda, atque inſuper ſpem parit ingentis præmii ſinceris Dei cultoribus, communi orbis judicio, in perpetuum deſtinati. Et quamvis (quod fieri nequit) tuum de exiſtentia Numinis judicium cum communi orbis conſenſu falleretur, per hoc præſentis vitæ conditionem nihilo reddes deteriorem. Amens ergo ſis ſi doctrinam omnibus adeò compertam amplecti recuſes, quæ te pœnæ ſecurum, ac perpetuò felicem reddere poteſt, miſerum non poteſt.

At, inquies, quo modo in totius vitæ decurſu poſſum eſſe non miſerrimus, ſi in omni actione vindicem ſupremi Numinis manum mihi perpetuò imminentem agnoſcam, à quo dum in libero rerũ creatarum uſu, aut abuſu futura ſupplicia pertimeſco, ſtatum præſentis vitæ ego mihi fabrico quovis gehennæ periculo deteriorem.

Pones facilè hanc miſeriæ formidinem, quam præſentium illecebrarum ſpectra injiciunt, ſi haud minorem eſſe hominis Chriſtiani quam Athei, in præſenti vita, felicitatem, mecum æquâ lance expendas. Vita hominis Athei, ſive Libertini divinum cultum aſpernantis perpetuam patitur cum vera ratione luctam ac diſſidium, dum advertit ſe in repudiando Numinis obſequio, à communi orbis ſenſu diſſidere. Nullum habet in Dei providentia ſolatium aut aſylum, ad cujus præſidium in adverſis confugiat: nullum illi intercedit cum veris DEI cultoribus Religionis vinculum aut commercium: omnium in hac vita odium & opprobrium incurrit: ac poſt mortem nullam alterius vitæ felicitatem expectat. His autem ſolatiis ac gaudiis homo Chriſtianus in præſenti vita jucundè perfruitur, iiſque intra conſcientiæ ſinum ſuaviſſimè oblectatur. Liberum verò rerum creatarum uſum ſi ſpectes, hic quoque uſus in homine Chriſtiano, quantum neceſſe eſt ad benè beateque vivendum, nulla ex parte deſideratur. Præſto illi abundè ſunt oblectationes innumeræ divinâ lege conceſſæ, quæ tanto ſuavius ac ſecurius mentem explent, quantò magis defæcatæ ſunt à belluinis cupiditatum illecebris, à quibus ipſa natura & ratio abhorret. Non arcet illum ſua in Deum Religio à communibus fortunæ donis, à publicis in republica honoribus, ab opibus legitimè acquirendis, à clari nominis fama ad poſteritatem transmittenda, in nulla denique parte fælicitatis humanæ Chriſtianus Atheo aut Libertino concedit: in hoc ſemper diſpares, quod homo libertinus habeat plurimum quod poſt hanc vitam timeat, nihil omninò quod ſperare poſſit.

Si fortè dicas, Onus tibi maximum, & quavis Ætnâ gravius apparere, captivum tradere intellectum ad obſequium fidei, in rebus captu difficillimis, quæ omnem intelligentiæ tuæ lucem effugiunt: ut eſt Deus unus & trinus, Animæ immortalitas, & alia non minus ardua fidei myſteria. At quid ſi ego palam fecero, dum onus hoc amoliris, & te nihil abſque ſenſuum experimento credere profiteris, aſſumpſiſſe te onus credendi myſteria multò magis abſtruſa, & ab omni ſenſu & ratione remota, quam, quæ tibi per atheiſmum excuſſiſſe vidêris?

Age imprimis: homo Chriſtianus credit exiſtere Deum, qui ſub ejus ſenſum aut aſpectum non cadit: Atheus verò, ut Dei demonſtrationem enervet, admittit ſeriem cauſarum infinitam, aut occultas atomos, ex quarū fortuito concurſu omnia coaleſcant; hanc autē ſeriem infinitā, has atomos occultas, hunc concurſum tam affabrè, & tamen fortuitò omnia formantem, nec illi viſus, nec ſenſus, nec ratio ulla unquam ſpectandum exhibuit. Secundò, Chriſtianæ fidei profeſſor Animam hominis, quam nunquam ſpectavit, immortalem agnoſcit: Atheus animam poſt mortem in nihilum abire profitetur, quam tamen nunquam ſuis oculis in nihilum evaneſcere conſpexit. Chriſtianus aſſerit omnia in hoc orbe ſupremâ Dei ſapiētiâ diſponi: Atheus è contra ſuſtinet res univerſas à ſolo Fato gubernari; neq; tamen arbitror ipſum ullo hactenus ſenſu Fatum magis, quàm Deum percepiſſe. An non advertis, Libertine, quam recondita, & ab omni ſenſu aliena dogmata cum Atheo admittas, qui tamen profitetur, ſe nihil agnoſcere velle, niſi quod aperto ſenſuum teſtimonio comprobatur. Quod ſi in his figmentis tam abſtruſis, non dubitat captivum tradere intellectum, quid illum in admittenda Numinis exiſtentia remoratur? Quam ratio demonſtrat, quam doctorum authoritas probat, quam Gentium pæne omnium conſenſus aperte teſtatur.

Nunc tandem, ut te propius conveniam, quæro; An hanc doctrinam pro tua agnoſcas; Veritas omnem vitæ humanæ ordinem, juſtitiam, honeſtatem pervertit; Falſitas optimum in mundo ordinem, juſtitiam, honeſtatem inducit. Haud dubito, maleſanum hoc doctrinæ monſtrum confeſtim averſaberis. Efficiam tamen paucis ut hoc naturæ immane monſtrum, mentis Deum averſantis fœtum eſſe agnoſcas. Si enim verum eſt hoc quod ſupponit Atheus, Non eſt Deus, non eſt providentia, non eſt Religio, quæ ulla hominum flagitia prohibeat aut puniat; liberum erit ſine ſcelere etiam innocentem trucidare, aliena bona rapere, alterius thorum violare, per nocturna furta aut incendia quaſcunque domos & urbes devaſtare, quidquid furor, quidquid libido ſuggeſſerit, absque ullo crimine aut Numinis metu patrabitur. Sublato enim DEO tollitur lex divina, ſublatâ

autem

autem lege, omne flagitium legi contrarium , & constituta flagit pœna penitus evanescit. Quinimò si Numen è mundo tollas , ja blasphemia, perjurium , impietas , virtus erit maxima , ac lau dignissima, utpote conformis primæ atheorum veritati, qui div num Numen nihil nisi commentum aliquod vanum , ac chymer cum arbitrantur.

Ex adverso, quicquid in rerum natura honestum quidquid re ordinatum conspicimus , si atheo credis, falsitatis beneficio acc ptum referamus oportet. Supponit enim Atheus dogma esse falsis mum, *Deus existit.* Et tamen ex Dei existentia ab hominibus credit profluunt actiones honestissimæ , ut fides in verbis, fidelitas in p ctis, amor justitiæ, obedientia legum denique odium omnis flagiti quod agnoscunt homines à Deo justo judice severè puniendum; u credunt ab eodem amorem æquitatis, & omnis actionis honest æterno præmio remunerandum.

Quid autem magis distortum fingi aut cogitari potest, quàm rectissimam bene agendi normam ex errore falsissimo enasci, prim omnis æquitatis regulam, iniquissimo ficti Numinis cultu contineri denique optimum in rebus humanis ordinem, pessimo totius naturæ monstro deberi? An non apertè vides, quo pacto ex inversi cerebri tui judicio, totius universi ordo evertatur.

Neque dicas, sepositâ cognitione, ac lege divinâ, ipsi Naturæ humanæ innatum esse hunc æqui, rectique amorem, ut sponte su actiones cum flagitio conjunctas aversetur, eamq; esse legem quandam non aliunde acceptam, sed ipsi naturæ per se impressam.

Nam ego ex adverso demonstro, illam rectè agendi legem non posse naturæ inesse, nisi eam aliunde ex perfectori principio inditam fuisse agnoscas. Memineris enim te, qui Deum naturæ conditorem inficiaris, animam quoque homini incorpoream atque immortalem negare: teque totam hominis machinam, & quidquid in ea continetur ex fortuito quarundam atomorum concursu fabricare.

Quæro igitur nunc, quo pacto ex fortuita illa corpusculorum congerie, quibus ex natura sua nihil rationis inditum est, provenire possint illa perfectissimæ rationis principia, quæ etiam quandoque reluctante naturâ singulos homines docent, *Suum cuique tribuendum: Parentes honorandos: Alteri non faciendum quod tibi nolles fieri, &c.* Ea enim vis insita non est corporibus ex se stupidis & ratione carentibus, ut in unam molem conflata, talia conferant rationis lumina, quibus ipsa penitus destituuntur. Certissimum namque totius naturę axioma est, Nullam causam posse producere effectum se ipsâ perfectionē. Quomodo ergo suprema illa rationis principia,

&

& nulli errori obnoxia, poterunt provenire sola symmetriâ, motuque corporum elementarium, quibus nihil magis proprium ac congenitum est, quam casus, error, & ignorantia? Sicut igitur à Magistro inanis cerebri, ac nullis artibus imbuto, nemo scientiam hausetit indubitatam, & omnis erroris expertem, ita necessarium erit deficere ac vacillare prima illa rationis principia, quæ pro certissimis habentur, nisi à suprema ac perfectissima quadam intelligentiâ deriventur, qualem extra hanc quam cernimus corporum congeriem inquiras necesse est.

Atque hinc ut arbitror satis manifestè deprehendis, ipsam naturæ vim, in qua effugium quærebas, te ad supremum, ac perfectissimæ intelligentiæ Numen sua sponte adducere, dum invictè demonstrat, hæc ipsa rationis principia, quæ naturæ attribuis, non posse homini inexistere, nisi Deum, qui illa animæ incorporeæ impressit, ut primum primæ veritatis fontem & authorem agnoscas.

ARTICULUS TERTIUS.

Ex admissa Dei existentia, facili methodo demonstratur progressus ad divina Attributa, & ex his ad reliqua Mysteria fidei, ejusque Analysin.

UTi ex commonstratis scientiarum principiis, conclusiones quædam obscuriores facilè elucescunt, ita ex demonstrata supremi Numinis existentia, mirum quanta menti humanæ lux oboriatur, ut per solida rationis principia ad reliqua fidei mysteria facili compendio, gradum promoveat, ac tandem ad solidissimam fidei nostræ Analysim pervenias.

§. I.

DIco igitur Primò, Ex eo quod *Existat Deus* rerum omnium prima causa & origo, necessario sequitur illum esse, *Ens à se*, hoc est à nulla causa dependens; sed vi naturæ suæ in se ab æterno subsistens. Quia apertè implicat illum esse rerum omnium primam causam, & simul existere aliquam causam naturâ priorem à qua ipse dependeat, sic enim esset prima, & non prima.

Dico Secundò, Ex eo quod Deus in existendo à nulla causa productiva dependeat, sequitur esse, Ens in sua essentia *Summè perfectum*. Quia limites perfectionis in re quavis oriũtur à voluntate, aut naturali dispositione causæ, quæ non potest communicare effectui perfectionem ampliorem, quàm ipsa in se contineat. Cum ergo Deus à nulla causa habeat quod existat, nihil omnino est quod ipsi perfe-

ctionis suæ limites circumscribat; ac proinde ultra omnem quæ mente concipi potest entis creati speciem ac perfectionem sine fine protuberat. Præsertim cum ipse Deus manifestè revelaverit hanc sibi perfectionem inesse; nihil autem enti à se, & nullius egenti, prodesse potest mendacium.

Dico Tertiò, Ex hac *Naturæ divinæ perfectione illimitata*, ac nullis terminis definita conficitur, alia quoq; ejus *Attributa* debere esse sine fine perfecta, ut sapientiam, potentiam, justitiam &c. Quia hæ Proprietates debent adæquari naturæ à qua eas emanare concipimus, quæ cum fine careat, non potest proprietates ex se profluentes ullo fine coarctare. Secundò, Cum hæc Dei attributa non sint res aliqua ipsius naturæ superaddita, sed ipsa Dei essentia cum ordine ad varias quas producere potest operationes à nobis considerata, non possunt singula attributa minus continere perfectionis, quàm ipsa Dei essentia, cum qua attributa illa reapse in unam, ac penitus indivisam entitatem coalescunt.

Dico Quartò, Ex Attributis Dei omni ex parte illimitatis, & infinitis apertè concludimus, illum esse *Omnis boni & perfectionis* primævum fontem & oceanum, in quo bonitas universa, quam in creaturis cognoscimus & amamus, infinitis gradibus eminentius, atque excellentius continetur.

Hinc in DEO necessariò agnoscimus ac veneramur *summam Sapientiam*, per quam in ejus mente ab æterno in æternum immensa cum claritate relucent, non tantum omnes creaturæ quovis tempore existentes, sed etiam aliæ rerum species sine fine perfectiores, quas solo voluntatis nutu creare potest. Nulla est veritas tam recondita, nulla in mente humana cogitatio aut machinatio tam abstrusa, quæ possit omnia perscrutantem DEI cognitionem momento latere.

Huic Sapientiæ, ut perfectissima sit, respondet divina *Omnipotentia*, per quam in quantavis multitudine ac perfectione producere potest quidquid veri entis extra Deum mens humana aut angelica concipere queat. Ex hac Dei potentia tanquam primævo fonte profluit omnis vigor & virtus agendi in causis creatis. Quidquid ingenitæ virtutis miramur in astris, in terra, in mari, in metallis, plantis, animalibus, tenuis quædam participatio est illius potentiæ, quam Deus in se nullis limitibus terminatam complectitur. Hæc est potestas illa suprema, quæ in homines impios perpetuò armata illis gehennæ pœnas nunquam terminandas infligit; hæc eadem est ad cujus præsidium quisquis cum fiducia recurrit, nihil habet unde in præsenti, aut futura vita, omnes hominum, dæmonumque insidias pertimescat.

Hanc

Hanc omnipotentiam comitatur thesaurus *Bonitatis* in omni genere entis infinitus, sic ut nunquam desit copia inexhausta cœlestium donorum, quæ possit ac velit in omnes; suos præsertim cultores, larga manu perpetuò dispensare. Quidquid cogitatur in creaturis amabile, inanis est larva, aut deformis umbra, si cum purissimo bonorum omnium fonte, & liquidissima ejus voluptate conferatur. Ex hoc amplissimo divinæ bonitatis thesauro proveniunt omnia illa naturæ, & gratiæ dona, quibus Homo ad beatum finem adjuvatur. Hac bonitate sibi innatâ adactus, creavit Deus ad hominis usum ingentes cœlorum orbes; eosque varia astrorum luce ad stuporem adornavit. Totius terræ, oceanique commoda ac divitias, sustentandæ hominum vitæ destinavit. Quos non tantum ad necessitatem, sed etiam usque ad delicias adamavit, dum tantâ volucrum, piscium fructuum, florum, metallorum, gemmarum, omniumque rerum varietate totum hunc orbem hominis causa locupletavit. Ac demum in tot amoris irritamentis hoc unum sibi ab æterno propositum habuit, hominem ad sui agnitionem; cultumque adducere, eumque suo in cœlis complexu in perpetuum beare.

§. 2.

His ita constitutis, Dico ulterius quintò, Ut sapientia Dei perfectissima hominem ad hunc ultimum, beatissimumque finem per congrua media dirigeret, necesse fuit Deum cum hominibus *Commercium* habere, & locutione quadam externâ aliqua mentis suæ consilia illis communicare. Frustra enim foret hominem condere rationis lumine donatum, nisi eo fine ut conditori suo cultum idoneum persolveret. Ut verò noverit homo quem à se cultum conditor deposcat, cum nequeat per se divinæ mentis arcana intueri, necesse erat per medium aliquod sensibile Deum hominibus loqui, & mentis suæ consilia manefestare. Ne verò hoc Commercium errori obnoxium foret, necessarium insuper erat, divinæ locutioni signa quædam Deo propria adjungi, ex quibus securè ac prudenter colligi possit illam à solo Deo provenire.

Hunc cum hominibus loquendi modum instituit Deus ab initio per oracula Moysis, aliorumque *Prophetarum*, quæ cœlestibus prodigiis, ac signis tam admirandis illustravit, ut non potuerint homines prudenter dubitare, quin doctrina iis oraculis expressa à Deo inspirata fuerit.

Secundò, Mentem suam, Legemque propalavit per monumenta *Scripturarum*, quas ipse scriptoribus sacris dictavit tanquam publi-

publica inſtrumenta, in quibus voluit conſilia ſua ac decreta hominibus conſignata remanere.

Tertiò In progreſſu ſæculorum, Fidem ſuam doctrinamque manifeſtavit per Chriſtum, ejuſq; *Eccleſiam*, quam non tantum ipſius Chriſti miraculis, ſed etiam deinceps omni ævo tot teſtimoniis, ac prodigiis ſuam eſſe comprobavit, ut in ea Deum ſibi loquentem totus pæne orbis agnoſcere non dubitaverit.

§. 3.

DIco Sextò, His fundamentis hactenus ſtabilitis innititur tota Fidei divinæ veritas certa & inconcuſſa. Præſtat enim fidei noſtræ certitudinem falli neſciam, revelatio divina, quâ Deus hominibus mentis ſuæ ſenſa manifeſtat. Nititur autem ipſa revelatio Dei revelantis Sapientiæ infinitæ, quæ non poteſt falli, cum nullius rei veritas eam poſſit latere; ac ſimul Bonitati voluntatis divinæ, quæ neminem poteſt fallere, & ultrò in errorem inducere; hoc enim ſummam DEI bonitatem dedecêre facilè agnoſcimus, quod ab homine probo ſine crimine fieri non poteſt. Ad hæc igitur firmiſſima principia omnia Fidei noſtræ myſteria reducuntur, ex his in ſingulis quos prædicamus articulis, ultima credendi ratio peti debet, quod jam in praxi demonſtrabitur.

§. 4.

DIco Septimò, Intellectus noſter his fundamentis ſive motivis inſtructus, facilè pertingit ad Analyſim fidei, quâ omnium articulorum, quos credit, rationem ultimam ac ſolidiſſimam reddere valeat.

De quovis enim Articulo Fidei, ut ad ſolida principia reducatur quæri poteſt hoc modo:

Cur credis fide divinâ v. g. Deum eſſe trinum in perſonis? Ideò hoc credo quia Deus hominibus revelavit, ſe in perſonis trinum eſſe: Scio autem DEUM non poſſe falli, cum ſit præditus ſummâ ſapientiâ; neque velle homines fallere, cum ſit infinitè bonus. Sed quomodo conſtat tibi DEUM revelaſſe, ſe trinum eſſe in perſonis cum nunquam DEI loquentis vocem audiveris? Audivi ſanè, dum Eccleſiam percepi DEI nomine affirmantem, Deum eſſe trinum in perſonis. At unde noſti Eccleſiam non errare, dum affirmat ſe DEI nomine docere Trinitatem perſonarum? Non errare mihi certum eſt ex eo, quod ipſe DEUS Eccleſiam hoc affirmantem afficiat notis ac ſignis ſoli DEO propriis, quibus teſtatur illam ſuo nomine, & ſe authore id hominibus annunciare? quod aliud non

non est, quam ipsum Deum per Ecclesiam hominibus loqui, & de re quam illa proponit mentem suam manifestare. Deus autem sive per se, sive per alium loquens errare non potest. Unde patet singula fidei nostræ mysteria non niti testimonio tantum humano, sed in ipsa DEI loquentis authoritate fundari, & ad eam per hanc claram facilemq; fidei analysim revocandam esse.

Si quæras, Quænam sint signa quibus DEUS Ecclesiam suo nomine loqui declarat? Sunt illa imprimis, prodigia cœlestia, vaticinia rerum futurarum, Ecclesiæ docentis Unitas, & Sanctitas, & omnis generis miracula vim naturæ penitus exuperantia, à Christo, ab Apostolis, aliisque Ecclesiæ membris omni ævo exhibita, ad comprobandam Ecclesiæ DEI nomine loquentis authoritatem: de quibus tractat pereruditè P. Cornelius Hazart in Triumpho Relig. flandricè edito. Si verò Ecclesia DEI nomine loquens, & tot notis soli DEO propriis insignita, esset errori obnoxia, hoc ipso adimeret DEUS omnem sibi authoritatem & facultatem hominibus loquendi, sive per externa signa mentem illis suam sine erroris suspicione propalandi. Si enim liceat mihi suspicari hanc DEI locutionem, adjunctasque illi notas tam multas, tamque admirandas non esse à DEO, sed ab alia quapiam causa profectas, idem licebit pariter mihi suspicari de quavis alia ipsius locutione quibuslibet notis ac prodigiis insignita. Cum ergo ad DEI perfectionem pertineat, sic posse hominibus loqui, ut certi sint ipsum esse qui loquitur, eiq; teneantur fidem adhibere, spectat quoque ad necessariam ipsius providentiam, ne permittat illis suo nomine proponi doctrinam talibus notis insignitam; nisi per eam velit suam mentem palam indicare. Ex quibus demum apertè concluditur tantam esse certitudinem ac firmitatem Fidei divinæ per veram ejus Ecclesiam propositæ, ut si illa vacillaret, necesse foret in agendo cum creaturis ipsam DEI potentiam, bonitatem, ac sapientiam deficere.

In quo autem Cætu hominum inveniatur illa Ecclesia per quam DEUS mentem suam, fidemque ad salutem necessariam mundo manifestare decrevit, deinceps accuratè investigandum suscipimus.



CAPUT II.

Ostenditur quemlibet, etiam Christianum, non posse in sua Fide & Secta salvari.

ARTICULUS PRIMUS.

Status controversiæ, & Argumenta proponuntur.

POst Libertinos ante omnes expugnanda est secta Indifferentium, quorum errores mirum quantum hoc ævo invalescunt. Postquam hi allatis supra rationibus adducti Religionis erga Deum, ac porrò fidei Christianæ necessitatem agnovêre, nihil sibi ulterius investigandum rati, in qualibet Secta, quam illis vel locus, vel tempus, vel quæstus accommodat, securi conquiescunt. His sanè valido docentis hortatu, ac forti eleboro opus est, ut lethalis iste veternus excutiatur. In hujus vero erroris barathrum duo potissimum hominum genera absorbentur. Primò, homines plebæi, qui solo Religionis nomine contenti, tam facilè Fidem, quàm domicilium commutant, eamque sibi sectam arripiunt, quam domi natam reperiunt. Alterum genus est hominum politicis simulandi artibus apprimè imbutum, quos non tam Error abducit, quam propria cupiditas excæcat: his mollior vita, investigandi labor, fallax securitas, spes honoris, favoris umbra, omnem Religionis veræ, falsæque differentiam obliterat, non minus paratis, si res ferat, aliam sectam, quam novam vestem assumere.

Ut verò in foveam adeò latam plures præcipitentur, post Serranum, & plures præsertim in Hollandia, & Germania, non dubitavit nuper in Anglia Thomas Hobbesius in Elementis Philosophicis, ad hunc errorem temerario ausu habenas laxare. Contra hos, atque alios hujus temeritatis authores.

Dico primò, Non potest quivis, qui se Christianum profitetur, in qualibet horum temporum Secta salvari.

Probatur primò hęc veritas, authoritate Sacrarum literarum, quas pro certissimo Dei verbo Sectarii omnes admittunt. Sic autem loquitur Apostolus *ad Ephesios cap. 4. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma:* & *ad Hebræos cap. 13. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Ex quibus verbis hoc formabis argumentum. In Ecclesia Christi sicut unus est Dominus, ita unica est Fides, à qua prohibemur abduci. Sed diversarum Sectarum non una est Fides; nunquam enim agnoscet Lutheranus se habere eandem penitus fidem cum

eum Calvinista communem. Ergo non omnes illæ Sectæ sunt in Ecclesia Christi. Sed in confesso est extra Ecclesiam Christi non posse obtineri salutem. Ergo non possunt omnes in sua fide, aut Secta salvari.

Declaratur Secundò evidenti Ratione. Qui enim asserit quemlibet credentem in Christum posse in sua fide salvari, admittit etiam hæreticos olim à primitiva Ecclesia damnatos potuisse in sua fide ad salutem pervenire. Nam ex illis plerique agnoscebant Christum Filium Dei mundi Redemptorem, & alia ad ejus personam spectantia. Salvari itaque poterunt in sua secta Pelagiani à primæva Ecclesia reprobati, quia negabant peccatum originale, & necessitatem gratiæ internæ; Christum verò ejusque divinitatem semper admiserunt. Neque à salute excludi poterunt Nestoriani, qui Christum, ut Deum, & hominem, & salvatorem colebant, sed duas in illo personas constituebant. Neque damnandi sunt Macedoniani, qui in Christum per omnia credebant, sed Spiritum Sanctum Filio minorem esse volebant. Neque reprobandi erunt Novatiani, qui de Christo rectè senserunt, sed tantum lapsos ad pœnitentiam admittendos pernegabant. Hoc autem admittere aliud non foret, quam veram & primævam Christi Ecclesiam, ac totius antiquitatis consensum erroris arguere. Si enim illi in sua fide salvari potuerunt, cur tanto molimine contra eos congregati sunt ex toto orbe Patres, & Concilia? Cur toties anathemate à Christi Ecclesia separati? Cur maluerunt omni ævo Christiani potius exilia, tormenta, & ipsam mortem tolerare, quam eorum doctrinam, aut Sectam profiteri?

Statuamus etiam hoc tempore, aliquem ex iis qui in Christum credunt, negare infernum damnatis omnibus esse constitutum, aut asserere dæmones aliquando ad cœlum perventuros. Neminem credo reperies, qui admittet talem Sectarium ad salutem posse pervenire. Quantumvis profiteatur se alia Christianæ Fidei dogmata retinere.

Dico Secundò, Non sufficit etiam ad salutem admittere fidei articulos in Symbolo Apostolorum comprehensos, nisi paratus sis recipere reliqua à Deo revelata, dum legitimè proponuntur.

Probatur, ex aperto primævæ Ecclesiæ testimonio, cui nulla potest Secta refragari. Sic autem pronunciat S. Augustinus contra Faustum *lib.* 13. *cap.* 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.* Consentit S. Athanasius in suo Symbolo: *Quicunque* (inquit) *vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Atque symbolum fidei quod recitat Athanasius, & Evangelium cui inte-

integrè credendum asserit Augustinus, præter fidem in Christum, plurimos continet alios fidei articulos ad salutem necessarios: Ergo qui credit in Christum, & alia fidei mysteria repellit, absque ulla dubitatione æternæ salutis jacturam incurrit.

Et verò si solis Symboli articulis fidei Christianæ limites circumscribantur, quorsum Apostolus Gentium propter fidem circumcisionis tam acerbâ sententiâ Galatas percellit, & à salute per Christum obtinenda penitus excludit? Nullũ illi Symboli apicem resecabant, totam Christi fidem legemq; prono assensu susceperunt. Hoc unum illis obstabat, quod insuper crederent cum fide Christi circumcisionem sibi ad salutem esse necessariam. Et tamen illis divino spiritu Paulus testatur ad Galatas primo: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Ergo admissâ Symboli doctrinâ, unicus error circa alios fidei articulos à Christo penitus rescindit, & instar modici fermenti, ut ibidem loquitur Apostolus, totam fidei massam corrumpit.

Hujus ratio cuivis consideranti manifesta, hæc est: Ideo admittis necessarium esse ad salutem credere in Christum, aut ea quæ in Symbolo Apostolico continentur, quia illa sunt à Deo hominibus revelata: Divina enim authoritas & revelatio unicum fidei fundamentum est. Sed alia quę in Scripturis continentur, sunt etiam à Deo hominibus revelata, utpote in verbo Dei hominibus proposita. Ergo necessarium est ad salutem credere etiam alia quæ in Scripturis sacris continentur, cum illa æquè sint à Deo asserta, ejusq; authoritate infallibili nitantur. Sicut enim ille qui legem aliquam à Principe latam negligit, aut contemnit, hoc ipso spernit authoritatem legislatoris; sic qui liberè negat aut rejicit unum articulum à Deo revelatum, hoc ipso violat primam ac supremam Dei revelantis authoritatem.

Ex quo ulterius deducitur, eum qui existimat sibi satis esse tali modo in Christum credere, nequidem credere in Christum fide divinâ. Si enim Christi personam reciperet ex motivo revelationis, & authoritatis divinæ, admitteret etiam alios articulos, qui sub eodem motivo in Dei verbo, & Ecclesia ritè proponuntur. Hos autem qui non admittit, neq; vera fide Christo adhæret, neq; divinæ authoritati acquiescit; sed suæ voluntati, ac lubentiæ, per quam fidei articulos sibi cudit ac recudit, format ac reformat, eamq; sectam eligit, quam suo geni[illegible] commodo magis conformem esse deprehendit.

Christus Patrem cœlestem sic alloquitur Joan. 17. v. 3. *Hæc est [illegible] æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Ergo si hæc duo agnoscas, nihil ad vitam æternam refert, cui porro doctrinæ, aut sectæ adhæreas.

Respon-

Respondeo, ex illo argumento sequi, ne quidem esse necessarium ad salutem, ut credas in Spiritum Sanctum, cum in allegata sententia tantum Patris & Filii mentio habeatur. Unde satis ostenditur alia ad salutem requiri, quam quæ ibi explicitè memorantur. De cætero methodum generalem respondendi ad alias hujusmodi Scripturas in hac de sequentibus controversiis, vide infra, *Cap. 9. Methodo. 2. 3. 4.*

Ad extremum hujus infausti dogmatis Architectos, atq; asseclas paucis interrogo: Si cuivis sectæ sub Christiano nomine militanti pateat communis ad salutem via, Quorsum intra ipsa Sectariorum castra tanta exardescunt Religionis dissidia, ac cruenta certamina? Ut alia taceam externa, cur in Anglia Puritani damnant Protestātes, cur hos invadunt Independentes? Cur à paucis annis pro sua utrimque religione armati, legitimi Principis nece, ac mutuo sanguine, velut Cadmæi fratres, sua tela cruentârunt? Poterant, te arbitro, sectæ illæ suâ quæque semitâ ad eandem salutis metam pertingere: quid igitur tanta animorum, atque armorum contentione, ad aliam credendi normam adigendæ fuerunt? An non vides (Adiopharista) Sectas ipsas, quas tueri prætendis, suo tibi facto, ac judicio adversari: teque causam tam infœlicem suscepisse, ut neminem ex omnibus habeas patronum, qui cupis singulis patrocinari?

Verùm in hoc dogmate fabricando, de aliis parum te solicitum existimo, tua te intus causa & conscientia remordet, qui dum advertis è commodo tuo non esse, Sectam cui adhæres in meliorem commutare, hoc demum agis, ut potius tibi Ecclesiam, quam te Ecclesiæ accommodes, eamque ad tua vota ultra suos limites sic in immensum extendas, ut si non intra veram, saltem non extra imaginariam Ecclesiam te constitutum credas: at cave quæso ne imaginaria quam fingis Ecclesia, te ad Gehennam veram, æternamque abducat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Occurritur novo errori Sectariorum, maximè Protestantium dividentium articulos fidei in Essentiales, & Accidentales, sive ad salutem non necessarios.

Dum Sectarii his argumentis ad angustias rediguntur, ex quibus nulla patet elabendi via, ut rimam sibi aliquam aperiant, novū fingunt discrimen inter articulos fide divinâ credendos, ut alii sint qui substantiam fidei constituant, alii verò sint accidentales sive levioris momenti, quos liberum sit admittere, vel repudiare salvâ fidei

integritate. Hanc autem distinctionem moliuntur eo consilio, ut persuadeant, dissidia inter varias sectas Protestantium, aliorumque Novatorum, non tollere necessariam unitatem veræ Ecclesiæ, nec consistere in Fidei fundamentis, quæ cuilibet ad salutem sufficiant. Hunc labyrinthum ingressus est cum plerisque sectariis recentioribus Antonius de Dominis apostata *lib. 7. de repub. Ecclesiastica cap. 9. & 10.* cujus hodie vestigiis fermè insistit in Anglia Stillinfletus, & in Hollandia passim moderni novatores. Hos ut ex suis latibulis, in claram veritatis lucem educamus.

Dico primò, Hæc distinctio circa articulos fidei, nullâ veritatis specie defendi potest.

Probatur, Quia, omnia quæ Deus loquitur & hominibus proponit, sunt æqualiter vera & certa: Quia infinitâ Dei revelantis authoritate nituntur. Atqui omnes articuli nostræ fidei, quos vocas accidentales, Dei loquentis authoritate proponuntur: hoc enim si negas jam frustra supponis illos inter articulos fidei ullo modo numerari. Ergo articuli quos vocas accidentales, æqualem cum fundamentalibus veritatem, certitudinem, ac Dei revelantis authoritatem sortiuntur. Ergo sine ullo dogmatum discrimine Deo revelanti injurius, & æternæ damnationi obnoxius esse convincitur qui vel unum articulum, quem cognoscit à Deo revelatum, admittere recusat Neque minus erit Deo rebellis, qui animas à Purgatorii pœnis, quam qui Sanctos à cœlesti gloria excluserit.

Quin & ulterius assero, Prorsus impossibile esse, ut Deus velit aut possit nos eximere ab obligatione, firmissima fide credendi quemvis articulum, quantumvis exiguum, quem constat ab illo nobis fuisse propositum ac revelatum. Hæc enim duo aperte repugnant; Deum homini aliquid asserere, & hominem sine gravi injuria rem à Deo assertam rejicere ac repudiare. En quo deducitur futilis illa & chimerica distincto, quâ volunt Novatores omnium Sectarum colluviem in unam Christi Ecclesiam aggregare.

At inquies, integra foret Fides Christiana, etsi multa levioris momenti dogmata in sacris litteris revelata non fuissent. Quid enim attinet fide divinâ credere, quis fuerit numerus Apostolorum, quod Martha fuerit soror Magdalenæ, & alia his similia in sacris litteris exarata? Ergo nihil fidei præjudicat si quis pro arbitrio ejusmodi doctrinam rejiciat, aut admittat.

At quæro abs te, quid attinet credere Christum passum esse sub Pontio Pilato, quod tamen in Symbolo inter articulos fundamentales admittis? Respondeo igitur, ineptam esse argumenti sequelam: Quamvis enim sua Fidei constaret integritas, etsi ista leviora non fuissent à Deo dictata; postquam tamen constat illa in verbo

Dei

Dei contineri, eaque nobis ab infinita Dei ſapientia aſſeri, tradi, proponi, fieri non poteſt ut patiatur ſine gravi offenſa ulli penitus articulo à ſe revelato fidem denegari, Hoc enim tantundem eſt, ac ſi diceretur, Deum in rebus minoris momenti falli aut mentiri, quamvis in rebus gravioribus nolit homines in errorem inducere. At non advertis tam immani errore totam fidei fabricam labefactari? Si enim vel in minimo liceat divinam authoritatem repellere, aut in dubium revocare, jam nulla in cæteris Deo fides, nulla fidei noſtræ firmitas aut conſtantia permanebit: omnia enim à Deo nobis tradita eodem divinæ revelationis fundamento nituntur. Atque ita dum articulos tantum fundamentales firmare satagis, totius Religionis fundamentum penitus evertis.

Dico ulterius ſecundò: Etſi gratis admitteretur iſta diſtinctio inter articulos fidei fundamentales & non fundamentales, impoſſibile adhuc foret ſectario diſcernere, quinam articuli dici deberent fundamentales, quorum aſſenſus, cæteris excluſis, ad ſalutem ſufficeret.

Probatur primò, Quia quivis ſectarius, ut ſit veri nominis Chriſtianus, habet hunc aſſenſum. *Credo omnibus quæ Deus revelavit:* ergo non poteſt ullum articulum, quem conſtat in ſcripturis contineri à ſua fide excludere: alias profiteretur ſe omnia à Deo revelata amplecti, & ſimul aliquid à Deo in ſcripturis revelatum repudiare. Hæc autem eſſet fides fatua & planè chimærica; non minus quam ſi admitteret, omnes homines eſſe mortales, & ſimul ſe aut alios deſignaret à moriendi neceſſitate eximendos.

Secundò, ut ſectarius articulos fundamentales à cæteris diſcernat, neceſſe eſt ut aliquam diſcernendi Regulam in promptu habeat. Non Scripturam; quia etſi hanc centies volvas ac revolvas, nuſpiam numerum aut nomen articulorum fundamentalium definitum reperies. Non Eccleſiam, hanc enim cupis ex omnibus ſectis conflatam, quæ nunquam hactenus in ſenſu Scripturarum, & præcipuis fidei articulis convenêre, ut latius infra oſtendam. Supereſt igitur ut pro conſtituendo dogmatum fundamentalium catalogo ad cerebri tui inanem conjecturam Phanaticorum more confugias: aliam regulam erroris expertem pro illo quod fingis articulorum diſcrimine non aſſequeris.

Hinc mirum videri poſſit hoc tempore in Anglia Bramhallum & Stillingfletum, qui ſe præ cæteris lynceos arbitrantur, adeò in ſuis ſcriptis hallucinari, ut in hunc errorem pluſquam trabalem ultro impingant; dum liberè aſſerunt Religionis ſuæ articulos fundamentales ac neceſſarios in quavis orbis Eccleſia, etiam Romana, comprobari. Unde manifeſtè infero, Religionem Proteſtantium,

quam ipsi profitentur, in quantum Ecclesiæ Romanæ opponitur, & ab ea præcisè distinguitur, nullum habere Fidei suæ articulum fundamentalem, & ad salutem necessarium. Et hinc ulterius conficitur illam, per se consideratam, nomine & essentiâ Ecclesiæ penitus orbatam esse, cum illa prout à cæteris condistincta, tantum profiteatur dogmata quædam inferioris momenti, quam sint articuli fundamentales, qui ad constituendam veram Ecclesiæ essentiam requiruntur. Tales sunt articuli Protestantium purè negativi: Non est Missa, non est Purgatorium, Sancti non sunt colendi, & aliæ ejusdem farinæ assertiones, extra fidei substantiam constitutæ, in quibus Protestantium Religio, Romanæ fidei opponitur.

Itaque nunc (viri pereruditi) ex doctrina vestra manifestè concludo, Protestantium cætui, ab Ecclesia Romana cæterisque sejuncto, nihil omnino aliud superesse, nisi imaginariam Ecclesiæ umbram scilicet, articulos inferioris, adeoque incertæ veritatis, dogmata à fidei fundamentis divulsa, doctrinam adiaphoram, articulos ad salutem non necessarios, uti illos vos ipsi nuncupari non recusatis. Et tamen interea ex his paleis ac stipulis (si superis placet) Vos novam, & necessariam, & orbis Christiani reformatricem Ecclesiam instauratis: quæ vestro etiamnum judicio propriis fundamentis destituta, in has tandem incertæ doctrinæ auras, & fumos evanescit.

ARTICULUS TERTIUS.

Ostenditur Protestantes, aliasque Sectas, in articulis etiam Fundamentalibus non convenire.

Dico primò, Lutherani non consentiunt Calvinistis in Articulis quos ipsi nuncupant fundamentales.

Probatur primò; In confesso est nullos articulos magis ad fidei fundamenta pertinere, quam illos qui in Apostolorum symbolo continentur; inter quos enumeratur, Descensus Christi ad inferos. Affirmant autem Calviniani hunc descensum aliud non esse, quàm Christum in cruce inferni angustias ac dolores perpessum fuisse; idque docet Calvinus *Lib. 2. instit. cap. 16. §. 10.* & Beza *in cap. 26. Matthæi v. 37.* At ex adverso Lutherani asserunt ipsam Christi animam verè ad inferos descendisse, teste etiam Danæo Lutherano *in Respons. ad Osiandrum*, & Epimo *in Psal. 16. aliisque.*

Secundò, Ad fidei Christianæ substantiam quid potest magis requiri, quam doctrina quæ circa Baptismi Sacramentum versatur? Fatentur Lutherani Baptismum omnibus etiam infantibus ad salutem esse necessarium. Credunt verò firmiter Calviniani, fidelium parentum liberos ante Baptismum justos ac sanctos esse; filiis verò infidelium Baptismum nihil prodesse, eumq; illis esse negandum: ita docet ipse Calvinus *in Antidoto Conc. Tridentini sess. 6. cap. 5.*

Tertiò

Tertiò, A Sacramento Eucharistiæ animæ vitam ac salutem dependere pronunciat Christus *Ioan.6. v.33. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* De hoc autem Sacramento immanis utrimque discordia. In eo cum Calvino *Lib.4. instit. cap.17.* pernegant Calvinistæ Christi corpus aut sanguinem contineri, solâ ejus figurâ contenti. Quantum verò in hoc palmari articulo ab his dissentiant Lutherani, locuples testis est ipse Lutherus *contra articul. Lovaniensium thesi 2. Anno* 1545. *Hæreticos* (inquit) *serio censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant corpus & sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia.*

Ex his concludo indeclinabili argumento: Tantum alienus est ab Ecclesia Dei, qui negat articulum fidei fundamentalem, ut ipsi asserunt adversarii. Atque alienus est ab Ecclesia Dei qui negat corpus & sanguinem Christi sumi in Eucharistia, ut apertè loquitur Lutherus: Ergo doctrina de præsentia Christi in veneranda Eucharistia, in qua sectæ illæ dissentiunt, est articulus fidei fundamentalis. Prius igitur noctem diei conjunges, quam has sectas in fundamentis fidei consociabis.

Dico secundo, Protestantes in Anglia, etsi Calvinistis in Cœna Domini, & pluribus adhæreant, in aliis tamen fidei fundamentis ab iisdem recedunt.

Probatur hic dissensus, primo in articulis de vero descensu Christi ad inferos, & Baptismo parvulorum omnibus necessario quos supra ostendimus esse fundamentales: in his autem Angliæ Protestantes se à Calvinistis Genevensibus, ac Puritanis dissentire apertè profitentur.

Secundo, Quid potest ad substantiam veræ Fidei magis spectare, quam doctrina de ipso Capite visibili veræ Ecclesiæ? De hoc vero negant Calvinistæ Genevenses, posse ullo pacto Regem aliquem, ac multò minus Reginam, militantis Ecclesiæ Caput constitui, ut testatur Beza in confessione Fidei nomine Genevensium ab ipso edita *Cap.5. §.15.* At è contra Anglo-Calvinistæ sive Protestantes firmiter credunt ac tuentur, Regem sive etiam Reginam in suo Regno jure divino supremum Ecclesiæ principatum tenere.

Tertio, Anglo-Calvinistæ profitentur à Christo Corpus Ecclesiæ coagmentatum esse ex Episcopis, Archiepiscopis, Decanis, Archidiaconis, aliisque gradibus Ecclesiasticæ hierarchiæ. At reliqui Calvinistæ Genevenses, Gallici, Belgici, Germani, his gradibus ab Ecclesia sua penitus exclusis, sola cum Ministris seniorum Consistoria admittunt.

Quid

Quid reliqua inter hos dogmatum dissidia commemorem? Cum neque in Ecclesiæ suæ Capite, neque in corpore conveniant, quo pacto in necessariis fidei fundamentis coalescent? Dissident igitur toto cœlo Anglo-Calvinistæ à cæteris Calvini asseclis, atque interim cunctis persuasum volunt, se cum his, atque omnibus orbis Christiani Ecclesiis in punctis ad salutem necessariis Fidem communem profiteri. Romanos Catholicos, quod imagines colant, idololatras esse non dubitant: Pontificem credunt Antichristum: Papicolas, ac nonnunquam Anabaptistas, aliasque sectas ferro & igne persequuntur: cum his tamen omnibus in tota fidei substantia ad salutem requisita, usque ad minimum apicem firmissimo fœdere copulari non recusant. Ad hunc nempe vertiginis spiritum tandem Protestantes adegit sectarum sibi similium confusa multitudo, inter quas perpetuò fluctuantes, cum nullam reperant Ecclesiam firmam, facile, uti in naufragio, quamlibet tabulam arripiunt, maluntque videri cum omnibus esse, quam nullibi tutò consistere.

Hanc quoque in Belgio suo dogmatum, Doctorumque inconstantiam modernam, pugnasque innumeras, graphicè describit, & acerbè deplorat D. Samuel Maresius in suo *Tractatu, de afflicto statu studii Theologici in Belgio confœderato* pag. 10. *Quæ* (inquit) *Theologia nostra tot monstrosis opinionibus adeò deturbata est, ut si Pastores, & Doctores, qui denati sunt in Belgio à triginta annis, ad nos reverterentur* (*Riveti, Poliandri, Thisii, Spanhemii, Triglandii, Demasii, Schorani, Amesii*) *putarent se in alterum orbem tempestate delatos, cujus idioma non assequerentur &c.* Vide igitur (mi Sectarie) ex oraculo etiam tui doctissimi Maresii, quam perdito loco tua secta, & salus consistat.

ARTICULUS QUARTUS.

Potest vera Religio à falsis Sectis facilè discerni: neque excusabilis est Sectarius qui eam non investigat.

SEd ex ipsa Sectarum pugna, ac multitudine, plurimi hoc ævo sibi conficiunt speciosum sui erroris præsidium, aut potius desidiæ latibulum. In tanta, inquiunt, Religionum inter se dissidentium colluvie, non ego talis sum Ædipus, ut possim certò divinare quænam præ cæteris omnibus integram fidei veritatem obtineat. Si enim id proprio examine & experimento velim investigare, non eâ sum tinctus litteraturâ, aut eo præditus ingenii acumine, ut possim cunctas sectarum differentias ad trutinam revocare, & omnium argumentorum pugnas dirimere. Quinimo prius me cum mente vita deficeret, quàm diversas toto orbe Sectas convenirem, ac singularum causas, ori-

originem, & cohærentiam sine erroris periculo compertam habe-rem. Si verò velis mihi non meo, sed Doctorum judicio standum esse. Nescio ego cui Doctorum concessum sit filum veritatis adeò implexum ita evolvere, ut me ex multiplici tot sectarum labyrintho citra erroris periculum, ad apertam veræ Ecclesiæ lucem educat. Sunt enim in qualibet secta plures qui Doctores appellantur: ut ego inter hos omnes Doctorem præ cæteris veracem seligere possim, Doctor ipse maximus esse deberem. Quid ergo superest quàm ut ego meæ sectæ inhæream, cui à teneris innutritus sum quam paren-tes aut amici colunt, pro qua in dubio tam implexo stat apud me diuturni temporis possessio: ne veritatis incertus, dum charybdim vitare cupio, in scyllam deteriorem incidam. Contra hunc prætex-tum pluribus communem, eoque fallaciorem quo magis fucatâ ve-ritatis specie depingitur.

Dico primò; Admissâ Dei providentiâ, vera Religio iis notis insignitia esse debet, ut à quovis intellectu benè disposito facilè discernatur.

Probatur primò, si Deus mundum gubernat, evidens est illum Re-ligionem veram instituisse, quâ ab hominibus coli debeat, ut supra initio demonstravi. Frustra autem illam instituisset, si non ordinasset signa & argumenta idonea, quibus facilè vera illa Religio à sectis falsis discerneretur: frivolum enim foret proponere finem, & nihil certi statuere de mediis quibus ad illum pervenire oporteat. Hoc autem fieret si pro denotanda vera Religione non extarent signa multò illustriora, quàm quæ possint pro quacumque falsa exhiberi. Nam si signa illa nullo modo permanerent æqualia, nullum super-esset medium quo possit vera Religio à falsa discerni, atque adeò hominum errores ex hac parte in ipsum Deum referendi essent, quod de perfectissima, ac humanæ salutis moderatrice Dei sapientia existimare impium foret.

Probatur secundò, ex obligatione certa quæ quemvis obstringit, ad veram Religionem præ falsa amplectendam. Hæc autem obliga-tio nulla prorsus foret, si vera Religio non esset præ sectis falsis satis explorata. Sicut in aliis Dei præceptis, exempli causâ, ut testimo-nium perhibeam veritati, nunquam teneor juramentum assumere, dum rei veritas manet dubia, aut tantum probabilis, ne facilè con-tingat Deum à me in falsitatis testem adhiberi. Unde conficitur infinitam Dei sapientiam sibi manifeste contradicere, si veram Re-ligionem hominibus præciperet, & interea illius præ cæteris signa satis explorata non exhiberet.

Hanc autem calumniam divinæ sapientiæ nemo facilè impor-tabit, qui studiosè advertet tam in veteri, quam novo Testamento

insur-

insurgente quovis Religionum conflictu, ut in Mose, Daniele, & A- postolis, Deum veræ Ecclesiæ ea signa præbuisse, quæ facilè omni adversæ partis probabilitatem elidere potuerunt.

Hic proinde non admitto ex notis sive motivis tantum probabi lioribus, sine ulteriori investigatione, licitum esse aliquam præ cæ teris Religionem suscipere, aut jam susceptam in aliam commutar. Quamvis enim sola probabilitas plerumque in aliis operationib valere possit, non ideo in suscipienda quoque novâ Religione suffi cere debet. Quia in negotio fidei error etiam materialis in ordin ad actiones salutares gravissimè nocere solet: neque deest homin non oscitanti modus; quo diligenti investigatione facilè ad veri Ecclesiæ notas moraliter evidentes devenire possit, qualis adip scendæ certitudinis via in aliis hominum actionibus constituta n reperitur.

Quærunt hoc tempore aliqui: An ad assensum præbendum arti culis fidei, requiratur evidentia etiã omnimoda revelationis divinæ

Respondeo, Ad assensum fidei debitum, necessariam non esse co gnitionem absolutè evidentem revelationis divinæ. Quia evidenti omnimoda aut metaphysica revelationis ab omnibus in hoc stat haberi nequit; ergo non potest illa omnibus ad assentiendum arti culis nostræ fidei esse necessaria. Quod adeò certum est, respectu hominum præsertim rudiorum, ut hoc de fide esse affirmet Suarez *hic disp. 3. sect. 8. n. 5.* Dum enim rudiores articulis fidei assensum præ bent, non apparet quo modo aut medio authoritas DEI loquenti illis evidenter proponatur: quinimò paucis doctiorum contingit ad absolutam revelationis evidentiam ratiocinando penetrare.

Sed quæstio esse potest, An assensus fidei omni ex parte evident possit dici supernaturalis? De hoc variæ sunt, & liberæ Theologorũ sententiæ. Negant aliqui esse supernaturalem, quia actus fidei evi dens, non est liber, neque obscurus, sive argumentum non apparen tium, ut ipsi volunt, & requirunt ad actum proprium fidei divinæ. Probabilius tamen assensum illum esse supernaturalem docent communius Thomistæ, ut recèter tradit Gonet *disp. 1. art. 7. n. 261.* & pro eadem sententia Scotum citat Di Castillio, quos sequitur Herinx ex Scotistis Author recens & eruditus, nec non ex Carmelitis Bona spei, & ex Nostris Vasques, Ariaga, Ripalda, & plures alii: Quia nul la ratio satis probat habitum fidei non posse influere in assensum evidentem, cum inter evidentiam & supernaturalitatem nulla osten datur repugnantia, ut patet in actu visionis Beatificæ, qui simul evi dens est & supernaturalis. Potest igitur cum assensu fidei divinæ stare evidentia revelationis; sed perperam asseritur, hanc ad fidem nostram esse necessariam.

Suffi-

Sufficit igitur articulos fidei proponi cum notis, quæ de veritate revelationis divinæ ita nos certificant, ut non possimus de ea prudenter dubitare. Ad assensum hujusmodi præstandum nulla modernarum Sectarum sufficientes rationes aut notas exhibere valet.

Dico igitur Secundo, Neq; Protestantes, neq; alii horum temporum Sectarii possunt in sua conscientia, aut divino tribunali excusari, quamdiu certiores veræ Ecclesiæ notas non inquirunt.

Probatur, Non potest aliquis excusari, aut bona fide in ea secta permanere, in qua nequit exhibere veræ Ecclesiæ signa certiora, quam habeant aliæ sectæ, quas ipse devias & falsas esse agnoscit. Atqui neque Protestantes, neque alii Sectarii possunt in suo Cætu ostendere ulla signa aut fundamenta certiora veræ Ecclesiæ, quam habeant aliæ sectæ tam modernæ, quam antiquæ, quas ipsi pro falsis reprobant, & à sua communione rejiciunt. Quinimò à Protestantium confessione de Primatu Ecclesiæ in Regibus, de Hierarchia & potestate Prælatorum, & pluribus fidei punctis communi judicio gravissimis, reliquæ totius orbis Ecclesiæ dissentiunt. Quo igitur modo poterit horum aliquis sine ulteriori examine in sua secta securus conquiescere, quam facile advertit, præ cæteris sectis à se reprobatis, nullo speciali DEI testimonio, nullo exploratæ veritatis fundamento subniti.

Atque ut hoc argumentum in brevi dilemmate fortius inhæreat: Quæro ex quovis Protestantium Ministro; An reliquas horum temporum sectas veras judicet, an falsas? Si dicas veras; jam Ecclesiam suam agnoscit falsam, utpote quæ à cæteris Ecclesiis, quas pro veris habet, ut falsa rejicitur. Si verò reliquas sectas falsitatis arguat; suam quoque inter falsas numeret necesse est; cum nullum prorsus exhibere possit speciale signum, aut apertum DEI testimonium, quo Ecclesiam suam, præ cæteris à se reprobatis, melioris conditionis esse demonstret.

Ex his quæ hactenus deduximus apertè conficitur, quemlibet suæ saluti prospicere volentem debere Religionem veram, & unicam sedulò investigare, neque posse sine summa imprudentia ac temeritate hanc curam negligere in negotio totius vitæ gravissimo, quale est jactura salutis æternæ, quæ sine vera fide obtineri non potest. Ut enim à salute aberres, perinde est an tuâ culpa falsam Fidem, an nullam profitearis.

Ut autem vera, & unica Religio, in qua voluit DEUS salutem æternam obtineri, à sectis falsis securè discernatur, Argumenta sequentia, sepositis partium studiis, sincero propriæ salutis ac veritatis desiderio, expendenda erunt.

CA-

CAPUT III.

Argumenta quæ evincunt, Solam *EcclesiamRomanam esse Veram Christi Ecclesiam, in qua salus possit obtineri.*

ARGUMENTUM PRIMUM.

Sola ostendit se potestatem suam à Christo derivare.

1. ILla sola est vera Christi Ecclesia, quæ ostendit se doctrinam & potestatem suam à Christo accepisse; & per continuam successionem ad nostra usque tempora perduxisse. Hac enim successione omnis vera & legitima possessio, ac potestas firmissim probari, & sine dubitatione constare solet. Si quis autem illa desti tutus, de possessione aut jure contendat cum eo, qui hanc successionem exhibere potest, non minus explodetur, quam si quis hodi compareat homo peregrinus, qui se legitimum Anglicæ Coron Successorem proclamet, contra illam Familiam quæ continua successione se in legitima Regni hæreditate perennare demonstrat.

Hanc autem continuam à Christo & Apostolis ad nostra usqu tempora successionem quo pacto reperies in Sectis illis, quæ à cen tum circiter annis emerserunt, ac sibi veræ Ecclesiæ nomen vindi carunt? Quo modo in aliqua Ecclesia potestatem à Christo deri vatam ostendet, quæ seipsam per mille quingentos post Christu annos Orbi ostendere non potuit?

Cum igitur hâc successione apertè careant Congregation modernæ, solâ Lutheri, Calvini aliorumque Recentiorum autho ritate institutæ? carent etiam necessariò eorum Ministri *Jurisdiction* à Christo derivatâ in gubernanda ejus Ecclesia, carent ejus *Ordin* pro administratione Sacramentorum, carent ejus *Missione* pr Verbi divini prædicatione, quam apertè requirit Apostolus a Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Nunquam enim ostendet ullus ex Sectis modò nominatis quâ authoritate, aut qu modo primùm missus fuerit Lutherus, aut Calvinus ad prædican dam doctrinam oppositam Ecclesiæ Romanæ, à qua sua tantum sponte defecerunt; aut ubi, aut quando potestatem illam à Chri sto acceperint.

2. Si dicant, se accepisse à Christo potestatem *extraordinariam* ad reformandam veterem, & instituendam novam Ecclesiam: Respondeo nulli prudenti posse sufficere, quod Lutherus aut Calvinus id de se affirmet: omnes enim antiqui hæ resiar-

reſiarchæ idem de ſe dudum teſtati ſunt, nec ideò minus hæretici fuerunt, & pro talibus etiam hoc tempore damnantur. Neceſſe eſt igitur ſuæ miſſionis clarum & apertum teſtimonium adducant: ſine legitimo enim teſtimonio, ne quidem domum tuam alteri reſignabis, quanto minùs Eccleſiam Dei: quam Chriſtus à tot ſeculis aliis poſſidendam & gubernandam conſignavit. Nec ipſi Apoſtoli pro Dei Miniſtris ab initio admiſſi ſunt, niſi per apertum teſtimonium ſignorum ac miraculorum, quibus ſe à Chriſto miſſos eſſe toti orbi manifeſtè comprobarunt. An igitur ego cum ſalutis æternæ diſcrimine ſine alio ſigno, aut teſtimonio, hos ut Eccleſiæ antiquæ reformatores, & animæ meæ in æternitatis itinere duces admittam, quos à Deo miſſos non fuiſſe clarâ ratione deprehendo?

3. Ex his ritè expenſis hoc neceſſarium deducitur argumentum. Sola illa eſt Chriſti Eccleſia, quæ poteſt oſtendere, ſe Chriſto & Apoſtolis ad hæc uſque tempora continuò ſucceſſiſſe. Sed ſola ſupereſt Eccleſia Romana in qua poſſit illa ſucceſſio oſtendi: ergo &c. Jam enim probatum eſt, alias Sectas illa ſucceſſione penitus eſſe deſtitutas.

At in Romana Eccleſia, Presbyteri ſuum Ordinem, jurisdictionem, ac miſſionem accipiunt immediatè à ſuis Epiſcopis præſentibus hi ab Epiſcopo ſive Pontifice Romano, qui per continuam præcedentium Pontificum ſeriem, ſuam in Sede Petri ſucceſſionem toti orbi apertè demonſtrat. Hæc enim in publicis, & ubique parentibus temporum Annalibus tam luculentè omni ævo conſignata exhibetur, quam ullum Regnum jure ſucceſſionis Regni ſui thronum poſſidere. Imò illa Pontificum ſucceſſio præ cæteris tantò majori pollet evidentiâ, quantò frequentiori omnium Gentium curâ ac ſtudio univerſalis Eccleſiæ hiſtoria à tot tantiſque Auctoribus, ac SS. Patribus conſcripta, & ad poſteritatem continuò tranſmiſſa reperitur. Nullus itaque eſt Eccleſiæ Romanæ Miniſter, qui Fidem populo & Sacramenta adminiſtrat, qui non poſſit poteſtatem, ac miſſionem ſuam continuâ ſerie ad Apoſtolos, ac Chriſtum reducere, tanquam ad primum authorem ac fontem à quo illam derivavit. Sola igitur Romana poteſt eſſe vera & indubitata Chriſti Eccleſia.

4. Hoc argumento veram Eccleſiam à Sectis alienis ipſi primitivæ Eccleſiæ Patres diſcernebant, ac imprimis S. Auguſtinus contra Epiſt. fundament. „ *Tenet me in Eccleſia Catholica ab ipſa Sede Pe-* „ *tri Apoſtoli uſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum.* „ Accedit S. Hieron. epiſt. 2. ad Damaſum. *Hic inter tres partes ſciſſa* „ *Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, ego interim clamo, qui Cathedra* „ *Petri jungitur meus eſt.* Idem diſput. contra Luciferianos: „ *Bre-* „ *vem tibi apertumque animi mei ſenſum proferam, in illa per-*

 manen-

„ *manendum esse Ecclesia, qua ab Apostolis fundata usque in hunc di perdurat.*

Dilemmate inde confecto, modernum sectarium hoc mod premes. Argumentum illud S. Augustini, S. Hieronymi, & p morum Ecclesiæ Patrum contra hæreticos sui temporis, ex succ sione perpetua Prælatorum in sola Ecclesia Romana; vel rectè pr bat illos antiquos fuisse veros hæreticos, vel non. Si id non prob errant ergo primi, summique Doctores primitivæ Ecclesiæ; qu tamen ipsi Sectarii non admittunt. Si verò rectè probat illos fu hæreticos, idem prorsus convincit de sectariis nostri temporis, q non magis possunt in sua secta ostendere perpetuam Prælatoru successionem, quam illi hæretici, contra quos primi Patres h argumentum intorquebant.

Hujus successionis defectûs Angliæ Ministros gravissimè rem det, qui sæpius postulari de legitima ordinatione Parkeri, qui p mus post hæresim tanquam Archiepiscopus Cantuariensem Sede occupavit; nec testes, nec tabulas, nec ullum derivari à Chris Ordinis, aut potestatis indicium legitimum unquam proferre p tuerunt. Quorum unus haud ita pridem quasi collabenti Eccles humeros suppositurus, non antiquas tabulas, sed novas fabul evulgavit, de Parkero in quadam taberna per aliquos Romanæ E clesiæ Episcopos in Præsulem consecrato. Sed non defuit auth Catholicus Dublinensis nunc Præsul illustrissimus, qui calamo s eruditione digno commentum illud aperte dissolvit, & ad vivu rescecuit, uti attingemus infra *part. 2. Cap. ult.*

ARGUMENTUM II.

Ecclesia Christi ex antiqua, omnes moderna Secta sunt nova

2. ECclesia Christi est antiqua, quia ab annis plusquam mille & sexcentis à Christo fundata est, & sic in omne tempus futu rum stabilita, ut promiserit portas inferni contra eam nunquã præ valituras. Sed Ecclesia Lutheri & Calvini est nova? Ergo hæc no potest esse vera Christi Ecclesia. Minor clare probatur. Quia possu mus assignare ipsum locum, & tempus, quo recenter exorta est hæ resis Lutherana, ante centum circiter annos, tempore Caroli V. Im peratoris, & Leonis X. Pontificis, & ostendere primum ejus autho rem Martinum Lutherum, qui post quindecim sæcula à constituta Christi Ecclesia comparuit, & ab antiqua Ecclesia sua sponte defe cit, & Sectam Lutheranam, de qua nihil unquam anteà auditum fuit, in Germania inchoavit. Sed hæc sunt manifesta novitatis indi cia, quæ apertè demonstrant Sectam Lutheranam (& idem est de aliis

aliis novis) non posse dici veram Christi Ecclesiam. Repugnat enim illam Sectam, quæ est nova, esse Ecclesiam Christi quæ est antiqua; originem habuisse à Luthero postremo sæculo, & tamen ante annos mille sexcentos à Christo institutam fuisse.

2. Si quis fortè prætendat Ecclesiam Lutheranam olim quidem extitisse, sed hactenus per 1500. annos ante Lutherum *occultam* latuisse. Responsio illa per se frivola hoc *Dilemmate* clare refutatur. Religio Lutherana vel extitit ante Lutherum, vel non extitit. Si ante Lutherum extitit occulta, ut affirmas, non potuit esse vera Christi Ecclesia, quæ debuit semper esse conspicua, sicut civitas supra montem posita, sicut lucerna, sicut publicum tribunal ad quod jubemur confugere, Matth. 18. *Si autem noluerit te audire, dic Ecclesiæ*; his enim Christus Ecclesiam suam similem esse declaravit. Si verò dicas ante Lutherum extitisse, ergo est Religio novitia: ac proindè non potest esse Religio Christi, quam constat esse antiquam.

3. Sola itaque superest *Ecclesia Romana*, quæ initium Romæ sumpsit ab ipso Petro, cujus Sedem per suos successores continuò possidet, cujus recens institutio, aut novus author nullo unquam loco, aut tempore post Petrum assignari potest, quæ sunt antiquæ & veræ Christi Ecclesiæ manifesta argumenta.

4. Hoc argumentum approbare coactus est ipse Lutherus, dum Zuinglianos recenter emergentes oppugnaret in epist ad Ducem Borussiæ, & habetur in ejus tom. 2. impresso Wittembergæ fol. 362. *Periculosum*, inquit, *& terribile est audire aliquid aut credere* „ *contra concors testimonium, fidem, & doctrinam totius sanctæ* „ *Christi Ecclesiæ, quæ jam supra mille quingentos annos per univer-* „ *sum orbem concorditer statuit, &c.* Telum hoc ab antiquitate desumptum, quod fortissimum agnoscit, quis non videt contra ipsum Lutherum, aliosque horum temporum Sectarios validissimè retorqueri? Quomodo igitur ego salutem æternam, quæ solùm in antiqua Christi Ecclesia obtineri potest inter novos horum temporum Sectarios sperare potero? Hoc si expendas benè, non poteris malè concludere.

ARGUMENTUM III.

Aliæ omnes Sectæ docent hæreses in primitiva Ecclesia damnatas.

1. OMnis illa Religio falsa est quæ continent hæreses à Catholica & primitiva Ecclesia olim damnatas. Atqui modernæ Sectæ

Lutheri, & Calvini &c. continent hæreses à Catholica & primitiva Ecclesia olim damnatas. Ergò eorum Religio debet esse falsa, & primitivæ Ecclesiæ contraria.

Minor hujus argumenti probatur primò: Quia tam Lutherus quam Calvinus docet, Bona opera non esse ad salutem necessaria, sed solam fidem sufficere. Atqui hæc eadem fuit olim hæresis Simonis Magi teste antiquissimo S. Irenæo *l.* 2. *cap.* 20. & Eunomianorum olim ab Ecclesia damnatorum circa annum Domini 360, teste S. Augustino Hæresi 54.

2. Lutheri & Calvini doctrina est, Traditiones esse rejiciendas & solam Scripturam recipiendam. Eadem hæresis à primitiva Ecclesia damnata est in Ario, Nestorio, Eutychete, & Dioscoro, uti patet ex S. August. *lib.* 1. *contra Maximum. cap.* 2. item in Synodo 7. *actione* 1.

3. Tam Lutherus quàm Calvinus negat Sacramentum Pœnitentiæ, & Confirmationis. Doctrina hæc tanquam hæretica in Novatianis olim ab Ecclesia proscripta est, teste antiquissimo Cypriano *lib.* 4. *epist.* 2.

4. Docet Lutherus & Calvinus Ecclesiam olim visibilem postea periisse, & illam in suo tantum cœtu existere. Fuit hæc quoque hæresis Donatistarum contra primitivam Ecclesiam, ut testatur August. *lib. de unitate Ecclesiæ cap.* 12.

5. Asserit uterque, venerationem Reliquiarum, Imaginum Christi, aut Sanctorum esse idololatriam. Idem asseruit Vigilantius hæreticus teste Hieronym. & olim Iconomachi ab Ecclesia damnati teste Cedreno & Nicephoro *de Iconomachis*.

6. Negat cum Luthero Calvinus, orandum esse pro defunctis, observandum jejunium Quadragesimale, aut aliud ab Ecclesia præscriptum. Idem negarunt olim Aëtiani hæretici teste Epiphanio & August *de hæresib. cap.* 33.

Quid igitur manifestiùs quam hæreses olim ab Ecclesia Christi damnatas, à Luthero & Calvino doceri, ac renovari? Et quidem plerasque ante tempora S. Augustini. Cùm tamen ipsi fateantur veram & primævam Christi Ecclesiam, quæ eas hæreses damnavit, ab omni erroris suspicione immunem fuisse, Illas autem hæreses dum reprobavit, necessariò omnes Sectas eandem doctrinam profitentes hæreticas esse declaravit.

Ex his autem cæterisque articulis à primitiva Ecclesia olim damnatis nullum omninò recipit *Ecclesia Romana*, aut unquam admisit, & quemvis admittere volentem à suo corpore resecuit. Depositum Fidei à Christo & Apostolis sibi traditum tam firmum & inviolatum semper retinuit, ut maluerit tam ab antiquis quam ab horum

tem-

temporum Sectariis gravissima bella, rapinas bonorum, exilia, & mortem ipsam sustinere, quam vel unicum articulum à primitiva Ecclesia damnatum admittere, uti hodie in Angliæ, Hollandiæ, & maximè in antiquissimis Hiberniæ Catholicis; tot calamitatibus hactenus laceratis, ante oculos videmus.

Ad hanc rationem vel unicam, si seriò lubeat reflectere, fieri non potest, quin hodiernas Sectas à vera Christi Ecclesia facilè discernas. Quæcunque enim Secta deprehenditur hæresim vel unicam à vera Ecclesia olim damnatam admittere, tam implicat illam esse Ecclesiam Christi, quàm falsum esse verum, aut album esse nigrum. Sicut enim contra debitam Regi fidelitatem in uno puncto cum hoste conspirans, hoc ipso fit Regi rebellis, sic cum damnatis Hæreticis unico in errore consentiens, Deo fit inimicus ac perduellis, & extra salutis tramitem exu laberrat.

ARGUMENTUM IV.

Communis omnium Gentium consensus pro fide Romana.

1. Illa judicanda est vera Christi Ecclesia, quæ per totum orbem recepta, & omnium gentium testimonio & consensu comprobata est, potius quàm illa, quæ exiguo spatio circumscripta, & à paucis admissa fuit. Quivis enim æquus judex non dubitabit adjudicare litem illi parti, quæ præ alia habet testes multò plures, & inter se omni tempore, & loco convenientes.

2. Atqui omnium gentium commune testimonium stat pro una & sola *Ecclesia Romana*, quæ proindè *Catholica* & universalis toto orbe nominatur. Nam quo ad priora tempora nullum est toto orbe regnum, nulla natio nobis cognita, in qua aliquando propagata & recepta non fuerit, aut propagari inceperit. Quin imò hoc tempore apud gentes de novo repertas publicà extat Religionis Romanæ professio, templa, altaria, Missæ, cultus Imaginem &c. plerisque etiam locis in regnis Turcarum Catholici aliqui reperiuntur. In Europa Religionem Romanam publicè tuentur ac profitentur universa regna Hispaniæ, regnum Galliæ amplissimum, tota pænè Germania, Polonia, Italia, maxima ex parte Belgica, neque exiguo fidelium numero per Angliam, & multò majori per Hiberniam, aliasque plures orbis partes disseminata reperitur. Cum his si comparentur pauci Europæ Anguli, qui Sectam Lutheranam aut Calvinianam profitentur, unum pro millibus testem vix reperies. Solum enim Regnum Britanniæ, cum Dania, Suecia, Hollandia, & aliquâ Germaniæ parte Sectam Lutheranam vel Calvinianam, eamque pluribus aliis Sectis immixtam complectitur. Quid exiguus ille numerus cum tota Eu-

ropa comparatus? Quid cum Asia, Africa, America? Quarum in-colæ, uti & regionum nunc in Europa infectarum, Religionem Romanam aliquando receperunt, & per multa sæcula suo testimonio, & sanguine comprobarunt.

3. Si igitur multitudinem testium eorum, qui in Religione Romana toto orbe vixerunt per *sedecim sæcula*, conferam cum exiguo manipulo Lutheranorum & Calvinianorum, qui tantum unius sæculi spatio emerserunt in paucis Europæ Regionibus, non possum salvâ æquitate pro altera, quàm Religione Romanâ, ferre sententiam. Neque poterit supremus Judex in extremo judicio aliud pronunciare, quam me juste & sapienter egisse, quod communem & constantem orbis pœne universi consensum, paucorum, & malè inter se cohærentium hominum judicio, à reliquo orbe repudiato, prætulerim.

Vim hujus argumenti ipsâ experientia comprobari videmus in integris legionibus ex militia, & nobilitate Anglicana, quorum plerique, dum ex domesticis errorum tenebris prodeunt ad publicam lucem Catholicæ Ecclesiæ in Belgio, Gallia, Hispania, facilè veram Romanæ Ecclesiæ Fidem agnoscunt, & profitentur. Ut non ita pridem apparuit in viris summo ingenio & judicio præditis Comite de Bristol, Barone de Inchequin, & aliis nobilitate & fama notissimis.

ARGUMENTUM V.

Nulla est certa Ecclesia Christi in mundo, si non sit Romana.

1. Certum est veram Christi Ecclesiam in mundo reperiri, ut omnes fatemur: Atqui hoc certum non esset, si vera foret fides Sectæ Lutheranæ aut Calvinianæ. Ergo illa est à veritate Prorsus aliena.

2. Minor patet ex eo, quod Secta tam Lutherana, quam Calviniana doceat veram Ecclesiam à Christo institutam potuisse deficere, & eam in Ecclesia Romana, quæ ab initio fuit vera, actu defecisse & nunc penes Sectam v.g. Lutheranam veram Ecclesiam permanere. Quod si verum est, posse deficere veram Christi Ecclesiam, Et tu asseris tuam Calvinianam, vel Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam, ergo potuit etiam tua Lutherana & Calviniana deficere, ergo certum non est aliquam veram Christi Ecclesiam in mundo reperiri. Sicut enim asseris defecisse olim veram Christi Ecclesiam, ita nunc deficere potuit tua, neque certus esse potes quod actu non defecerit: nulla enim promissio Lutheranæ vel Calvinianæ Ecclesiæ facta est, aut fieri potuit, supra veram Christi Ecclesiam.

Quod

Quod si dicas tantum posse deficere Ecclesiam Christi *visibilem*. Infero ergo tibi non constat, an Ecclesia Calviniana vel Lutherana visibilis, quam profiteris, sit vera Christi Ecclesia.

3. Hic igitur aliud dici non potest, quam Sectam Lutheranam, & Calvinianam manifeste falsam esse, & se evertere; dum docet Ecclesiam olim à Christo institutam potuisse aliquando deficere. Unde clarè sequitur Ecclesiam Romanam, quam ipsi Sectarii admittunt primis 4. vel 5. sæculis, fuisse veram Christi Ecclesiam, non potuisse errare, & à vera fide deficere: alias enim jam non constaret, ullam in mundo existere veram Christi Ecclesiam.

ARGUMENTUM VI.

Si Ecclesia Romana non sit vera, vel perierunt in æternum Majores nostri, Martyres, Confessores &c. qui ante Lutherum per 12. sæcula vixerunt, vel certa est fides Romanæ Ecclesiæ.

1. SI Secta Lutherana vel Calviniana vera esset Christi Religio, sequerentur ea quæ quivis, etiam Lutheranus vel Calvinianus, horret admittere. Ergo fateri debet Sectas illas tuo etiam judicio veritati repugnare.

2. Sequeretur enim ex doctrina Lutherana & Calviniana, Ecclesiam Romanam à vera Fide aberrare, adeoque impiam & sacrilegam esse. Ac proinde Christianos, qui vixerunt à tempore, quo ajunt defecisse Ecclesiam, nempe per integra duodecim sæcula ante Lutherum, in æternum periisse, ac omnes nostros, vestrosque Majores, qui per tot sæcula Ecclesiam tantum Romanam agnoverunt à vera Fide & salute æterna excidisse. Nisi quis impiè fingat Christum permisisse, suam Ecclesiam visibilem per 12. sæcula invincibili veræ Fidei ignorantiâ altè sopitam jacere.

An ergò à Fide & salute aberrarunt passim omnes illi qui pro divino cultu in tota Europa, & reliquo orbe Christiano, tot Templa, tot Cœnobia, tot Collegia, tot pietatis monumenta per duodecim sæcula summâ pietate, ac studio erexerunt? Qui sua bona, ac seipsos totâ vitâ divino obsequio manciparunt? Perierunt quotquot eo tempore vixerunt viri sanctitate, ac miraculis toto orbe celebrati, Benedictus, Patricius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, aliique Sancti innumeri, quorum virtus, & vita tot cœlestibus prodigiis comprobata fuit. Perierunt tot milliones Martyrum, qui pro tuenda Religione Romana contra tyrannos decertarunt, suumque sanguinem ac vitam profuderunt; nisi fortè aliquos invincibilis ignorantia

excuſaverit? Hi enim non aliam quàm Eccleſiam Romanam agnoverunt, quam Lutherani & Calviniani impiam & ſacrilegam eſſe profitentur.

3 Hinc ſequeretur ulterius, Chriſtum Eccleſiam ſuam tanto labore & amore inſtitutam per duodecim ſæcula deſeruiſſe; cui tamen dixit: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Reliquiſſe illam ſub impietate, & poteſtate Satanæ, cui tamen promiſit: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

Fruſtrà igitur duodecim illis ſæculis à Romana Eccleſia prædicatum eſt toto orbi Chriſti Evangelium: Fruſtrà tot Gentes à Paganiſmo ad Eccleſiam Romanam converſæ: Fruſtrà fuêre tot ſæculis Sacramenta, & alia ſalutis media à Chriſto inſtituta: Fruſtrà fuit ipſa Chriſti Paſſio, Mors, & Redemptio, donec tandem Lutherus Eccleſiæ Romanæ Sacerdotium, & cælibatum deſeruit, & ad connubia, omnemque carnis libertatem provolavit, atque ita Eccleſiam prolapſam reſtauravit, & viam cœli, quam Chriſtus dixit anguſtam, verbo & exemplo laxam, & ſpatioſam fecit. Quis ratione præditus hæc non ludicra, non inſana, non meriſſima figmenta judicabit.

4. Quòd ſi tandem dicas, Hæc nullo modo admittenda eſſe, ac potuiſſe ſemper Majores noſtros etiam in Religione Romana ſalutem adipiſci; neceſſarium erit te hoc modo ulterius ratiocinari:

Omnes omninò tam Catholici, quam Sectarii fatentur in Eccleſia Romana poſſe ſalutem obtineri: Omnes autem Catholici, qui ſunt maxima pars omnium Chriſtianorum, omni tempore & uno ore affirmant, me in Secta Lutherana vel Calviniana non poſſe ſalvari. Ergò, ſi volo eſſe certus & ſecurus de ſalute æterna, debeo eligere Eccleſiam Romanam, in qua omnes fatentur, me poſſe ſalvari, non verò Lutheranam aut aliam, in qua maxima pars orbis Chriſtiani abſolutè negat ſalutem poſſe obtineri. Hoc argumento Henricus IV. Galliarum Rex, poſtquam apud ſuos Miniſtros rem Fidei diligenter examinaſſet, profeſſus eſt, ſe ad Eccleſiam Romanam fuiſſe converſum, uti videre eſt apud Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores.

ARGUMENTUM VII.

In ſola Romana Eccleſia perſiſtit gloria Miraculorum à Chriſto veræ Eccleſiæ promiſſa.

Miraculis Eccleſiæ Romanæ quaſi conjuratione factâ novum bellum nuper indixit Stillingfletus in Anglia, Zuickerus in Hollandia, Danhaverus in Germania. Sed eorum impetum validè repreſ-

repressit, fregit, protrivit ex Anglia noster Worslæus, ex Germania Cornæus; aliique germanæ fidei pugiles strenuissimi. Hic autem pro invicto miraculorum testimonio brevi methodo sic argumentaberis.

1. Christus eodem modo contulit veræ Ecclesiæ potestatem prædicandi Fidem, & operandi Miracula Marc. 16. v. 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et statim subdit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, super ægros manus imponent, & bene habebunt &c.* Sed in Ecclesia Christi hoc tempore perseverat potestas prædicandi fidem: Ergo etiam virtus operandi miracula. Cum enim absque ulla temporis limitatione fuerit hoc privilegium veræ Ecclesię concessum, sine ratione asseritur illi jam ereptum esse, cùm nullo modo ostendi possit quo modo, aut quo tempore fuerit revocatum, imò assidua tot miraculorum experientia comprobet potestatem illam adhuc in Ecclesia Christi perseverare.

2. Ex his porrò conficitur hoc argumentum cuivis sanæ mentis homini manifestum. Miracula ab initio indicarunt veram Christi Ecclesiam, & Christus promisit ea in sua Ecclesia permansura, ut jam ostensum est. Atqui miracula in sola cernuntur Ecclesia Romana. Ergò hæc sola est vera Ecclesia Christi. Aliàs nulla in terris dabitur Christi Ecclesia, cùm nulla prorsùs alia Secta possit illam miraculorum gloriam sibi vindicare.

3. Frustrà autem ex odio Religionis Romanæ cum Sectariis illis hanc miraculorum gloriam non Deo, sed dæmoni adscribes; sic enim Judæi olim Christi miracula calumniabantur; *in Beelcebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; quæ tamen constat fuisse vera miracula, & signa Fidei certissima. Deindè innumera Ecclesiæ Romanæ miracula omnem dæmonis potestatem longissimè excedunt, ut mortuos ad vitam excitare, morbos incurabiles momentò curare, cœcis visum, surdis auditum, claudis incessum restituere. Uti non ita pridem coram multis testibus factum constat Cæsaraugustæ in Joanne Pellicero Aragonio viro notissimo, cui integra tibia dudùm amputata divinâ virtute subitò restituta est. Mortuos à S. Martino, & à S. Dominico tres, à S. Xaverio supra viginti, ab aliis nostro ævo plurimos vitæ restitutos, iis testimoniis comprobatum invenies, quibus nihil potest esse in rebus humanis certius aut evidentius. Teste autem D. Augustino *l.* 22. *de Civit. c.* 5. miraculum vel unicum, quod constat à Deo factum, ad certissimum veræ Fidei testimonium sufficere debet.

Adhæc frivola prorsùs sunt Doctoris Stillingfleti responsa Miracula scilicet hæc esse longinqua, intervallo temporum, & locorum

multas cudi fabulas, multos crescere rumores, multa hominibus credulis imponi. Et ad tibiam illam Joanni Pellicero, publico prodigio restitutam, sufficit illi per ludibrium reponere, Isto intervallo loci, & temporis quo fama hujus prætensi miraculi ex Hispania in Angliam transibat, facile potuisse Pelliceri stipitem ligneum in tibia excrescere. At si liceat hujusmodi facta publica, & severo judicio subjecta, & juratis testibus comprobata, unius Stillingfleti inani ludibrio in figmenta convertere, videat quæso, ne suum quoq; nomen & personam, & titulum, ut inanes fabulas, & popularis auræ fumos posteris transmittat. Quæro enim, si illius judicio insistas, quis hominum post pauculos annos credet extitisse Doctorem Stillingfleti in Academia Cantabrigensi studuisse, legitimè examinatum fuisse, Doctoris lauream consecutum esse? Dicam ego, dicent posteri hunc Doctoratus gradum, quamvis publicis tabulis & testibus consignatum, solo populi rumore Stillingfleto accrevisse. At, inquit, testimonium de patrato miraculo res est supra naturam posita. Erras mi Doctor; miraculum quidem ipsum naturæ vires excedit, prodigium verò jam patratum oculis intueri, manibus palpare, juramento testari, authoritate publica & indubitata consignare, hęc nihil habet præter consuetas naturæ leges, & normam communem, quâ solent res gestæ certa fide comprobari. Mirum in re tam aperta hallucinari hominem, qui cupit in Doctorum numero celebrari. Sed illi novum non est, pro solidis argumentis, inanes jocos, & facetias venditare.

Ne vero ad labefactandum hæc miracula ad Dæmonis opem iterum confugiat Adversarius, illum breviter interrogo: Si ad fallendos homines Dæmon operetur miracula in Ecclesia Romana; an id faciat potestate divina, an virtute propria? Non potestate divina, quia si Religio Romana sit falsa, non potest Deus illam miraculorum testimonio tamquam suo sigillo comprobare: Hoc enim esset Deum falsæ doctrinæ subscribere, atque ita homines in fraudem induceret. Non etiam propriâ dæmonis virtute ad homines fallendos: quia si dæmon multò magis operaretur miracula pro Secta Turcarum & Judæorum, ut in eam magno suo lucro homines induceret. Ergo miraculorum gloria in sola Romana Ecclesia perseverans à solo Deo procedere potest, ut hoc signo & testimonio, uti olim, ita hoc tempore, veram Ecclesiam hominibus demonstraret.

5. Et verò ut in ea invenienda homines essent inexcusabiles, extare voluit quædam miracula publica, & perpetua, & omnibus facilè conspicua. Si Angli, & Batavi eâ curâ, quâ opes, & merces peregrinas, veræ Fidei testimonium inquirerent, reperirent in Italia, & in ipso Religionis Romanæ gremio domus Lauretanæ miraculum publicum, & omnibus scire volentibus perpetuò conspicuum.

Nea-

Neapoli ampullam ſanguinis S. Januarii Marty is, qui in præſentia corporis conſtitutus miraculosè ebullit. Compoſtellæ in Hiſpania reliquias S. Jacobi ob probatiſſima indies miracula à toto orbe Chriſtiano frequentatas. Ut prætercam in Belgio Virginem Aſpricollenſem, Hallenſem, & alia ejuſmodi loca manifeſtis Dei miraculis continuo illuſtrata, ex quibus Eccleſiæ Romanæ Adverſarii redduntur prorſus inexcuſabiles.

Poſtremò, quantum ponderis habeant Miracula ad commonſtrandum veram Eccleſiam, ipſi Adverſarii ſuo calculo ſæpius comprobarunt. Quid enim? Si noſtri, aut ſuperioris ævi miraculis nihil tribuendum, quid Lutheri artes, quid Calvini fraudes in illis fabricandis tanto ſtudio inſudarunt?

Nota eſt apud Staphylum, qui actione interfuit, & teſtatam reliquit, *Libro* qui inſcribitur *Abſoluta reſponſio*, hiſtoria Lutheri, qui ut à miraculi teſtimonio, Prophetæ à Deo miſſi ſibi nomen uſurparet, fœminam à dæmone poſſeſſam Dei nomine à ſe liberandam multo apparatu ſuſcepit. Sed poſt ingeminatos clamores, & irrita conamina, tandem ipſe à dæmone in eas anguſtias redactus fuit, ut ab eo congreſſu validiorem dæmonis inſultum vix vivus evaſerit.

Tantum tamen in miraculis vim agnovit, ut non dubitaverit ab illis iterum, iterumque aliquod ſuæ doctrinæ præſidium emendicare, de tota Eccleſia ſuo judicio triumphaturus, ſi vel unicum impetraſſet. Itaque teſte Cochlæo in vita Lutheri, dum quendam nomine Neſenum in Albi ſubmerſum comperiſſet, ſpei plenus accurrit, preces prolixas ingeminat, ſed nihil proficit; ſacra carmina demortui auribus inſuſurrat, ſed & hæc ſurdo canit. Denique cum nihil intentatum relinqueret, ut cadaveri vocem aliquam aut motum extunderet, non aliud quam ſpectantium riſum, & opprobria impetravit, qui in hoc Martini facinore, nullum niſi temeritatis, & audaciæ prodigium ſpectavêre.

Alia his ſimilia, nec diſſimili eventu, tentarunt alii Lutheri aſſeclæ apud Cochlæum ad annum 1533. qui ut ſe veridicos Prophetas populo probarent, diem extremi judicii à ſe deſignatum præ foribus adeſſe prænunciarunt. His Prophetis creduli nimis agricolæ ſerere & arare deſierunt, ſed & vivere brevi deſiiſſent, niſi inani expectatione tandem edocti, in miniſtris ſuis vanos vates agnoviſſent.

Neque his cedunt artes & machinamenta Calvini, qui in hoc erat ſedulò intentus, ut aliquo patrati miraculi teſtimonio doctrinæ ſuæ fidem conciliaret. Rem ſic aggreſſus eſt, teſte Bolſeco *in vita*

Cal-

Calvini cap. 13. Vir inops Brulæus nomine cum uxore Ostun Genevam demigrat, à Calvino inopiæ suæ subsidium postulat annuit perbenignè, si illi vicissim in adornanda quadam miracul specie operam suam, & fidem commodarent. Brulæus ut jubetu morbum simulat. Ministri pro concione ægrum populi precibu commendant. Paulo post miser ille, ut prius ægri, ita nunc defunct personam induit. Monetur Calvinus, & quasi rei ignarus cu amicorum caterva ad defuncti domum divertit, ubi cum Brul uxor ploratu ac lachrymis scenicum hoc fenus egregiè adornasse Calvinus in genua provolutus, & fusis ad Deum precibus roga in testimonium suæ doctrinæ defunctum hunc ad vitam suscitar atque apprehensa ejus manu, altâ voce iterum iterumque impe at se se erigat, & ad vitam redeat. At ecce novum miraculi genus, q se mortuum simulavit, jam verè mortuus reperitur, quo viso ux attonita, & in serias lachrymas & querelas effusa, infaustas Calvi technos omnibus ex ordine reseravit. Interea remansit mulier inf lix sine viro, & Calvinus infelicior sine miraculo.

ARGUMENTUM VIII.

Sola Ecclesia Romana habet infallibilem fidei Regulam, & decisionem controversiarum.

1. VEra Christi Ecclesia debet habere infallibilem Fidei su Regulam, quâ possit dirimere controversias in negoti Religionis frequenter emergentes, ac sententiæ à se prolatæ ra tionem, ac fundamentum assignare, in quo possit intellectus cert & securè acquiescere. Nam sine tali Regula & judice controver siarum omnia erunt incerta, ac plena litibus interminatis; adeo que talis Religio non erit vera Religio, quæ debet esse rerum omnium certissima.

2. Atqui Ecclesia Lutherana & Calviniana nullam possunt talem suæ fidei Regulam exhibere; potest autem Ecclesia Romana. Erg hæc sola potest esse vera Christi Ecclesia.

3. Minor probatur, quia talis Regula non potest esse sola Scri ptura, aut Spiritus privatus, aut alia, quæ à modernis Sectariis præ tenduntur, ut de singulis, in sequentibus ostendemus: hic enim agitur de ipso veræ Ecclesiæ fundamento, sine quo ejus fidem nutar & corruere necesse est.

Atque eâdem operâ dissolventur objectiones & effugia, quibus Sectarii contra claram veritatis lucem hactenus demonstratam se miserè involvi patiuntur.

CAPUT

CAPUT IV.

Ostenditur solam Scripturam non esse Regulam Fidei aut Judicem controversiarum.

1. PRobatur primò: Si sola Scriptura sufficeret pro Regula Fidei & judice controversiarum, sic pronuntiaret sententiam decisivam, ut litigantes clarè intelligerent pro qua parte stet Scripturæ sententia, ejusque judicio acquiescerent: Sed hoc sola scriptura præstare non potest: Ergo non est sufficiens regula aut judex pro dirimendis fidei controversiis.

Minor apertè patet vel ex eo, quod ipsi Lutherani & Calvinistæ de variis fidei articulis, ut de reali Christi præsentia, de Baptismo parvulorum &c. multis annis inter se contendant, & ad mentem Scripturæ magno studio utrimque recurrant. Et tamen hactenus neutra pars sententiam decisivam contra se latam esse agnoscit, sed pergunt adhuc eo, quo cœperunt, ardore & incertitudine authoritatem Scripturæ sibi utrimque vindicare, & pergent usque in diem judicii, si pro declarando Scripturæ sensu, de quo utrimque litigatur, alium judicem non admittant. Scriptura enim omnem, quam latura est, sententiam jam dudum pronuntiavit.

Rem exemplo illustremus: Scriptura refert Christi verba in ultima cœna, *Comedite & bibite ex hoc omnes*, & eodem loco Christus dicit, *& vos debetis alter alterius lavare pedes.* Unde quæso sciemus, quod priora verba contineant præceptum sumendi Eucharistiam, & posteriora non contineant simile præceptum lavandi pedes? cum in his magis expressè per modum præcipientis Christus dicat, *& vos debetis &c.* Certè hoc non ex verbis Scripturæ, sed ex judicio, & consuetudine Ecclesiæ constare potest. Et si quis modo contendere posteriora verba imponere præceptum lotionis pedum, nunquam posset lis ex sola Scriptura decidi.

2. Secundò. Aliquæ sunt fidei controversiæ, quarum in Scripturis nulla pene mentio habetur: Ergo in his dirimendis extra Scripturas alius omninò judex est necessarius. Controversia olim erat, An baptizati ab hæreticis sint baptizandi. Affirmavit S. Cyprianus, negavit S. Augustinus: suam tamen sententiam quamvis sit vera & dogma fidei, non potuit Augustinus sufficientur ex Scripturis probare; Sic enim scribit *libr. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 23. Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est.*

Ulte-

Ulterius quæro, Quo loco Scriptura statuit, ut forma Baptismi pronuntietur linguâ patriâ, ut faciunt Novatores? Ut infanti in Baptismo nomen imponatur, Ut mersio trina adhibeatur? Aut ut Christiani non Sabbathum, sed diem Dominicum colere debeant? Alia sunt hujusmodi plurima extra Scripturas decisa aut constituta, quorum aliqua non nisi admodum obscurè, alia nullo modo in sacris Paginis commemorantur: Et tamen ea apud ipsos Sectarios pro decisis & certis habentur: ergo illorum decisio extra Scripturam haberi debet.

3. Tertiò, In Republica Civili non sufficiunt Codices legum, sed requiritur alius Judex qui sententiam ferat inter partes litigantes. Ergo in republica Ecclesiastica non sufficiunt Codices Scripturarum sine alio Judice, qui exorientes de Fide controversias decidat. Nam sicut in repub. Civili sæpè lis est de ipsa legum interpretatione, ita in Ecclesia sæpè controversia est de ipso sensu & explicatione Scripturarum, uti assiduè videmus. Sic igitur lex, quando de ejus mente dubitatur, non potest per se litem derimere, ita neque Scriptura potest de se ipsa sententiam ferre sine alio Judice, quem Deus ordinare debuit, ne aliàs Ecclesiam suam relinqueret in perpetuis controversiis, à nullo prorsùs visibili judice determinandis.

4. Neque refert primo, quod *Ioann.* 5. & alibi jubeamur ad inquirendam veritatem legere & scrutari Scripturas. Nam Judices debent etiam legum studio incumbere? non ideò tamen in omni judicio solæ leges sine Judicis sententia sufficiunt.

5. Neque refert 2. Quòd Scriptura sit Regula, & norma veritatis. Nam licet in se sit norma veritatis; ubi tamen de ejus sensu litigatur, non semper constat hominibus ex qua parte stet illa veritas. Ideo necessaria est alia veritatis regula sive Judex, qui id certò declaret. Hanc autem declarandi potestatem infallibilem, & Spiritus sancti assistentiam promissam & collatam esse à Christo suæ Ecclesiæ infra *Cap.* 8. probandum erit.

CAPUT V.

Præcluditur effugium asserentium Scripturam per se claram esse & apertam.

1. PRobatur enim contrarium, primò ex ipsius Scripturæ testimonio. Nam Actor. 10. Eunuchus interrogatus à Philippo, *putasne intelligis quæ legis?* Respondit, *& quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* Et 2. Petri cap. ult. asserit S. Petrus quædam contineri in epistolis D. Pauli *Difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant.*

2. Ne-

2. Neque dicas difficilia esse solis improbis & indoctis. Nam S. Augustinus, quem certé nemo improbum aut indoctum judicabit, *lib. de fide & operib. Cap. 15.* disertè fatetur sibi intellectu difficillimum esse locum illum 1. ad Cor. 3. *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit.*

3. Qui autem aliter sentire præsumit, interrogandus est in particulari, An ipse, & alii ejusdem Sectæ clare intelligant hunc locum Eccle. 44. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Et 1. ad Cor 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui omninò non resurgunt?* Item quomodo consistit id quod Jacob dicit Gen. 5. *vidi Deum facie ad faciem*, cum eo quod dicit Dominus Exod. 33. *Non videbit me homo, & vivet.* Et Psalmo 1. *Non resurgent impii in judicio*, cum eo quod habetur 1.ad Cor 15. *Omnes quidem resurgemus.* Et Luc. 23. dicitur Christus *crucifixus horâ sextâ*, cùm tamen scribatur Marci 15. v. 25. fuisse *horam tertiam quando crucifixerunt eum.* Denique scriptum invenies Proverb. 24. v. 4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*, cùm tamen posteà in eodem capite legatur, *Responde stulto juxta stultitiam suam.* Et alia hujusmodi? quæ si adversario proponas, Scripturam per se non esse claram, præsenti experimento deprehendes. Nam ad id quod clarum est, & clarè, & sine hæsitantia respondemus.

4. Probatur secundò ratione, Ille liber non potest esse per omnia clarus, cujus materia, & modus scribendi sæpè est obscurus. In Scriptura autem, tam materia, quam modus scribendi frequenter est obscurus: ergo &c. Patet primò quoad materiam. Continet enim mysteria supra naturam posita, & ab hominum sensibus maximè remota, ut, de Deo trino & uno, de Incarnatione Verbi Divini, de Sacramentis, eorumque invisibili operatione, & gratiâ internâ, de æterna prædestinatione ac reprobatione, aliisque Decretis divinis maximè reconditis, de quibus verè dicitur; *Iudicia Dei, abyssus multa.*

Secundò, Modus, quo res illæ reconditæ in Scripturis proponuntur, multos habet tropos, qui solét esse difficiles; multos hebraismos & modos loquendi hoc tempore obsoletos & incompertos, plurima etiam continet Prophetarum vaticinia & apocalypses, tantum symbolice, & quasi sub ænigmate explicatas. Hæc autem ex natura sua in quovis scripto magnam pariunt intelligendi obscuritatem. Qua ergo præsidentiâ potest quisquam affirmare, hæc prorsus omnia in tota Scriptuta sibi esse facillima, sensum illius omnem sibi esse certissimum, nusquam occurrere dubium aut controversiam?

5. Probatur tertiò eadem obscuritas, ex tot Commentariis Sanctorum Patrum & Doctorum, qui ab exordio Ecclesiæ ad nostra

usque

usque tempora Scripturis explicandis insudarunt, quod minimè opus erat, si per se sint claræ & apertæ. Certè aliud sensit S. Hieron. in epist. ad Algasiam qu. 8. *Omnis*, inquit, *epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est.* Et candidè de se fatetur D. August. ad Januarium: *In ipsis sacris scripturis nescio multò plura, quam scio.* Qui modo contrarium de se affirmat, necesse est admittat, aut se supra Augustinum sapere, aut id falsò præsumere.

6. Idem apertè confirmant tot Controversiæ Sectariorum omni tempore tàm inter se mutuò, quàm cum Ecclesia Romana de vero Scripturæ sensu. Quinimo de ipsa vera Christi Ecclesia, quod est punctum Fidei primarium, & ad salutem maximè necessarium, tot annis ex Scripturis strenuè disputant Sectarii, qui omnes dicunt Verbum Dei sibi esse clarum & apertum. Quod minimè fieret, si Scripturæ sensus de vera Ecclesia ipsis esset manifestus, cum omnes se veram Scripturam recipere & venerari profiteantur. Proprio igitur ore, facto, scripto seipsos condemnant.

7. Frustrà autem pro Scripturæ claritate adferunt Psalmum 118. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum*, aut Psalmum 13. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Nam neque hæc de tota penitus Scriptura dicuntur: neque aliud important quam Scripturam, quando cognita & intellecta est, esse lucernam, quâ viæ, & operationes hominum rectè diriguntur.

8. Frustra etiam fingunt Scripturam claram esse prædestinatis, solis autem reprobis obscuram. Nam sic vel maximè clarus Scripturæ sensus manet hominibus perpetuo obscurus: cum nulli constet quinam homines in particulari sint reprobi, quinam electi. Neque admittent, ut arbitror, reprobum esse S. Augustinum, aut S. Hieron. qui Scripturas sibi obscuras esse profitentur, ut supra ostendimus.

CAPUT VI.

Frustrà recurritur ad internum Spiritus privati testimonium.

1. DUm ex argumentis hactenus allatis evincitur, sectarios, qui Ecclesiæ Romanæ authoritatem rejiciunt, destitutos esse sufficienti regula fidei & judice controversiarum; eumque extra Scripturas quærendum esse: recurrere demum coguntur ad latebras Spiritus privati, cujus testimonio dicunt se interius in anima divinitùs edoceri, ut possint singuli de vero Scripturæ sensu judicare, & reliquas fidei controversias decidere.

2. Sed contra, Vanum & fictitium esse illud spiritus privati testimonium, certissimis argumentis hoc modo demonstrabis.

Primò, Internum Spiritus Sancti testimonium non potest sibi contradi-

contradicere. Sed ſibi contradiceret, ſi illud haberent noſtri temporis ſectarii. Ergo Spiritus interni teſtimonium, quod prætendunt, eſt vanum & merè fictitium.

Minor probatur, Lutherani ex interno Spiritus teſtimonio dicunt Epiſtolam D. Jacobi non eſſe veram Scripturam, ſed potius inanem & ſtramineam, ut loquitur Lutherus: Calviniſtæ autem ex eodem ſpiritus inſtinctu affirmant, eam Epiſtolam eſſe Scripturam verè divinam. Iterum, Lutherani ajunt per hæc ſcripturæ verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ſignificari realem Chriſti præſentiam, Calviniſtæ contra per eadem verba intelligunt ſolam figuram Corporis Chriſti. Hæc autem eſt manifeſta contradictio, pro quo tamen utraque pars æquè ſtrenuè allegat internum ſpiritus privati teſtimonium.

3. Cum verò in omni contradictione, alterutra pars neceſſariò debeat eſſe falſa, ſequeretur primò, Spiritum ſanctum eſſe authorem falſitatis, quod eſt prorſus impium. Sequeretur ſecundò, nullum à Chriſto relictum eſſe modum convincendi aut judicandi hæreſes, quas tamen ipſe prævidit neceſſariò emerſuras. Nam quivis hæreticus non minus facilè affirmabit ſe habere internum ſpiritus teſtimonium, quam quivis alius Sanctus & fidelis. Si interim extra Scripturam, & ſpiritum privatum, nullum admittas judicem in controverſiis fidei, nullus omninò ſupererit modus hæreſes judicandi, aut convincendi. Poterunt enim ſemper prætēdere ſe habere internum & arcanum ſpiritus Sancti dictamen, quod nunquam per alium Spiritum privatum æquè arcanum & obſcurum debitè refelletur, nunquam enim poteſt aliquid incertum aut ignotum, per aliud æquè ignotum refutari.

4. Quando itaque Sectarius articulum aliquem ſuæ fidei, aut verum ſcripturæ ſenſum probat ex ſpiritu privato hoc modo, Quod procedit ex interno ſpiritus Sancti teſtimonio debet eſſe verum. Sed mea Fides & interpretatio procedit ex interno ſpiritus Sancti teſtimonio: ergo mea Fides & interpretatio debet eſſe vera.

Contra argumentaberis in eadem forma. Quod procedit ex interno ſpiritus ſancti teſtimonio debet eſſe verum, ſed mea Fides & interpretatio procedit ex interno Spiritus ſancti teſtimonio, ergo mea debet eſſe vera. Quid jam reſtat ſectario, quo veritatem ſuæ fidei mihi declaret, aut ulli ſapienti, qui de ea edoceri cupit? Et tamen ſcriptura 1. Petri 3. monet Fideles quod debeant eſſe *Parati ſemper ad ſatisfaciendum omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe.*

5. Quod ſi dicat, ſe potiùs quàm me poſſidere internum ſpiritus ſancti teſtimonium, quia ſcilicet eſt in vera Eccleſia, vel quia eſt prædeſtinatus, vel quia ſcriptura id teſtatur. Reſpondetur hoc ipſum

nunc esse in quæstione, ac proinde idem probat per idem, ac merum circulum committit. Quæritur enim, unde constet te habere veram Ecclesiam, aut veræ Scripturæ sensum. Respondes te id scire ex interno Spiritus testimonio. Dum autem inquiritur, unde cognosci possit, te potius quam me habere illud internum spiritus testimonium, Respondes quia sum in vera Ecclesia: Ubi vides te circulo inextricabili bellè inclusum, neque per spiritum privatum nullum tibi, aut fidei controversiis exitum reperire.

His etiam argumentis manifestè convellitur nova Secta *Tremblantium*, qui sibi persuadent se interno quodam Spiritus sancti enthusiasmo edoceri, atque omnia ex arcano ejus impulsu operari. Quamvis his Medico magis opus est quam argumento, ut sanato cerebro, vanescant illa emotæ mentis deliria.

CAPUT VII.

Ostenditur Traditiones necessariò esse admittendas.

EXistimant Sectarii omnem doctrinam ad salutem necessariam tam quoad fidem, quam quoad mores in Verbo Dei scripto contineri, ideo Verbum Dei non scriptum, sive Traditiones, omni conatu rejiciunt. E contra traditiones necessariò admitti debere, & ad fidei Regulam pertinere, omnes Catholici docēt. & demonstrant.

Primò: Quia multa sunt puncta Fidei, quæ ex scripturis cognosci non possunt, sed ex sola Ecclesiæ traditione. Ergo Traditiones sunt necessariæ ut habeatur Regula fidei adæquata. Assumptum probatur, ex eo quod punctum sit fidei, extare Scripturas Divinas. Hoc autem ex ipsis Scripturis non potest certò constare. Quamvis enim Scriptura asserat se esse Divinam, non ideò certò constabit illam esse talem, nisi prius habeatur motivum credendi Fide divinâ ipsam Scripturam, quæ hoc affirmat, esse Verbum Dei, quod errare non potest. Sicut etiamsi in Alcorano Mahometi sæpè asseratur ipsum Alcorani librum à Deo cœlitus missum esse, non ideo tamen illi credimus, aut tanquam à Deo missum recipimus. Ergo hoc punctum fidei quo credimus extare Sacras Scripturas, non potest haberi absque perpetua Ecclesiæ traditione, quæ testatur hos libros ab initio à Deo inspiratos & dictatos fuisse.

Secundò, Punctum fidei est etiam inter Sectarios receptum, diem Dominicum, non Sabbatum esse colendum: Baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos: & apud Lutheranos, infantes dum baptizantur, per usum rationis, internum fidei actum elicere, &c. De his tamen Scriptura nihil omninò decernit. Ergo necessarium est admittere aliquod verbum Dei non scriptum quo hæc credenda proponuntur.

Ter-

Tertiò, Traditionum necessitas multiplici Scripturarum testimonio comprobatur: & præcipuè ex S. Pauli Epist. 2. ad Thess. c. 2. *Itaque fratres tenete Traditiones quas accepistis sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ubi clarè indicat Apostolus, se multa tradidisse per solum sermonem, quæ à Fidelibus non minus observari velit, quam quæ per epistolam scriptam exposuit. Solo autem sermone ea se tradidisse ostendit, cum sermonem suum ab epistola scripta distinguat, apertè dicens *sive* per sermonem, *sive* per epistolam. Ex hoc loco manifestè probare Traditiones fide recipiendas docet S. Chrysost. in eundem Apostoli locum. *Hic patet* (inquit) *quod non omnia per epistolas tradiderint; sed multa etiam sine litteris, eâdem vero fide digna sunt tam ista, quam illa.* Quid clarius? Eodem prorsus modo de mente Apostoli loquitur S. Basilius, Eucumenius, Theophylactus, Damascenus.

Quartò, Idem est de Traditionum necessitate cæterorum Patrum ab ipso Ecclesiæ exordio consensus. S. Dionysius Areopagita Pauli Apostoli Discipulus. Ecclesiasticæ Hierar. *cap. 1. Primi,* (inquit) *illi Sacerdotalis muneris Duces, summa illa & substantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.*

S. Basilius cognomento Magnus anno post Christum 369. Doctrinam hanc apertissimè exponit lib. de Spiritu Sancto *cap. 29. Dogmata,* inquit, *quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata, quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet.* Ac plures ibidem traditiones non scriptas continuò subjungit, ut Symbolum esse Apostolorum, Unctionem in Sacramento Confirmationis adhibendam, aliaque quæ in Scripturis non memorantur.

S. Cyprianus, qui in Ecclesia Latina vixit secundo post Christum sæculo lib. 2. epist. 3. *Admonitos,* inquit, *nos scias ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur, nempe ut mixtus aquâ offeratur.* De aqua in Calice miscenda, certé nuspiam in Scripturis admonemur.

S. Hieronymus traditiones aperte agnoscit in epist. ad Marcellam de erroribus Montani. Nos, inquit, *unam Quadragesimam ex Apostolica Traditione tempore nobis congruo jejunamus.* Alios Patres eandem doctrinam uno ore profitentes brevitatis studio prætermitto, qui dum hæc, aliaque ex traditione agenda proponunt, hoc ipso requirunt, ut credamus ita agendum esse.

Augustinum tamen qui suo tempore Ecclesiæ primitivæ Conciliis interfuit, plurimasque hæreses debellavit, pro indubitata Traditio-

ditionum authoritate sententiam ferentem audiamus in *epist* 118. *Illa*, inquit, *non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe conservantur, dantur intelligi ea vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri: sicut Dominica Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & Adventus Spiritus sancti Anniversaria Solemnitate celebrantur.* Et ne quis hoc loco dicat hanc traditionem non esse legem necessariam, posteà distinguit illam contra observationes quasdam particulares, & non necessarias, dum subjungit: *Alia verò quæ per loca terrarum Regionumque variantur liberas habent observationes.*

Ex hoc Augustini loco colligitur, Traditiones in Ecclesia alias esse *Apostolicas*, quæ ab Apostolis cum Spiritus sancti assistentia institutæ sunt; & alias immediatè à Christo per Apostolos traditas, & ideò *Divinæ* nuncupantur. Alias denique esse *Ecclesiasticas*, quæ usu & authoritate Ecclesiæ in Conciliis aut aliter vim legis obtinuerunt: nam in omni repub. rectè instituta non minorem habent vim consuetudines legitimè approbatæ, quam leges conscriptæ. De harum authoritate ibidem sic pronunciat Augustinus, *Insolentissima insania est disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

Ad cognoscendum autem quænam Apostolicæ Traditionis vim obtinent, hanc Regulam tradit idem Augustin. lib. 4. de Baptismo Cap. 24. *Quod* (inquit) *universa tenet Ecclesia nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissime creditur.*

Doctrinam hactenus traditam tenuit semper universa Christi Ecclesia in *Conciliis* Oecumenicis congregata, & contraria expressò anathémate damnatur in Concilio Nicæno II. t. 4. art. 7. *Si quis traditionem Ecclesiæ sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Et Trident. primitivæ Ecclesiæ doctrinæ insistens Sess. 4 post decretum de Scripturis Canonicis sic declarat; *Traditiones tam ad fidem quam ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo vel à Spiritu sancto per Apostolos dictatas, pari pietatis affectu ac reverentia* (sancta Synodus) *veneratur.*

His opponunt Sectarii aliqua Scripturæ loca, ut Isaiæ 29. *In vanum colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Et Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Denique 1. Petri 1. *Redempti estis de vana conversatione vestra paternæ traditionis.* Sed hæc omnia frustra adducuntur, cum nullo modo agant de traditionibus novi Testamenti, quæ nondum in mundo erant, dum ista scriberentur. Ad solos autem Judæos illa verba

verba diriguntur, quod ipsi præter Traditiones Divinas per Moysen acceptas, alias inducerent Legi Divinæ contrarias. Malè inde concludes, Id fecerunt Judæi; ergo idem facit Ecclesia Christiana.

Ex his patet, semper Ecclesiam Christi præter Scripturas etiam veras Traditiones ad Regulam Fidei necessario admisisse, sine quibus nequidem constare posset, aliquas Scripturas à Deo dictatas esse, aut has quæ in manibus versantur & non alias esse Divinas, aut plura alia Fidei dogmata in sola Traditione fundata.

Non sufficiunt tamen ad Regulam Fidei adæquatam Traditiones & Scriptura sacra, sine ulteriori Judice controversiarum, quem in Ecclesia Romana infallibilem esse in cap. sequenti demonstrabitur.

CAPUT VIII.

Ostenditur Ecclesiam Romanam cum suo Capite esse Regulam animatam, & Judicem infallibilem controversiarum Fidei.

VEram Christi Ecclesiam (quam solam esse Romanam supra ostendimus) non posse subsistere sine Regula & Judice visibili controversiarum fidei, quo Sectarii omnes destituuntur, probatum est c. 3. & 4. & deinceps. Nunc in eadem Ecclesia cum suo Capite reperiri Judicem controversiarum fidei infallibilem paucis argumentis ostendemus.

§. 1. *Probatur illa infallibilitas ex Scripturis.*

ILla debet esse infallibilis fidei Regula, cui Christus suam assistentiam promisit, ne possit in rebus fidei definiendis errare. Sed suæ Ecclesiæ in Petro ejusque Successoribus talem assistentiam promisit. Ergo Ecclesia tam in Petro quam in ejus Successoribus debet esse Regula fidei infallibilis.

Probatur minor ex verbis Christi Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Promittit igitur Christus se ædificaturum Ecclesiam supra fundamentum omnino firmissimũ, quod labi & deficere non potest: deficeret autem si definiendo res fidei aliquando erraret, tota enim Ecclesiæ integritas in integra fidei veritate consistit: hâc veritate semel deficiente, ipsam Ecclesiam deficere necesse est. Promissionem hanc pergit urgentissimis verbis iterum confirmare: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Prævaleret autem potestas inferorum adversus Ecclesiam, si ullo unquam tempore in decernendis fidei controversiis in hæresim incideret, quod nunquam eventurum Christus apertè pollicetur.

Ex quibus manifeste sequitur, vel Christum in promittendo fallacem fuisse, quod impossibile est, vel Ecclesiam ab eo visibiliter

fundatam nunquam in fide defecturam. Promisit enim fundamentum Ecclesiæ futurum stabile, & tamen fuisset labile: promisit portas inferi contra eam non prævalituras, & tamen de ea in errorem & hæresim prolapsa infernus triumpharet.

Hanc Ecclesiæ visibilis infallibilitatem ex his Christi promissis clarè intellexit, & declaravit Apostolus 1. ad Timoth. 3. *Vt scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis* Si Ecclesia in qua oportet conversari est *columna* firma, imò ipsum *firmamentum veritatis*, quomodo potest in docendo à veritate fidei deflectere? si enim errori semel succumberet, hoc ipso lapsa & prostrata jaceret; quam tamen ipsa Veritas, Petram fidei, ab inferis invincibilem, ipsam columnam, ipsam firmamentum veritatis appellat.

Ex his pari evidentiâ conficitur, Ecclesiam Christi semper fuisse *Visibilem*. Nam eadem Ecclesia contra quam portæ inferi nunquam prævalebunt, disertè dicitur Petra, columna, firmamentum, quæ rem maximè visibilem ac sensibilem designant. Eadem à Christo comparatur: *Sagenæ pisces tam bonos, quam malos congreganti: a Lucernæ super candelabrum, & Civitati supra montem positæ*. Mat. 5. quibus nihil potest esse magis visibile. Ita intellexit, ita sensit, ita loquitur primævæ doctrinæ testis August. de unit. Eccles. cap. 16. „ *Non est Ecclesia operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum* „ *ut luceat omnibus qui in domo sint; sed Donatistis velut operta est* „ *qui audiunt tam lucida testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant:* „ *& malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum* „ *ascendere.*

§. II. *Eadem infallibilitas Ratione manifestâ comprobatur.*

HÆc ratio imprimis, independenter à Scripturis, hoc modo formatur. Ex miraculis & signis, quæ in Apostolis apparuerunt, certò constabat doctrinam quam proponebant fuisse certam & infallibilē, & ob omnibus meritò recipiendam, ut ipsi Sectarii admittunt.

Sed in nullo Apostolorum apparuerunt signa plura aut illustriora quàm ea, quæ supra *cap.* 3. demonstravimus de continuis miraculis, antiquitate, amplitudine, unitate, perpetuâ successione Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Ergo ex his signis ac testimoniis certò constat doctrinam, quam Ecclesia illa credendam proponit, certam esse & infallibilem. Ac proindè in materia fidei ejus doctrinam ac sententiam decisivam non posse sine scelere repudiari.

Idem sic ulteriùs demonstro. Deus non tantùm verbis, sed etiam a'iis signis ac miraculis hominibus loquitur, ac suam mentem mani-

festat

feſtat; uti patet ex illis ſignis & prodigiis, quibus Apoſtolos in novo, Moyſem in veteri Teſtamento veræ fidei præcones eſſe declaravit. Jam verò Deus vult, aut permittit ſciens & prudens Eccleſiam Romanam ſuo nomine hominibus proponi, ut veram & in rebus fidei infallibilem, cum iis notis, miraculis ac ſignis perpetuis, ex quibus homines debeant prudenter judicare, illam a Deo, tanquam veram & infallibilem deſignari. Nam illa ſigna pro Divino teſtimonio communi judicio viri prudentes & probi toto orbe omni ævo admisêre, & ex illis ſe obligari ad recipiendam Chriſti Eccleſiam tanquam infallibilem agnovêre. Debet autem illud judicari prudens motivum, ex quo homines pii ac prudentes paſſim judicant ſe debere aſſenſum præſtare. Atqui non poteſt Deus Eccleſiam illam proponere ſub illis ſignis, quibus homines debeant ad credendum prudenter induci, niſi per hæc velit mentem ſuam pro ea verè manifeſtare. Quo enim modo poteſt de re aliqua mentem ſuam hominibus declarare, niſi exhibendo ſigna ex quibus homines prudenter intelligant, rem illam à Deo ſibi proponi, & revelari? Nam talia ſigna & miracula, quibus ſolitus eſt Deus res veras declarare, apponere rei falſæ, aliud non eſſet quàm homines ultrò in errorem inducere, quod in Deum cadere non poteſt.

Declaratur vis hujus argumenti in ſimili. Si Rex aliquis ſciens & prudens permitteret mandatum aliquod aut diploma ſuo nomine, & ſigillo conſueto muniri, & coram ſuis ſubditis, ſe præſente & inſpectante, publicè promulgari: ſine dubio deberent omnes prudenter judicare hoc eſſe mandatum Regis, eumque velle id ſubditis ſignificare. Quod multo magis in Deo locum habet, qui ſemper poſſet impedire miracula, aliaſque notas, ex quibus tanquam proprio Dei ſigillo judicant homines Eccleſiam Romanam tanquam infallibilem Dei nomine, & divinâ authoritate proponi. Quod ſi Eccleſia ſic propoſita eſſet falſa & fallibilis, ulterius ſequeretur Deum ſibi eſſe contrarium. Vellet enim per talia ſigna homines obligari ad eam recipiendam, ut jam oſtenſum eſt, & nollet eos obligari, ſi Eccleſia illa ſit falſa.

Denique, ſi Eccleſia illa viſibilis non eſſet infallibilis, nihil omnino in fide aut noſtra, aut Lutherana eſſet infallibile. Unde enim nobis conſtaret, ipſas Scripturas ex quibus fidei articulos habemus, verè eſſe divinas, & ab errore immunes? aut Evangelium Matthæi eſſe Verbum Dei, & non Evangelium Nicodemi, quod olim conſcripſit? Hoc certè non aliunde quam ex Eccleſiæ teſtimonio accipimus, ut ipſi Lutherani fateri debent, qui ipſas Scripturas non aliunde quam ab Eccleſia Romana acceperunt. Ergo ſi Eccleſiæ authoritas eſſet obnoxia errori, incerta planè & dubia eſſet omnis noſtra fides, utpote fallibili nixa teſtimonio.

§. III. *Ulterius infertur contra Sectarios Pontificis in fidei controversiis suprema & irrefragabilis authoritas.*

DEmonstratâ tam evidentibus argumentis Ecclesiæ hujus infallibilitate, facilè declaratur Pontificis Romani authoritas irrefragabilis in definiendis fidei controversiis, sic enim ulteriùs argumentandum.

Ecclesia Christi visibilis in articulis fidei non potest errare, ut jam ostensum est. Sed illa pro articulo fidei semper agnoscit & docet Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, & in definientis fidei controversiis infallibilem. Ergo de fide est Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, & in definiendis fidei controversiis falli non posse.

Id porrò ex declaratione Ecclesiæ probant superius allata Scripturæ Sacræ testimonia, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Quod necessariò intelligendum est de Petro cum suis Successoribus, cum noluerit Christus Ecclesiam cum Petri vita extingui, sed per successionem Monarchicam perpetuò gubernari in ea forma, qua illam ab initio fundavit.

Quod autem Christus Petro cum successoribus (supra) in vita promisit, id repetitis verbis post Resurrectionem suam coram universo Apostolorum Collegio confirmavit Joan. ult. *Pasce Agnos meos, pasce Oves meas.* Ubi sine exceptione totus Christi grex Petro, ejusque Successoribus veræ doctrinæ pabulo nutriendus traditur, omniumque Pastor universalis instituitur.

Denique ex perpetua Ecclesiæ etiam primitivæ praxi & consuetudine apertè constat plurimas Hæreses à Romano Pontifice, etiam sine Concilio generali, damnatas esse, ut Pelagii, Priscilliani, Joviniani, Vigilantii, aliorumque multorum, quas hoc ipso pro certissimis Hæresibus tota Ecclesia rejecit, quod à Romano Pontifice damnatæ essent. Testatur id disertè S. Augustinus de Hæresi Pelagiana scribens Serm. 2. de verbis Apostoli: *Jam*, inquit, *de hac causa duo Concilia* (particularia) *missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiretur error.* Concilia autem eo tempore alia habita non fuisse quam particularia, notat cum cæteris *Sinnichius in Goliatismo cap.* 21. Audiatur quoque coævus Augustino S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. *Non aliunde Hæreses ortæ, aut nata sunt schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.*

§. IV.

§. IV. *Objectiones aliquæ breviter dissolvuntur.*

OBjiciunt Sectarii primò: Homines possunt errare, uti dicitur ad Rom 3. *Omnis homo mendax*. Sed Pontifex est homo. Ergo Pontifex in rebus fidei potest errare.

Respondeo primò, retorquendo in adversarios argumentum. Homines possunt errare: Sed Lutherus est homo: ergo Lutherus potuit errare, deserendo Romanam Ecclesiam in qua baptizatus & professus fuit, & novam sibi Sectam fabricando. Imo eodem modo probarent Apostolos & Evangelistas, cum essent homines, in tradenda Ecclesiæ doctrina errori obnoxios fuisse: atque ita adversarii incautè illam primitivæ Ecclesiæ navem perforant, in qua ipse se navigare gloriantur.

Respondeo igitur secundò, disting. consequens; Pontifex in rebus fidei potest errare, sine assistentia divina, concedo: cum assistentia divina, nego; hanc autem in gubernanda Ecclesia Christus illi promisit, ut ostensum est supra §. 3.

Objic: secundò. Aliqui Pontifices de facto aliquando errarunt: ergo non sunt ab omni errore immunes.

Resp. disting. antecedens: Errarunt aliquando tanquam personæ privatæ, & in rebus quas à Cathedra non definiverunt. Concedo. Errarunt tanquam Pontifices sive Christi Vicarii aliquid è Cathedra docendo, aut definiendo pro universa Ecclesia, Nego. Christus enim nec ipsi Petro, nec Apostolis cæteris tanquam personis privatis immunitatem ab omni errore promisit, sed tantum in Actibus, quibus tanquam Apostoli Ecclesiam docebant.

Objic. tertiò: Summus olim Pontifex cum Synagoga Judæorum à vera fide aberravit, quando Christum ejusq; doctrinam repudiavit. Ergo Pontifex Romanus cum sua Ecclesia à vera fide aberrare potest.

Resp negando sequelam. Nuspiam enim aperte reperitur ea promissio facta Pontifici & Synagogæ Judæorum, quam Christus Petro ejusque Successoribus confirmavit Matth 16 v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, &c.

Objic. 4. Quando Christus dixit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, non intellexit Ecclesiam stabiliendam supra Petri personam, sed tantum supra Fidem quam profitebatur. Ergo Christus per illa verba, Petro, ejusque Successoribus infallibilem in definiendo authoritatem non promisit.

Resp. negando antecedens. Quia sic Christus, promissis tam amplis, nullam prærogativam dedisset Petro, magis quam cuivis Apostolorum & Fidelium, quibus Fides Petri communis erat. Negari

autem non potest quin per illa verba ad solam Petri personam directa, concedatur illi in stabilienda Ecclesia peculiaris potestas, aliis non communicata. Soli enim Petro, & non ejus Fidei cum cæteris communi, dici potuit, *Tu es Petrus: Tibi dabo claves regni cœlorum: Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis &c.* Cum autem Petrus esset mortalis, & Ecclesia semper duratura, debuit potestas illi concessa, ad Pontifices ejus Successores derivari.

Objic. 5. Sola Christi persona est verum Ecclesiæ fundamentum. Ergo non potuit Ecclesiæ infallibilitas supra Petrum ejusque Successores ædificari.

Resp. Solam Christi personam esse fundamentum Ecclesiæ primarium; personam vero Petri esse fundamentum Ecclesiæ secundarium, cum potestate vicaria à Christo tanquam primo & principali fundamento derivata. Huic enim innititur firma illa & infallibilis authoritas, quam in Petro ejusque Successoribus stabilitam, ab ipso Ecclesiæ exordio tota semper antiquitas agnovit.

Hæc igitur est via regia quam tenuerunt Patres nostri, hæc Petra immobilis cui in omni controversia firmiter adhæserunt, hæc Regula certissima cui nunquam se, moresque suos conformare dubitarunt. Quid ergo mirum horum temporum Sectarios per tot errorum labyrinthos continuò circumagi? Respuunt Fidei Regulam, deserunt firmam Petram, Viam regiam declinant, devias ingrediuntur semitas, quas non noverunt Patres eorum, quarum novissima ad interitum ducunt sempiternum.

CAPUT IX.

Methodus brevis ex prædictis refutandi Sectarium in quavis Fidei controversia.

Methodus prima.

IN primo Disputationis ingressu, interrogandus est Adversarius, qui se profitetur esse Reformatæ Religionis, per quam Regulam & normam infallibilem velit meam fidem in aliquo puncto reformare, & erroneam declarare.

Respondere certò debet, se velle meum errorem reformare per purum Dei Verbum in Scripturis sacris contentum. Est enim articulus primarius Religionis Reformatæ, solam Scripturam esse Regulam fidei, & judicem controversiarum, seponendo authoritatem Ecclesiæ, Traditiones, Concilia, ac proinde præter purum Dei Verbum nihil omninò esse audiendum.

Sed

Sed contra opponens hoc modo. Si meum errorem velis reformare per purum Dei Verbum. Quæro abs te primò: in qua editione Scripturæ contineatur purum & incorrumptum Dei Verbum? An in Anglicana, aut Genevensi, quam amplectitur tua Ecclesia Reformata; an vero in editione Vulgata quam admittit Ecclesia Romana, nam illæ Scripturæ in multis differunt.

Respondebit, in Anglicana aut Genevensi non verò in Romana, At contra, Peto mihi ostendi, ubinam habeatur in Scriptura, Editionem Anglicanam esse purum & incorrumptum Dei Verbum potius quàm Romanam? Si dicat id declaratum esse à Parlamento Anglicano, vel à Statibus Hollandiæ, vel quid simile. Peto iterum ubinam legatur in Scriptura Editionem, quæ declaratur à Parlamento Anglicano, vel Statibus illis, esse purum Dei Verbum? Hæc cum in Scripturis ostendere prorsus nequeas, nullo modo potes meum errorem ex solo & puro Dei Verbo reformare, quod jam suscepisti, & præstare teneris. Quod ni feceris, tua Religio Reformata, quæ id profitetur, convincitur esse erronea. Hâc prima methodo, si rectè urgeatur, necessario constrictus tenetur adversarius absque ulteriori progressu.

Secunda Methodus.

SEd ulterius procedamus, per me jam licet, ex Editione & versione v. g. Anglicana clarè ostendatur me errare credendo cum Ecclesia Romana, verbi causa, Realem Christi præsentiam, & perseverantiam in Eucharistia, aut Confessionem sacramentalem, aut alium quemcunque fidei Romanæ articulum.

Quando adversarius aliquem Scripturæ textum contra protulerit, hoc modo urgendus erit.

Scripturæ textum à te prolatum aliter intelligunt & explicant Catholici Romani pro sua fide, quam à te intelligatur & exponatur pro tua doctrina illi contraria.

Ergo ut tuam mentem sequar, rejectâ Ecclesiâ Romanâ tam amplâ & antiquâ, debes mihi ostendere, ubinam dicatur in Scriptura, tuo sensui & explicationi esse adhærendum, eamque præ cæteris tanquam infallibilē eligi debere. Hoc enim est punctum fidei quod jam disputamus, v.g. an tua explicatio de Reali præsentia sit vera nostra autem falsa; omnia autem puncta fidei debent ex sola Scriptura constare, uti ipse doces & profiteris. At nusquam in tota Scriptura dictum reperies, quod tua, aut tuæ Sectæ explicatio sit infallibilis, Romanæ autem Ecclesiæ, & omnis Sectæ tibi contrariæ explicatio sit erronea. Ergo ex tua confessione habeo, me non debere, nec salvâ fide posse tuæ doctrinæ aut sectæ adhærere; cum tua fides doceat, nullū

fidei articulum esse recipiendum, qui in puro Dei Verbo scriptu non reperitur.

Quod si dicat, se allatum Scripturæ textum non per suam interpretationem, sed per alium Scripturæ locum explicare. De illa Scriptura redibit eadem quæstio, & idem argumentum quod jam de primo textu attulimus; cum illam adversarius pro sua doctrina, alii pro sua illi contraria stare intelligant.

Quod si extra Scripturæ verba, aliquam glossam apponat, aut spiritum suum privatum prætendat. Contra hæc omnia pari ratione valebit idem argumentum. Nihil credendum quod in Scriptura expressum non continetur. Sed tuam glossam, aut tuum spiritum esse divinum, aliorum vero erroneum, nuspiam in Scriptura contineri ostendis. Ergo non licet tuæ glossæ, aut spiritui fidem adhibere.

Tertia Methodus.

POstquam Sectarius coactus est fateri, Scripturas nullibi in terminis asserere suam mentem & explicationem cuivis alteri esse præferendam; restat tantùm ut dicat constare ex ipsis verbis Scripturæ per *clavam consequentiam*, suum sensum esse verum, aliorum falsum. Exempli gratiâ contra realem præsentiam sic argumentabitur. Christus accipiens panem benedixit, ac fregit dicens, *Hoc est corpus meum.* Sed non potest illic esse corpus Christi realiter, inquit Calvinus, neque extra actualem communionem, inquit Lutherus. Ergo Scriptura dicit Corpus Christi ibi tantum esse figurativè, vel ut infert Lutherus tantum in actuali sumptione. Item " in alio exemplo Scriptura dicit *Ioan. 6. Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo communio sub utraque specie est necessaria, per legitimam consequentiam.

Sed quæro ex Adversario, an non sciat multas consequentias deduci ex Scriptura, quæ videntur in speciem apertæ, sed re ipsâ sunt falsæ. Ex hac consequentia in speciem aperta: *Pater major me est*: Ergo verbum divinum est minus Patre, in hæresim inductus est cum multis millibus Arius, ac eodem modo per malas consequentias ex Scriptura per errorem deductas inciderunt plures alii in hæreses innumeras.

Peto igitur ut ostendat mihi in Scripturis dici, *Omnem consequentiam quam ipse ex Scripturis deducet esse infallibilem & divinam.* Alias enim vellet, me credere aliquid errori obnoxium, & in Scripturis non contentum, quod ipse tamen nefas esse contendit. Manifestum autem est hoc nunquam ostensurum, cum nulli privato homini in Scriptura promissum sit, omnes ejus consequentias fore infallibiles.

Ita-

Itaque Adversarii fidem non esse divinam, sed merè humanam, & ambiguæ veritatis sic ostendo. Nullus articulus innixus motivo fallibili, vel authoritati humanæ est articulus fidei divinæ. Sed omnis articulus quem Adversarius per solas consequentias deducit ex Scriptura, nititur motivo fallibili, vel authoritati humanæ. Ergo nullus articulus quem sic deducit ex Scriptura est articulus fidei divinæ. Ac proinde non divinam Scripturam, sed suam Dialecticam: non Verbum Dei, sed verbum Aristotelis Regulam fidei ultimatam constituit. Nullibi enim Scriptura definit omnem Adversarii ex scripturis argumentationem fore legitimam, & ab omni erroris periculo immunem.

Si dicas primò, sæpè consequentiam esse bonam & certam, etsi id in scripturis non afferatur.

Sed contra, sæpe etiam contingit esse malam & incertam; fides autem omninò certa esse debet.

Et ut contingeret veram esse & legitimam, aliud prorsùs est, consequentiam esse legitimam, aliud esse Verbum Dei; multa enim sunt vera & certa ex ratione naturali; v. g. me esse hominem, non ideò sunt Verbum Dei. Atqui nihil est de fide, nisi quod creditur propter solum Dei Verbum, nihil autem est Verbum Dei, nisi quod in scriptura continetur, secundum adversarium: sed jam habemus nusquam in scriptura contineri quod illa consequentia, quam adversarius deducit, sit bona & infallibilis. Ergo ista consequentia, & doctrina quæ illi innititur, non constituit articulum fidei divinæ.

Si dicas secundò, multa apud Catholicos esse fidei, quæ tantum deducunt ex Verbo Dei per legitimam consequentiam, v. g. me esse conceptum in peccato originali, vel, hunc hominem esse verum Pontificem. Ergo potest Adversarius fidei suæ articulos per consequentias ex scripturis declarare.

Respondetur negando consequentiam. Quamvis enim Catholicus sic procederet, per hoc suæ fidei non contradiceret, prout contradicit Adversarius. Non enim habent Catholici pro fidei suæ articulo, quod sola scriptura sit tota Regula fidei, cùm admittant traditiones, & definitiones Ecclesiæ, ad cujus infallibile judicium referunt suas consequentias, ne à veritate aberrent, neque solâ earum bonitate in credendo nituntur. Sectarii autem docent sistendum esse in sola scriptura, & tamen ulterius pergunt ad consequentias à se formatas & errori obnoxias. Neque consequentias à se fabricatas referunt ad limam Ecclesiæ, cui Christus in judicando infallibilitatem promisit, ut supra cap. 8. ostendimus.

Si dicas tertio, Christum aliquando articulos fidei ex scripturis per consequentias deduxisse, ac proinde se posse in negotio fidei per consequentias sine erroris periculo procedere.

Re-

Reſpondetur, conſequentiam hanc nullam eſſe, & vel hinc apparere, quam facilè ſit in deducenda conſequentia errare. Nam hoc ipſo quo Chriſti infinita ſapientia conſequentiam aliquam deducebat, infallibile erat eam rectè deduci. An hanc Chriſti ſapientiam infallibilem habet noſter Adverſarius? Secundò, independenter ab omni conſequentia, quidquid Chriſtus affirmabat etiam extra ſcripturas, hoc ipſo erat fidei divinæ, quod de ſe, uti ſpero, noſter Adverſarius præſumere non audebit; eoque minùs quod ſibi ex profeſſo ademerit poteſtatem agendi per conſequentias, ſed in ſolo Dei Verbo ſiſtendum eſſe profiteatur, quod nunquam legitur Chriſtus feciſſe.

Reſtat ergo ut Adverſarius fateatur, primò, Fidei noſtræ articulos non poſſe ex ſola ſcriptura judicari, aut reformari. Secundò, Sectam ſuam eſſe erroneam, quæ hoc tanquam punctum fidei profitetur. Tertiò, in controverſiis fidei, & ipſius ſcripturæ, neceſſariò recurrendum eſſe ad judicium Eccleſiæ, quam teſtatur ipſa ſcriptura à Chriſto conſtitutum eſſe Judicem in rebus fidei. Audi D. Auguſtinum de hac re primitivæ Eccleſiæ ſenſum tibi clariſſimè exponentem lib. 1. contra Creſcon *cap.* 33. *Scripturarum à nobis tenetur* ,, *veritas, cum id facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam* ,, *ipſarum Scripturarum commendat authoritas: & quoniam ſancta* ,, *Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, hujus obſcuritatis* ,, *quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate* ,, *ſancta Scriptura demonſtrat.*

Methodus Quarta.

POſſunt & aliâ viâ infringi argumenta ſyllogiſtica, quæ Sectarii in quavis fidei controverſia Catholicis opponunt: ſive oſtendendo totum ſyllogiſmum qui proponitur ad rem non pertinere; ſive ſingulas argumenti propoſitiones negando, propter vitium quod patebit omnibus ſectariorum ſyllogiſmis in materia fidei eſſe commune. Horum ſingula in ipſa diſputationis praxi hic breviter deducemus.

Hoc itaque aut ſimili modo argumentabitur Sectarius, v. g. contra præſentiam Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ? Si verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, ſtatuerent Chriſtum præſentem in Euchariſtia, Corpus Chriſti eſſet ſimul in Cœlo & in terra. Sed idem Corpus non poteſt eſſe ſimul in cœlo, & in terra. Ergo verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, non ſtatuunt Chriſtum præſentem in Euchariſtia.

Item, contra cultum Imaginum. Committit idololatriam, *qui facit ſibi ſculptile, ut adores illud*, *Deut.* 4. Sed Catholici adorant

sunt statuas, & imagines Sanctorum. Ergo Catholici committunt idololatriam per cultum imaginum.

Item, contra Absolutionem sacramentalem, Fides docet solum Deum posse peccata remittere. Sed Catholici credunt peccata remitti per sacerdotes in Confessione sacramentali. Ergo Catholici (id docendo) à vera fide aberrant. Et sic de cæteris syllogismis qui possint in aliis controversiis ab hæreticis formari.

Cavebit hic Catholicus (nisi insigniter eruditus) more scholastico ad singulas propositiones respondere, aliàs prolixâ nimis disputatione se intricabit, & facilè Adversario aliquam elabendi viam relinquet. Hanc ut præcludat, & Adversarium breviter, & clare constringat.

Respondebit ad syllogismum propositum hoc modo: Transeat Major, minor, & conclusio. Sive uno verbo, Transeat totum. Quia nihil facit ad rem: Nuspiam enim in scriptura legitur in terminis hæc conclusio tui syllogismi: Verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, non statuunt Christum præsentem in Eucharistia. Ut verò sit articulus fidei, debet apertè in scriptura contineri, juxta sectarios. De hoc autem disputamus, an ille sit articulus fidei. Ergò conclusio tui syllogismi non infert id de quo est controversia, quod tamen fieri debet in legitima argumentatione. Pari modo, nihil ad rem facit hæc conclusio secundi syllogismi; Ergo Catholici committunt idololatriam per cultum imaginum. Neque tertii syllogismi, Ergo Catholici errant contra fidem.

Secundò, Responderi potest ad eundem, vel aliam quemlibet Sectarii syllogismum, hoc modo: Transeat totum: Nihil ad rem de qua disputatur. Non enim potes tuum syllogismum, sive totam ejus formam mihi in Scriptura exhibere, cum tamen ex integra & legitima ejus forma dependeat veritas tuæ conclusionis, quam vis esse de Fide. Memineris autem juxta Religionis tuæ fundamenta nihil esse de fide quod non potest expresè in scripturis exhiberi.

Tertiò, retundi potest quodlibet Sectarii argumentum, cujus singulæ partes in Scriptura non continentur, Respondendo (si velis) ad singulas propositiones hoc modo: *Nego Majorem, secundum Scripturas*, hoc est, sive Major sit vera, sive falsa, parum refert, quia illa non est veritas Fidei, cum apertè in Scripturis non contineatur, quod ad omnem veritatem Fidei requirunt Sectarii. Eâdem ratione procedendo, *Nego minorem, Nego consequentiam secundum Scripturas.* Quia nec minor, nec

nec consequens, nec legitima ejus ex antecedente illatio in Verbo Dei expresse revelatur.

Si clamet Adversarius, majorem, aut consequentiam esse claram, esse legitimam &c. Respondet, Est clara Tibi, transeat; Est clara scripturis, nego: ego autem in negotio fidei non debeo tibi, sed scripturis fidem adhibere, cum in quæstione fidei sola scriptura sit judex & regula infallibilis, uti ipse profiteris.

Si fortè adversarius ulterius contendat, majorem, & minorem posse ostendi ex scripturis; de hoc ne litem intricatam moveas, Responde, sed quomodo probas scripturam cogitasse de illa conclusione inde inferenda, cum illa in scripturis non legatur: imò nec ullus SS. Patrum in terminis eam conclusionem ex illis præmissis intulerit. Ergo tu mihi pro articulo fidei obtrudis unam conclusionem ex tuo tantum cerebro fabricatam, quam non scimus aut scripturæ, aut ulli Patrum unquam in mentem venisse. An non vides quam longè à tuo proposito & scopo aberras, dum conaris tua somnia, & illationes extra scripturam formatas, pro puro Dei verbo nobis venditare?

Si urgeat, Conclusionem, quæ infertur ex majori & minori revelati, habendam esse pro articulo fidei, Responde: Prius probandum esset ex puro Dei verbo tuam conclusionem ex duabus præmissis revelatis *in debita forma* à Te illatam esse, hoc autem ex *Scriptura* non ostendes.

Secundò, Quæro abs te, Amice, an ignores hoc ipsum inter optimos Theologos incertissimum esse, An conclusio quatenus deducitur ex duabus præmissis revelatis pro articulo fidei haberi debeat. Negant disertè Valentia, Lorca, Molina, Turrianus, Comptonus & alii complures in Philosophia & Theologia versatissimi. Quia inquiunt, sola revelatio & authoritas divina non movet ad assensum istius conclusionis: illi enim assentimur ex parte propter formam syllogisticam, sive formalem connexionem præmissarum cum conclusione, quæ tamen forma & connexio non est in scripturis revelata. Hinc opinio probabilis est multorum Theologorum cum Cajetano, Suare, Vega, Cano, Comptono &c. Fidem non esse discursivam, sed immediatè, & simplici actu credi revelationem divinam & mysterium revelatum, v. g revelatum esse in scripturis Verbi incarnationem, absque eo quod illud credatur propter discursum & formam syllogisticam; quia hæc fundatur tamen in hoc principio merè naturali, Quæcunque sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se: atque ita fides nostra, ex vi hujus motivi, non esset certior quàvis scientiâ naturali.

Cum igitur hæc sit quæstio incerta, & inter Theologos disputa-

ta,

ta, & in ſcripturis non contenta aut deciſa, debet Adverſarius exhibere Articulum de quo diſputatur, non in conſequentia à ſe formata, ſed in claro & aperto Scripturæ ſacræ teſtimonio, de quo nemo poſſit dubitare. Tale autem teſtimonium pro articulo Fidei catholicæ contrario, nunquam proferre poterit.

Scio quidem Bellarminum, & plures alios contra hæreticos per conſequentias procedere, & in diſſolvendis eorum ſyllogiſmis ſingulas propoſitiones diffuſè examinare. Sed quia illa via prolixior eſt, & iis qui ſcholas non multum triverunt nimis intricata, hanc ego aperio Artem diſputandi compendioſam, facilem, & iis quibus hæc ſcribo magis aliquando accommodatam. Et hos iterum moneo, ne ullo modo permittant adverſarium extra hanc formam divagari, cum ſectarius qui extra ſcripturas nihil ſe credere profitetur, illam diſputandi formam admittere teneatur, vel primum illud fidei ſuæ principium abjurare. Hanc verò reſondendi viam ſi Catholicus firmiter teneat, nec patiatur ſe ad alia pererga abduci, facilè adverſario, reſponſione inexpectatâ perculſo, os occludet, & paucis verbis apertam de eo victoriam reportabit.

CAPUT X.

Quædam Dilemmata Sectario breviter proponenda.

VAldè uſitatum eſt Hæreticis, quando cum Catholicis converſantur, variis de Fide quæſtionibus ex improviſo eos laceſſere, quas ut refellere poſſint, methodum ſuprà tradidimus. Hic juvat ex altera parte breves quaſdam interrogationes per modum dilemmatis Catholico ſubminiſtrare, quibus inſultantem adverſarium facilè compeſcat, & ex quovis reſponſo conſtrictum teneat, eumque adigat, ut ſine ambage affirmando, vel negando præciſè reſpondeat, hoc modo.

Dilemma I.

1. Quæro, An tua Eccleſia v.g. Lutherana, ſit antiqua, an nova? Si reſpondeat eſt antiqua. Quæro igitur, ubi fuit, aut quis antiquorum ejus unquam meminit per 1500. annos à Chriſto usque ad Lutherum? Si dicat eſſe novam; Infer, ergo non eſt EccleſiaChriſti, quæ antiqua eſt, ante mille ſexcentos annos ab eo conſtituta.

Dil. II.

2. Quæro, Vera Chriſti Eccleſia eſtne fallibilis, an infallibilis; Si reſpondeat, eſt infallibilis. Quomodo ergo falſa eſt Eccleſia Romana quæ ab initio fuit vera Chriſti Eccleſia, ut ipſi ſectarii admittunt. Si dicat, eſſe fallibilem. Quomodo ergo tibi conſtat tuam

Eccleſiam Lutheranam non eſſe hodie falſam, ſi vera Eccleſia poſſit eſſe fallibilis, & à fide deficere.

Dil. III.

3. Quæro, Vel homines poſſunt ſalvari in Eccleſia Romana, vel non poſſunt? Si non poſſunt, ergo totus mundus damnatus eſt à primis Eccleſiæ temporibus per 1500. annos uſque ad Lutherum, quo tempore nulla alia nota fuit hominibus Eccleſia Chriſtiana, niſi Romana. Si poſſint in Romana ſalvari, cur Lutherus & ejus Sectarii eam deſeruerunt?

Item. Religio Romana in Anglia ante Lutherum fuit vera, vel nunquam in Anglia fuit vera Chriſti Religio. Nam Anglia ſuſcepit Chriſti fidem ab Eccleſia Romana ſæculo 6. per Auguſtinum Anglorum Apoſtolum, vera autem Chriſti Fides prius defecit in Eccleſia Romana ſæculo quinto, ſecundùm adverſarios: ergo Anglia nunquam habuit veram Chriſti Fidem, ſi vera eſt Sectariorum doctrina. En quanto dedecore Sectarii ſuam Patriam improvido errore afficiant.

Dil. IV.

4. Quæro, Eccleſia Lutherana, ſi fuit in mundo ante Lutherum, vel erat viſibilis, vel inviſibilis? Si aſſeras fuiſſe viſibilem, dic quæſo quis eam vidit, quis de ea unquam ſcripſit, aut mentionem fecit. Si autem dicas fuiſſe inviſibilem, idem eodem jure de ſua Eccleſia dicent Turcæ, dicent Anabaptiſtæ, dicent novi Tremblantes, an ideò illis credemus?

Dil. V.

5. Quæro, Veſtra Eccleſia ſi fuit in mundo ante Lutherum, vel fuit ſancta; vel non ſancta. Si fuit ſancta, aſſigna aliquem ex Sanctis Lutheranis, ejuſque vitam, aut miracula in ulla Hiſtoria ſacra aut profana à tempore Chriſti uſque ad Lutherum. Si non fuit ſancta, ergo non fuit Eccleſia Chriſti, quæ ſancta eſſe debet, & ſemper ab initio tot habuit ſanctos Apoſtolos, Martyres, Confeſſores.

Dil. VI.

6. Quær. Scriptura ſacra non eſt nata cum Luthero, ſed eam accepit ab Eccleſia Romana à centum circiter annis, quando ab ea defecit. Quæro igitur hoc modo, Eccleſia Romana, à qua Lutherus accepit Scripturas ſacras, vel fuit tunc temporis vera, vel falſa Eccleſia. Si dicas fuiſſe veram, damnandus eſt Lutherus & omnes ejus aſſeclæ, qui Eccleſiam veram deſeruerunt. Si autem reſpondes fuiſſe falſam, quomodo ergo conſtat Lutherum & Lutheranos non habere falſam ſcripturam, cùm illam acceperit à falſa Eccleſia, quæ multò faciliùs potuit occultè ſcripturã, quam publicè veram fidem pau-

latim

latim corrumpere. Quomodo ergo potest Lutheranus gloriari se puro Dei Verbo credere & adhærere.

Dil. VII.

7. Quær. Religio Lutherana quà talis consistit ex articulis purè negativis v.g. Non est Purgatorium: Non est Papa: Non est Missa &c. Quæro igitur. An articuli illi contineantur in Scriptura, an non? Si affirmas, ostende mihi locum ubi Scriptura dicat, non datur Purgatorium &c. Si negas posse in Scriptura assignari: Ergo Lutheranismus quà talis constat ex articulis in Scriptura non contentis: ergò non nititur Verbo Dei.

Si respondeas illos non esse Lutheranismi articulos essentiales, sed tantùm accidentales. Quæro iterum, An illi articuli, quos vocas accidentales, contineantur in Scriptura, an non? Si contineantur in scriptura, non minus essentialiter sunt articuli à Deo revelati, quam quivis alius in Scriptura contentus: omnia enim quæ divina veritas in Scriptura proponit, æquè sunt Verbum Dei, & æqualiter participant infinitam Dei revelantis authoritatem, ac proinde necessarium est æqualiter esse credenda. Si autem dicas in Scriptura non reperiri: ergo jam cogeris admittere articulos tuæ fidei esse extra fidem, hoc est, extra Scripturam, in qua sola profiteris tuam fidem contineri. Ergo corruit tota fabrica Lutheranismi in illis fidei articulis, quos sibi de novo fabricavit, & in quibus dissidet ab Ecclesia Romana.

Dil. VIII.

8. Quær. Asseris Ecclesiam Romanam defecisse à vera fide circa annum Christi quingentesimum, hoc enim docent Sectarii. Quæro, an defecerit illa tota simul, an successivè per partes. Non tota *simul*: Quia hoc tantundem esset, ac si omnes qui toto orbe sunt in Ecclesia Romana hodie decumberent Romani, & cras surgerent Lutherani. O figmentum! dic quæso, quænam historia rem tam prodigiosam commemorat?

Neque dici potest quod Ecclesia Romana defecit *successivè*, hoc est, una pars cœperit negare aliquem articulum fidei, quem Ecclesia eatenus affirmavit. Nam omnes qui id fecerunt à reliquo Ecclesiæ corpore tanquam heretici semper separati fuerunt Ergo non potuit ipsum corpus Ecclesiæ Romanæ à vera fide successivè deficere. Exemplum sit in Berengario, quando circa annum Christi millesimum cœpit negare in Eucharistia realem Christi præsentiam, statim reliqua Ecclesia se illi opposuit, illumque uti hæreticum damnavit, uti fusè tradit Historia Ecclesiastica; quæ omnia Ecclesiæ dissidia ac schismata semper accuratè commemorat. Ante Berengarium autem nullus omnino in ulla historia reperitur in Eucharistia realē Christi præsentiam negasse. Ergo tota semper Ecclesia usq; ad Berengarium

illam affirmavit, adeoque manifestè ostenditur primitivam Ecclesiam realem Christi præsentiam credidisse, & ab ea fide nunquam successivè defecisse. Hujus dilemmatis evidentiâ convictus traditur in Gallia Comes Turenius Generalis armorum celeberrimus, & primaria olim Sectariorum columna, qui non ita pridem tot bellica trophæa publica Romanæ fidei professione coronavit.

Dil. IX.

9. Quæro. Donum miraculorum vel est certum signum veræ Ecclesiæ, vel non est certum ejus signum. Si dicas non esse certum signum veræ Ecclesiæ; jam accusas Christum fraudis & imposturæ, qui miracula pro signo certo & indubitato veræ Ecclesiæ proposuit *Matthæi* 11. *Cæci vident, claudi ambulant &c.* & *Marci* 16. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient &c.* & per hæc signa Judæos & Gentiles ad suam Ecclesiam adduxit.

Si autem admittas donum Miraculorum esse certum signum veræ Ecclesiæ; jam clarum est Ecclesiam Romanam esse veram, in qua sola, etiam hoc ævo, miracula priscis similia reperiuntur.

Dil. X.

10. Quæro, ex moderno Sectario; An agnoscat antiquos Hæresiarchas, verbi gratia, Arium esse verè hæreticum & ritè condemnatum, an verò id neget. Si negat Arium verè esse hæreticum, jam condemnat primævam Ecclesiam quæ Arium ut hæreticum proscripsit. Si verò agnoscat Arium verè esse hæreticum, idem de Luthero, & moderno quovis Sectario, admittere debet. Uterque enim eodem modo ab universa Ecclesia Romana damnatus & separatus fuit, ideo toto orbe pro hæreticis habiti. Nam sicut hoc tempore dicit Lutherus Ecclesiam Romanam errare, ita in primis sæculis idem asseruit Arius, & tamen apud omnes est hæreticus. Sicut Lutherus citat pro se Scripturas, ita multò magis urgentes pro suo errore citavit Arius, ut probaret Filium in divinis esse Patre minorem: *Pater major me est, Iohan.* 14. Et ubi Scripturæ dicunt Patrem & Filium unum esse, Arius explicat de metaphorica & morali unitate voluntatis. Denique quidquid pro se prætendet Lutherus, eodem jure pro se dicet, aut olim dixit Arius. Ergo necesse est (Lutherane &c.) ut vel Arium hæreticum esse neges, vel te hæreticum admittas.



CON-

CONTROVERSIÆ RECENTIORES DE AUTHORITATE PONTIFICIS ET CONCILIORUM.

QUoniam authoritas Ecclesiæ docentis, quam supra stabilivimus, exire solet in Actum per definitiones Pontificum, aut Conciliorum, necessarium est difficultates modernas, quæ de his moveri solent latius explanare, ut Curatores animarum in quavis particulari quæstione sanam Ecclesiæ doctrinam discernere, ac tueri valeant.

QUÆSTIO PRIMA.

An authoritas Concilii generalis sit supra authoritatem Pontificis?

AFfirmativam partem sustinuerunt aliqui Doctores Catholici, qui licet contra hæreticos agnoscant Pontificem esse supremũ in terris Caput universæ Ecclesiæ, id tamen intelligunt de Ecclesia ut est singillatim ac sparsim sumpta, non verò ut collecta, & in unum Corpus legitime congregata. Ita docuit *Gerson lib. de potestate Papæ, Almainus de author. Ecclesiæ*, Tostatus defensorii *part. 2. cap. 27.* & aliqui ex Sorbonicis, contra quos

Dicendum est, Pontifici competere authoritatem Concilio generali majorem. Est hæc communis Theologorum doctrina, quam plures dicunt fidei proximam, & oppositam sententiam erroneam appellant, ac fusè eam oppugnant, cum Bellarmino de Concil. *Lib. 2. Cap. 15.* Cajetano, aliisque.

1. Ut clarius hoc breviusq; probetur, assumo id primò, quod adversarii ultro concedunt. Pontifex Romanus est Caput, ac Pastor universalis singularum Ecclesiarum ut sunt sparsæ ac sejunctæ; Ergo est etiam Caput ac Pastor omnium Ecclesiarum ut sunt in unum conjunctæ ac congregatæ in Concilio generali. Patet consequentia, quia per collectionem in unum gregem, sive in corpus Concilii, Ecclesiæ particulares non desinunt esse oves Christi, quas disertè ac sine exceptione Christus ipse suo in terris Vicario subjecit, dum dixit Petro, *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos* Non enim desinunt esse oves aut degenerant à natura fratrum per mutuam conjunctionem inter se, & cum suo Capite in Concilio generali.

Ex quo ulterius patet. Concilio nullam immediatè à Christo collatam esse authoritatem sed omnem quam habet potestatem à Pontifice derivare, cum Christus nulli præter Petrum reperiatur gubernandæ Ecclesiæ authoritatem concessisse.

2. Probatur secundò hæc doctrina, ex ipsa Conciliorum Generalium solemni ac legitima declaratione, quâ summi Pastoris authoritatem Concilio majorem agnoscunt. Atque imprimis Concilium Florentinum, ex Patribus tam Græcis quam Latinis conflatum, summo consensu sic decernit P. 2. Collat. 22. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Verticis Apostolorum & verum Christi Vicarium & totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & in universum orbem tenere primatum, & in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditum esse.* En decretum legitimi Concilii, & à Pontifice confirmati, declarat Christi Vicarium *totius Ecclesiæ Caput: & in universum orbem tenere Primatum*: pars autem orbis est Ecclesia in Concilio congregata: non poterit ergo Pontificis authoritati subducere, nisi fortè ultra universum orbem ad spatia ignota se extendat.

Accedit altera definitio generalis Concilii Lateranensis ultimi sub Leone X. Sess. 11. ubi postquam declaratum est decreta Concilii Basileensis contra Pontificis authoritatem, nullius esse roboris, ita subjungitur: *Solum Romanum Pontificem tempore existentem, tanquam authoritatem supra omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat.* Facit horum Conciliorum in propria causa tam luculenta confessio, ut supervacuum putem prolixiora eam in rem argumenta coacervare, quibus facilè est tractatus integros implere.

3. Opponunt aliqui primò, Decreta Concilii Constantiensis *sess.* 4. & Conc. Basileensis *sess.* 2. quæ videntur Concilio generali asserere authoritatem Pontifice majorem.

Respondeo, Concilia ista quoad hoc confirmata non fuisse, ideoque in hoc nullum robur obtinere, ut constat ex Bulla Leonis X. in Concilio generali Lateranensi, in qua declaratur, utrumque Concilium in hoc negotio errasse, ipsumq; Concilium Basileense Conciliabulum appellatur, quod fusius hic ostendit Bellarminus, ac Turlecremata qui tunc vixit, aliique.

Oppones secundo, In primo Concilio ab Apostolis Hierosolymis celebrato, non Petrus, sed totum Concilium dixit; *visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.* Et decreta istius Concilii authoritate Ecclesiæ propriâ, non Petri nomine, ad fideles Antiochiam transmissa fuêre.

Re-

Respondeo, hæc quidem gesta fuisse authoritate totius Concilii, sed non excluso Petro ejus Capite, à quo decreta illa vim & robur accepêre, sicut dum modo decreta Conc. Tridentini proponuntur fidelibus nomine Concilii, id omnes intelligunt de Concilio prout in eo Potifex includitur.

Oppones tertiò, *Matth.* 18. Christus dixit ipsi Petro: *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ.* Ergo ipsa Ecclesia in Concilio congregata, potestatem judicandi immediatè à Christo accepit.

Respondeo, præceptum illud non intelligendum de Ecclesia in universali Concilio congregata, aliàs enim impleri non posset trecentis annis post Christum, quo tempore nullum in ecclesia fuit Concilium generale. Per Ecclesiam igitur Christus hic aliud non designat, quam quemlibet Superiorem, aut congregationem, quæ in Ecclesia legitimum judicium exercet; rectè enim dicitur fieri ab ecclesia, quod fit à persona publicam in ea habente potestatem.

4. Postremò hic extorquendum est telum quibusdam, qui hoc tempore in partibus hæreticorum se vocant Missionarios Apostolicos, nec dubitant tamen, ut evehant potestatem Principum sæcularium, Apostolicæ Sedis authoritatem infra concilium deprimere: ac confidenter asserere, hanc esse Ecclesiæ Gallicanæ certam, & indubitatam doctrinam.

Verùm in hoc produnt crassam rerum Gallicarum ignorantiam, dum suam, & paucorum labem omnibus Galliæ Theologis affricare nituntur. Testatur id mecum celebris scholæ Sorbonicæ Doctor Andræas Duvallius agens de ea sententia quæ asserit Pontificem esse supra concilium generale Tract. de Rom. Pont. potestate P. 4. q. 7. *Totus* (inquit) *orbis exceptis paucülis Doctoribus, eam* (Sententiam) *amplectitur, & rationibus validissimis, cum ex Scriptura, Conciliis & Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmatur.* Atque idem Doctor luculenter ostendit in Anteloquio, §. *quo pacto* Concilium Basileense, in hoc puncto Pontificiæ authoritati inimicum, ab universa Ecclesia explosum semper rejectumque fuisse, nec aliam in hoc esse Fidem Galliæ, quam universalis Ecclesiæ.

Hujus rei præclarum præbuêre argumentum Episcopi Galliæ, & Doctores Sorbonæ, quando Parisiis Anno 1611. prodiit libellus Anonymus de Ecclesiastica & politica potestate, qui cum in hac quæstione videretur Pontificis authoritati adversari, Cardinalis Perronius, unâ cum Episcopis provinciæ Senonensis, & postea Aquensis provinciæ Antistites, gravi censura libellum notarunt, ac suo decreto condemnarunt. Quorum sententiam ipse author libelli postea amplexus est, suumque errorem debitè retractavit.

Abeant jam inanes fabellæ, de Ecclesia Gallicana universa in hoc dogmate Pontifici contraria: facessat quoque credula nimis talium Missionariorum imprudentia, qui, ut cupiditatibus suis velificentur, à veritate auditum avertunt, & ad tales fabulas convertuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Pontificis definitiones sint infallibiles absque assensu Concilii generalis.

REspondeo, & dico Pontificem Romanum infallibilem habere authoritatem in definiendis rebus fidei pro universa Ecclesia, etiam absq; Concilio generali. Hæc Doctrina communis est inter omnes melioris notæ Theologos; contra Gersonem, & Almainum *in lib. de potestate Ecclesiæ* Alphonsum de Castro, & Tostatum *defensorii p. 2. c. 30.* Adrianum VI. antequam esset Pontifex *quæst. ult. in Confirmatione,* & *quodl. 2. q. 1.* cum quibus sensisse videtur Bajus, ut patet ex ejus Epist. ad Doct. Gravium data an. 1572. & aliqui Sorbonici, qui tamen non negant definitioni Pontificis etsi fallibili obtemperandum esse. Sed istorum sententia ab aliis Theologis varia censurâ notatur, adeò ut Bellarminus hanc etiam dicat erroneam, & hæresi proximam, & plures recentiores absolutè hæreticam.

Probatur hæc doctrina primò illis argumentis, quibus suprà ostendi Pontificem esse suprà Concilium, & nulli omnino à Christo præterquam Petro, immediatè collatam esse authoritatem infallibilem regendi, & docendi universam Ecclesiam, dum soli Petro cum successoribus determinatè, & in singulari dixit Luc. 22. *Ego rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua, & Tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Et Johan. 21. *Petre amas me? Pasce oves meas.* Et Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Sed ne quis ulterius dicat, soli quidem Petro & successoribus collatam fuisse potestatem immediatam docendi universam Ecclesiam; potuisse tamen Christum requirere assensum Concilii generalis tanquam conditionem, sine qua Spiritus sanctus Pontificis definitioni non assisteret. Contrarium evincunt verba Christi superius allata, quæ cum sint absoluta, non patiuntur ullam hujusmodi conditionem apponi, præsertim cum illa gratiam ac privilegium contineant, quod nunquam ultra Principis verba restringendum judicatur. Et verò parum Ecclesiæ usibus consentanea, fuisset in Pontifice hæc & docendi & definiendi authoritas, si non esset ab erroris periculo libera absque Concilio generali, quod nunquam

sine

sine ingenti labore ac molimine, imò aliquando, obsistentibus Principum diffidiis, ex toto orbe Christiano nullo modo cogi potest. Hunc igitur universæ Ecclesiæ Cætum requirere ad decidendum quamlibet fidei controversiam, ne quidem prudentiæ est humanæ, multò minus providentiæ divinæ.

2. Sed age, Si lubeat Ecclesiam universam tot itineribus toties fatigare. Demus jam grandævos illos Concilii Patres per mille viarum discrimina ab extremis oris in unum cætum, locumque cum suo capite convenisse. Proponitur congregatis nova quæpiam fidei controversia, itur in suffragia. Sed ecce, ut sæpè factum, aliud sentiunt Patres, aliud Pontifex. Cujus hic sententiæ standum erit? Non solius Concilii, cum fatearis hujus assensum tantum requiri per modum conditionis, ut Pontificis definitio sit infallibilis. Neq; admittas standum esse sententiæ definitivæ solius Pontificis. Quid ergo Ecclesiæ in hoc Concilio consilii erit? Si tuæ innitatur sententiæ, re infectâ iter remetiendum & de controversiis Fidei decidendis desperandum erit.

3. At ne id unquam eventurum formidemus: Probatur secundò nostra assertio, ex testimonio Conciliorum generalium, quæ in Pontifice res Fidei per se definiente hanc authoritatem erroris expertem ultro agnoscunt. Illam in Leone I. lubens admisit Synodus Calcedonensis IV. Nam priusquam Synodus illa Calcedone congregata fuisset, Leo Pontifex damnaverat Eutychetem Epistol. Flaviano Constantinopolitano inscriptâ, quę verius encyclica sive universalis fuit. Hæc cum Concilio lecta esset actione 2. Patres acclamarunt; *Anathema qui ita non credit, Petrus per Leonem locutus est.* Hanc itaque Leonis Epistolam ac sententiam definitivam tanquam certissimam Fidei regulam acceperunt, eique Actione quartâ in Concilio subscripserunt. Quinimò postquam aliqui Episcopi Ægyptii, qui prius in reprobando Eutychete tergiversati fuerant, tandem dixissent, *Anathema Eutycheti, & credentibus ei*, nondum acquievêre Patres; sed judicantes rem ex sola Pontificis sententia decernendam, denuò inclamarunt, *Subscribant Epistola Leonis; qui non ei subscribit hæreticus est.* Usq; adeò, ex sola Pontificis decisione, negotium Fidei contra Eutychetem non amplius à Concilio judicandum, sed ex Pontificis immobili sententia, jam judicatum esse pronuntiarunt, ita ut quemlibet ei obsistentem pro hæretico haberent. Denique tota Synodus communibus votis Actione 16. à Leone postulavit, ut suâ confirmatione decretis Concilii firmum robur adjiceret satis in hoc apertè professa, inconcussam Decretorum firmitatem à sola Pontificis authoritate dependere.

4. Neque alia cæterorum Conciliorum mens & sententia fuit:

patuit ea in Constantinopolitano II. Actione 4. erga Pontificem Agapetum in causa Anthimi: nec minus in Synodo VI. actione 18. erga Agathonem, de cujus ibi litteris tota Synodus ait. *Quas, ut à summo Apostolorum vertice divinitus conscriptas, agnoscimus.* Dein in Synodo VIII. erga Adrianum II. ac Nicolaum I. ubi *actione* 5. de sententia Photii sic denunciatur: *Neque nos sanè novam de illo judicii sententiam ferimus, sed jam olim à Sanctissimo Papa Nicolao, & successore illius Adriano pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare.* Si synodus Pontificis sententiam immutare non potuit: ergo agnoscit eam immutabilis esse veritatis. Sed ne in proferendis aliorum conciliorum monumentis sim prolixior, tantum adjungo brevem Concil. Tridentini confessionem de Baptismo sess. 7. can. 3. *Ecclesia Romana autem non nisi ratione Pontificis est Magistra cæterarum.* Quid verò aliud hoc est, quam soli Pontifici competere infallibile in docenda Ecclesia magisterium.

At, inquies, quædam Pontificum definitiones inter se pugnare videntur. Repono breviter, non pauciores in Conciliis, imo in Sacris litteris antilogias in speciem apparere: an ideo his, aut illis sua concidit authoritas? Solvit illas facilè Bellar. & Amicus *tom. 4. disp. 7. sect.*

Postremò, vim habet insuperabilem constans Ecclesiæ toto orbe diffusę consensus in acceptandis omni ævo Pontificum decretis, quibus graviores quædam hæreses profligatæ fuerunt, etsi ea nullius fuerint generalis Concilii assensu corroborata. Constat enim primò, jam inde à tempore Apostolorum, nullum in Ecclesia coactum fuisse Concilium generale usq; ad Nicænum I. sub Sylvestro Papa, quarto demum post Christum sæculo: & tamen primi Pontifices ante Sylvestrum, contra emergentes hæreses plurimas fidei, morumq; controversias irrefragabili authoritate definiverunt. Damnarunt enim illi, & hæreticos declararunt Baraphrygas, Montanistas, Marcionistas, Novatianos, ac Sabellianos, eosq; ab Ecclesię corpore separarunt.

Post tempora Concilii Nicæni, quis ignorat quam graves in Ecclesia hæreses suscitarunt Pelagiani, Semipelagiani, Priscillianistæ, Berengarius, Petrus Oxoniensis, aliique, quorum errores soli Pontifices absque Concilio generali proscripserunt, atque horum decreta omnes toto orbe fideles inviolabili fide sibi suscipienda esse non dubitarunt. Ac in Pelagiana quidem hæresi profliganda suum, suique ævi sensum ac sententiam apertè depromit Gelasius Papa *Epistola 5.* *Quid,* inquit, *tendimus ultra definita majorum? aut cur nobis non sufficiunt? an fortè nescitis hanc hæresim de qua loquimur, ab Apostolica dudum sede, per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, continuis ac incessabilibus sententiis fuisse prostratam.*

His

His superiori sæculo successère Leonis X. decreta contra Lutheri errores sancita, & ante coactum Tridentinum magno omnium, præterquam Lutheranorum, consensu recepta. Subierunt & nostro ævo contra Jansenii dogmata, Urbani VIII., aliorumque Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. nota satis orbi Christiano Diplomata, de quibus tamen cogimur, si Ecclesiæ filii esse velimus, ut Gelasius, pronunciare: *Quid tendimus ultra definita Majorum? aut cur nobis non sufficiunt? an fortè nescitis hanc hæresim (de qua loquimur) ab Apostolica dudum sede per beatæ memoriæ* Urbanum, ac deinde Innocentium, & Alexandrum *continuis ac incessabilibus sententiis fuisse prostratam.* Hæc illius primævi & auræi sæculi, aurea vox, & doctrina fuit: nescio quid ferreum, ac priscis incognitum subinde minatur nostra ætas, dum contra supremi Pastoris vocem obdurescit. Deficere non potuit in Romanis Pontificibus pristina illa, & à Deo promissa in docendo authoritas, defecit ergo in obluctantibus primæva observantia.

Admittunt more majorum melioris notæ Doctores Catholici, Pontificis etiam absque Concilio authoritatem erroris expertem, quam supra asserui, & hanc extendunt ad decisionem indubitatam omnium controversiarum, in quibus è cathedra alterutram partem pro universa Ecclesia definit.

Emerserunt tamen recentiores quidam Theologi, qui huic amplitudini Pōtificiæ potestatis novos limites apponere moliuntur. Quāvis enim admittant Pontificem in definienda Juris quæstione errare non posse, volunt tamen in Quæstione Facti, etiam quando Ecclesiam universam è cathedra docet, errori obnoxium esse. Et ut securi sint ne ab hac doctrina validiori fræno cohibeantur, negant etiam concilio generali authoritatem indubitatam in *Facti* quæstiones concedendam. Hinc si quando de alicujus Personæ erroribus, de sensu Libri, de mente Authoris, & aliis hujusmodi, controversia nova oboritur, ut sententiam sibi metuendam declinent, librum pandunt ad Facti quæstiones effugium, hoc se clypeo contra Pontificum ac Conciliorum decreta, & anathemata tutos arbitrantur.

Sed levius ferendum foret, si hujus doctrinæ lues iis tantum quibus nata est finibus contineretur. Latè nimium illa serpit, dum trans oceanum ad Apostolicos quoque Missionarios penetravit, quorum aliqui cum *Carono* suis etiam Scriptis hoc contagiosum virus insperserunt. Nec dubitarunt, in alio genere causæ ac controversiæ, contra Pontificum decreta ac censuras, hanc Facti quæstionem obtendere; & ipsos etiam Sectarios, hoc prætextu Pontificiæ potestati in multis subducere. Ne igitur alii hoc nixi medio apud ignaros aditum sibi ulteriorem aperiant, hic brevem hujus controversiæ expositionem illis oportunè objiciendam judicavi.

QUÆSTIO TERTIA.

An Pontificis in Definiendo authoritas infallibilis extendatur ad omnes tam Juris, quam Facti quæſtiones.

1. Reſpondeo & dico, Nullum errorem cadere poſſe in doctrinam quam Pontifex authoritate ſumma definit, & proponit univerſæ Eccleſiæ ſive illa Juris, ſive Facti quæſtionem contineat. Nolo probare hanc aſſertionem argumentis prolixioribus: *Ex unico* principio jam ſtabilito rem hanc dilucidè breviterq; conficiam. Certum eſt fide divinâ omnibus Catholicis, Eccleſiam univerſam, cujus caput eſt Romanus Pontifex, non poſſe in credendo errare, quod ſupra contra Sectarios firmavi. Atqui ſi definitio Pontificis in doctrina Facti eſſet obnoxia errori, in eundem errorem traheretur univerſa Eccleſia. Ergo in proponenda Eccleſiæ hujuſmodi doctrina non poteſt Pontifex errare.

Minor probatur. Quia de facto Pontifex ſummâ poteſtate aliquid definiens in quæſtione facti diſtrictè, & ſub anathemate mandat illud credi & recipi ab univerſa Eccleſia, eo tenore quo procedit in quæſtione juris, & tota *Eccleſia* tenetur ejus mandato obtemperare. Ergo ſi Pontifex in definienda Facti quæſtione eſſet falſibilis, abſolutè poſſet, imo deberet univerſa *Eccleſia* in eundem errorem induci.

En quo pertingat immanis error! qui dum in Facti quæſtionibus Pontificis authoritatem convellit, eidem ruinâ involvit univerſam *Eccleſiam*, ipſam columnam, & firmamentum veritatis.

2. Hanc vero in Pontifice circa Facti quæſtiones inviolabilem poteſtatem ab *Eccleſia* agnitam, ſemper receptamq; fuiſſe, ex ſuis ipſius monumentis teſtabitur, ex quibus ſufficiet pauca, eaque recentiora proferre.

Sunt hæ Facti quæſtiones: An cum corpore Chriſti remaneat panis ſubſtantia in Sacramento *Euchariſtiæ*: An Chriſtus aquam vino miſcuerit in ultima cœna: An per Baptiſmum & Confirmationem imprimatur character Sacramentalis: An *Eccleſia* antiquiſſimis temporibus uſa fuerit Indulgentiis: An Deipara ſemper virgo permanſerit: An eadem per totam vitam ex ſpeciali privilegio vitaverit omnia peccata etiam venialia &c. Has vero quæſtiones Leo X. Pontifex per ſuam Bullam contra modernos hæreticos reſolvit, ac definivit, ſuamque definitionem univerſæ Eccleſiæ ſub anathemate credendam propoſuit, idemque poſtea in Concilio Tridentino præſtitum fuit. Contra hanc Pontificis definitionem nemo orthodoxus excepit, nam ad Facti latebras confugit, nemo in his quæſtionibus ſine erroris

roris periculo decidendis, præter Sectarios, summi Pastoris authoritatem in dubium revocavit.

3. Hanc igitur semitam in aliis Facti controversiis teneat necesse est, qui non cupit novo exemplo à priscis Patrum vestigiis, & veritate deviare: quod ni faciat nullum fidei controversiis, nec in Romana quidem Ecclesia, exitum inveniet. Faciamus enim, insurgente nova adversariorum oppugnatione, Pontificem aut Ecclesiam pro fidelium pace aliquid definire, exempli gratia, Deiparam nunquam actu peccasse: nunquam contraxisse maculam originalem: Lutherũ non fuisse à Deo missum. Quam facilè foret omnem hujus definitionis vim evertere opponendo, hic involvi quæstionem Facti, hanc non esse materiam fidei, Pontificem in his summâ authoritate decidendis potestatis suæ limites excessisse. Sæpe enim, an quæstio aliqua factum involvat, à sola nominis lite dependet. Quisquis igitur non inanes lites, sed potius expeditam fidei semitam inquirit, huic Regulæ insistat necesse est: Pontifex aliquid definivit, & Ecclesiæ credendum proposuit; ergo id potuit definire. Parum enim utilis foret Spiritus veritatis in Ecclesia perpetuo mansurus, si permitteret Christi Vicarium suo nomine, & summâ authoritate aliquid universæ Ecclesiæ proponere, quod per suam assistentiam ab erroris periculo non vindicaret.

4. Neque huic doctrinæ adversatur Bellarminus *Lib. 4. de Pont. c. 2.* aut Doctores alii, qui tradunt Pontificem, *etiam ut Pontificem, & cum Concilio generali errare posse in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniisque hominum præcipuè dependent.* Non enim admittunt illi quod Pontifex summâ potestate pro universa Ecclesia aliquid definiens possit esse obnoxius errori: sed tantum docent, Pontificem etiam ut Pontificem, per modum judicis privati, errare posse in controversiis facti particularibus, uti dum aliquem excommunicat, suspendit, damnat aut absolvit, potest fieri ut innocentem damnet, aut nocentem absolvat: quia in hujusmodi judicio non exercet officium Pastoris universalis, neq; in his, si erret, tota Ecclesia in errorem inducitur, quia veritas talis sententiæ non proponitur definitivè tanquam ab universa Ecclesia sub præcepto recipienda. Dicitur tamen actus illos exercere, tanquam Pontifex, quia robur suum habent à Pontificia potestate, à cujus sententia ad aliud tribunal appellari non potest. Hoc igitur sensu intelligendus est Bellarminus, necnon Baronius, & Spondanus, dum in historia Honorii admittunt Pontificem & Concilia in quæstione facti errare posse. Et de Bellarmino quidem satis id aperrè colligitur ex verbis, quæ loco supra citato præmittit, ubi tradit sententias Pontificum interdum *Versari in rebus particularibus, quæ ad paucos pertinent,*

tinent, quales ferè sunt omnes controversiæ facti, ut an talis sit promovendus ad Episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus &c. Harum enim quæstionum decisio ex informatione testimoniisque hominum præcipuè dependet, non ex Spiritus sancti assistentia, quæ tantum Pontifici definienti, & universam Ecclesiam docenti promittitur.

Ex dictis hactenus dilucidè sequitur, nunquam fieri, aut sperari posse, ut aliqua eadem propositio sive in materia juris, sive facti, semel ab Ecclesia aut Pontifice damnata, postea definiatur ut vera vel contra, ut præclarè deducit *P. Bruno Neusser* vir eximie doctus, in suo *Prodromo Velitari p. 1. cap. 3.*

QUÆSTIO QUARTA.

An possit error cadere in Ecclesiæ, aut Pontificis definitione de sensu Scripturæ Canonicæ, aut de doctrina alicujus libri Catholici?

1. Dico primò; De fide est Ecclesiam, aut Pontificem non posse errare, dum alicujus Scripturæ sensum definit, & universis fidelibus recipiendum proponit.

Probatur, ex ipsa Scriptura, & ratione manifesta, quibus supra *cap 8.* contra Sectarios, ostendimus Ecclesiam & Pontificem esse judicem infallibilem controversiarum in materia fidei. Sed quæstio quæ oboritur de legitimo sensu Scripturæ sacræ, manifestè versatur in materia fidei: verus enim Scripturarum sensus nititur Dei revelantis authoritate, estque primum totius fidei fundamentum. Ergo in eo declarando necessarium est sententiam Ecclesiæ aut Pontificis ab omni errore immunem esse. Aliàs nulla superesset via, quâ possint hæreses contra verum Scripturæ sensum exortæ ex comperta veritatis luce dissipari.

Et verò si prisca patrum vestigia relegamus, hac auctoritate nixi Pontifices & Concilia profligarunt Arium, Macedonium, Nestorium, Eutichetem, quos de vero Scripturæ sensu sibi præfidentes, per legitimam verbi Dei interpretationem summa potestate declaratam ab Ecclesia segregarunt. Nec alio telo Patres Tridentini confixerunt hæreticos contra veram Christi in Eucharistia præsentiam sese efferentes, quàm interposita sua authoritate, qua declararunt, illos contra Scripturæ sensum aberrare, qui Christi verba, *Hoc est Corpus meum &c. Ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universæ Ecclesiæ sensum detorquerent.* Si quis igitur hoc interpretandi magisterium infallibile Ecclesiæ deneget, is nondum convictos Lutheri errores, nondum pro-

pro-

proſtratam Calvini hæreſim fateatur neceſſe eſt. De quo ne quis fidelium poſſit dubitare, apertè declarat Tridentinum ſeſſ. 4. Eccleſiæ eſſe judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum. Neque exiſtimo hanc doctrinam ab aliis quam apertis Eccleſiæ hoſtibus in dubium poſſe revocari.

2. Dico ſecundò: Falli nequit judicium Eccleſiæ aut Pontificis, authoritate ſumma approbantis alicujus Libri doctrinam ut veram, & Catholicam.

Probatur primò: Negari non poteſt quin Eccleſia & Pontifex ſit infallibilis in aperiendo ſenſu ſcripturæ ſacræ, uti jam inter orthodoxos compertũ eſſe demonſtravi: ergo eadem pollent facultate in approbanda alterius libri doctrina ut Catholicâ, & absque erroris periculo recipiendâ. Eandem utrobiq; rationem militare ſic oſtendo. Senſus ille quem Canonicus Scriptor ſuis verbis expreſſit, poteſt ab alio authore diſſimili verborum ordine & apparatu conſignari, ſic ut nullum ſubſit niſi in idiomate, & verbis diſcrimen. Quid quæſo cauſæ eſt, cur ſenſum verum ſub novo verborum apparatu latentem non poſſit Eccleſia deprehendere, ſi valeat eundem ſub priori ſcribendi forma dignoſcere? Certè ad fidelium inſtitutionem, & ad dirimendas controverſias omnino facit, veritatem fidei non tantum in ſacris Litteris, ſed etiam in quovis Libro de quo lis oritur, ſine errore deſignare.

Probatur ſecundò, Si Pontifex, aut legitimum Eccleſiæ Concilium poſſit errare in approbanda alicujus libri doctrina, ut vera & catholica, jam fere omnes Eccleſiæ definitiones ſuum robur amittent. Doctrina enim in illis definita plerumq; à particulari quapiam perſona conſcripta & concinnata fuit, ac poſtea Pontificis aut Concilii judicio ſubjecta. Quod ſi in judicando de iſtius ſcriptionis ſenſu, Pontifex aut Eccleſia infallibilis non fuit, jam corruunt iſtæ definitiones ab univerſis fidelibus pridem receptæ Exemplo ſint Canones illi duodecim, quos Epheſinos vocant, quibus anathema dicitur doctrinæ Neſtorii, conſcripti fuerunt Canones illi primum à Cyrillo in una ex ſynodicis epiſtolis, quos demum ut Catholicos Epheſina Synodus approbavit, uti apertè patet Actione 4 in initio Conc. Calcedonenſis. Hæc autem approbatio nullius eſt roboris, ſi non poſſit Synodus illa ſine periculo erroris judicare de catholico ſenſu ſcriptionis à Cyrillo confectæ. Non enim de ſolis verbis, ac vocibus judicat Eccleſia, ſed de ſenſu quem verba illa conficere debent.

3. Probatur tertiò, Et argumentum deſumo ex mente eorum qui hanc doctrinam præcipuè oppugnant. Fatentur illi libenter Pontificem infallibilem eſſe in approbandis S. Auguſtini libris, in ea præſertim parte quâ Pelagianos ac Semipelagianos confutavit. De probatiſ-

batissima horum librorum veritate vel minimum hæsitare summi piaculi loco habent: ipsum proinde S. Augustinum Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, post Canonicos Scriptores primum deprædicare non dubitant. Hominem tamen fuisse S. Augustinum, & in scribendis libris errori obnoxium nemo est qui inficiatur. Unde ergo istis S. Augustini Scriptis authoritas tanta accessit, ut ab omnibus veneratione summâ instar oraculi suscipi debeant? In promptu ratio est, quia scripta illa plures Pontifices aut Concilia approbavêre; illis exploratæ veritatis testimonium apposuit Concilium Constantinopolitanum II. Gelasius Pontifex in Synodo Romana, ac postea Cælestinus, Hormisda, Joannes Papa, eadem contra Pelagii erores amplectenda esse declaravit. Certa igitur tibi est summa & inconcussa authoritas Pontificum, ac Conciliorum in approbanda S. Augustini doctrina vera ac Catholica; neq; subit veteri ne hic vel ex quæstione facti vel ex alia quapiam causa aliquod erroris periculum intervenerit. Quid igitur, dum de aliorum Authorum Scriptis sententiam Pontifices ferunt lapsum illis aut errorem reformidas? Non tantum ad penetrandum S. Augustini sensum divinus Spiritus Ecclesiæ assistit, satis illi lucis est, ut ad alios ea sese diffundat; nec est cur lapsi temporis moderni Pontifices lucis hujus deliquium patiantur. Christus Jesus heri, & hodie, ipse & in sæcula.

QUÆSTIO QUINTA.

An possit Ecclesiæ aut Pontificis definitio esse erronea, de sensu Libri hæretico, cujus doctrinam condemnat?

1. Dico primò; Non licet inter Catholicos dubitare de Ecclesiæ aut Pontificis authoritate infallibili in judicando de alicujus Libri sensu hæretico.

Probatur hæc assertio, ex doctrina jam à nobis in superiori §. stabilita. Sine ullo erroris periculo potest Ecclesia, aut Pontifex approbare alicujus libri doctrinam ut veram, & Catholicam. Ergo eodem modo potest condemnare alicujus libri doctrinam ut falsam & hæreticam. Nulla hic dispar ratio omnia utrimque eadem concurrunt. Si in judicio de sensu libri Catholico, vel nulla est quæstio facti, vel ea definitioni infallibili minimè obsistat, idem omninò statuendum erit de sententia, quâ sensus libri hæreticus declaratur. Si pro conservanda Fidei veritate necessaria est in Pontifice Romano authoritas erroris expers ad discernendam in libris S. Augustini catholicam veritatem, non minùs eadem opus erit ad designandam in Pseudo-Augustino doctrinæ falsitatem, Si denique ad officium

spe-

spectat summi Pastoris, cui Christus oves suas pascendas commisit, salutaris doctrinæ pascua illis demonstrare, non minus ad ejusdem munus pertinebit, herbas nocentes, id est, doctrinam non sanam absque errore designare, ut fideles à libris, in quibus illa continetur, in Pastoris curâ & authoritate arceantur.

2. Ad argumentum hoc à Pastoris officio desumptum, opponit *Sinnichius in Goliatho*, sufficere ut Pastor sciat se salutares tantum herbas, non autem venenatas Ovibus apponere, etsi interea ignoret in quo agro herbæ illæ creverint, aut quis fuerit agri cultor: atque eodem modo laborandum non esse, etsi summus Ecclesiæ Pastor nequeat scire aut definire, ex quo libro, vel authore doctrina sana, aut noxia desumpta fuerit; modò provideat ut oves sanæ non autem venenatæ doctrinæ pabulo nutriantur.

Displiceret non immeritò hæc responsio, nisi esset Scriptoris nostræ Patriæ, in qua cum venena non gignantur, minorem forte à pascuis venenatis noxam formidavit. Sed quia omnibus hæc scribimus, Quæro ego, quid magnoperè prosit Fidelium omnium Pastorem docere generatim, quid salubre sit, quid noxium, nisi fideles suos coërceat ab illis librorum pratis, & fontibus, in quibus noxia illa & venenata doctrina continetur? Quomodo autem arcebit, si non possit libros illos pestiferos absque errore designare? Hoc si Pastor præstare non valeat, quomodo oves pleræque, quæ minus acutum vident, poterunt pestiferæ doctrinæ periculum evitare, dum ad volvendum noxios libros novitas invitat author allicit, facundia demulcet, & cœlestis doctrinæ Ambrosiâ se potari existimant, dum venenum hauriunt mortiferum? Nihil igitur hic juvat deducta illa à quadrupedum Pastore nonnihil claudasimilitudo, qui compactum in stabulo gregem selectis herbis securè pascit, licet pratum ignoret unde demessum fuerat alimentum. Clauda, inquam, erit similitudo, nisi pariter doceas, quo pacto grex Christi toto orbe diffusus, alicujus stabuli repagulis sic compingatur, ut nequeat libris noxiam doctrinam præbentibus liberas manus, aut oculos admovere. Artem hanc meliori compendio docet Ecclesia, dum indubitatâ supremi Pastoris voce, & oraculo, ipsos potius libros pestiferæ doctrinæ feraces designat, ac designatos ad carceres illos condemnat, in quibus luci, & fidelium manibus perpetuò subducuntur.

3. Probatur invictè eadem veritas, ex perpetua consuetudine Pontificum & Conciliorum in ferenda sententia de librorum sensu, aut doctrina perversa; & ex fidelium consensu in amplectenda illa Pontificũ sententia. Clariora ex plurimis exempla summatim refero. Libros Berengarii damnavit Nicolaus II. Severi libros reprobavit Agapetus Pontifex, cujus jussu Justinianus Imperator eos flam-

mis aboleri mandavit. Innocentius Primus in *epistola 26. ad Episc*
pos Africanos de Scriptis Pelagii sic rescribit: *Librum sanè, qui eju*
esse diceretur, nobis à Charitate vestra transmissum evolvimus, in qu
multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displicere
à quovis damnandum, atque calcandum. Hoc verò rescriptum d
sensu libri Pelagiani, unum est, ex illis de quo ipse Augustinus no
dubitat pronunciare, *Roma rescripta venerunt, causa finita est.* D
vinum nempe aliquid & infallibile hujusmodi Pontificis sententia
præ cæteris omnibus, inesse agnovit.

Neque fuisse satis doctrinæ damnatæ, abstrahendo ab Autho
ejusque sensu, anathema dicere, uti volunt al qui Jansenii fautore
constat ex processu habito in prima Synodo Nicæna. Ubi cum Eu
sebius Nicod. & Theognis Nicænus condemnationi errorum qu
Arii dicebantur subscriberent, detrectabant tamen ipso Ario, ejus
que doctrinæ anathema dicere. *Quod minimè crederent cum qui e*
accusatus, hominem ejus generis fuisse, qui eos errores doceret: atq
hoc unum satis fuit, ut Synodus illos pro hæreticis haberet, atq
exilio mulctaret, uti memoriæ proditum est in Socratis *histor. E*
clef. lib. 1. cap. 10.

Palmare in hoc genere deducitur argumentum ex actis Conci
Calcedonensis *actione* 8. Ubi Synodus universa Theodoretum, po
abjuratam Nestorianam hæresim, absolvere recusavit, nisi disc
diceret, *Anathema Nestorio, & dogmatibus ejus.* Duram Theodo
reto non videbatur dogmata à Concilio damnata reprobare, mod
Nestorium, cui plurimum studebat, eorum authorem non agno
sceret. At Patres ex adverso, quamdiu id apertis verbis fateri recu
sabat, consonâ voce inclamarunt; *Ille hæreticus est, Nestorian*
est, hæreticum foras mitte. Sed ubi Theodoretus tandem absqu
ambage dixit, *Anathema Nestorio*, & dogmatibus ejus: Tum de
mum in Concilio Episcopi omnes pronunciarunt: *Theodoretus di*
gnus est sede Ecclesia, Orthodoxum Ecclesia Pastorem recipiat. Muta
tantum nomine, aliis in simili causa eandem sententiam quadrare
considerandi manifestum est.

4. Non ignoravit hunc Ecclesiæ morem, & in eo Pontificis po
testatem Doctor olim in Belgio celebris Michael Bajus, cujus cum
sententiæ variæ damnatæ essent à Pio V. & Gregorio XIII. in rigore
ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento; nullo quæsito à
Facti quæstione præsidio suam confessionem, ac damnatæ doctrinæ
„ retractationem inter alia his verbis expressit. *Fateor plurimas ex*
„ *iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emana-*
„ *tam sedis Apostolicæ super iis censuram, conscriptis, & in lucem*
„ *editis contineri & defendi, Etiam in eo sensu in quo reprobantur.*

Deni-

" *Denique declaro me in præſentiarum ab omnibus recedere, & dam-*
" *nationi à ſede Apoſtolica factæ acquieſcere, neque poſt hac ullas docere,*
" *aſſerere aut defendere velle. Actum die 24. Maii 1580.* Quo tempore hæc etiam in Academicis Faſtis conſcripta fuere. Quin & ipſe Janſenius nullam ſuis ſcriptis, contra Sedis Apoſtolicæ judicium, ſupereſſe defenſionem apertè profitetur in Proæm. ad tom. 2 cap. 29. *Quidquid*, inquit, *ab iſta Petri Cathedra... ab iſto Ecclesiæ univerſæ Capite moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.*

Hanc niſi ſupremo Paſtori, majorem exemplo, authoritatem erroris expertem concedimus, quid Calvini, quid Lutheri libros à Sede Apoſtolica proſcriptos execramur? Heræſim, inquies, libri illi continent manifeſtam. At negabit aliquis id ſibi perſpicuum eſſe, non enim omnes eâ pollent mentis acie, & damnata dogmata in Lutheri libris illico deprehendant. Cur ergo liberum non erit dicere; doctrinam omnem à Leone X. & Tridentino damnatam execror, Lutheri verò libros ut innocuos amplector. En ad qualia demum paſcua devehimur, niſi Paſtoris vocem ſalutiferam omni ambage remotâ ſequamur.

5 Dico nunc ulterius ſecundò Quæſtio de alicujus libri doctrina hæretica, & in ſenſu authoris, vera eſt quæſtio Juris non Facti.

Quid enim eſt inquirere, an doctrina libri v. g. à Janſenio vel alio authore conſcripti ſit hæretica, quam quærere, ſpectato jure & Legibus humani ſermonis, quem ſenſum conficiat contextus verborum quæ in illo libro continentur? Hoc autem ſpectat ad Legem quâ ſocietas humana, verba aut ſcripta in certis circumſtantiis uſurpari & intelligi voluit, etſi interea contingeret Scriptorem velle aliquem ſenſum verbis ſuis difformem. Sicut fit in valore quem Rex, aut Reſpublica monetæ conſtituit, qui debet publicè uſurpari, etſi is qui monetam profert cupiat illam aliter acceptari. Secundò, quærere, An ſenſus ille, quem verba communi lege conficiunt, ſit hæreticus? Quæ etiam eſt quæſtio clara juris divini: reſolvi enim debet ex jure divino, quo inquiritur, an ſenſus ille repugnet eloquiis divinis, ſive doctrinæ quam Deus pro revelata haberi voluit?

Sic jam ſubſumo: Atqui ea quæ conflatur ex duabus quæſtionibus Juris, neceſſariò debet ad quæſtionem Juris pertinere. Ergo quæſtio illa, de alicujus libri doctrina hæretica, non Facti ſed Juris quæſtionibus annumerari debet.

6. Ex quo patet talem hic de ſenſu libri hæretico ſubeſſe Juris quæſtionem, qualis reperitur in aliis Articulis, extra ullius authoris librum, à Pontifice aut Concilio legitimè damnatis. Quando enim

ab iis propositio aliqua ut hæretica declaratur v. g. hæc: *Mandata aliqua Dei sunt etiam justis impossibilia*; non aliud docent quam doctrinam illis verbis comprehensam hæresim continere: quid verò hoc aliud est, quàm sensum illi sermoni subjectum hæreticum esse attentis Legibus, quas communi institutione humano sermoni statuerunt. Sensus enim ab authore aliquo intentus, in arcano ejus pectore non occultatur, sed ille esse Scriptoris sensus intelligitur, quem verba quibus utitur in externo tribunali, & communi hominum judicio conficere solent. Hæc igitur manifesta juris quæstio est, de hac Ecclesia, de hac Pontifex, uti de illa priore, sine errore pronunciat.

En quocumque te verteres, sive ad Facti, sive ad juris quæstionem nullus datur effugio locus, lucidior est hæc veritas quam ut latebras patiatur. Hinc ne quis in ea recipienda vacillaret, sapienti consilio, ex Regis Christianissimi, & Episcoporum Galliæ desiderio Alexander VII. decrevit, ut universus ordo Ecclesiasticus huic Professioni cum juramento subscriberet.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653 & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octob. 1656. summorum Pontificum, me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

QUÆSTIO SEXTA.

An Pontifex sit infallibilis in materia Morum, Canonizatione Sanctorum &c.

Dico primo. Errare non potest Pontifex aliquid pro universa Ecclesia definiens circa Morum honestatem, vel inhonestatem; v. g. contractum quempiam esse licitum. Ita Bellar. *de Pont. l. 4. c. 5.* aliique Doctores Catholici.

1. Probatur: Quia Pontifex non est obnoxius errori dum aliquid definit in materia fidei, ut jam supra ostendimus. Atqui doctrina morum non est diversa à materia fidei, nisi in eo quod illa morum non sit doctrina purè speculativa, sed insuper dirigatur ad praxim, & usum actionum humanarum, quarum ordinatio spectat etiam ad regimen Ecclesiæ, ac supremi Pastoris officium. Ergo debet hic esse non tantum Fidei, sed etiam Morum regula infallibilis. Confirmatur id ex praxi Ecclesiæ, quæ contra eos anathema pronunciat, qui non credunt

credunt articulis in materia morum definitis: uti patet in Trident. *Seff. 6. can. 31. Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

Hinc etiam ſequitur, quando ab Eccleſia aut Pontifice religioſus Ordo approbatur. de fide eſſe, ejus Inſtitutum non tantum eſſe conforme divinis præceptis, ſed etiam viam præbere faciliorem ad perfectionem, quàm in ordinario Chriſtianæ vitæ ſtatu reperiatur, & ad Conſilia Evangelica idonea med a continere.

2. Dico Secundò: Quoad præcepta quæ mores concernunt, quando Pontifex poteſtate ſummâ aliquid Eccleſiæ prohibet, certum eſt illud non eſſe ad ſalutem neceſſarium, aut multum utile; quando autem aliquid præcipit, certum eſt id eſſe honeſtum.

Probatur prima pars: Quia ad officium ſupremi Paſtoris pertinet, pabulum valdè utile, aut neceſſarium gregi non ſubtrahere: quod ne eveniat debet Chriſtus ſuo Vicario in rebus prohibendis aſſiſtere, cui dixit, *Paſce oves meas.*

Secunda pars de rei præceptæ honeſtate declaratur: Quia qui præcipit aliquid tanquã honeſtum, hoc ipſo docet illud honeſtum eſſe. Ergo quando Pontifex in materia Morum proponit aliquid ſub præcepto acceptandum ab univerſa Eccleſia, docet & definit illud honeſtè fieri, quæ definitio, cum ſit in negotio pertinente ad ſalutem, debet eſſe à falſitate immunis, ne tota Eccleſia in errorem inducatur.

Dico tertiò: dum Pontifices ſolemni ritu aliquem referunt in Canonem Sanctorum, ſine erroris periculo definiunt, eum de facto frui cœleſti gloriâ. Hæc doctrina apud Theologos adeò communis eſt, ut non dubitent oppoſitum graviter cenſurare: quamvis *Simnichius*, in ſuo Saule *à* §. 258. *ad* 299. contendat Pontifices non ſemper definire illum quem Sanctum declarant, de facto ad cœleſtem gloriam perveniſſe.

3. Probatur contra eum noſtra aſſertio: Quia quamvis vox *Sanctus* latè accepta ſignificet hominem mortuum in gratia, etſi nondum ad cœlum pervenerit, uti patet in Elia nondum mortuo, qui Sanctus vocatur in Martyrologio Romano. Nihilominus in Bullis Pontificum ſtrictius accipitur *Sanctus*, pro illo ſolo qui de facto cœleſtem gloriam obtinuit. Patet hoc ex terminis, quibus ſolent aliquem Sanctum declarare, ut in Bulla Leonis X. pro Canonizatione S. Franciſci de Paula: *Decernimus & definimus S. Franciſcum de Paula in Cœleſti Hieruſalem inter beatorum choros jam receptum, æternaque gloria donatum fuiſſe.* Et Pius II. definit, *Catharinam Senenſem in cœleſti gloria fuiſſe receptam, & æterna gloria corona donatam.* Et eodem modo ſonant verba quibus in Sanctorum Canonem refertur S. Antoninus, S. Bernardinus, S. Raymundus, S. Edmundus Cantuarien-

tuarienſis, S. Petrus de Alcantata, & complures alii:

Atqui nullâ veri ſpecie ſuſtineri poteſt, his actu decerni gloriam, idem verò de aliis Sanctis non conſtare, etſi eorum in cœlo præſens gloria, in Bullis Pontificum iiſdem omninò verbis non aſtruatur: cum forma verborum quâ unus declaratur, Sanctus, cenſeatur cæteris eſſe cummunis, qui eodem ritu in Sanctorum numerum referuntur. Quid enim cauſæ eſt cur in his, & illis vocem Sanctus æquivocè accipiamus, aut gloriæ cœleſtis poſſeſſionem indubitatam uni potiùs quam alteri, contra communem fidelium ſenſum, aſtruamus? Quæro enim, An non omnes qui Sancti quâcunque formâ declarantur, etiam ut patroni & interceſſores à fidelibus invocandi proponantur? non negat Sinnichius. Eſt autem omninò incertum, teſte Bellarmino, an animæ in purgatorio detentæ pro nobis intercedant. Quo igitur pacto patrocinium exhibebunt, ſi ipſæ cœlo extorres, etiamnum pro ſuis delictis piaculari carcere detineantur? In eo ſanè ſtatu juſtorum manes illic verſantur, cui magis competit Fidelium ſuffragia expoſcere, quàm ſe pro iiſdem advocatos præſtare. Si igitur pro certo habeas omnes ſolemni ritu Sanctorum factis adſcriptos, noſtros apud Deum patronos infallibili authoritate declarari, eadem ratione cogeris ſine dubitatione affirmare, illos cœleſti gloria donatos eſſe.

Ad hæc cum nulla ſit in promptu idonea reſponſio, recurritur ad Joannem XXII qui, cum exiſtimaverit animas Sanctorum, non viſuras Deum ante extremum judicii diem, & tres ipſe ſolemni ritu in numerum Sanctorum retulerit, definire contra ſuam ſententiam non potuit, Sanctos illos de facto ad Dei conſpectum admiſſos fuiſſe.

Sed hic cavendum ne aberremus à recepto Juris axiomate, Diſtinguenda eſſe tempora, ut concilientur jura Ut demus, Joannem XXII. aliquando de proroganda Sanctorum gloria ita ſenſiſſe, haud rectè inferes, illum eandem opinionem tenuiſſe aut docuiſſe eo tempore quo Sanctos illos ritu ſolemni colendos propoſuit. Hoc enim fecit in primo ſeptennio ſui Pontificatus, cum autem novemdecim annis Pontifex fuerit, potuit poſtremis tantum annis opinionem illam animo agitaſſe, quod non obſcurè colligitur ex Annalibus Baronii, qui de illa Joannis ſententia tantùm meminit ad annum decimum ſextum, quo in Pontificatu verſatus fuit. Quinimò nihil repugnat, Pontificem ſimul eam ſententiam tenuiſſe, ſimul contrariam definiviſſe; non enim voluit definire juxta ſuum ſenſum aut judicium privatum, ſed more majorum, & prout rei veritas in mente divina exigebat.

Fruſtra quoque pro remoranda Sanctorum gloria, aliquid præ-

fidei ex sanctissimo Doctore Augustino sperari potest, dum scilicet asserit multa corpora honorari in terris, quorum animæ torquentur in inferis. Si enim de pœnis inferorum S. Augustin. interpretari velimus, plus hinc conficietur, quam ipse author oppositæ sententiæ inferri patiatur, qui non dubitat quemlibet ab Ecclesia in Sanctorum numerum relatum, in statu saltem gratiæ, & pœnæ æternæ securum versari. Itaque sanctus Doctor sententiam illam non profert de corporibus Sanctorum, sed virorum Principum, quorum animæ quandoque dum in inferno torquentur, splendidis interea sepulturis eorum corpora in terris honorantur. Aut etiam de corporibus aliorū hominum intelligi potest, qui privato cultu per errorem à quibusdam pro Sanctis habentur, nunquam tamen ab Ecclesia Sanctorum numero adscripti fuerunt. Moneat ergo sine exceptione, omnibus solemni ritu in Sanctorum Canonem relatis, præsens & indubitatæ gloriæ possessio, nulla facti, nullâ veri specie contra communem fidelium sensum protelanda.

4. Dico quartò, Quando Pontifex, aut Ecclesia, solum declarat aliquē esse Beatum, non definit illum de facto in cœlesti gloria versari, quamvis tali Beato pręsentem glorię statum negare, temerariū foret.

Ratio est, Quia declaratio illa, non est decretum ultimò decisivum beatitudinis obtentæ, cum novum examen institui soleat antequam accedat definitio, qua Beatus in Sanctorum numerum referatur, sed tantum est decretum permissivum, ut defunctus possit in Ecclesia vocari Beatus, & pingi cum radiis, cui aliquando accedit, ut certo die, & loco, & à determinatis personis Officio, & Missa coli possit. Ne autem hic cultus suos limites excedat varia sunt constituta in decreto sacræ Congregationis Rituum, habitæ coram Sanct. Domino Alexandr. VII. anno 1660.

Hinc ex vi solius Beatificationis, non semper conceditur simul potestas faciendi de Beato Missam aut Officium, nisi id disertè exprimatur. Et sic B. Aloysio Gonzaga prius concessum, fuit nomen Beati, quàm Missa aut Officium, ut testatur Turrianus *disp. 17. dub. 3.*

Illæ etiam Personæ, quibus conceditur certo anni die de Beato recitare Officium, non ideo possunt alio die celebrare de eodem Missam votivam, uti fit de Sanctis Canonizatis, ut habet idem Turrian.

Quæres, Quis Cultus sit licitus, aut prohibitus erga alium hominem cum opinione sanctitatis defunctum, nondum tamen ab Ecclesia beatificatum.

Respondeo, licitū esse talem colere cultu privato, quando prudenter judicatur illum frui cœlesti gloriâ, ut docent Theologi, communiter cum S. Antonino, & Sylvestro in summa, verbo, *Canonizatio*, Illicitum autem est illi deferre cultum publicum, sine sedis Aposto-

licæ facultate, ut est publica lectio Officii Canonici, aut Precum solemnium.

Quædam etiam speciatim prohibita sunt ab Urbano VIII. anno 1625. in honorem hominis nondum beatificati, ut appendere anathemata in loco publico, accendere candelas, aut lucernas ad ejus sepulchrum, pingere illum cum radiis, aut aureolis, miracula ejus imprimere nisi approbata ab Ecclesia, aut ejus reliquias venerationi exponere. Licitum tamen est tales Reliquias privatim venerari. Anathemata autem v. g. in testimonium miraculi, jubet Pontifex cum Ordinarii approbatione, in loco secreto, non autem in templo, servari.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quæ sint aliæ Pontificis Romani prærogativæ.

SUnt aliæ actiones non paucæ in Jure Canonico expressæ; in solius Romani Pontificis potestate constitutæ, ex quibus tantum præcipuas referemus.

Primò, solus Pontifex potest per sententiam majoris Excommunicationis aliquem ab ecclesiæ corpore segregare: & quem ipse anathemati subjicit, nemo alius potest isto vinculo, sine ejus facultate liberare, uti patet ex Cap. *Inferior.* dist. 21. Et Cap. *Nuper.* de sent. excomm.

2. Si quem Pontifex sciens & prudens salutat, hoc ipso censetur ab omni interdicti, & anathematis vinculo solutus, Clement. *Si Summus.* de sent. excomm.

3. Solus Pontifex potest plenarias peccatorum Indulgentias concedere. Ut consentiunt Doctores in C. *Cum ex eo.* de privileg.

4. Solus Pontifex potest novos Religiosorum Ordines approbare: uti patet in Concil. Later. sub Innoc. II *Cap. ult.* Quando verò Ordinem aliquem definitivè approbavit, de Fide est Institutum illud nihil habere fidei, aut mo um honestati contrarium: nihilque illi deesse perfectionis necessariæ ad statum Religiosum, ut est à Christo institutus, ut probatum est in quæstione superiori.

4. Solius Pontificis est authenticè interpretari quæ dubia sunt in Jure Canonico, vel divino. Item declarare quænam pertineant ad Sacramentorum materiam, formam, ministrum &c. Uti habetur ex C. *Majores.* de Baptism. & quæst 1. C. *Quoties.* &c.

5. Denique institutio Episcoporum, variorum Prælatorum, ac Beneficiorum, eorumque collatio soli Sedi Apostolicæ reservantur, quorum plurima recensentur in Extravagante Joannis XXII. *Ex debito Pastoralis. De electione.*

Quæstiones porro notandæ de Pontificibus Romanis.

QUæritur primò; Quot Pontifices Romani post S. Petrum continuato ordine successerint, usque ad Innocentium XI. qui nunc Ecclesiam gubernat.

Respondeo, successisse ducentos quadraginta quatuor calculo communiori; Et hi totidem sunt testes ac publici præcones potestatis à Christo derivatæ, ac continuâ serie ad hodiernum Pontificem transmissæ, quorum seriem infra dabimus.

Quæritur Secundò; Quot ex his fuerint Martyres, aut Confessores?

Respondeo, Martyrio coronatos fuisse triginta duos pro Romanæ Fidei defensione. Inter sanctos Confessores numerantur triginta septem absque ulla controversia, alii plures recensent. Et hi veritatem perpetuam Religionis Romanæ suo sanguine, doctrina ac miraculis consignarunt.

Quæritur tertiò, Quot fuerint Pontifices Romani ex Religiosis Ordinibus assumpti? Respondeo, assumptos fuisse quinquaginta duos, ut numerat Azorius: alios invenio qui facilè ad septuaginta extendunt, quorum primus fuit Dionysius Monachus, sive ut alii Eremita, quos recensebo eâ fide quâ computantur ab Azorio *instit. mor. p. 2*, nihil repugnans si fortè alii suorum calculum in aliquo magis accuratum inverint.

Ex Ordine Sancti Benedicti creatos octodecim Pontifices, tradit Trithemius *in libr. de Viris illustribus sui Ordinis Benedictini*, quorum primus sedit Gregorius istius nominis primus: alii, Pontifices hujus Ordinis universum usque ad numerum trigesimum extendunt.

Ex Ordine Canonicorum Regularium numerantur etiam decem & octo Pontifices Romani, incipiendo à Leone II Benedicto II. Sergio I. &c. usque ad Innocentium III. Et de aliquibus est contentio cum Benedictinis, utrius Ordinis fuerint.

Ex Ordine Cluniacensium, quatuor ab Azorio referuntur Pontifices: Gregorius VII. Urbanus II. Paschalis II. Urbanus V.

Ex Ordine Cistercienfum creati duo; Eugenius III. & Benedictus XII.

Ex Familia S. Dominici tres assumpti: Innocentius V. Anno 1276. postea Benedictus XI. & demum Pius V. anno 1566. nuper solemni ritu Beatorum fastis adscriptus.

Ex instituto S. Francisci quatuor ad minimum, ad Pontificatum evecti fuêre: Nicolaus IV. anno 1288. Alexander V. anno 1499. Sixtus IV. anno 1471 & Sixtus V. anno 1585. ut habet satis recepta computatio, quibus alii plures adjungunt, qui habitum S. Francisci saltem in morte tulerunt. Prætermitto assumptos ex aliis institutis minus notis.

Tantum hic observo, Ecclesiam gubernatam fuisse per annos quadraginta quinque continuos per Pontifices ex solis Religiosis assumptos; Gregorium VII. Victorem III. Urbanum III. Paschalem II. & Gelasium II. raro deinceps exemplo.

Quæritur quartò; Quinam fuerint ex variis Nationibus Pontifices electi?

Respondeo, in Cathedra Petri sedisse Romæ Pontifices ex omni pæne natione quæ sub cœlo est; ut vel inde videas solam Ecclesiam Romanam verè dici Catholicam, sive universalem.

Ex natione Gallica creati fuerunt Pontifices ad minimum numero quindecim, inchoando à Sylvestro II. ut illos recenset Azor. *inst. mor. p. 2. l. 5. c. 44.*

Ex Germania fuêre quatuor: Gregorius V. ex Saxonia, Victor ex Suevia. Clemens II. etiam è Saxonia. Damasus II. ex Bavaria.

Ex Hispania etiam quatuor assumpti. Damasus I. & Joannes XXII. Lusitani. Callistus III. & Alexander VI. Valentini. Aliqui etiam Melchiadem Pontificem Hispaniæ vindicant.

Ex Anglia electus est Adrianus IV.

Ex Flandria unus evectus est ad summum Pontificatus fastigium Adrianus VI. Ultrajectinus.

Ex Gentibus remotioribus sufficiat summatim annotasse, ex Græcia ad Pontificatum delectos quindecim, initio ducto ab Anacleto. Ex Syria creati Pontifices septem, ab Evaristo inchoando usque ad Sergium I. Ex Africa numerantur tres, Victor I. Melchiades & Gelasius I.

Ex Sardinia duo, Hilarius, & Symmachus. Duos quoque Pontifices sibi vindicat Sicilia, Agathonem, & Leonem II. sed horum patriam alii in controversiam vocant. Reliqui ex Italis assumpti fuerunt qui circiter 187. numerantur.

Morem Ecclesiæ Romanæ osculandi pedes summorum Pontificum insectantur nostri temporis hæretici, tanquam summum flagitium & idololatriæ proximum. Sed illorum in hoc impietatem ac fastum redarguit è toto orbe Christiano omni ævo summorum Imperatorum, Regumque pia ac prudens consuetudo, qui in Pontifice Romano non hominem intuentur, sed supremum in terris Christi Vicarium.

ORDO SUCCESSIONIS PONTIFICUM ROMANORUM.

Item Scriptorum sex primis sæculis primitivæ Ecclesiæ. Item rerum in Ecclesia magis memorabilium postremis annis ferè ducentis.

POstremò, ne quid desit studioso Lectori, præter prolixitatem instituto nostro contrariam. Hic attexemus seriem Summorum Pontificum, qui hactenus in Apostolica S Petri Sede successerunt: Item Patrum, at Scriptorum primitivæ Ecclesiæ. Hic enim ordo tam Pontificum, quam Scriptorum, Novatores maximè convincit, & mirificè juvat nostram memoriam in accurata rerum, ac temporum notitia Quia verò recordatio nostra ultra recentiora tempora sese difficilius extendit, hoc loco addemus præcipuè ordinem temporum ac rerum gestarum per ducentos ferè postremos annos usque ad hæc tempora in quibus modo versamur.

Primo Sæculo.

PEtrus Apostolus, Christi successor. Postea Linus natione Tuscus. Clerus Romanus. Clemens I. etiam Romanus.

Inter *Scriptores* primi sæculi post Apostolos, floruit præcipuè S. Dionysius Areopagita. S. Ignatius martyr. S. Polycarpus. Scripta quæ dicuntur D. Clementis, & Hermetis non habentur pro authenticis.

Secundo Sæculo.

Anacletus Græcus. Evaristus Græcus. Alexander I. Rom. Xistus Rom. Telesphorus Græcus. Higinus Græcus. Pius I. Aquil. Anicetus Syrus. Soter Fundanus-Eleutherius Nicopolitanus.

Scriptores præcipui, S. Justinus martyr. S. Theophilus. S. Irenæus Teftullianus Hegesippus, Antænus, Clemens Alexandrinus.

Tertio Sæculo.

Victor, Afric. Zepherinus Rom. Calixtus Rom. Urbanus I. Rom. Anterus Gr. Fabianus Rom. Cornelius Rom Lucius. Stephanus Rom. Sixtus II. Athenienfis. Dionysius Rom. Felix. I. Eutichianus Tuscus. Cajus Dalmata.

Scriptores præcipui, Origenes. Ammonius. Julius Africanus. Minutius Felix. S. Cyprianus. S. Hippolitus. S. Cornelius Pontifex. S. Gregorius Thaumat. S. Victorinus. Scripta Lactantii, Methodii, Arnobii habentur in quibusdam suspecta.

Quarto Seculo.

Marcellus Rom. Marcellus alter. Eusebius Græcus. Melchiades Afer Sylvester Rom. Julius I Rom. Liberius. Fælix II. Damasus Hispanus.

Scriptores præcipui S. Athanasius. S. Hilarius Pictav. S. Ephre[m] S Optatus. S Basilius. S. Gregorius Nazian. S. Gregorius Nyssenu[s] S. Theophylactus. S. Cyrillus Hierosol. S. Epiphanius. S. Chrysost[o]mus. S Ambrosius. S. Hieronymus. Scripta Ruffini, Palladii, Euseb[ii] Cæsarien. habentur in quibusdam suspecta.

Quinto Sæculo.

Siricius Rom. Anastasius I. Rom. Innocentius I. Alban. Zozim[us] Græcus. Bonifacius I. Rom. Cœlestinus I. Campan. Xistus III. Le[o] I. Tuscus Hilarius Sardus, Simplicius Tiburtinus.

Scriptores præcipui S. Augustinus Hippon. Episc. S. Cyrillus A[l]lexandrinus. Orosius. Severus Sulpitius S. Isidorus Pelusiota S. Le[o] Maximus. S. Eucherius. S. Sidonius S. Hilarius Arelat. S. Vincentiu[s] Lirin. S. Chrysologus S. Maximus. S. Paschasius. Salvianus, [&] Genadius, Scripta Cassiani, & Fausti Rhegiensis sunt in aliquib[us] suspecta.

Sexto & 7. Sæculo.

Felix III Gelasius Afer. Anastasius II. Rom. Symmachus Græc[us] Hormisda Trusion. Joannes I. Tuscus. Fælix III. Samius. Bonifaci[us] II. Rom. Joannes II. Agapitus I. Sylverius Campanus Viglius. P[e]lagius I. Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. Rom. Gregori[us] Magnus Rom. Sabinianus Tuscus. Bonifacius III. Bonifacius I[V] Deodatus. Bonifacius V. Campanus. Honorius I. Camp. Severin[us] I. Rom. Joannes IV. Dalmata. Theodorus Græcus Martinus I. T[u]det. Eugenius I. Rom. Vitalinus. Camp. Adeodatus Rom. Domnu[s] Rom. Agatho Siculus.

Scriptores præcipui sæculi Sexti S. Fulgentius. S. Anastasius Sin[ai]ta. S. Victor Capuanus. Primasius. S Climacus, Cassiodorus. Hes[y]chius. S. Gregorius Turonensis. Fortunatus. S. Gregorius Magn[us] Pontifex.

Nota, *Sectarios modernos docere, sub hoc Pontifice Gregorio defeci[sse] Ecclesiam Romanam à vera Christi doctrina. Hinc in controversiis fid[ei] admittere debent authoritatem & testimonium anteriorum Scriptorum cum illi potuerint, etiam ex sectariorum confessione, testari de vera & incorrupta primævæ Ecclesiæ doctrina: ideoque illos qui sex primis sæcu[lis] præcipue floruerunt ordine temporis hactenus annotavit.*

Octavo Sæculo.

Pontifex primus 8. sæculi, Leo II. Siculus. Benedictus II. Joannes V. Syrus. Conon Trax. Sergius I. Antiochenus. Joannes VI. Græcus. Joannes VII. Græcus. Sisinnius Syrus. Constantinus I. Syrus. Gregorius II. Rom. Gregorius III. Syrus. Zacharias Græcus. Stephanus II. Rom Paulus. I Rom. Constantinus III. Constantinus III. Siculus Adrianus I. Romanus.

Nono

Nono Sæculo.

Leo III. Romanus. Stephanus IV. Paſchalis Rom. Eugenius II. Rom. Valentinus Rom. Gregorius IV. Rom. Sergius II. Leo IV. Benedictus III. Rom. Nicolaus I. Rom. Adrianus II. Rom Joannes VIII. Martinus II. Gallus.

Decimo Sæculo.

Adrianus III. Rom. Stephanus V. Rom. Formoſus Portuenſis. Bonifacius VI. Tuſcus. Stephanus VI. Rom. Romanus natione Hiſpanus. Theodorus II. Rom Joannes IX. Rom. Benedictus IV. Rom. Leo V. Chriſtophorus. Sergius III. Anaſtaſius III. Lando Rom. Joannes X. Rom. Leo VI. Stephanus VII. Joannes XI. Leo VII. Stephanus VIII. Germanus. Martinus III. Agapitus I. Joannes XII. Leo VII. Joannes XIII. Benedictus V. Rom. Domnus II. Rom. Bonifacius VII. Benedictus VI. Rom. Joannes XIV. Joannes XV. Joannes XVI. Gregorius V. Joannes XVII. Sylveſter II.

Vndecimo Sæculo.

Joannes XVIII. Joannes XIX. Sergius IV. Rom. Benedictus VII. Trullus. Joannes XX. Benedictus VIII. Sylveſter II. Gregorius VI. Clemens II. Damaſus II. Bavarus. Leo IX. Germanus. Victor II. Stephanus IX. Lotharingus Benedictus IX. Campan. Nicolaus II. Sabaudus. Alexander II. Mediol. Gregorius VII. Hetruſcus. Victor III. Urbanus II. Paſchalis. II.

Duodecimo Sæculo.

Gelaſius II. nat. Cajetanus. Callixtus II. Burgundus. Honorius III. Immol. Innocentius II Celeſtinus II. Tuſcus. Lucius II. Bonon. Eugenius III. Piſanus. Anaſtaſius IV. Rom. Adrianus IV. Anglus. Alexander III Senonenſis. Lucius III. Tuſcus. Urbanus III. Mediol. Gregorius VIII. Beneventanus, Clemens. III. Rom. Celeſtinus III. Innocentius III.

Decimotertio Sæculo.

Honorius III. Rom. Gregorius IX. Celeſtinus IV. Mediol. Innocentius IX. Genuenſis. Alexander IV. Campanus. Urbanus IV. Gallus. Clemens IV. Narbon. Gregorius X Placent. Innocentius V. Burgundus. Adrianus V. Genuenſis. Joannes XXI. Hiſpanus Nicolaus III. Rom. Martinus IV. Gallus. Honorius IV. Nicolaus IV. Longobardus. Celeſtinus V. Bonifacius VIII. Benedictus XI. Italus. Clemens V. Gallus Burdegalenſis.

Decimo quarto Sæculo.

Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Lemov. Innocentius VI. Urbanus V. Gregorius XI. Lemovicenſis. Urbanus VI. Bonifacius IX. Innocentius VII. Sulmonenſis.

Decimo - quinto Sæculo.

Gregorius XII Alexander V. Joannes XXIII, Martinus V. Euge-nius IV. Nicolaus V. Cœlestinus III. Hispanus Pius II. Senensis. Pau-lus II. Venetus. Sixtus IV.... Innocentius VIII. Genuensis Alexan-der VI. Valentinus.

Decimo - Sexto Sæculo.

Hic usque ad finem, addemus ad singulos Pontifices annotationem, & ordinem rerum præcipuarum eorum tempore occurrentium.

Pius III. Italus, patriâ Senensis, ex familia Picolominia, cui respon-det illud in prophetia S. Malachiæ, *de parvo homine*, Sedit in Ponti-ficatu completo Christi anno 1500. post Petrum ordine successioni 211. Vix seculum 16. in throno Pontificio inchoavit cum vitam hanc mortalem in eodem absolvit, 26 tantum diebus superstes rel-ícto successoribus, ne hoc culmen ambirent, brevis ævi documento.

Julius II. Savonensis, dictus bellator, à bello quod junctus Im-peratori & Regi Galliæ contra Venetos gessit; & Venetis post junctus contra ipsum Imperatorem. Sedem Petri tenuit annis mensibus 3. diebus 21. Ejus tempore Imperator fuit Maximilian I. In Hispania rexit Ferdinandus V. In Gallia Ludovicus XII. In Anglia Henricus VII. Catholicus.

Leo X. Florentinus de familia Medicea, Pontifex creatus anno 1514. dum tantum esset 30. circiter annorum. Sedit annis 7. mensibus 10. Hujus tempore cæpit Martinus Lutherus insurgere contra Indul-gentias & Ecclesiam Romanam anno 1517. cujus Libros jussit Leo Romæ comburi, ob Lutherum libro edito impugnatum dedit Henrico VIII, postea apostatæ, titulum Defensoris Fidei. Sub illo absolutum Concilium generale Lateranense quintum anno 1517. Dicitur obiisse ex vehementi gaudio de Gallorum expulsione ex Ducatu Mediolanensi.

Adrianus VI. Belga Trajectensis, patre naupago ut tradit Biblio-theca Belgica, Lovanii Doctor Professor, Decanus, Cardinalem uni-cum creavit, nomine Gulielmum Belgam Campiniensem. Divorum albo inscripsit Bennonem Episc. in Germania, & Antoninum Floren-tinum in Italia. Sedit tantum anno uno, mensibus 8, diebus 7. Circa hoc tempus Carolus V. electus Imperator: vixitque Erasmus Ro-terodamus, & Carolstadius anno 1522. De Adriano Malachias, *Leo Florentinus*: fuit Florentii filius, & ejus insignia Leo.

Clemens VII. Florentinus, ex domo Medicea, Sedit annis ferè undecim, vel ut alii, annis 9. 10. mensibus, diebus 7. Ejus tempore emerserunt Anabaptistæ: prælio victus & captus Rex Galliæ à Ca-rolo V. Obsessa Vienna à Solimanno: habita Comitia Augustana anno 1526. Excommunicatus Angliæ Rex Henricus VIII.

Paulus III. Farneſius Romanus. Sedit annos 15. dies 28. Illo ſedente Hæreticis accedit Bucerus, Oſiander, Islebius &c. Contra emergentes Hæreſes hoc tempore nata eſt Societas Jeſu, & ejus Inſtitutum primò approbatum à Paulò III anno 1540. Datum quoque eſt initium Concilio Tridentino anno 1545. quod ſæpius interruptum demum anno 1563. feliciter abſolutum eſt.

Julius III. Aretinus. Sedit 5. circiter annis. Hujus temporis decurſu prodiit Joannes Calvinus: habita Paſſavienſis tranſactio, Comitia Auguſtana, aliique conventus. De eo dictum S. Malachiæ, *de corona Montana*: fuit ante Pontificatum vocatus Joannes Maria de Monte.

Marcellus II. Politianus. Vixit in Pontificatu tantum diebus viginti duobus & à morte illius totidem diebus vacavit: vir tantæ integritatis ut conſanguineis ſuis Curiæ Apoſtolicæ ingreſſum interdixerit.

Paulus IV. Neapolitanus, Epiſcopus Theatinus, & Ordinis Theatinorum author & alumnus fuit. Sedit annos 4. menſes 3. dies 27. Carolus V. ſe abdicat imperio 25. Jan. anno 1558. Succedit illi in imperio Ferdinandus Caroli frater: in regnis Philippus II. ejusdem filius. Incipit poſt Henricum VIII. (mortuâ Reg. Mariâ) Angliam regere & pervertere Elizabetha Regina. Sub hoc Pontifice in Belgio Antiſtitum Cathedræ ad quatuordecim extenſæ fuerunt.

Pius IV. Mediolanenſis. Sedit annos 5. & menſes 3. Sub eo Concilium Tridentinum, ad annos 18. protractum, tandem finem & confirmationem accepit. Imperium adiit Maximilianus II.

Pius V. Italus prope Alexandriam. Ordinis prædicatorum. Sedit 6. annos menſes 4. Ejus tempore habita Comitia Auguſtana, & Spirenſia, & victoria Joan. Auſtriaci contra Turcas 7. Octob. anno 1571. Statuit in fine Miſſæ legi debere Evangelium S. Joannis. Beatus dictus à Clemente X. anno 1672.

Gregorius XIII. Bononienſis. Sedit circiter 12. annis. Rudolphus in imperio ſuccedit Maximiliano: promulgatur à Gregorio nova reformatio Calendarii juxta veterem Nicænæ Synodi rationem, anno 1582. ablatis è menſe Decembri decem diebus, & pro æquinoctio verno deinceps aſſignato die 21. Martii; & Epactis ad deſignandum Lunæ mutationes in locum Aurei numeri ſubſtitutis.

Sixtus V. Italus ex Marchia Anconitana, patre villico, alii ſubulco, ſed magnis dotibus præditus: Diem *Mercurii* mire fauſtum habuit, quo in lucem editus, ad Religionem admiſſus, Generalis electus, Epiſcopus conſecratus, purpurâ donatus, & tandem ad Pontificatum evectus fuit. B. Didacum Minoritam in Canonem Sancto-

rum

rum redegit. Et uti Pius V. S. Thomam, ita Sixtus V. S. Bona-venturam EcclesiæDoctoribus annumeravit, Sedit annis 5. mensib. 4. diebus 11. Hujus tempore à duce Parmensi Antverpia hæretici erepta: sc infeliciter classis Hispana Angliam invadens à Drac profligata.

Urbanus VII. Romanus, post dies 12. ante coronationem obiit anno 1590. Gregorius XIV. Mediolanensis post menses 10. Inno-centius IX Bononiensis post menses 2. à solio Pontificio ad alteram vitam migrarunt Atque ita 3. legitimi Pontifices intra unius anni curriculum vitam & Pontificatum absolverunt. Quam verè inanes spes Mortalium! & hoc nondum credunt. Hoc tempore Breda Regi Catholico stratagemate erepta est.

Clemens VIII. Florentinus. Sedit 12. annis, alii scribunt 13. Anno sæculari 1600. Jubilæum solemnissimum celebravit. Sanctis annumeravit Raymundum & Hyacinthum, utrumque ex ordine Prædicatorum. Illo sedente bello Turcico in Hungaria urbes vari Christianis ereptæ. Motus ab Hugonottis in Gallia. Ostenda po triennii obsidionem Batavis eripitur anno 1606. Philippus III. R Hispaniæ.

Leo XI. Florentinus Medicæus. Ad solium Pontificium vix ascen dit, cum descendit ad sepulchrum post dies 27.

Paulus V. Romanus, Sedit 16. annis, minus mense & medio. San ctis addidit Franciscam Romanam, & Carolum Boromæum. Com posuit Controversiam celebrem de Gratia inter Patres Societatis Dominicanos. Instituit Communionem generalem in templi Societatis. Illius tempore cæpti motus Bohemici. In Belgio ind ciæ factæ anno 1608. Bellum inter Danos & Suecos. Moritur Ru dolphus II. Imperator anno 1612. succedit illi Matthias R Hungariæ & Bohemiæ. Moritur Matthias anno 1619. Coronatu Francofurti Imperator Ferdinandus II. Jubilæus Romæ indictu anno 1620. Philippus III. Rex Hisp. mo itur: cui succedit Philip pus IV. anno 1621.

Gregorius XV. Bononiensis. Creatus Pontifex anno 1622. Moritu 8. Junii biennio nondum expleto. Sanctorum fastis adscribitur S Ignatius Lojola, Xaverius, Isidorus, Teresia, Philippus Nerius.

Urbanus VIII. Florentinus dictus Maphæus Barberinus. Vigint & unum annum & mensem unum in Pontificatu explevit, obiit an no 1641. Anno insequenti in Anglia plexus capite Arch ep. Can tuariensis, & prorex Hiberniæ, & postea Rex ipse Carolus primus anno 1649. Andream Corsinum Carmelitam Sanctis adscripsit. Post S. Petrum 3. tantum Pontifices Urbano diutius sederunt.

Innocentius X. Romanus, decem annis sedens numerum sui nomi-

nis

nis explevit, electus Pontifex anno 1644. die 15. Septemb. Editâ constitutione anno 1655. Jansenii doctrinam damnavit, & iterum illius successor.

Alexander VII. Senensis anno 1655. evectus ad Sedem Apostolicam tenuit 12. circiter annis. Franciscum Salesium Sanctis adscripsit.

Clemens IX. Pistoriensis dictus Rospigliosius, Pontificatum adiit mense Junio anno 1667. in quo triennium non explevit. Sub illo Candia à turcis capta est.

Clemens X. Romanus, antea Cardinalis Altieri, octogenario major creatus est Pontifex 28. Aprilis annno 1670. Sanctorum fastis adscripsit Bertrandum, Cajetanum, Benitium, Rosam Franc. Borgiam; ac postremò Pium V. Beatum declaravit. Obiit anno 1676.

Innocentius XI. Mediolanensis, antea Cardinalis nomine Odeschalcus, creatus est Pontifex annò 1676. qui pergit Ecclesiam feliciter gubernare. Hæc postremorum Pontificum tempora, & res præcipuæ in illis gestæ facilè adhuc recenti hominum memoriâ retinentur.

QUÆSTIONES RELIQUÆ.

De Conciliis Generalibus, ac Particularibus, cum varia eorundem notitia.

§. 1.

Spectantia ad convocationem, normam, ac potestatem Concilii generalis.

CUm de Conciliis, eorumque potestate pleraque Theologo necessaria hactenus tradiderimus, operæ pretium erit alia hic adjungere, quæ ad uberiorem eorum notitiam non tantum in Controversiis fidei, sed etiam in Theologicis, ac Canonicis resolutionibus usum frequentissimum habere solent. Suppositis ergo assertionibus quos hactenus stabilivimus.

Dico ulterius primo; Ad Concilium generale legitimum requiritur imprimis, ut à Romano Pontifice, vel cum ejus assensu convocetur, aut saltem ab ipso ejus convocatio rata habeatur.

Quia si Christus in terra conspicuus suam Ecclesiam per se gubernaret, haud dubiè ad illum spectaret Concilia generalia convocare. Ergo Christo in cœlum recepto, munus illud ad legitimum illius in terris Vicarium pertinere debet, non verò ad Imperatores, aut magistratus sæculares, uti contendunt hæretici. Unde factum ut Concilia ab his absque Pontificis consensu coacta, hactenus in Ecclesia pro

illegitimis habita fuerint, nisi postea subsecuta sit Pontificis ap-probatio.

Secundò requiritur, ut per se, vel suos Legatos Pontifex Concilio præsideat, vel accedente ejus approbatione hic defectus postea sup-pleatur, uti in Synodo generali 2. & 5. factum constat.

Tertiò, necesse est ut convocentur ex orbe Christiano quantum fieri potest omnes Episcopi, sic ut nullus ex Episcopis, qui diæcesim habet, positive excludatur, nisi per excommunicationem ab Ecclesia segregatus fuerit. Sufficit autem absolutè ad integritatem Concilii ut saltem ex potioribus orbis Christiani partibus Episcopi aliqui ad-veniant, qui possunt ex Pontificis assensu cæterorum vices, & vota supplere; uti docet Suar. *hic disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 7.

Obtinuit etiam consuetudo ut advocentur Cardinales, Generales Ordinum, ac nonnulli Abbates, qui omnes cum Episcopis exercent munus Judicis, & suffragium habent decisivum, ideoque cum illis signant; *Definiens subscripsi.* Alii verò Theologi qui advocantur Consultores, tantum signant, *Consentiens subscripsi.* Adsunt etiam plerumque Imperatores, Reges aut eorum Legati, tantum ut testes & Concilii defensores: his positis.

Dico Secundò, ab omni erroris periculo immunes sunt definitio-nes Concilii generalis absente etiam Pontifice conceptæ, si postea à Pontifice approbatæ fuerint. Quæ doctrina ad Concilia etiam par-ticularia extenditur, & inter Catholicos pro certa habetur.

Probatur primò, Quia approbatio Pontificia, de rebus à Conci-lio eo absente decisis, æquivalet Pontificiæ definitioni. Atqui ha-ctenus ostendimus Pontificas definitiones nulli errori obnoxias esse. Certa igitur est sequela.

Probatur 2. Quia Concilium generale cum Pontifice sic appro-bante definiens repræsentat totam Ecclesiam; hæc autem, dum Dei nomine loquitur, & aliquid definit, errare non potest. Idque confir-matur ex eo quod Concilii Nicæni primi decretum à S. Cyrillo *lib.* 1. *de Trinit.* vocetur sanctissimum & divinum oraculum: & S. Gre-gorius *c.* 1. *Epist.* 24. dicat se 4. Concilia generalia, quæ ipsum præ-cesserunt, suscipere ac venerari sicut quatuor Dei Evangelia.

Dico tertiò, Concilium generale in suis definitionibus errare non potest, si neque Patres Concilii Legatis Pontificiis repugnent, neque ipsi Legati contradicant mandato & instructioni quam à Pontifice privatim acceperunt.

Nonnulli sunt Doctores catholici, qui hanc assertionem pro certa non admittunt, nisi Pontifex per se rem prius definierit. Bellarm. tamen *lib.* 2. *de Concil.* dicit assertionem nostram videri certam: & Suar. hic *disp.* 5. *Sect.* 7. *n.* 10. certam censet, & inter Authores com-munem

munem. Ratio est quia hic concurrit totum quod requiritur ad Ecclesiam Dei nomine definientem; nempe universalis Concilii definitio simul cum instructione, assensu & mandato Pontificis ut res summâ potestate decernatur, quæ videntur positivæ Pontificis, approbationi æquivalere. Ergo nihil hic desideratur, quo minus Deus per totam Ecclesiam hoc modo legitimè congregatam & consentientem loqui censeatur. Dico; *per totam Ecclesiam*, quia definitio Concilii particularis, cum tali Legatorum instructione, non debet necessariò censeri ab omni erroris periculo immunis, cum concilium particulare universam Ecclesiam non repræsentet.

Dico quartò, Concilium generale congregatum absque authoritate Pontificis indubitati, potest in errorem prolabi. Certa est ex prædictis hæc conclusio

Et probatur, Quia assistentia Dei excludens errorem promissa est soli Pontifici, & Ecclesiæ universæ. Sed Concilium sic congregatum, neque est Pontifex, neque Ecclesia universa, cum non includat authoritatem Pontificis, qui est Ecclesiæ Caput & pars præcipua.

Dico quintò. Si Concilium generale congregatum sit pro aliqua necessitate Ecclesiæ, Sede vacante, aut vivente tantum dubio pontifice, suberit isti Concilio dubius Pontifex, eritque infallibile in iis quæ requiruntur, ut præsenti necessitati subveniatur.

Quia nisi in hoc casu authoritas suprema & ab errore libera concilio competeret, non satis prospexisset Christus gubernationi Ecclesiæ dum Sedes vacat, aut de remedio tollendi schismatis, quando inter plures contendentes de vero & indubitato Pontifice non constare.

Dico sextò, Concilium generale, etsi authoritate Pontificis congregatum, errare potest, si neque Legatis suis, neque concilio exposuerit Pontifex mentem suam de controversiis in unam partem decidendis, etiamsi cum Episcopis Legati sincerè consenserint. Hæc est communior sententia Doctorum cum Bellarmino *Hic lib. 2. cap. 11.* contra Bannez, Amicum &c.

Quia in tali definitione deest Concilio authoritas Capitis simul docentis. Legati autem non ita repræsentant Pontificem, ut illis docentibus censeatur Pontifex idem docere, cum neque Pontifex per suam instructionem id mandaverit, neque necessaria gubernatio ecclesiæ id requirat; pro rebus enim sic decisis postea Pontificis approbatio postulari potest. Non parum confirmatur hæc doctrina ex facto Concilii Calcedonensis *Act. 3.* quod in Epistola ad Leonem Pont. ubi postulat decretorum confirmationem, apertè fatetur se eam petere, quoniam præter decretum fidei contra Dioscorum, alia etiam quædam statuta erant sine expressa Pontificis sententia.

Neque refert, quod ante Pontificis confirmationem Concilia quosdam hæreseos damnaverint, ex eo quod suis decretis non obtemperassent; id enim factum est ex eo, quod Decreta illa manifestè Scripturis sacris, aut priorum Conciliorum definitionibus conformia fuerint.

§. 2.

Pertinentia ad Concilium Provinciale, ac Diœcesanum.

EX dictis etiam commodè intelligitur, quibus limitibus contineatur legitimus ordo, norma, & authoritas Concilii Provincialis, ac Diæcesani, quæ maxima ex parte, formam modumque Concilii generalis imitari solent; in quibus, præter ea quæ hactenus resolvimus.

Observandum primò, Metropolitanum teneri statutis temporibus celebrare Concilium provinciale, nisi ob legitimum impedimentum à summo Pontifice dispensationem obtineat.

Concilii verò hujus celebrandi tempus, causas, modumque præscribit Tridentinum Sess. 24. de Reformat. cap. 2. *Provincialia* (inquit) *Concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversias componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis renoventur. Quare Metropolitani per se ipsos, vel illis legitimè impeditis, Coepiscopus antiquior . . . quolibet saltem Triennio post octavam Paschæ, seu alio commodiori tempore pro more Provinciæ, non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere*, ita Trid. In India tamen, ob distantiam Episcoporum comprovincialium, hoc triennii tempus ad Concilium celebrandum usque ad sextum annum à Sede Apostolica prorogatur.

2. Concilio Provinciali tenentur inesse Episcopi omnes, & alii qui jurisdictionem Episcopalem obtinent, ut sunt aliqui Abbates, & Priores, & quicunque alias jure vel consuetudine interesse solent, nisi obstet itineris grave periculum. Possunt quoque ex deputatione Pontificis adesse aliqui Presbyteri, aut diaconi, & simul definiendi jus habere, ut factum est in Synodo sub Symmacho Papa in Italia, in qua aliqui Presbyteri & Diaconi subscripserunt; est enim hic actus non ordinis, sed jurisdictionis, quæ vel consuetudine vel alio modo obtineri potest. Alii verò exempti, ubi consuetudo contrarium non obtinuit, cogi non possunt à Metropolitano ut ad provinciale Concilium accedant.

Abbates commendatarii & Capitulorum deputati obtinent vocem duntaxat consultivam; Episcoporum verò absentium procuratores possunt etiam habere vocem decisivam, si Concilio provinciali visum fuerit.

Quam-

Quamvis etiam Capitula Ecclesiarum Cathedralium sint specialiter ad Concilium invitanda, & possint etiam justas ob causas Laici quidam admitti, in eo tamen votum sive suffragium merè consultivum habere possunt, uti diximus de Imperatore, aut Rege in Concilio generali.

3. Decreta quæ in Concilio provinciali conduntur, non debent inconsulto Pontifice Romano publicari.

4. Ad observationem decretorum Concilii provincialis obligantur omnes qui Episcopali jurisdictioni subduntur. Ad hanc tenentur etiam Exempti, ut sunt Regulares, in casibus quibus à jure communi, & Concilii decretis, specialiter Episcopis in eos potestas attributa est: & contra refractarios per juris remedia procedi potest.

Electio loci ad celebrandum Synodum provincialem posita est in arbitrio Metropolitani. Cessantibus tamen justis impedimentis non esse reliquendam Ecclesiam Metropolitanum censuit Sacra Congregatio Concilii.

5. Synodum Diæcesanam quotannis celebrandam statuit Tridentinum supra *Sess.* 24. *de reform. cap.* 2. Ad hanc tenentur convenire etiam Exempti, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur. Ratione parochialium Ecclesiarum accedere debent omnes qui earum curam gerunt.

Quod si Episcopus fuerit legitimè impeditus, potest celebrare Synodum Diæcesanam per procuratorem, aut suum Vicarium generalem sufficienti mandato instructum.

6. In Constitutionibus autem legitimè Sanciendis non requiritur consensus & approbatio Cleri, sed tantum assensus Capituli; sed neque hunc sequi necesse est, præterquam in quibusdam casibus à jure expressis.

§. 3. *Exponitur series & gesta Conciliorum generalium, quæ pro Legitimis aut Illegitimis haberi debent.*

AMplioris scientiæ causa, peculiari studio hic in compendium contrahemus Seriem Conciliorum Generalium, quæ hactenus in Ecclesia celebrata fuêre, prout recensita reperiuntur cum notitia rerum in iis præcipuè gestarũ; ubi & Concilia probata ab improbatis, ac legitima ab illegitimis, cum varia in iis observatione, secernemus. Mirum enim in modum hęc notitia conducet ad distinctionem temporum quibus singula celebrata sunt, ad variorum dogmatum decisionem, ad peritiam Ecclesiasticæ historiæ, ad resolutiones Controversia-

versiarum plurimarum, quæ ab accurata horum observatione dependent.

Quamquam in notando ordine, præsertim annorum, non contendimus omnia ad amussim sibi constare, cum in multis necesse sit sequi Chronologos, qui in signando tempore, ac numero non rarò discrepant.

Concilia generalia quæ hactenus Legitima fuerunt octodecim numerantur.

PRimum est Concilium Nicænum, cui interfuerunt 318. Patres, inchoatum anno 327. & absolutum anno 330. uti cum communiori tradit Bellarminus, vel ut placet Baronio ac Binnio, anno 325, & cœptum, & absolutum, Præsides hujus Concilii fuerunt Pontificis legati Osius Episcopus, Vitus & Vicentius Presbyteri, quorum proinde nomina ante omnes extant Concilio subscripta. Convocatum fuit Concilium Nicænum à S. Sylvestro Papa, & Constantino Imperatore, qui Concilium ingressus non nisi annuentibus Episcopis sedere voluit; dein habitâ ad eos oratione latinâ, professus est non esse deinceps suum, sed Episcoporum judicare, ac proinde, post omnes Episcopos subscripsit, uti refert Basilius Imperator sub finem *Synodi* 8. *Actione* 20. Coactum fuit hoc Concilium præcipuè contra Arium, qui Christi divinitatem negabat, quæ in Concilio definita est, & alia circa diem paschatis controversia Decreta hujus Concilii Romam perlata collectis Italiæ Episcopis à S. Sylvestro approbata fuêre. De numero Sessionum hujus Concilii non liquet, cum non omnia ejus acta, sed tantum viginti Canones supersint.

Secundum generale Concilium numerari solet Constantinopolitanum primum, quamvis alii Sardicense præponant; Inchoatum fuit anno 383. ut tradit Bellarminus, vel biennio citius, ut placet Baronio. Non præsedit in hoc Concilio Damasus Pontifex per se, aut per suos Legatos; sed ab eodem confirmatum fuit in his quæ fidem Catholicam concernunt, teste Photio in *lib. de* 7. *Synodis*. Septem tantum hujus Concilii Canones, nulla verò Acta à Binnio adferuntur. Interfuerunt Episcopi Catholici 150. ac prætereа 36. Macedoniani sive Semi-Ariani, ut ex Socrate refert Baronius. Convocatum fuit à Theodosio seniore Imperatore ex mundato Damasi Pontificis, uti patet ex epistola Concilii ad Damasum apud Theodoretum *lib.* 5. *hist. Eccles. cap.* 9. apud Bellarminum & Baronium. Causa hujus Synodi convocandæ præcipua fuit, 1. ut fidem Concilii Nicæni confirmaret, 2. Gregorium Nazianzenum Costantinopoli Episcopum stabiliret: sed firmavit insuper Spiritus Sancti divinitatem contra Macedonium, qui eo tempore illam negabat.

Ter-

Tertium eſt Conc Epheſinum primum, in quo numerati Epiſcopi plusquam ducenti. Convocatum fuit anno 430. ut vult Baronius, vel 434 ut tradit Bellarminus: idque authoritate Cœleſtini Papæ, cujus vice præſedit Cyrillus Alexandrinus aliique Legati, & opera Theodoſii Imperatoris Junioris qui Candidianum Comitem miſit ad Synodi defenſionem, eâ conditione ut non immiſceret ſe negotiis fidei, & Eccleſiaſticis, conditionem tamen non ſervavit Candidianus. Damnatus eſt à Synodo Neſtorius, quem Pontifex non voluerat de novo ſubjici examini, ſed damnari juxta ſententiam à ſe Anno præcedenti latam in Concilio Romano. Confirmata fuit, inquit Binnius, ut conſtat ex Epiſtola Cœleſtini 2. ad Synodum ſcripta, & ex actis Concilii in cauſa Neſtorii Romæ habiti, utrobique etiam ob eandam cauſam hæreſiarcha damnatus fuit.

Quartum eſt Calcedonenſe 630. Epiſcoporum contra hæreſim Dioſcori, & Eutychetis Archimandritæ, qui unam tantum in Chriſto naturam aſſerebat, celebratum in ſuburbiis Chalcedonenſibus in templo S Euphemiæ anno 451. juxta Baronium alioſque. Confirmavit Synodum id petentem, geſtaque ejus, in ſola tamen cauſa fidei, approbavit Leo, ut patet ex ejus *Epiſtola ad Synodum* 59.

Quintum autem generale & legitimum Concilium (ut patet ex Niceno Secundo Actione prima) fuit Conſtantinopolitanum Secundum contra Originem, & tria Capitula. 255. Epiſcoporum. Inchoatum eſt anno 553. ut Bellarminus, Baronius, aliique Calendis Maii, finitum quarto Non. Junii ejusdem anni, habitis collationibus octo. Convocatum fuit à Juſtiniano Imperatore conſenſu quidem Vigilii Papæ, ſed non obſervatis à Vigilio præſcriptis, cui contra voluntatem ſuam convenienti, nec per ſe nec per Legatos præſedit, morbum allegans, etſi in eadem civtiate eſſet: ſed præſedit non Imperator, non Mennas, ſed Mennæ ſucceſſor Euthiches Patriarcha Conſtantinopolitanus. Quod Synodum probare nollet in exilium miſſus Vigilius, inde tamen redux poſt medium annum eam probavit Epiſtola ad Eutichium quæ antehac ignota, operâ Petri de Martha ex Regia Pariſienſi bibliotheca deſumpta, extat modò in 12. Tom. Conciliorum impreſſionis Pariſienſis pag. pag. 262.

Sextum eſt Conſtantinopolitanum tertium, contra Monothelitas, Epiſcoporum 289. Celebratum in Secretario quod vocatur Trullis anno 680. Inchoata eſt prima actio die 17. Novemb. ultima autem & 18. die 17. Septemb. anni ſequentis. Convocatum fuit Concilium conſenſu Agathonis Papæ ab Imperatore Conſtantino Pogonato, qui omnibus fere actionibus interfuit quidem, & eminentiori loco præſedit, ſed non ut Judex, verum ut Propugnator. Reverâ enim præſederunt Pontificis Legati Petrus & Georgius Presbyteri, & Joan-

Joannes Diaconus, qui ubique loquuntur primi, subscribunt primi; Imperator autem sententiam non tulit, & ultimo subscripsit. Acta ibi sunt omnia ex præscripto Agathonis. Confirmationem ab eo petiit Synodus: obtinuisse dicitur communiter à Leone II. sed Epistola Leonis confirmatoria quæ circumfertur spuria videtur Baronio, Binnio, aliisque.

Septimum est Nycænum Secundum, contra Iconomachos Episcoporum 350. Actio ejus prima habita anno 787. octavo Calend. Octob. 7. & ultima 3. idus Octob. convocarunt illud Imperatores Constantinus & Irene ejus mater consensu Adriani I. Papæ, cujus Legati Petrus Archypresbyter, & Petrus Abbas S. Sabbæ & præsederunt, & nominantur, & subscripserunt primi. Omnia ibi acta sunt ex præscripto Adriani, qui Concilium deinde confirmavit teste Binnio.

Octavum est Constantinopolitanum quartum, in causa Photii per vim intrusi in Patriarchatum Constantinopolitanum, Episcoporum 383. vel ut alii 102. Actio prima habita anno 869. 3. Non. Octobris 10. verò ultima Februarii sequentis. Convocatum est mandante Adriano Papa industriâ Basilii Imperatoris, qui interfuit quidem Concilio, sed in fine protestatus est non esse suum, nec ullius Laici Ecclesiasticis negotiis se immiscere. Tandèmque post Patriarchas omnes ante Episcopos ita volentes subscripsit non definiens, sed Synodum suscipiens, protestansque se post Episcopos debuisse subscribere: primi autem subscripserunt qui præsederunt Legati Pontificii Donatus & Stephanus Episcopi, ac Marinus Diaconus. Synodus in principio Epistolæ ad Adrianum quæ exstat ad finem actionis decimæ, testatur nil statutum à se esse nisi quod jam ante à Nicolao decretum, & firmatum ab Adriano Pontificibus, petit Synodum recipi & confirmari, confirmatam autem esse testatur Baronius aliique cum Binnio, qui id in suis notis fusius ostendit.

Prædicta Concilia in Oriente, sequentia in Occidente celebrata fuêre.

Nonum itaque Concilium fuit Lateranense 300. & amplius Episcoporum, convocante, præsidente, & confirmante Calisto II. anno 1122. pro pace & concordia inter Ecclesiam & imperium, nec non pro terra Sancta à Saracenis recuperanda.

Decimum Lateranense secundum Episcoporum fere mille, convocante, præsidente, confirmante Innocentio II. Papa anno 1139. celebratum contra Anacletum & Victorem anti-Papas, & Arnaldum de Brixia, ac pro reformatione morum. Hujus & præcedentis acta intercidisse dicuntur.

Undecimum, Lateranense tertium, Episcoporum amplius 300. convocante, præsidente, confirmante Alexandro Papa anno 1179. contra

contra Catharos (quos Waldenses & Albigenses aliqui appellant) & Schismaticos ab anti-Papis ordinatos, ac pro morum reformatione. Acta ejus comprehenduntur cap. 27. apud Binnium, ubi additur appendix actorum per partes 50. in alia capita distributa.

Duodecimum Lateranense quartum Episcoporum adminus 400. aliorum verò Patrum puta Abbatum, Priorum Conventualium 800. Convocante, præsidente, confirmante Innocentio tertio anno 1215. contra hæreses Albigensium, ac errores Abbatis Joachim, nec non pro recuperatione terræ Sanctæ, &c. Acta exstant apud Binnium in capita 70. distincta.

Decimum tertium, Lugdunense primum, Episcoporum 140. convocante præsidente, confirmante Innocentio quarto anno 1245. causâ Friderici Imperatoris deponendi, expeditionisque in terram Sanctam suscipiendæ. Tertiâ sessione depositus etiam Imperator, & condita decreta quæ refert Binnius.

Decimum quartum, Lugdunense secundum, Patrum, ut ait Bellarminus, fere mille, convocante, præsidente, confirmante Gregorio X. præsente Michaële Paleologo Græcorum Imperatore anno 1274. contra errores Græcorum, & pro Recuperatione terræ Sanctæ; ubi facta est unio cum Græcis, maximè operâ S. Bonaventuræ.

Decimum quintum, Viennense in Gallia, Episcoporum 300. & amplius; convocante, præsidente, confirmante Clemente 5. anno 1311. contra Fratricellorum, Beguardorum, Beguinarum hæreses, extinctus in eo est Templariorum Ordo Nec hujus, nec præcedentis acta refert Binnius, plurimæ eorum constitutiones exstant in Jure Canonico.

Secutum est anno 1414. Conc. Constantiense, & Basileense, de quibus infra inter illegitima.

Decimum sextum, Florentinum anno 1438. rogatu Joannis Paleologi Grecorum Imperatoris, qui deinde interfuit, convocatum ab Eugenio IV. qui præsedit: Ferrariæ inchoatum. Inde habitis sessionibus 16. propter pestem translatum Florentiam, sed non finitum ibi anno 1429. ut plures putarũt, sed continuatum ibidem per tres alios annos, unde Florentiæ habitæ sunt plus quam octo sessiones illæ quę præter relatas 16. reperiuntur solum apud Binnium; tum verò translatum Romam ubi duravit saltem usque ad annum 1445. ut patet ex actis Florentinæ Synodi, editis in lucem per Horatium Justinianum Oratoristam, postea Cardinalem. Ita Pallavicinus in actis Synodi Tridentinæ *lib. 6. cap.* 11. De numero Patrum qui interfuerint non satis liquet, convocatum autem fuit contra errores Græcorum.

Decimum septimum, Lateranense V. anno 1512 inchoatum sub Julio 1. qui quinque primis sessionibus partim per se, partim per

suum legatum præsedit. Sessio autem 6. habita præside Leone X. successore Julii anno 1513. sub quo post habitas alias sex sessiones finita etiam anno 1517. Concilium confirmavit deinde Leo, habitum autem fuit ad tollendum schisma propagatum per Conciliabulum Pisanum anno 1511.

Decimum octavum, Tridentinum, cœptum anno 1545. sub Paulo 3. sub quo Octava sessio habita est Tridenti 11. Martii anno 1547. Inde Bononiam translatum, ubi celebrata eodem Anno sessio 9. & 10. Tum verò sub Julio 3. anno 1551. habita item Tridenti sessio 11. 12. 13. 14. & anno 1552. habita sessio 15. & 16. Tum verò sub Pio IV. anno 1562. ibidem sessio 17. 18. 19. 20. 21. 22. Anno 1563. sessio 23. 24. & 25. ultima. Non semper iidem præsedêre Legati Pontificii tot annorum spatio. Non semper iidem, aut æquè multi interfuêre Patres. In fine Concilio subscripsêre Patres 255. Denique à Pio IV. anno 1563. 7. Cal. Februarii confirmatum est hoc Concilium, quod est postremum œcumenicum contra emergentes Lutheri, aliorumque hæreses, & pro morum reformatione, summo Ecclesiæ bono celebratum.

Concilia Septem generalia dicta, sed Illegitima.

CONstantinus Imperator Orientis anno 341. Antiochiam convocavit 90. vel amplius Episcopos ex Oriente, inter quos 36. Ariani, sed Arium ut simulabant, abjurantes. finitâque dedicatione ab illis celebratur concilium illud, quod dicitur Antiochenum, præsente Constantio, in quo ab Arianis damnatus est Athanasius, successorque ei statutus, & via patefacta ad eversionem Concilii Nicæni primi per 4. subdolas fidei formulas. Non apparet cur hoc Concilium debeat dici generale.

Secundum, Mediolanense plusquam 300. Episcoporum ferè Occidentalium, pluriśque Orientalium impeditis. Anno scilicet 355. permissu Constantii Imperatoris generalem Synodum Mediolanum convocârat Liberius Papa, eoque miserat Luciferum Episcopum Calaritanum, Pancratium Presbyterum, & Hilarium Diaconum legatos Inchoatum fuit Concilium in templo absente Imperatore, populumque veriti, simul cum aliis Arianis, imò & reliquis, ex templo aufugerunt ad Palatium Imperatoris, qui omnes Episcopos per vim coegit subscribere damnationi Athanasii, cujus causa ut examinaretur indictum fuerat Concilium; & recusantes Legatos, & virgis prius cæsum Hilarium aliosque in exilium relegavit. Unde etsi Concilium hoc legitimè fuerit inchoatum, in progressu tamen & exitu omnino illegitimum fuit.

Tertium, Ariminense, Episcoporum 600. sub Constantino anno

372. ita

372. ita Bellarminus. Verum Baronius, Binnius, aliique distinguunt duo Concilia Ariminensia, unum generale legitimum plus quam 400. Episcoporum, qui omnes fere Catholici & Occidentales anno 359. sub Liberio Papa, qui per Legatum suum Vincentium Episcopum Capuanum aliosque præsedit. Comprobata in illo est communi Patrum decreto Nicæna fides, damnatique præsens Ursatius, Valens, aliique Ariani. quo peracto finitum Concilium, Patribus ab Imperatore missionem petentibus.

Aliud verò Conciliabulum illegitimum & reprobatum post aliquot menses à dissolutione Concilii ibidem coactum, in quo fraude Arianorum præsertim Ursatii & Valentis, ac minis Imperatoris paulatim omnes fere Episcopi Catholici, sed diutissimè resistente Servatio, subscripsere formulæ fidei, in qua nomen homousios omissum est, quamq; Arianam esse deinde jactarunt Ariani. Unde illud Hieronymi, *Ingemuit orbis terrarum, & se Arianum esse miratus est.*

Quartum, Ephesinum secundum anno 449. Episcoporum 128. convocatum inscio Pont. Leone ab Imperatore Theodosio, qui Præsidem Concilii constituit Dioscorum Alexandrinum, facultatemque ei dedit convocandi quos vellet Episcopos. Convocavit verò, qui Eutichetis sententię faverēt, omissis qui maxime resisterent. Citatus Papa non comparuit, sed Legatos misit Julianum Renatum, atq; Hilarium, qui tamen non sunt permissi præsidere. Omnia vi & minis ibi acta; Eutiches absolutus ejusq; heresis confirmata, occisus Plavianus Constantinopolitanus Episcopus; fugati Legati Pontificii. Unde prędatoria Synodus, & latrocinium meritò vocatum fuit & à Chalcedonensi Concilio, cui illius acta inserta sunt, prorsus reprobatum.

Quintum Constantinopolitanum, fuit tempore Gregorii 2. & Leonis Isaurici Iconomachi anno 730. contra sacras imagines; ita Bellarminus; hujus tamen Concilii mentionem non facit Baronius, aut Binnius, nec videtur esse œcumenicum.

Sextum, Constantinopolitanum pseudoseptimum dictum, sub Constantio Copronimo tempore Stephani 2. anno 754. Fuit. 338. Episcoporum Iconomachorum Orientalium, qui damnarunt cultum sacrarum imaginum. Reprobavit illud Stephanus, & deinde Synodus Oecumenica Nicæna 2. quæ fuit omnino legitima.

Septimum, Pisanum contra Julium 2. anno 1510. aut citius convocatum à Cardinalibus hæreticis, & Schismaticis, & paulò post in Lateranensi V. Concilio reprobatum fuit.

Concilia generalia partim approbata, partim reprobata septem enumerantur.

PRimum Sardicense Episcoporum 376. anno 351. Sed notat Baron, aliique, duo fuisse Sardicensia Concilia, unum generale & legi-

legi-

legitimum circa annum 347. Aliud particulare 76. Arianorum qu Concilium quod Philippopolim delapsi ibidem celebrarunt, Sardi censе vocarunt, ab omnibus Catholicis deinde rejectum, & nun quam pro legitimo habitum fuit.

Secundum Sirmiense anno 356. vel ut Baronius 357. addens potius fuisse conventiculum satanæ convocatum à Constantio Imperatore damnatus quidem in ea fuit Photius, & edita prima formula fidei quam Hilarius catholicam dixit, cui tandem nimis cedens subscri psit Papa Liberius. Concilium hoc ponit Petavius potius anno 351.

Tertium, Concilium Quini-sextum Constantinopolitanum in Trullo celebratum anno 692. Petavio anno 707. Unde ejus Canones Trullani dicti Convocatum fuit inscio Rom. Pontifice Sergio, qui ideo ei ne quidem per Legatos præsedit, sed illud statim reprobavit, teste Beda apud Binnium Canones itaque nulli ex 102. quos condidit illa Synodus ex illa authoritatem habent, admissis tamen Catholicis aliquibus quia per se sanæ erant doctrinæ.

Quartum, Francofordiense 300. circiter Episcoporum ex Italia Gallia, Germania, & Britannia, præsentibus Legatis Papæ Adriani qui illud convocari permiserat, à Carolo Magno Francor. Rege, qui deinde eidem interfuit. Verum Concilium hoc celebratum anno 794 œcumenicum non est, cum nulli Orientales interfuerint, neque generale esse voluerit Pontifex, sed provinciale vel nationale fuisse dicunt Binnius, aliique. Ea quæ de filiatione Christi naturali in eo definita reperiuntur, sine dubio ab Ecclesia sunt approbata. Dicitur autem à Bellarmino aliisque, per Ecclesiam reprobata esse damnatio Synodi Nicænæ secundæ quam fecisse fertur hoc Concilium, sed putat Binnius Concilium hoc nil statuisse contra Nicænam, eo quod alia pars decretorum illius, utpote particularis Concilii approbata non fuisset.

Quintum, Pisanum anno 1409. ad tollendum Schisma, Gregorio 12 & Benedicto 13. se pro Pontifice gerentibus, congregatum, à Cardinalibus utriusque Obedientiæ præsentibus Episcopis 180. Abbatibus 300, à quibus omnibus sess. 15. depositus est uterque Agapita. sess 17. data facultas Cardinalibus eligendi Papam, qui post sessionem 19. elegerunt Alexandrum V. Huic demortuo successit deinde Joannes 23. Concilium hoc fuisse illegitimum volunt aliqui. Legitimum putat cum aliis Spondanus, sanè inter Pontifices veros computatur Alexander V. qui in eo electus fuit.

Sextum, Constantiense anno 1414. ratione ejusdem schismatis, & contra Hus & Wiclefi convocatum est rogatu Sigismundi Imp. à Joanne quem XXIII communiter dicunt, quia I. sessioni interfuit una cum Imperatore, & sessione 2. habita 2. Martii 1415, promisit,

vovit,

vovit, juravit se cessurum Papatu, quando Petrus Luna Benedictus XIII. dictus, & Angelus de Corario Gregorius XII. dictus simpliciter cederent. Interim noctu 21. diem Martii præcedente prædictus Joannes clam aufugit, quare sessio 3. habita est 26. Martii absente Joanne, fugam suam per litteras excusante. Quarta sessione declaravit Synodus quod ipsa potestatem à Christo habeat immediatè, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis etiamsi papalis existat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris. Circa quam declarationem quoniam ab aliquibus perperam sustinetur.

Nota primò, ex Eugenio IV. in constitutione Moyses &c. illam non esse accipiendam in sensum generalem, ita ut Concilium quandoque sit supra quemcumque Pontificem, sed ita ut illud Concilium esset supra Papam dubium, prout tunc erant illi tres de Pontificatu contendentes Nota secundò Concilium illud sess. 4. & 5. in qua declaratio allegata confirmata fuit, non fuisse Concilium generale, cum tantum interesset obedientia Joannis XXIII. Deinde declarationi illi nullus consensit Pontifex.

Sessione 8. ab iisdem damnatus Wiclef sessione 12. tandem Patrum sententia Pontificatu depositus Joannis XXIII. qui sententiam auditam approbavit, & reipsâ cessit Pontificatu, quâ facta cessione Pontificatu omninò excidit.

Sessione 14. postquam sponte Papatu cessisset Gregorius XII. absens, Cardinales ipsius Obedientiæ in concilium admissi cum reliquis sess. damnatus præsens Joannes Hús, vivusque combustus.

Sessione 37. tandem definitiva sententiâ Pontificatu depositus Benedictus 13. cedere nolens: & sess. 41. anno 1417. electus in Pontificem Martinus V. qui sess. 45. Concilium dimisit. Edita autem constitutione quæ incipit. *Inter Cunctas*, sacro approbante Concilio solum approbavit quod gestum erat contra errores Wicleffi, aliorumque, non approbavit autem quæ sess. 4. & 5. declarata retuli, imò in eadem constitutione statuit, inter alia interrogatoria de hęresi suspectis proponenda, etiam hoc, Utrum credat quod Papa canonicè electus qui pro tempore fuerint, sit successor P. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei. Certum autem eam non habere si non sit major concilio Quod ergo sess. 4. statutum erat de Concilio supra Pontificē, nullo modo de Pontifice indubitato intelligi voluit.

Septimum, Basileense à Martino V. indictum, & sub Eugenio IV. legitimè inchoatum anno 1431. sed in progressu variæ inciderunt controversiæ de authoritate Papæ &c.

Prima sessio habita est 14. Decemb. præsidente Juliano Cardinali

Ponti-

Pontificio legato. Interim Eugenius, 18. Decemb. edito Rom. decreto, Concilium si quod Basileæ congregatum videretur dissolvit. Patres autem Basileæ congregati de hoc Eugenii decreto publicas ad universos fideles litteras dedêre, quibus declarant decrevisse Concilium Basileæ continuare, quod & fecerunt.

Sessione itaque secunda, quam celebrarunt 15. Cal. Martii anni sequentis præsidente etiam Juliano, confirmarunt in primis decreta sess. 4. Constantiensis, statueruntque Concilium esse supra Pontificem. Aliis deinde sessionibus Eugenium IV. citarunt, accusarunt, contumacem declararunt Sess. 16. litteræ Eugenii recitantur, in quibus pacis studio declarat, Concilium illud à prima inchoatione legitimum fuisse, & irritas jussit esse priores litteras Concilii dissolutivas. Notandum autem Eugenium non approbare illis litteris omnia quæ usque ad hanc sessionem à Concilio gesta sunt legitima esse, imò positivè reprobat ea omnia quæ contra ipsos Cardinales &c. decreta erant, ipsum Concilium tantum approbavit, jussitque legitimum esse.

Sessione autem 18 nullo Præsidente. Pontificio Legato, Concilium repetit iterum decretum Constantiense. Non constat quibus deinde sessionibus legati præsederint, constat ipsos decretis Concilii opponentes non fuisse auditos sess. 21. & 24. imò opus deinde fuisse Tarentino armis se tutari. Deinde à sessionis 31. tempore, id est anno 1438. Cal. Febr. dilapsus Basileâ Julianus, qui olim Concilio faverat, aliique omnes Cardinales, uno excepto Arelatensi, quem deinde Præsidem Concilii crearunt. Hoc itaque Præside Concilium ita segregatum à Romano Pontifice, ut neque speciem Pontificiæ authoritatis præ se ferret, convocatis Presbyteris, quibus loco Episcoporum, paucissimi enim aderant, suffragii jus datum, & in manus data Sanctorum reliquiæ sess. 33.

Sessione 34. Eugenium Pontificatu deponunt. Sess. 39. in anti-Papam eligunt Amadeum Ducem Sabaudiæ, qui dictus fuit Felix V. Quo deinde Pontificatu cedente Nicolaus V. Eugenii IV. successor dedit hoc novæ concordiæ, ut confirmaret acta quædam Basileensia ad beneficia Ecclesiastica, & censuras pertinentia. Præter hæc nihil omninò approbavit, ut ex ejus Bulla satis apparet. Certum non tantum Eugenius, sed & deinde Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 11. decreta Basileensia damnarunt, ac proinde nullum possunt ab authoritate hujus Concilii robur habere.



TRA-

TRACTATUS SECUNDUS DE CONTROVERSIIS PARTICULARIBUS.

MODERNIS ET V. IANSENIANIS.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur methodus in sequentibus controversiis præcipuè observanda.

STatuenda sunt hic quatuor principia ab ipsis Sectariis communiter concessa, & necessariò admittenda : ex quibus singulas controversias in particulari ita deducemus, ut cogatur Sectarius veritatem Catholicam admittere, vel suis principiis contradicere, per viam argumentandi brevem & cuivis legenti apertam.

Primò, Admittunt nobiscum Sectarii Scripturæ sacræ authoritatem esse infallibilem : ac proinde in quavis controversia ab ea parte stare victoriam, pro qua verus Scripturæ sensus declaratur.

Secundò, Docent ipsi ut fidei suæ dogma indubitatum, Ecclesiam primitivam, quæ duravit post Christum annis circiter quingentis, sanctam, incorruptam, & omnis erroris expertem fuisse : ac proinde verum Scripturæ sensum tenuisse, ac fideliter docuisse. Nam nisi admitterent Ecclesiam saltem primitivam non errasse, fateri deberent nunquam post Christum veram Ecclesiam in mundo fuisse, cùm prorsùs impossibile sit veram Ecclesiam sine vera fide existere : aliàs enim esset vera, & non vera, quod apertè repugnat.

Hinc tertiò, Admittunt Patres primitivæ Ecclesiæ veram Christi fidem tenuisse & docuisse, atque in ea docenda verum scripturæ sensum cognovisse. Undè sequitur illorum qui tunc vixerunt Patrum authoritatem & communem consensum, in quavis fidei contro-

versia recipiendum esse: quos & ipsi pro suis dogmatibus omni studio adducere conantur.

Et patet primò, quia cum Patres illi fuerint primitivæ Ecclesiæ Pastores & Doctores, non potueruntveram illius doctrinam ac sensum ignorare. Si enim ipsi Ecclesiæ Doctores ejus doctrinam ignorassent, multò magis aliis ignota fuisset: unde sequeretur nullam fuisse in primitiva Ecclesia legitimam Verbi Dei prædicationem, quam tamen ipsi sectarii primariam veræ Ecclesiæ notam agnoscunt.

Patet secundò, Quia illorum Patrum scripta in primæva Ecclesia passim recepta, & perpetuo usu approbata fuerunt. In scriptis autem sic approbatis Ecclesiæ tunc approbantis authoritatem, sensum & testimonium possidemus. Præterea, eorum libri ad impugnandos errores & hæreses à primitiva Ecclesia perpetuò adhibiti fuerunt; hoc autem fieri non potuit, nisi doctrinam in iis contentam, veram, solidamque agnosceret; non enim potest per doctrinam quæ erronea est, error debitè impugnari.

Patet denique, ex eo, quod SS. Patres in primitiva Ecclesia pro Sanctis agniti fuerint, & ipsi sectarii pro talibus eos agnoscant. Unde necessariò sequitur eos veram & communem fidem profiteri debuisse; vera enim sanctitas sine vera & saltem communi fide nullo modo subsistere potest; quinimò docent sectarii solam esse fidem, quæ per se hominem verè justum & sanctum constituit.

Hi igitur primitivæ Ecclesiæ Patres, in suis scriptis unanimi consensu posteritati traditis, sunt indubitati testes fidei, & doctrinæ quam olim profitebatur vera Christi Ecclesia, cujus ipsi ad populum præcipui interpretes, & Doctores fuerunt. Si enim horum testimonium & consensus non sufficiat, nulli prorsùs Ecclesiæ primitivæ idonei testes adduci poterunt Eoque magis quod illi modò sint arbitri maximè sinceri, & incorrupti, ut sententiam ferant de exortis hoc ævo controversiis, de quibus olim nihil audierunt, sed absque omni partium studio doctrinam à vera Ecclesia acceptam, solo veritatis amore, posteris suis puram, sinceramque tradiderunt.

Hoc quoque argumentum pro authoritate Patrum, qui se in primitiva Ecclesia antecesserunt, adducit ipse Augustinus contra „ Julianum hæreticum l. 2. c. ult. *Nondum vobiscum apud illos Iudi-* „ *ces (Patres) aliquid agebamus; & apud eos acta est causa nostra;* „ *nec vos, nec nos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra* „ *vos sententias citamus: nondum vobiscum certabamus, & eis pro-* „ *nunciantibus vicimus.*

Quartò, Principium certum est etiam apud sectarios: Hæreticam esse eorum doctrinam, quos primitiva Ecclesia pro hæreticis damnavit

navit. Nam si eorum doctrina erronea & hæretica non esset, vera primitiva Ecclesia eam reprobando in fide errasset, & hoc ipso vera Christi Ecclesia non esset.

Ex his igitur principiis, quæ ipsi sectarii pro manifestis agnoscere debent, procedemus ad doctrinam cum Ecclesia Romana controversam ipsis perspicuè demonstrandam, hoc modo:

Illa doctrina & sensus scripturæ debet esse verus, quem tradidit primitiva Ecclesia per suos Patres & Doctores, qui veram Ecclesiæ fidem præ omnibus perspectam habuerunt, aliis prædicârunt, & librorum suorum monumentis posteritati consignarunt, ut pluribus ostensum est.

Atqui doctrina Ecclesiæ Romanæ, quam in sequentibus controversiis proferemus, est talis, ut in singulis ostendemus. Ergo Ecclesiæ Romanæ doctrina necessariò debet esse vera.

Item, Illa doctrina necessariò est falsa, quam in antiquis hæreticis primitiva Ecclesia damnavit.

Atqui doctrina Romanæ fidei opposita est talis, ut infrà patebit; Ergo illa necessario est falsa. Atque hæc argumentandi ratio ex propriis principiis desumpta, cuivis sectario facilis esse debet, & eorum quibus hæc scribo captui, & utilitati maximè accommodata.

Quod si adversarii hâc methodo convicti, conentur ad novas scripturæ latebras declinare, adigendi erunt ad Methodum triplicem supra assignatam *part. 1. cap. 6.*

CAPUT II.

De Fide, Operibus, Gratia, & prædestinatione.

§. I. *Sectarii refelluntur.*

1. DOcent primò Catholici, Fidem, & bona opera peccatorem disponere ad justificationem, & gratiam primam; quà transfertur à statu peccati ad statum gratiæ, & filiorum Dei.

Docent secundò, Per Fidem, & bona opera justum mereri justificationem secundam, sive augmentum gratiæ, & justitiæ semel acquisitæ, adeoque digna esse mercede, mediante tamen semper gratiâ & meritis Christi, *Trid. sess. 6. Cap. 8.*

Contrà docent tam Lutherani, quam Calvinistæ, solam Fidem ad salutem & justitiam sufficere. Bona opera ad salutem neq; necessaria esse, neque utilia; Imò omnia justorum opera esse peccata, & illos tantum esse justos per justitiam Christi illis imputatam.

Visa est *Voetio* cum quibusdam modernis Sectariis, nimis cruda, ac rigida hæc suorum Prophetarum Lutheri, & Calvini oracula. Illa igitur ipsi novo spiritus afflatu sic reformanda censuerunt, ut per

bona Opera obtineantur aliqua justificatio non quidem in hac vit[a] sed saltem in futura. Sed hoc ipsum ut nimis laxum contrario Spiri[tu] damnat Samuel Maresius, & acerbè exprobat Voetianis, *Illos plu[s] quam mediam partem victoriæ Papistis concedere.* Ita *loquitur in su[is] Diatribis de statu afflicto modernæ Theologiæ apud Confœderatos pag. 8.*

Sed patent priora quæ retulimus dogmata, ex ipsis Calvini verbi[s] referentis tam suam, quam Lutheri doctrinam *lib. 1. de libero arbitri[o]* „ *pag. 141. Peccare justos etiam in operibus bonis, & bona opera esse ex[...]* „ *mortalia peccata* (ait) *nihil est in istis verbis quod non simpliciter, &* „ *citra ullam figuram verum sit.* Item Lutherus *In Confut. Lato[m.]* „ *fol. 220. Omnis justitia est immunda, omne opus bonum peccatum* „ Denique Calvinus *in antidot. pag. 291. In eo differt à Lege Evange[*lium, quia non sub conditione operum, sicut illa, sed ex fide vitam pro]*mittit.* Et hæc est communis Sectariorum Confessio, quæ jux[ta] traditam cap. 1. Methodum clarè & solidè confutatur hoc argu[]mento.

2. Illa doctrina est hæretica quæ adversatur Scripturis ex sen[su] primitivæ Ecclesiæ, uti omnes Sectarii admittunt. Sed hæc doctri[]na adversatur Scripturis ex sensu primitivæ Ecclesiæ: Ergo hæc do[]ctrina est hæretica.

Scripturæ adversari ostenditur ex Evangelio, ubi præter Fide[m] requiritur observatio Mandatorum. Matth. 19. *Si vis ad vitam i[n]gredi serva mandata.* Et de mercede dicitur Matth 20. *Voca operari[os] & redde illis mercedem.* Et Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exultate qu[ia] merces vestra copiosa est in cœlis.* Eodem modo de merito & merce[de] bonorum operum loquitur Apost. ad Rom. 2. v. 6. *Deus reddet un[i]cuique secundum opera sua.* Et 1. ad Cor. 3. v. 8. *Vnusquisque propria[m] mercedem accipiet secundum laborem suum.* Frustra insuper diceretur Johan. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte,* si sola fides ad vitam & salutem sufficeret.

Deinde Apostolus Jacobus suæ Epist. c. 2. v. 20. apertè declarat, *Fidem sine operibus mortuam esse. Et ex operibus justificari hominem &* *non ex fide.* Si dicat Sectarius Epistolam D. Jacobi Canonicam no[n] esse, jubeatur id ex Scripturis probare, juxta methodum primam su[]pra assignatam.

3. Si in oppositum adferat Apostolum Paulum *ad Rom. 2.* ubi dicit, nos gratis justificari, & sine operibus legis. Respondetur Apostolum agere de operibus legis ceremonialibus, quibus Judæi coram Deo justos reddi, falsò existimabant. Nostram autem doctrinam apertè tradit idem Apostolus ad Rom 2. v. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

4. Sen-

4. Sensum primitivæ Ecclesiæ circa has Scripturas Luthero & Calvino è diametro contrarium esse, ex testimoniis SS. Patrum, qui in primitiva Ecclesia floruerunt, nunc manifestè declaro.

S. Augustinu: *lib. de Fide & operib. c. 14.* Jam, inquit, illud videamus quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant; si ad eam obtinendam solam fidem sufficere putaverint.

Idem in *Epist. 105. ad Sixtum.* Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.

S. Cyprianus *lib. de unit. Ecclesiæ circa medium.* Justitiæ opus est, ut promereri quis possit Deum, præceptis & monitis ejus obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.

S Ambrosius *lib. 1. de offic. cap 35.* Nonne evidens est Meritorum aut præmia aut supplicia post mortem manere.

S. Basilius *orat. in init. Prover.* Omnes qui viam Evangelicam incedimus mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.

S. Cyrillus *lib. 10. in Ioh c. 18.* Quod autē fides ad salutem non sufficiat, Christus etiā discipulis ostendit, tu credis quia unus est Deus:

5 Ex his adeò manifestis hoc tantum modo potes concludere. Vel Scriptura erravit cum primitiva Ecclesia, vel nunc errat doctrina Lutheri & Calvini in terminis illis contraria. Sed nec Scriptura nec primitiva Ecclesia errârunt, ut ipsi fatentur. Ergo erronea est hæc Lutheri & Calvini doctrina, & consequenter tota eorum secta, quæ huic doctrinæ adhæret.

6. His ita probatis, corruunt alii errores, maximè Calvini inde consequentes, ut, 1. Homines independenter à suis operibus prædestinari ad gloriam, vel reprobari ad pœnas æternas.

2. Christum pro omnibus mortuum non esse, sed pro solis electis & prædestinatis. Contra apertam Scripturam 2. ad Cor. 5. v. 15. *Christus pro omnibus mortuus est.*

3. Deum non omnibus dare gratiam, sed solis prædestinatis. Contra illud Apost. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, quantum est ex parte divini auxilii.

4. Hominem in statu naturæ lapsæ, perdidisse libertatem arbitrii, sic ut concupiscentiæ, aut gratiæ internæ non possit resistere. Cum tamen Scriptura contrarium dicat; Act. 7. v. 51. *Vos semper spiritui sancto resistitis.*

5. Deum hominibus præcipere impossibilia, adeoq; omnia mandata non posse servari Contra Apostolum ad Philipp. 4. v. 13. *omnia possum in eo qui me confortat.*

Hæc autem omnia quid aliud docent, quam omnem rectè vivendi curam abjicere, pietatem & bona opera pro nihilo habere, salutem suam aut damnationem inevitabili necessitate relinquere? Illam autem doctrinam tradit Calvinus *l. 3. instit. cap. 21. 22. 23.* & sæpius alibi.

Undè oritur illud hominum desperatorum dilemma: Vel ab æterno sum prædestinatus ad cœlum, vel reprobatus ad infernum. Si prædestinatus, quidquid agam salvabor: si reprobatus, quidquid agam certò damnabor. Ergo non debeo de bona vel mala vita esse solicitus.

Sed hujus dilemmatis fallacia dissolvitur hoc modo: Si sum prædestinatus, per media scil. in mea potestate constituta, certò salvabor, si illa media adhibeam, damnabor si illa nolim adhibere. In mea autem libertate relictum est, illa media amplecti, ex quibus debeo esse prædestinatus, vel eo omittendo efficere ut sim reprobatus: quod satis unicuiq; rectè vivendi curam imponit. Ut patet in hac ægrotantis similitudine. Vel Deus ab æterno prævidit & decrevit te ex hoc morbo moriturum, vel non. Si prævidit moriturum, certò morieris, sin minùs, certò convalesces. An ideò omittes medicinam idoneam applicare ne mors obrepat? Quod si putas vitam corporis per medicinam conservari posse ne intereat, quomodò non credis te per Pœnitentiam, & bona Opera impedire posse ne mortem animæ æternam incurras.

Ut verò hi, aliique errores de Gratia divina, & Libertate humana accuratius refellantur, plures de iis horum temporum controversiæ in sequentibus explicandæ erunt.

§. 2.

De Gratia Christi, Operibus, Libero arbitrio Controversiæ Recentiores.

POst hæreses Lutheri, & Calvini de gratia Christi, & libertate humana, circa annum 1641. prodierunt errores comprehensi in libro qui *Augustinus Iansenii* inscribitur. Hos errores in primo ortu detexunt Professores Societatis Jesu in Academia Lovaniensi, ac ne latius serperent, illos publicis Thesibus, ac validissimis argumentis oppugnarunt. Signum sustulerunt hæ Theses cæteris Europæ Academiis, & Provinciis, ut adversus dogmata fidei Catholicæ perniciosa omni ope & authoritate dimicarent. Id impigrè tam voce, quàm calamo præstiterunt omnium ordinum Viri celeberrimi, & imprimis Doctores Sorbonici, ac totius pænè Galliæ Antistites. Horum omninò octoginta doctrinâ aut infulis eximii, cum Sorbonæ parte longè maxima, ac frequenti aliorum Ordinum assensu, ut gravissimum

vissimum ab Ecclesia periculum averterent, rem totam ad supremum controversiarum judicem Pontificem Romanum suo nomine deferendam censuêre.

Fuerunt quidem præcipua Jansenii dogmata pridem proscripta inter propositiones septuaginta novem Michaelis Baji per Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. quas postea confirmavit Urbanus VIII. ipsumq; Jansenii librum tanquã damnata dogmata restauran-tem omnibus sub anathemate interdixit. Sed cum non deessent qui vario ducti studio Pontificum Decretis obstreperent, placuit Apostolicæ Sedi ad novum, supremumq; examen rem totam revocare.

Itaque Innocentius X. summâ curâ ac studio tam per se, quàm per viros doctissimos, excusso Jansenii volumine, quinq; ex eo propositiones selegit, quæ præcipuam totius libri doctrinam continebant, easque sæpius examinatas, de Apostolicæ potestatis plenitudine, gravibus censuris confixit, & Constitutione in perpetuum valiturâ condemnavit.

Ut verò aliqui ictum hunc fatalem novâ arte à novi Authoris capite averterent, has quinque propositiones, quas an ea ipsam esse Augustini doctrinam defendebant, postea mutato consilio easdem à Jansenii libro, ac mente longissimè abesse affirmarunt. Hos demum novo diplomate compescendos censuit Alexander VII, quo damnata dogmata, non tantum eâdem quâ prædecessores censurâ, profligavit, sed etiam ea in Jansenii libro eo quo damnata sunt sensu contineri Apostolica authoritate definivit.

Ut igitur has quoque propositiones in controversiis polemicis de Gratia quâ cepimus Methodo, Missionario Apostolico breviter proponamus, primò singula dogmata cum censura illis inusta proferemus. & quo loco ab authore tradita sunt, prolatis etiam ipsius verbis, demonstrabimus. Dein quo modo Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac præsertim S. Augustini authoritati adversentur, cum faciliori argumentorum solutione, breviter, & dilucidè exponemus.

Prima Jansenii Propositio.

„ Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; „ deest quoq; illis Gratia quâ possibilia fiant. Hanc doctrinam Innocentius X & Alexander VII. ut temerariam, impiam, blasphemam anathemate damnatam, & Hæreticam declararunt ac damnarunt. Extat autem illa doctrina in libro Jansenii *Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 325. & alibi* his terminis: *Sunt quædam homini præcepta secundùm statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia: n. 2. nec adest semper gratia, qua præcepta implere sufficiamus.*

Reprobatur illa doctrina primo ex Scripturis. Hæ enim hortantur homines ad omnium mandatorum observationem, quod frustra fieret si ad hanc voluntati humanæ vires deessent: quin & gratiam qua præcepta impleri possint eædem Scripturæ disertè pollicentur 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*: Et *Luca* 19. *v.* 21. *Regnum Dei inter vos est*: ac *Iohan.* 5. *v.* 3. *Mandata illius gravia non sunt*. Quomodo verò gravia non essent aut intra nostram potestatem constituta, si nec gratia, nec vires adessent, quibus per observationem mandatorum peccatum vitari possit?

Causam verò comminiscitur Jansenius *Tom* 3. *lib.* 3. *cap.* 17. cur non frustra ad observationem mandatorum consilia, & monitiones adhibeantur: *Quia*, inquit, *habent usum significandi homini, ut si fortè possit, faciat quod jubetur, si non possit, infirmitatem doleat, oretque pro viribus impetrandis.*

At quid juvant ista ad amovendam peccandi necessitatem, si dum tentatio urget, nec spatium, nec gratia ad orandum necessaria concedatur? Hanc autem quandoq; deesse, disertè fatetur ipse Jansenius supra *cap.* 13. *Est*, ait, *quædam voluntatis infirmitas quæ non potest certas tentationes superare, nec adest gratia, qua superentur, nec Spiritus orationis quo vires impetrentur.*

Reprobatur secundò, ex mente S. Augustini, quem frustra Jansenius doctrinæ suæ patronum gloriatur. Huic enim errori apertè refragatur, *de peccatorum meritis & remiss. lib.* 2 *cap.* 6. *Dubitare*, inquit, *non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse nec Deo ad opitulandum & adjuvandum quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit esse sine peccato adjutus à Deo.* Quid dici potuit apertius? Sed audi fortius loquentem *Sermone* 191. *de tempore*: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Quinimo *lib. de nat. & grat. cap.* 67. pro evidenti principio statuit, neminem posse peccare in eo quod nullo modo caveri potest: peccatur autem præcepti violatione; ergo ea caveri potest.

Ad hunc Scripturæ ac S. Augustini sensum tam exploratum accedunt Canones Conciliorum, à quibus impium dogma diro anathemate confixum est. Sic enim primis illis Ecclesiæ temporibus de hac doctrina pronunciavit Concil. Arausicanum *Can.* 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes Baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint & debeant, si fideliter laborare velint, adimplere.* Et contra hujus ævi Novatores novum hoc anathematis fulmen vibrat Tridentinum *Sess.* 6. *Can.* 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam*

justificato

justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Idemque Concilium, ad implenda Dei præcepta adesse justis vires, nec abesse Dei adjutorium disertius inculcat eadem Sess. 6. cap. 11. *DEVS impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

Si quæras quid ad hæc profligati dogmatis assertor? Argutias inanes obtendit, quæ potius fucum, quam fidem faciant. Impotentiam implendi mandata ait talem esse, ut peccatores non desinerent ea implere, si vellent; velint enim, & mox ut voluerint, mandata implebunt. Aperta est hæc responsio, eamque tam facile, capio, quam claudum posse ambulare, dummodò ambulet: istud verò non concipio, quid ista potentia ad ambulandum juvet, si quis incedere jubeatur, qui fractis cruribus non magis potest gressus formare, quam assumptis alis in cœlum evolare. Neque magis concipi potest quo pacto peccator possit mandatis obtemperare, cui deest gratia & potentia requisita, ut per viam mandatorum progredi valeat.

At inquies, posset peccator implere præcepta in alio statu, quando scilicet gratiæ victricis auxilium haberet, ac proinde dum peccat, est saltem remotè potens ad non peccandum.

Sed quid juvat posse hominem in alia hypothesi servare præcepta, si nunc dum mandatum illi incumbit ita constitutus sit, ut auxilium in promptu non habeat, quo possit præceptum explere? Ut si quis in tenebricoso carcere conclusus jubeatur litteras perlegere, quis dicet illi nunc adesse obtemperandi potestatem, quamvis postea, si panderentur fenestræ, luce affulgente, legendi facultas non deesset. Nunquam sanè negavit Calvinus voluntatem humanam, quæ violato præcepto in peccatum prolapsa est, potuisse à Deo per alia auxilia inflecti ad præcepti observationem: & tamen ejus doctrina ab Ecclesia reprobata est, eo quod asseruerit, in hoc statu homini justo aliqua Dei præcepta esse impossibilia. Hac igitur via nullum datur effugium, nisi lubeat Calvini vepribus inhærere.

Alia tentatur via, sed longinqua: ad Adamum scilicet & Paradisum, & prima mundi exordia recurritur. Prætendit enim erroris authora, peccatum quod à nobis propriâ voluntate admittitur, continuationem esse delicti ab Adamo in Paradiso pridem commissi, ex quo in nos peccati fomes profluxit: atque ita docet ex utriusque peccato unum quodammodo actum conflari, qui nobis hoc ipso totus sit liber, quo in Adamo liberè incepit.

En Machinam longè quæsitam, ex tot commentis bellè compactam. Quid enim à veritate longinquius fingi potest, quam pecca-

peccatum ab uno homine propriâ voluntate hodie commissum, omnem quam habet libertatem derivare ab alieno delicto, quod à sex millibus annorum suæ tantum voluntatis arbitrio liberè incurrit? Aliud longè est de reatu peccati originalis, quem ut contrahamus nullus omnino voluntatis nostræ actus requiritur.

Quod si possint actus à nobis eliciti malitiam pænâ æternâ plectendam contrahere, ex eo quòd ab Adami peccato causam & ortum habuerint, cur etiam per amentiam, cæcitatem, & alias hujusmodi affectiones necessarias, peccati reatum non incurrimus, cum hæ quoque à primi parentis delicto in nos profluxerint?

Quinimo si responsum illud aliquid veritatis haberet, inde pariter conficerem, peccata hominis Baptizati omni prorsus culpâ carere. Cum enim, ut ajunt, suam libertatem ac formalem malitiam ea non habeant, nisi ut conjuncta cum peccato Adami, sublato jam in nobis per Baptismum primi parentis peccato non possunt actus nostri, quibus præcepta transgredimur, formalem malitiam retinere, aut pænæ à Deo justè infligendæ reatum incurrere. Deinde si actus illi alienâ tantum libertate malitiam contraherent, nequidem poterunt à Deo sub reatu pænæ æternæ hominibus prohiberi; sic enim in statu naturæ lapsæ homini imperare non potest ut careat concupiscentiâ, quamvis in Adamo liberum fuerit non peccando concupiscentiæ fomitem à posteris summovere. Ex quibus breviter, satis tamen manifestè apparet, hanc doctrinam ab Ecclesiæ meritò proscriptam, nullâ veritatis specie defendi.

Secunda Propositio.

INteriori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Jansen. Tom.3. lib.2. cap.5. col.103. Nullum,* inquit, *adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur aut non utatur, ut illud amplectatur aut deserat, aut illi consentiat aut non consentiat si voluerit, ad medicinale adjutorium Christi ullo modo pertinere potest.* Hanc propositionem Innoc. X. & Alexander VII. hæreticam declaravit, & ut talem damnavit.

Repugnat illa primò testimoniis Scripturarum, quæ docent hominem resistere vocationi divinæ, & sæpius hortantur ut acceptæ gratiæ cooperetur: quod frustraneum foret, si gratia per se voluntatem humanam ad consensum ita raperet, ut nunquam ei dissentiendo resisteret. Sic autem loquitur Scriptura *Proverb.1. v.24. Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret.* Et *Matth. 20. v.16. Multi sunt vocati, pauci vero electi: Item Matth. 23. v.37. Quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Et *Actor.7. v.51 Vos semper Spiritui Sancto*

cto resistitis. Denique 2. *ad Corinth. 6. v. 1. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* An non otiosa hæc ad gratiam recipiendam exhortatio, an non iniqua in resistentes exprobratio, si talis esset natura gratiæ divinæ ut à nulla possit voluntate repudiari?

Jam verò inspiciamus de hoc dogmate quis fuerit primævæ Ecclesiæ sensus, ac imprimis S. Augustini *lib. de Spir. & litt. cap. 34. Misericordia DEI prævenit nos . consentire autem vocationi Dei aut ab ea dissentire, nostræ voluntatis est.* Eodem modo vim illam voluntatis, in repellenda gratia vocationis divinæ, exponit in Evangelio de vocatis ad nuptias, quorum aliqui noluerunt Christo vocanti obtemperare: *Ad illam cœnam*, inquit, *nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi qui venerant venire possent nisi vocarentur: itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi,* QUI UT VENIRENT VOCATI, ERAT IN LIBERA VOLUNTATE. S. Augustino testis accedat ejusdem Doctoris & ævi discipulus S. Prosper *Lib. 2. de vocat. Gent. cap 26. Voluntas de sua habet mutabilitate si deficit, de gratia vero opitulatione si proficit: Et quod à multis refutatur gratia, ipsorum est nequitiæ, quòd à multis recipitur, gratiæ divinæ est, & voluntatis humanæ.*

Perpetuum huncEcclesiæ sensum veneratur TridentinaSynodus, & oppositum contra Sectarios nostri temporis sub anathemate proscribit *Sess 6. Can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum ... non posse dissentire, anathema sit.* Nec minus apertè *Sess eadem cap. 5. Tangente Deo cor hominis... inspirationem illam recipiens, abjicere potest.* Eodem veritatis spiritu afflatum idem enunciat Concil. Senonense anno 1528. *Decreto fidei 15. Non est tale trahentis gratiæ auxilium, cui resisti non possit.*

Si quæ igitur vis divinis eloquiis, si quæ veritas Sanctis Ecclesiæ Patribus, & Conciliis, ex his manifestum evadit, hanc esse doctrinam omni ævo in Ecclesia Christi comprobatam; adeo ut quisquis adhuc veritati fidei tam luculentæ repugnat, hoc ipso satis ostendat, se divinæ gratiæ posse resistere.

Quibus verò modis & argumentis quidam moliantur huic veritati obsistere. & in operibus gratiæ voluntatem humanam ineluctabili necessitati subjicere, in propositionis 3. refutatione, ubi agitur de libertate ad meritum requisita, mox aperiemus.

Tertia Propositio.

AD merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à co-

coactione. Hanc propositionem Innoc. X. & Alex. VII. hæreticam declaravit, & ut talem damnavit. Eam verò docet & explicat fusè Jansenius *lib. 6 de grat. Salvatoris cap. 6.* ubi declarat in ordine ad actionem meritoriam vel demeritoriam, nihil esse quod impediat libertatem voluntatis, præter coactionem. Et breviter *Tom. 3. lib. 6. cap. 12. col. 638.* Sic pronunciat: *Nihil aliud libero generaliter repugnat, quam necessitatis illius prementis, cogentisque violentia.* Et hinc asserit satis inesse libertatis ad meritum actui amoris quo Deus seipsum diligit, si Deus meriti capax esset.

Huic errori ad amussim quadrat hæresis Calvini, qui disertè profitetur, se non aliam impugnare libertatem, quam eam quæ sita est in facultate voluntatis ad utramque partem expedita, quæ scilicet præbeat liberam agendi vel non agendi potestatem, quam libertatem indifferentiæ nuncupamus: sic enim loquitur ipse in Antidoto *ad can. 5.* Conc. Tridentini. *De verbo*, inquit, *ne moveamus rixam, sed quia per liberum arbitrium intelligunt (Catholici) eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta, titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent authorem.*

Quam verò longè abeat dogma hoc fatale à Scripturæ, Patrum, & Ecclesiæ sensu, testantur aperta veritatis oracula, quibus inimicum gratiæ & libertati humanæ commentum perpetuò aversantur.

Atque imprimis ex sacris litteris manifesta intorquetur sententia *Genes. 4 v. 7. Nonne si bene egeris recipies; sin autem malè, sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Hanc expeditam ad utrumque libertatem in homine justo disertè agnoscit Ecclesiasticus *cap. 31 v. 10. Qui potuit transgredi & non est transgressus; facere mala & non fecit.* Nec minus humanam libertatem, ut subsistat, ab omni necessitate remotam requirit Gentium Apostolus 1. *ad Corinth. 7. v. 37. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Necessitatem à libertate sejungit: Apostolus, illam cum libertate conjungit Jansenius: quis hic erravit, nisi qui errare potuit?

Sed, inquies, quid de Augustino? Sat nota ejus mens & sententia, si non ille Jansenii, sed Ecclesiæ Augustinus audiatur. Paucis verbis decretoriam in hac controversia sententiam pronunciat *Lib. de vera Relig. cap. 14. Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium: tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate sed necessitate servirent.* Audis S. Augustinum liberum arbitrium sic explicantem, ut nulla sit liberalitas, nulla libertas, si Deo non serviatur eâ voluntate quæ omni

careat

careat necessitate. An non hoc iterum inculcat *lib. de Spir. & litt. cap 34. Consentire vocationi Dei vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Iterumque *de lib. arbit. lib. 3. cap. 18. Ista est causa voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur, si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Si quis Augustinum tam clara, tam sana suadentem audire nolit, videat ne ab eodem insaniæ arguatur *lib. de duab. Animabus cap. 12. Dicere reum teneri quempiam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ est iniquitatis, & insaniæ.*

Quid ergo mirum summos Pontifices divino Spiritu afflatos illam doctrinam abolere, quam Sacrarum litterarum, Sanctorumque Patrum consensus toties condemnat?

Consensum hunc testatur Concil. Senonense in decretis fidei *decreto 15.* ubi concludit, percurrenti Sacram Scripturam obvium esse quod liberum in utramvis partem hominis arbitrium asseveret. Horum deniq; vestigiis insistens Conc. Tridentinum *Sess. 6. can. 4.* sic tandem definit. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum,.. Deo excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit, anathema sit.* Agit autem de potestate dissentiendi, quæ consistit in libertate indifferentiæ ad merendum & demerendum necessaria. Si enim libertas ad meritum requisita stare posset cum necessitate ad unam partem determinante, parum Concilio laborandum fuisset, ut statueret de libertate, per quam voluntas motioni præsentis & excitantis gratiæ possit dissentire, cum hæc alia esse non possit quam libertas in sensu composito expedita ad agendum vel non agendum, quæ cum necessitate ad unum adstringente componi non potuit.

Quid igitur in re tam clara reponunt istius dogmatis patroni? Aliquas excogitant subtiles remoras, quæ perspicuæ veritati tenebras offundant. Ajunt enim se admittere in voluntate libertatem sive indifferentiam potentiæ, non verò indifferentiam actionis: istam verò indifferentiam potentiæ dicunt sitam esse in mutabilitate, & flexibilitate humanæ voluntatis, quæ annexa est statui vitæ præsentis, in qua modò ad volendum, modò ad nolendum facile inflectimur, quamvis quod in particulari volumus, id necessariò velimus.

Sed quid hoc aliud est, quàm voluntatem de uno actu necessario, in alium necessarium devolvi? cum quævis actio voluntatis sua careat indifferentiâ, & eliciatur hic & nunc à potentia in actu primo ad illũ determinata. Aut quã potest ipsa potentia habere indifferentiã, quando sine potestate ad oppositum, ad hanc tantummodo actione adstricto retinetur? Itaque tota quæ hic prætenditur voluntatis mutatio, alia non est, quam concatenata commutatio unius necessitatis in aliam: interea in quavis actione catenam semper ad unum astrin-

astringentem subit voluntas, sive auream operis boni, sive ferream actionis pravæ: optio verò catenæ qua astringitur non est ipsius voluntatis, sed providentiæ gubernatricis, quæ sive delectationem justitiæ, sive concupiscentiæ pro arbitrio dispenset, debebit illi voluntas humana inevitabili necessitate obsecundare. Hæc illa est insignis larva libertatis, quam neque Manichæi quos impugnat Augustinus, nec Astrologi fatorum assertores, nec Wiclefus, aut Calvinus ab ecclesia damnatus, suam esse recusarent; ac proinde, si huic sententiæ credimus, hæretici illi totam admisere libertatem, quæ ad merendum & demerendum in naturæ lapsæ statu requiritur. Alia sanè libertate eget creatura ratione prædita, ut apud suum creatorem laudem vel vituperium, præmium vel pœnam mereatur: ut nempe cardo voluntatis in bonum vel malum ab ipsa inflectatur, & sic agat, ut quantum est ex parte omnium quæ actionem antecedunt possit ab agendo abstinere. Sine hujusmodi libertate nemo sui mancipii actionem moralem pœnâ, vel præmio dignam censebit.

Quarta Propositio.

SEmipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Tradit hujus primam partem diffusè nominatus author *lib* 8 *de hæresi Pelag. cap.* 6. Secundam, *lib.* 2. *de grat. Salvat. Cap.* 4. *&c.* quam brevissimè stringit *col.* 215. dum adversarium suum perstringit his verbis. *Quanta audacia, post condemnatos jam à tot sæculis Massilienses, asserere quod quia in statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia, qua poterat perseverare si vellet, etiam nunc sufficere* Declarata verò est ab Innoc. X. & Alexandro VII. hæc 4. Propositio falsa & hæretica, & ut talis damnata.

Prima pars hujus propositionis, quæ facti quæstionem continet, falsa declaratur ex historia hæresis Pelagianæ in iis, quæ apertè tradit S. Augustinus, Prosper, & Hilarius, qui contra hanc hæresim decertarunt. Refert verò Augustinus *lib. de prædest. cap.* 2. 3-5. Semipelagianos gratiam interiorem ad singulos actus non admisisse, sed censuisse, *initium fidei esse ex nobis, tanquam si fides non à Deo nobis donetur.* Item, *Fidem non esse donum Dei.* Item, Eos agnovisse quædam merita sua, *tanquam ipsi sibi ea fecissent, non gratia Dei.* Denique, *&* *credere & perseverare ita nostrum esse, tanquam non à Domino nos accipiamus* &c. Consentit fusè S. Prosper contra Collatorem, præsertim *Cap.* 4. 6, 10. 13, 14. & deinceps, ubi disertè exprobrat, quod diceret hominem posse bene agere sine gratia; non incitatum à Deo;

ante

ante gratiam ; fine adjutorio DEI : per vires tantummodò humanæ voluntatis;merito gratiam perveniente &c. Quæ omnia in illis adeo obvia sunt & manifesta,ut contrarium sustinere aliud non videatur esse,quam velle lectori oculos,& mentem eripere.

Secunda pars propositionis damnatæ asserit. Hæresim esse Semipelagianam, talem admittere gratiam, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare. Hæc autem assertiò non videtur reipsâ dissidere à propositione secunda,quæ supra refutata est. Nempe,interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti. Potest verò utraque propositio Calvino authore pridem gloriari. Docet enim ille *lib.2.instit.cap.5.§.11.* Errorem esse Scholasticorum, quod putarent in manu nostra esse respuere vel recipere oblatam Dei gratiam, & fuisse hunc errorem Pelagianorum , quos secuti sunt Semipelagiani ibidem Calvinus disertè asserit §.23 *Audiamus,* inquit, *nunc Augustinum suis verbis loquentem,ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis adversari pro suo errore criminentur, in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem arenam ipse Augustinus protractus est.*

Porrò,ne in refellendo hoc errore ex Scriptura ac Patribus superiora repetamus,ex sola Tridentini definitione unum formemus argumentum nulli respuendum, qui orthodoxæ Ecclesiæ authoritatem salvam velit. Tridentinum sic definit sess.6.Can.4. *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire si velit, anathema sit.* Censet igitur liberum arbitrium,hoc est,humanam voluntatem à Deo motam per internam gratiam,posse illi gratiæ dissentire sive resistere,vel consentire si velit,quod est obtemperare. Atqui propositio damnata ex adverso asserit, *Semipelagianum* sive hæreticum , *esse admittere gratiam cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare* Ergo Semipelagiana & falsa est definitio Tridentini, si vera est à Pontificibus damnata Jansenii doctrina ; quod salvâ fidei Catholicæ veritate nemo admiserit.

Frustra hinc quæritur effugium;nexus est qui nec solvi, nec frangi potest. Frustra,inquam, cum quibusdam finges Concilium hic ad potentiam remotam,vel ad sensum divisum respexisse,dum dixit liberum arbitrium posse dissentire *si velit*,posse autem velle dissentire pro eo statu quo præsentis gratiæ impulsu carebit. Quis enim credat Concilium in re maximè seria nugas agere , aut linguam loqui quam nemo capiat? Nemo nisi nugando dicet, pauperem posse facere eleemosynam, si velit ; si is media requisita in promptu non habeat,aut potentiam proximam ut ea acquirat. Neque dicetur ligatus posse currere si velit, si præter voluntatem non adsit illi facultas qua

possit

possit se vinculis expedire. Ergo quando Tridentinum pronunciat hominem posse dissentire divinæ gratiæ si velit, necessariò definit adesse potentiam proximam &expeditam,ut velit dissentire,aut tollere impedimenta,quæ faciunt,ne hic & nunc possit dissensum elicere. Ergo necessarium est verba Concilii gratiæ Jansenianæ voluntatem ad assensum necessitanti è diametro adversari.

Atq; hinc ulterius inferes à Concilio definitum esse dari veri hominis gratiam merè sufficientem,cui voluntas actu resistit,quamvis in ejus potestate fuerit illi consentire & obtemperare.Sed hoc infra inter controversias Scholasticas magis explicandum erit.

Quinta Propositio.

SEmipelagianum est dicere,Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse.aut sanguinem fudisse. Hanc conclusionem ex suis principiis infert idem Jansenius,quam S.Augustino imponere conatur, sic enim loquitur ille *lib.3. de gratia Salvat.cap.21.* *Quæ sanè* (inquit) *cum in Augustini doctrina conspicua certaque sit, nullo modo principiis ejus consentaneum est ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem errasse sentiatur.*

Contra hoc dogma fidelium auribus sanè acerbissimum; Ecclesia Romana,varia censurarum fulmina pridem detorsit:sic autem post alios Innoc.X.& Alexander VII in diplomate gemino adversus propositionem quintam Jansenii,de ea doctrina pronunciavit: *Falsam, temerariam,scandalosam; & intellectam in eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit,impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Damnatur autem meritò hæc doctrina, quia apertè adversatur divinæ Scripturæ asserenti,Deum velle omnes homines salvos fieri, & Christum dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus. Sic enim loquitur Apostolus 1. ad Tim.2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: hoc enim bonum est,& acceptum coram Salvatore nostro Deo, Qui omnes homines vult salvos fieri,& ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus,unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, Qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi sine ulla exceptione Apostolus affirmat,Deum velle omnes homines salvos fieri,&mox rationem assignat. *Unus enim est Deus,unus & mediator Dei & hominum &c.* Atqui absolutè,& absque ulla limitatione, omnium homi-

num

num unus est Deus; ergo etiam, nullo excepto, omnium est mediator, pro omnibus mortuus est, & pro omnibus etiam reprobis in cruce sanguinem effudit. Quod vel ex eo confirmatur, quod Apostolus disertè affirmet Deum velle salvos fieri omnes, pro quibus dicit orandū esse, cupit autem orationes fieri pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate positi sunt, cum tamen eo tempore essent Reges gentiles ac reprobi; ergo non potest Apostolus intelligi de Christo mortuo pro solis prædestinatis.

In eundem sensum verba Apostoli intelligit S. Augustinus *lib. de Spir. & litt. cap. 33. Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur, &c.* Ubi admittit S. Doctor Deum ex parte sua velle omnibus salutem procurare, & illis etiam qui libero arbitrio malè utentes incidunt in judicium & damnationem.

Ut sententiam Augustini tam manifestam declinet Jansenius, persuadere conatur, illum loco citato non loqui ex suo sensu, sed Pelagianorum dogma recitare, postea refellendum. Sed inane est hoc effugium; hanc enim doctrinam minimè reprobat, sed pergit tantum disputare contra Pelagianos, an fides ideo sit donum Dei, quia provenit à libero arbitrio quod à Deo creatum est, demum addens, ideo fidem esse donum Dei, *Quia binis suasionibus agit Deus ut velimus & credamus, sive extrinsecus, per Evangelium, Exhortationes &c. sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propria voluntatis est.* Quinimò iterum dictum suum de voluntate omnes salvandi tacitè approbat, dum asserit dari homini auxilium, cui consentire vel dissentire sit propriæ voluntatis. Ad quid enim porrigit tale auxilium cum quo possit aliquis dissentiendo perire, nisi velit ex parte sua etiam pereuntes salvos fieri?

Apostoli verò locum, quem in hac controversia lucidum ac decretorium omnis retrò agnovit antiquitas, nescio qua distinctionum caligine obnubilate potiùs quam elucidare contendit. Dum enim Apostolus sine exceptione ait, Deum velle omnes homines salvos fieri, Jansenius vult omnes homines in ea sententia sumi tantum generatim, pro generibus singulorum, non verò pro singulis generum, hoc est, Deū velle ex Judæis & gentibus, ex servis & liberis, ex principibus & privatis, & omni genere hominum aliquos salvari, non tamen velle, aut gratiæ suæ auxilia præbere, ut singuli homines in individuo salvi fiant. Cum enim absolutè negaret dari hominibus gratiam merè sufficientem, quam ut monstrosam & Molinisticam abolendam judicabat, sed doceret omnem gratiam esse suo modo

victricem

victricem efficacem, qualis reprobis ad perseverandum non conceditur, hinc illi inferendum fuit, Deum non velle reprobos per media congrua salvos fieri, neque Christum pro eorum salute sanguinem suum pati obtulisse.

Idem gratiæ merè sufficientis odium in Calvino, ut eundem peperit errorem, ita eandem expressit erroris defensionem. Etenim Calvinus de æterna Dei *prædest. pag.* 706 recitatis Apostoli verbis de voluntate omnes salvandi, eandem distinctionem ita subjungit: *Quis non videt ordinum hic geri mentionem, potiùs quam singulorum hominum? nec verò ratione caret trita illa distinctio, non singulos generum, sed genera singulorum notari.* Et ne huic responso deesset assueta hæreticis præfidentia, idem graviori tono inculcat lib. de occulta Dei provid. pag. 77. *Certo*, inquit, *certius est, Paulum illic non de singulis hominibus agere, sed intelligere ordines & genera vocationum.* En pro malefido dogmate, quam fida concordia.

Hinc sanè patet, quam longè novus Doctor ab Augustini mente ac sententia recesserit; cujus tamen se præ ceteris fidelem interpretem gloriatur. Peregrinum, ut existimo, illi Sancti Doctoris sensum reddidit, in ejus opere non satis observata distinctio voluntatis divinæ, in eam quâ vult absolutè & efficaciter homines actu ad salutem pervenire, quam certum est non ad omnes, sed solos electos pertingere; & in aliam, quâ Deus quantum est ex parte sua velit omnes ad salutem tendere, & ex vi meritorum Christi omnibus præbere auxilia, quibus, si non obstet liberum hominis arbitrium, possint justitiam & gloriam adipsci. Et in hunc sensum doctrinam orthodoxâm, atque adeo Augustino conformem exponit, firmatque Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 3. *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ubi manifestè mors Christi complectitur etiam eos, qui ejus beneficio ad salutem non perveniunt.

Ad extremum de hoc nefario dogmate contra Sectarios agens, non immeritò notat Malderus olim Lovanii Doctor, & Antverpiæ Episcopus, in suis *Antisynodicis cap.* 4. Vehementer esse formidandum, ne homines illi, qui negant Christum pro omnibus mortuum esse, eò tandem dementiæ deveniant, ut cum Mahometanis sentiant, Christum pro nemine mortuum esse. Nec desunt qui testentur, plures Calvini asseclas qui in primum hunc errorem inciderunt, postea in secundum se præcipitasse.

CAPUT

CAPUT III.

De Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ.

1. CAtholici omnes affirmant in Sacramento Eucharistiæ, post panis & vini Consecrationem, Christum verè, ac realiter esse præsentem; ita ut virtute Consecrationis substantia panis mutetur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini, solis accidentibus panis & vini remanentibus

Negant Calvinistæ per Consecrationem Christum constitui præsentem realiter, sed tantum figurativè; sic ut nihil adsit præter ipsum panem & vinum, tanquam figuram aut signum repræsentans Corpus & Sanguinem Christi pro nobis oblatum. Et in hoc sunt contrarii ipsis Lutheranis, qui admittunt saltem in usu hujus Sacramenti realem Christi præsentiam, sed remanente simul panis & vini substantia.

2. Probatur Catholica veritas ex manifestis Christi verbis *Matthæi cap.* 26. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Atqui non figura Corporis Christi pro nobis tradenda erat, sed verum ipsius Corpus traditum, & verum ejus Sanguis effusus est. Ergo Christus illis verbis affirmat verum suum Corpus & Sanguinem in Sacramento contineri. Sic ut in sensu proprio & identico non possint illa verba aliud significare, quam contentum sub hac specie panis est Corpus meum. Ut si Christus in Cana Galilææ, volens vi verborum aquam sibi præsentem in vinum convertere, dixisset. Hoc est vinum quod vobis fundetur. Si quis autem negaret illis verbis hoc posse præstari, non verborum proprietatem, sed Christi potentiam oppugnaret. Necessarium autem est Christum voluisse illis verbis se in Sacramento Eucharistiæ realiter constituere, vel Ecclesiam suam decipere, quod sic declaro:

Si aliquis Pater probus & prudens promitteret se filiis relicturum auri summam, sicut Christus promisit se Corpus suum relicturum discipulis manducandum, & idem parens posteà in ultimo testamento scrinium relinqueret cum his verbis. Hoc est aurum quod vobis tradetur; quis hominum dubitaret illic verum aurum, & non tantùm auri figuram aliquam contineri? Quod si quis tibi assereret, nihil in illo scrinio præter aliquam auri figuram deprehendi, an dubitares afirmare Patrem illum vel tunc delirasse, vel filios suos decipere voluisse: Hæc cùm in Christi bonitatem & sapien-

ſapientiam infinitam cadere non poſſint, neceſſarium eſt illos e- rare aut delirare, qui Chriſti promiſſum, & teſtamentum figura tantùm intelligunt.

3. Regula apud omnes certa eſt cum S. Auguſt. *lib. 3. de d Chriſt. cap. 1. Quando verba Scripturæ ſumi poſſunt proprie, nu quam accipienda eſſe figuratè, niſi aliundè conſtet id eſt manifeſtè n ceſſarium.* Quod hic minimè conſtat, cùm Chriſtus non min potuerit ſe in Sacramento collocare verè, quàm figuratè, idq verbis illis propriè ſignificare. Quòd ſi nolis hic eam regula retinere, eodem jure poterunt Ariani explicare loca Scriptura in quibus dicitur Chriſtu eſſe unus cum Patre æterno, de unita aliqua impropriè dicta. Ut cùm dicit Chriſtus Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus*, illud rectè intelliget Arianus unitate metaphorica, ſita in concordia voluntatum, non rò de unitate ſubſtantiæ propriè dicta. Neque nunquam po ris oſtendere ex Scripturis Arianos in hoc à vero Scriptu ſenſu aberrare, niſi ad illam regulam illos adſtringas, quæ quirit ut verba Scripturæ abſque neceſſitate impropriè non in ligantur.

4. Hunc Chriſti ſenſum, & realem ejus præſentiam decla Apoſtolus Paulus 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis cui bene cimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt: & panis qu frangimus nonne participatio Corporis Chriſti eſt?* Et iterùm *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indi reus erit corporis & Sanguinis Domini.* Quomodò reus erit Co poris Domini indignè manducati, ſi Corpus Domini non mand cet, ſed ejus figuram? Non admittet certè Calviniſta eum, q indignè tractat figuram aut imaginem Chriſti, reum eſſe culpa cum Chriſtum in ſua imagine aut figura honorandum eſſe pro sùs neget.

5. Nulla igitur hic apud Apoſtolum, nulla apud Evangeliſt figuræ mentio, ſed omnes eadem verba. *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur*, eodem modo apertè & ſimpliciter pro ponunt: quod certè minimè feciſſent, ſi per Corpus Chriſti figuram Corporis Chriſti intelligi voluiſſent; quomodò eni illud intelligi vellent quod ſuis verbis toties repetitis non expre ſerunt?

Quinimò Chriſtus ipſe *Ioan. 6. verſ. 56.* dicens, *Caro me verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus* &, *Panis quem ego dab Caro mea eſt pro ſæculi vita*; rem ſe miram ac novam declaraſſ ac promiſiſſe oſtendit, ſubjungens. *Hic eſt panis qui de cœlo deſcen dit*, &, *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quid autem mir

miri aut novi, meram particulam panis in sui memoriam discipulis porrigere, aut quid habet hæc triticei panis buccella cur manna cœlesti præferenda, & vitam æternam manducanti allatura dicatur? Hæc autem omnia in ipsum Christum verè & realiter in Sacramento præsentem rectissimè quadrare intelliguntur.

6. Ad hæc omnia opponunt. Quando Christus dixit, *Ego sum vitis*, debet vitis intelligi figuratè: Ergo quando dixit, *Hoc est Corpus meum*, Corpus Christi intelligendum est figuratè. Sed quis non videt ex illo argumento eodem modo posse sic inferri, *Ego sum vitis*, debet intelligi figuratè: ergo, *Ego & pater unum sumus*, debet intelligi figuratè & metaphoricè cum Arianis: atque ita eodem argumento evertes omnia quæ de Christo in Scripturis propriè dicuntur, quo realem ejus in Sacramento præsentiam auferre moliris. Verùm hæc, & similes ex Scripturis consequentiæ, per methodum tertiam superiùs assignatam retundi debent.

Nunc ulterius sic concludo In cognoscendo Scripturæ sensu primitiva Ecclesia non potuit errare: sed illa agnovit realem Christi in Eucharistia præsentiam, non verò figuratam: Ergo fides de reali Christi præsentia non potest esse erronea.

7. Ad minorem probandam Patrum primitivæ Ecclesiæ manifesta adduco testimonia.

S. Cyprianus *sermone de cœna Dom.* Panis iste quem Dominus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus est, omnipotentiâ Verbi factus est caro; Quid quæso clariùs dici potest?

S. Hilarius *lib. 8. de Trin.* De veritate Carnis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus.

S. Augustinus verba Christi in sensu litterali claré agnoscit Conc. 1. in Psal. 33. *Ferebatur in manibus suis.* Quomodo *inquit*, hoc intelligatur in Davide secundùm litteram non invenimus, in Christo autem invenimus; ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, hoc est Corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis.

S. Johan. Damasc. *de fide lib. 4. c. 14.* Dominus dixit, hoc est, non Corporis signum, sed corpus; non Sanguinis signum, sed sanguis.

S. Epiphanius *in sept. Synodo act. 6.* Nunquam invenies neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud Sacrificium quod à Sacerdote offertur, imaginem dixisse, sed ipsum Sanguinem.

Nonne hic audis, nonne vides Scripturam, Christum, Apostolos, Ecclesiæ Patres realem Domini in Sacramento præsentiam uno ore aperte profiteri. Certè, nisi velis agnitæ veritati oculos occludere, necessarium est ut cum S. Hilario jam citato concludas, De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.

Sic enim ad extremum argumentor. Si primitiva Ecclesia negasset realem Christi in Sacramento præsentiam, hi Patres, qui eam apertè docuerunt, fuissent olim hæretici, & ab Ecclesia separati. Sed hoc nemo unquam dixit aut cogitavit, imò fuerunt ipsi primitivæ Ecclesiæ præcipui Doctores ac defensores. Ergo manifestum est primitivam Ecclesiam nunquam negasse realem præsentiam, sed illam semper docuisse, & per suos Patres & Doctores posteris credendam proposuisse.

CAPUT IV.

De impanatione Lutherana, & præsentia Christi in solo usu.

1. Argumenta quæ hactenùs evincunt in Consecratione vi verborum panem mutari & converti in Christi Corpus, & vinum in Sanguinem, probant non fieri impanationem, id est panem cum Corpore Christi in Eucharistia non permanere, uti contra Lutherum docet Ecclesia Catholica cum *Trident. sess. 13. cap. 4.* Non enim dici potest una substantia in aliam converti, nisi prima desierit, & altera in ejus locum succedat. Sic lignum non potest converti in ignem, nisi formâ ignis introductâ, forma ligni desierit; neque dici posset virga Moysis conversa in serpentem, si virga cum serpente permaneret.

2. Declarant autem hanc transubstantiationem testimonia Patrum supra allata, qui asserunt panem fieri Corpus Christi, mutari, converti &c. Audi quæso in quarto sæculo primitivæ Ecclesiæ loquentum S. Cyrillum Hierosol. *Cathaches. 4. mystag. Aquam olim in vinum convertit in Cana Galilææ, & non erit dignus cui credatur quod vinum in sanguinem transmutaverit?*

Idem eodem sæculo profitetur Gregorius Nyssen. *Orat. catech. cap. 37. Rectè ergo nunc quoque Dei Verbo significatum panem, in Dei Verbi corpus credo transmutari.*

Denique S. Ambrosius disertis verbis scribit de pane fieri corpus Christi *lib. 4. de Sacram. cap. 4. Panis iste panis est ante verba*

Sacra-

Sacramentorum, ubi accesserit consecratio de pane fit corpus Christi, Ac pergit ibidem ostendere nihil hic esse creditur difficile: *Si enim*, inquit, *creavit Deus cœlum & terram quando non erant, quantò magis poterit panem & vinum, quæ jam existunt, in aliud commutare.*

3. Altera controversia cum Lutheranis est, quod doceant Christum esse realiter præsentem in solo usu, & sumptione Eucharistiæ, sic ut in Hostia consecrata non perseveret dum exponitur in templo, servatur in pyxide, aut ad ægros defertur.

Sed contra, postquam Christus consecrationis verba protulit, Eucharistia aliquo temporis spatio in ejus, aut Discipulorum manibus versabatur, antequam singuli ex Discipulis illam manducarent: ergo si ante Communionem Christus erat sub speciebus Eucharisticis, non est ratio negandi quod postea extra usum sub iisdem perseveret. Vel peto à Lutheranis ut ostendant ubinam in Scripturis dicatur, quod statim post usum Christus recedat, & evanescat? Nullum certe in Sacris litteris exstat istius doctrinæ vestigium. Quinimò ex antiquissimo usu primitivæ Ecclesiæ constat Eucharistiam asservari, & ad ægros deferri consuevisse.

4. Probatur id primò ex Tertulliano, qui *lib. 2. ad uxorem*, testatur Christianos suo tempore consuevisse Eucharistiam ad suos domum deferre, ut eam oportuno tempore sumerent. Et *in serm. de lapsis*, narrat mulierem quandam, cum arcam in qua Sanctum Domini fuerat in dignis manibus aperire tentasset, igne inde surgente deterritam fuisse. En consuetudinem secundi post Christum sæculi, quo author ille vixit, etiam divino miraculo comprobatam.

S. Justinus martyr ejusdem sæculi *in apolog. 2.* asserit post Sacra peracta Diaconos solitos fuisse deferri Eucharistiam ad fratres absentes.

S. Ambrosius in *orat. de obitu Satyri*, narrat Satyrum fratrem suum particulam Eucharistiæ ad collum suspendisse in naufragii periculo, & sic salvum evasisse.

S. Hieronymus in *epist. ad Rusticum*, refert S. Exuperium Tolosæ Episcopum, Christi Corpus in canistro vimineo comportasse.

Denique hæc Fides, Usus, & Consuetudo in primitiva Ecclesia adeò certa, & indubitata fuit, ut S. Cyrillus *in epist. ad Gallosyniam*, in terminis affirmare non dubitet eos insanire, qui asserunt Eucharistiam si in alterum diem asservetur vim suam amittere. *Errare non potuit Fides, & Consuetudo primitivæ Ecclesiæ,*

cleſiæ, aut qui eam ſequentur. Ergo errare neceſſe eſt eos, qui ſoli Luthero duce illi adverſantur.

CAPUT V.

De Sacrificio Miſſæ, & communione ſub utraque Specie.

Docet Eccleſia Catholica contra Sectarios Modernos, Chriſtum in ultima cæna non tantum Sacramentum, ſed etiam Sacrificium per Sacerdotes offerendum inſtituiſſe, per illa verba *Hoc facite in meam commemorationem* &c. prout à vera & primitiva Eccleſia ſemper intellecta fuerunt.

1. Probatur primò, ex Apoſtolo *ad Hebr. cap. 7. verſ. 17.* ubi declarat de Chriſto verè dici, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cum autem Sacerdotis proprium munus ſit offerre Sacrificium, non poteſt Chriſti Sacerdotium in Eccleſia eſſe in æternum ſine perpetuo Sacrificio in Eccleſia offerendo. Atqui cruentum Crucis Sacrificium ſemel tantum offerri potuit, cum Chriſtus ſæpius mori, & immolari nequeat. Ergò tantùm reſtat ut perpetuò offerat per ſuos Miniſtros incruentum Miſſæ Sacrificium; aliàs Apoſtoli verba erunt ab omni veritate aliena.

Sacrificium autem illud ſub ſpecie Panis & Vini offerendum eſſe indicant eadem Apoſtoli verba, dum aſſerit Sacerdotium Chriſti fore ſecundum ordinem Melchiſedech, cujus Sacrificium conſiſtebat in Panis & Vini oblatione, uti patet *Geneſ. 14. v. 18. Melchiſedech Rex Salim proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Altiſſimi.*

2. Probatur ſecundò, ex eo quod Deus nullo unquam tempore reliquerit Eccleſiam ſuam ſine aliquo Sacrificio, quod in ſignum ſupremæ majeſtatis illi offerri debebat. Nam in ſtatu legis naturæ reperimus publicum Sacrificium Deo oblatum per Abelem, Noe, Abrahamum &c. In lege Moſaica plurima erant inſtituta ſacrificia, holocauſta, victimæ, libamina. Ergo nullo modo credibile eſt ſolam Eccleſiam Chriſti relictam eſſe omni vero & publico ſacrificio deſtitutam, quo poſſit omni tempore Deum placare, laudis & impetrationis hoſtiam offerre, vitæ ac necis Dominum agnoſcere, quod oblatione ſacrificii propriè præſtatur. Quod divino cultu adeò proprium eſt, ut nulla unquam genus Deum coluerit, quæ ſacrificium aliquod aut victi-

mam non obtulerit. Quomodò igitur cogitari potest Christum, qui voluit Ecclesiam suam toto orbe diffundi, non ordinasse sacrificium aliquod publicum, & suæ Ecclesiæ proprium, in quo omnes gentes convenirent, & cultu conformi Deum adorarent. Quo autem sacrificio poterat populus Christianus melius conjungi, ac designari, quam per oblationem corporis, & sanguinis Christi in sacrosancto Missæ sacrificio?

Ad hunc finem ab exordio Ecclesiæ Christianæ instituti sunt Sacerdotes, & erecta sunt Altaria. Ad quid enim serviunt Sacerdotes, & Altaria, nisi ut victimæ, & sacrificia offerantur, sine quibus totus ille apparatus inanis esset, & proprio usu destitutus.

3. Probatur tertiò, ex perpetuo usu Ecclesiæ Christianæ Missæ sacrificium offerendi, ad hæc usque tempora continuato: adeò ut mirum sit ab iis, qui se primævam Ecclesiam venerari & sequi profitentur, aliud unquam fuisse cogitatum.

Sacrificium hoc jam indè à Christi temporibus in Ecclesia ubiq; oblatum fuisse testis locuples est S. Irenæus, qui floruit secundo post Christum sæculo, scribit enim *lib. 4. cap. 3 Christum in cœna Apostolos novam novi testamenti oblationem docuisse, quam Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, juxta Malachiæ vaticinium.*

4. Eundem Ecclesiæ primævæ usum prodit S. Augustinus *in Psalm. 33. Ipse Dominus*, inquit, *de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech; undè & ipsi Apostoli sacrificare leguntur. An ergo Apostoli à Christi doctrina aberrarunt?*

Idem toto orbe Christiano sacrificium offerri scribit iterum Augustin. *de civit. Dei lib. 19. cap. 22.* loquens de oblatione Melchisedechi; *ibi* (inquit) *apparuit sacrificium quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum.* Et l. 4. de Trinit cap. 14. *Quid gratius offerri aut suscipi possit quam Caro Sacrificii nostri?*

S. Ambrosius in Luc. cap. 1. *Cum sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur*

S. Hieronymus super verba Malachiæ; *In omni loco*, ait, *offerri oblationem, nequaquam immundam, ut à populo Israel, sed mundam, ut in caremoniis Christianorum.*

Eusebius Emiss. in. fer 5. de Paschate. *Melchisedech oblatione panis & vini, hoc nimirum quod in Eucharistia celebratur, Christi Sacrificium figuravit.*

S. Justinus Martyr in Dial. cum Triphone. *Omnia Sacrificia quæ suo nomine facienda Iesus Christus tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, quæ in omni loco à Christianis fiunt, præoccupatione*

 usus

usus Deus, sibi gratia esse testatur. En iterùm S. Justinus secundi sæculi testis Sacrificium Eucharisticum in omni loco à Christianis oblatum fuisse testatur. Ergo vel errarunt omni loco cum SS. Patribus Christiani primitivæ Ecclesiæ, vel aberrant hujus temporis Sectarii huic Sacrificio contrarii.

5. Quoad Laicorum communionem, docet Ecclesia Romana non esse necessarium præbere laicis communionem sub specie vini, contra plerosque Sectarios.

Primò quia nullum in Scripturis extat præceptum administrandi laicis Eucharistiam sub specie vini, ut infrà ostendam.

Secundò, Quia ipse Christus duobus discipulis in Emaus porrexit Eucharistiam sub sola specie panis, *Luc. 24. & cognoverunt eum in fractione panis*, uti eum locum explicat Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, & plures alii. Et tempore Apostolorum de fidelibus dicitur. *Act. 2. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis.* Ubi nulla calicis fit mentio: ubi nec *Act. 20. Una autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem.*

Tertiò, quia de communione data sub unica specie sæpè memorant Patres primitivæ Ecclesiæ, ut infra patebit, quod sine errore fieri nunquam posset, si extaret præceptum Christi de communione sub utraque specie.

6. Contra hæc, præceptum à Christo latum esse de præbendo Laicis Calice probare conantur Sectarii primò ex *Matth. 26. v. 27. Bibite ex eo omnes.* Verùm ea verba ad solos Apostolos pertinere declarat Marcus cum addit, *Et biberunt ex eo omnes*, scilicet Apostoli tunc in cæna præsentes.

Opponunt secundò, verba Christi *Ioan. 6. v. 53. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo non habebit vitam qui non sumit Eucharistiam sub specie vini. Sed facile negatur consequentia, non enim requirit Scriptura ut omnes bibant Sanguinem sub specie vini, sed tantum ut bibant Sanguinem Christi quocumque modo id fiat. Jam verò sub specie panis necessè est totum Christi Corpus cum Sanguine conjungi, cum illic Corpus Christi non mortuum, sed integrum, gloriosum, & vivum, prout modo in cœlo existit, sub unica panis specie constituatur. Ergo hoc ipso quo aliquis Christi Corpus suscipit sub sola specie panis, Christi pariter Sanguine reficitur. Neque ullus Scripturæ locus plus requirit, quàm ut sumatur Sanguis Christi, non verò ut sub vini specie recipiatur.

7. Et

7. Et sanè graves admodum erant causæ cur Christus noluerit præceptum sumendi calicis omnibus laicis imponi. Nam in quibusdam regionibus præsertim frigidis, & à vino, ac commercio remotis, aliquando moraliter impossibile foret vinum in ea quantitate procurare, quæ toti populo sufficeret. Magnum quoque ac frequens adesset periculum effusionis, ac irreverentiæ, si deberet calix per omnes totius populi manus aut ora circumferri, toties impleri, toties detergi &c. Non negant tamen Catholici posse usum calicis ulli unquam laico concedi, sicut Regibus Galliæ concessus traditur; sed docent de illo omnibus concedendo nullum omninò præceptum divinum extare. Quod autem Sacerdotes debeant sub utraque specie communicare, non ideo id fit, quod hoc ad Sacramentum, sed quod ad sacrificium requiratur; ut per Sanguinem quasi seorsim sub specie vini sumptum, & oblatum, Mors & Passio Christi repræsentetur.

Nullum autem de præbendo laicis calice præceptum à Christo constitutum, aut à primitiva Ecclesia agnitum fuisse vel ex eo patet, quod Paulinus presbyter in vita S. Ambrosii narret, dum jam S. Ambrosius esset è vita excessurus, Sacerdotem nomine Honoratum divinitus ter advocatum adfuisse, & S. Ambrosio dominicum Corpus obtulisse, sine ulla sanguinis mentione. quod, inquit, ubi accepit emisit Spiritum. Et ipse Dominus non tantùm manducanti carnem, & bibenti Sanguinem, sed etiam seipsum sub sola panis specie sumenti vitam æternam promisit, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

CAPUT VI.

De Confessione Sacramentali.

I. DOcent Catholici lapsis in peccatum mortale à Christo præceptam esse confessionem Sacramentalem, formaliter integram, & distinctam quoad speciem & numerum delictorum, coram Sacerdote ad hoc legitimè deputato.

Hanc confessionem, quam auricularem vocant, negant passim Sectarii, existimantes sufficere se coram Deo peccatorum agnoscere. Quamvis nec in hoc inter se omnes conveniant: constat enim Lutheranos multis locis in Germania etiam coram Ministro suo peccata saltem genericè confiteri. In hoc errore concordant Novatores nostri cum hæreticis Novatianis à primitiva Ecclesia damnatis, qui oris confessionem, & Sacerdotis Sacramentalem absolutionem penitus sustulerunt: uti tertiò post Chri-

Christum sæculo testatur S. Cyprianus *lib. 4. epist. 2.* & S. August. *de hæresibus Novatianorum.* Fieri autem non potest ut doctrina illa nunc sit vera, quæ in primitiva Ecclesia fuit hæretica.

2. Probatur doctrina Catholica ex Scripturis, quæ hanc absolvendi potestatem Sacerdotibus apertè concedunt *Matth. 18. Quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in cœlos; & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cœlis.* Et *Ioan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur, & quorum retinueritis retenta sunt.* Item *Iac. 5. v. 16. Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Itaque ex illis Christi verbis sic argumentor. In Ecclesia Christi, quæ est perpetua, constituti sunt perpetui Judices cum potestate ligandi, atque absolvendi peccata. Atqui Judex non potest absolvere aut remittere peccata, nisi ad ipsius tribunal fuerint relata, & debitè exposita. Ergo ad peccatorum absolutionem à Christo institutam necessarium est, illa à pœnitente Sacerdoti debitè exponi. Non enim potest Judex absolvere à delictis sibi incognitis; Sacerdos autem nequit delicta cognoscere nisi illi à pœnitente per Confessionem aperiantur, cui soli peccatorum suorum malitia solet esse manifesta.

Neque refert quod Christus Magdalenam, & quosdam alios sine particulari peccatorum confessione absolverit: Christus enim, cùm esset Deus, potestatem habuit absolutionem peccata contra suam legem commissa quocunque modo condonandi. At ministri Ecclesiæ, cùm à Christo constituti sint Judices ad ligandum aut solvendum juxta statum pœnitentis, debent ejus statum & delicta expendere, antequam sententiam ferant: hunc autem pœnitentis statum purus homo absque distincta peccatorum confessione cognoscere nequit.

3. Atque ut apertè pateat hoc Pœnitentiæ tribunal eo quo diximus modo à Christo constitutum fuisse, & à primitiva Ecclesia perpetuò usurpatum, ipsam in suis Patribus loquentem audiamus.

S. Augustinus in *Hom. 49. cap. 3. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit quid in corde ago: Ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terra soluta erunt in cœlis: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei: Frustraneum Evangelium, frustranea verba Christi; promittimus vobis quod ille negat.* En quomodò nobiscum has Scripturas Augustinus intellexerit: & confessionem occultam soli Deo, non Ecclesiæ ministro factum reprobaverit.

Audi iterum, & execrare tam apertum nostri temporis errorem

rem. August. *lib. 2. de visit. infirm. cap. 4. Sunt quidam, qui sibi ad salutem sufficere autumant, si soli Deo cui nihil occultum est sua confiteantur crimina; nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur se ostendere Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem Dominus constituit. . . . Ergo ad te venire reges Sacerdotem, & fac illum conscientiarum tuarum penitùs participem.* En quomodò penitùs integram requirat fieri Sacerdoti peccatorum Confessionem. Audi porrò quâ censurâ hanc omittens ibidem perstringat. *Non seducat te*, inquit, *illa somniantium superstitio, qua in visitando confirmat, quasi salvet, Sacerdote inconsulto, ad Deum peccatorum Confessio.*

Idem inculcat antiquissimus Athanasius *Serm. in illa verba.* In venietis pullum alligatum. *Nondum*, inquit, *soluta sunt vincula, tradas teipsum discipulis Iesu, adsunt enim qui te solvant pro potestate ea quam à Salvatore acceperunt; quacunque enim ligaveritis inquit in terra, erunt ligata & in cœlis.*

Idem docet S. Basilius *Interrog. 288. Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

Idem necessarium esse confirmat S. Chrysost. *lib. de Sacerd. Qui laborant Christiani, ultrò sibi persuadeant Sacerdotum curationi se submittere oportere.*

S. Cyprianus tertio post Christum sæculo, *lib. de lapsis. Confiteantur singuli delictum suum dum admitti ejus Confessio potest, per manûs impositionem Episcopi, & Cleri jus Communicationis accipiant.*

Innocentius I. quinto post Christum sæculo, in vita S. Ambrosii: *De pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, sed quomodò nisi illi innotescant.*

Ex his iterum aliud inferre non potes, quam falli Scripturas, errare Patres primitivæ Ecclesiæ, aut certè illos à veritate deviare, qui sacramentalis Confessionis necessitatem non admittunt.

CAPUT VII.

De Purgatorio.

I. DOctrina Catholica est, præter Infernum damnatorum, extrare alium locum quem Purgatorium dicimus, in quo animæ justorum, quæ in hac vita sufficienter expiatæ non fuerunt, in altera vita expurgantur antequàm ad cœlestem gloriam recipiantur. Negant hæc Lutherani & Calvinistæ: & olim

olim negavit Aëtius orationes fidelium defunctis prodesse, cujus doctrinam inter hæreses reponit Epiphanius, & Augustinus de hæresibus Aëtii.

2. Probatur primò necessarium esse talem locum expiatorium superesse. Sæpè homo, qui peccavit mortaliter, liberatur à reatu culpæ, & pœnæ æternæ, non tamen ab omni pœna temporali. Sed homo discendens ex hac vita cum reatu pœna temporalis non potest in cœlum admitti: nihil enim inquinatum intrabit in regnum cœlorum. Ergo debet superesse locus purgatorius in quo illa temporalis pœna persolvatur.

Major probatur manifestis Scripturæ exemplis.

Primò Moyses & Aaron propter peccatum incredulitatis quod ipsis remissum erat, puniti sunt morte temporali à Deo illis constitutâ, ne ingrederentur terram promissionis, ut patet *Numer.* 20. & *Deuter* 33.

2. David post impetratam veniam adulterii, & homicidii punitus tamen fuit à Deo morte filii admodum dilecti ex adulterio geniti, Nathan Prophetâ tam remissionem peccati, quam pœnam superstitem declarante 2. *Reg.* 12. *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum; veruntamen parvulus qui tibi natus est morietur.* Idem patet in eodem Davide 2. *Reg* 24. ubi jussus est unum ex tribus pestem, famem, vel bellum eligere, in vindictam peccati ab eo humiliter agniti, & à Deo apertè condonati. Quando igitur contingit interveniente morte pœnam temporalem pro peccato remisso testantem in hac vita non persolvi, manifestum est in altera vita debere expiari: at non in cœlo, nec in inferno, ergo in purgatorio. Sicut etiam inter homines Rex aut Princeps condonat Reo crimen læsæ Majestatis, & pœnam capitis, jubet tamen aliquando aulâ abesse, aut carcere ad tempus detineri.

3. Probatur secundò dari hunc purgatorii locum *Matth.* 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo satis apertè colligitur aliquam esse peccatorum remissionem in sæculo futuro: quod ex eodem loco colligit etiam S. Augustinus *lib.* 21. *de civit. Dei. cap* 24. Patet idem ex Apostolo 1. *ad Cor.* 3. v. 15. *Ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Quod de igne purgatorii interpretatur idem Augustinus *in Psal* 37. *sub initium.*

Denique disertissimis verbis id Scriptura declarat 2. *Mach.* 18. ubi Judas Machabæus maximis impensis jussit publicè Sacrificium offerri pro mortuis, qui in acie ceciderant, ut è peccatis solverentur: cujus factum ibidem his verbis approbatur.

Sancta

Sancta igitur & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Quod factum tam publicum in luce totius populi, & testificatio tam aperta, etsi Scripturæ non foret, satis ostendit quis fuerit sensus & fides antiquissima istius Ecclesiæ ante Christum, de pœna temporali post mortem remanente, & de virtute orationis, & Sacrificii ad illam redimendam.

4. Hoc autem esse indubitatum Scripturæ testimonium, hanc esse praxim & consuetudinem in vera Christi Ecclesia, ut ne vel minimum hærere possis, testabitur primitivæ Ecclesiæ Doctor, & oraculum S. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 2. *In Machabæorum* (inquit) *libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Audi rursùs, ibidem c. 4. *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica Societate defunctis suscepit Ecclesia.*

En iterum & suam & Apostoli mentem inculcat & exponit August. lib. 20 homil. 16. *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus ait salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

5. Eandem Ecclesiæ fidem ante Augustini tempora consignat Tertullianus *lib. de corona militis cap. 3. Oblationes pro defunctis annuâ die facimus.*

Eandem declarat 4. sæculo Conc. Nicænum Can. 63. *Nuncietur de morte Episcopi omnibus Ecclesiis, & Monasteriis illius Diœcesis, ut fiat oratio pro eo.* Et Carthginense 4. c 79. *Pœnitentes ... si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ut eis subveniri non possit memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.*

Nec quisquam ferè est SS. Patrum, qui hanc materiam attingit, quem non possim hujus doctrinæ testem adducere. Quid enim singulis opus est cùm iterum & apertè, & sine dubitatione *Aug. de verbis Apost. serm 31.* testetur hanc esse fidem & suam, & Ecclesiæ universæ. *Orationibus*, inquit, *sanæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari ... Hæc enim à Patribus universa observat Ecclesia.*

Qui hæc audit, & adhuc præfractè purgatorium negat, securus esse potest se nunquam ad Purgatorium perventurum.

CAPUT VIII.

De cultu, & invocatione Sanctorum.

1. FIdes Catholica docet primò, cultum latriæ soli Deo tribuendum esse, nullamque creaturam posse adorari, nisi adorationem impropriè accipias, uti ab Abrahamo dicitur Angelus adorari *Gen.* 18. *v.* 3 & alibi.

Docet secundò, solum Deum invocandum esse tanquam supremum rerum omnium Dominum, ac largitorem omnium donorum tam naturæ, quàm gratiæ.

2. Admittit tamen Sanctos in cœlo regnantes tanquam Dei amicos religioso cultu honorandos esse: & ut nostros apud Deum intercessores ac Patronos invocari posse utrumque negant omnes hujus temporis Sectarii: & ante illos varii pro hæreticis à primitiva Ecclesia damnati, ut Vigilantius apud S. Hieronymum *cap.* 3. *adversùs Vigilantium*: & Manichæus apud S. Augustinum *lib.* 20. *cap.* 4. *contra Faustum.* His autem à primitiva Ecclesia reprobatis consentire, aliud esse non potest quàm à veræ Ecclesiæ sensu aberrare.

3. Probatur porrò Catholica veritas primò, Quia ex Scripturis constat utile ac pium esse invocare homines sanctos in hac vita existentes. Ergo multò magis utile ac pium erit invocare Sanctos in cœlesti gloria cum Christo regnantes, & in perfecto illius amore & favore in æternum constitutos.

Antecedens patet ex Apostol. 2. ad Thessal. 1. *Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos.* Et ad Colossen. 4. v. 2. *Orationi instate, orantes simul & pro nobis.* Et ad Rom. 15. v 30. *Obsecro vos fratres per Charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa.* Denique ad postulandum hujusmodi patrocinium hortatur ipse Deus Job cap. 42. v. 8. *Ite ad servum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis; Iob autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus aspiciam, ut non vobis imputetur stultitia.*

4. Sanctos quoque in cœlo existentes nobis patrocinari, & utiliter ac piè invocari, patet *Danielis* 3. *v.* 35. Ubi Azarias ita orat: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum.* Et S. Petrus promittit se post obitum suum pro fidelibus frequenter oraturum 2. Petri 1. vers. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Et ipsa experientia

tia ex frequentibus beneficiis ac miraculis per Sanctorum invocationem omni ævo obtentis, manifestè ostendunt hanc Deo gratiam, ac nobis perutilem esse.

5. Nec ullam prorsùs vim habent quæ contra Sanctorum invocationem à Sectariis opponuntur, hoc modo: Deus vult solus invocari; ergo non licet invocare Sanctos in cœlo regnantes. Nam contra ipsos valet eadem consequentia: Deus vult solus invocari; ergo non licet invocare Sanctos in hac vita existentes; quod tamen falsum esse coguntur ipsi fateri ex apertis Scripturis n. 3. suprà citatis.

Eodem modo si bona est hæc quam formant consequentia: Solus Christus est mediator hominum: ergo peccant Catholici invocando Sanctos in cœlo existentes; Bona etiam erit hæc sequela: Solus Christus est mediator hominum: ergo peccant Sectarii invocando Sanctos in terra constitutos; quod tamen ex Scripturis admittunt licitum esse. Nam si velint ut particula *solus* universaliter accipiatur, æquè Sanctos vivos ac mortuos excludet.

Neque minùs frivolum est quod assumunt, Sanctos scilicet in cœlo non posse preces nostras, & interna desideria cognoscere. Sed peto, an admittant Samuelem cognovisse omnia quæ erant in corde Saulis, ut testatur Scriptura 1. *Reg.* 9. *v.* 19. Et Elisæum scivisse omnia quæ à Giezi absente gerebantur, & secreta consilia Regis Syriæ longè remoti 4. *Reg. cap.* 5. *v.* 6. Et Danieli cognitum fuisse occultum somnium Nabuchodonosoris, ejusque interpretationem? Dicant ipsi quomodo potuerint hæc absentibus in terra revelari, & simul exponent quâ ratione possint Sancti in cœlo preces nostras & desideria cognoscere.

6. Probatur autem secundò, hunc esse sensum Scripturarum, & primitivæ Ecclesiæ, ex consensu Sanctorum Patrum, qui in ea cum eximia tam sanctitatis, quam veræ doctrinæ laudè floruerunt.

Origines qui tertiò post Christum sæculo vixit Homil. 23. in Numer. *Quis*, inquit, *dubitat quod Sancti quique Patrum etiam orationibus nos juvent.*

S. Hieronymus 4. sæculo contra Vigilantium cap. 3. *si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris .... quantò magis post victorias, coronas, & triumphos.* Et ibidem affirmat Vigilantium hæreticum contrariam doctrinam de Barathro pectoris sui tanquam cænosam spurcitiam evomere.

Audi S. Augustinum Catholicorum more pro se orantem Medit. cap. 40. *S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, Sancti Chori Angelo-*

rum,

rum, atque Archangelorum per illum qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili Deum rogare dignemini.

S. Ambrosius quod in Ecclesia fieret, ac fieri debeat aperte docet lib. de Viduis. *Obsecrandi sunt Angeli pro vobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi sunt .. . possent pro peccatis nostris rogare.* Et orat. 2. de præpar Missæ. *Apostolorum intercessionem imploro, Martyrum preces deposco, confessorum orationes expostulo, talium Domine Deus preces nunquam spernis.* Longior forem si eodem modo loquentem adducerem S. Chrysostomum *in Liturg.* S. Cyprianum *de Stella & magis.* Cyrillum Hierosol: *Catech. Mystag.* Eusebium Alex *Hom. de Sanctis*, & alios indubitatos primitivæ Ecclesiæ testes: ex quorum consensu quomodo nostri temporis Sectarii erroris convincantur jam supra tradidimus.

CAPUT IX.

De Veneratione Imaginum Christi & Sanctorum.

1. HOnorandas esse Imagines Christi ac Sanctorum docet Ecclesia Catholica Romana, eo cultu qui à Tridentino exponitur *sess. 25. de invoc. & vener.* SS. ubi declarat Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, iisque debitum honorem, & venerationem impertiendam. Non quod credatur inesse aliqua in iis dignitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis aliquid sit petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, sicut olim fiebat à Gentilibus, qui in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui illis exhibetur, refertur ad Prototypa quæ illa repræsentant; ita ut per Imagines quas obsculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur.

2. Hanc doctrinam oppugnant moderni Sectarii: & eandem contra primitivam Ecclesiam impugnarunt hæretici ab ea olim damnati: nam Manichæi docebant Imagines Christi non esse colendas, sed res esse phantasticas, uti testatur S. Augustinus *contra Faustum lib. 20. cap. 15* & postea ipsa Ecclesia in Conc. Niceno 2. congregata.

Idem 4. Sæculo tenebant Ariani hæretici, & hanc ob causam in Syn. Nicæna *act.* 6. Eusebius tanquam Arianus accusabatur.

Ergo

Ergo vel erravit primitiva Ecclesia hanc hæresim reprobando; vel errant moderni Sectarii eam amplectendo.

3. Probatur autem Catholica veritas primò, Quia in Scripturis aliquæ creaturæ rationis expertes dicuntur honorandæ, propter ordinem singularem, quem habent ad Deum & res divinas, sicut habent Imagines ad Christum; & Sanctos. Nam de Arca testamenti dicitur *Psalm. 98. Adorate scabellum pedum ejus, quia Sanctum est*, Et *Exodi 25. vers. 18.* jussit Deus Moysen supra Arcam fœderis collocare duos Cherubinos aureos, quibus simul cum Arca honos deferebatur: *Facite duos Cherubin aureos, & productiles ex utraque parte oraculi* Deniq; *Num. 21. v. 8.* Deus mandavit erigi statuam sive imaginem serpentis æneā, quę populo in veneratione fuit, tum quia ex ejus aspectu à serpentum morsu sanabantur; tum quia figura erat Christi in Cruce pendentis. Ergo etiamsi Imagines sint rationis expertes, potest illis deferri aliquis honor, qui ad ipsum Deum, Christum, aut Sanctos Dei amicos referatur.

4. Opponunt Sectarii, Catholicos honorando Imagines committere idololatriam, & peccare contra divinum præceptum *Deut. 4. Non facies tibi sculptile ut adores illud*, & alia hujusmodi loca, quibus in Scripturis idololatria prohibetur. Sed hæc frustra, & malignè Catholicis objiciuntur, cùm apertè profiteantur se non facere sibi sculptile aut Imagines, ut illas adorent more gentilium. Illorum enim doctrina de cultu Imaginum initio hujus capitis ex Tridentino declarata, à tali adoratione & cultu longissimè remota est. Quomodo ergo possunt exercere illum cultum quem ipsi damnant ac detestantur? Aut quâ fide possunt Ministri, qui hæc sciunt & legunt, talem calumniam Catholicis affingere ut eos populo reddant exosos. Vera certè fides nunquam per tales artes, ac fraudes propagata fuit.

5. Probatur secundò, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine jam inde à temporibus Apostolorum depingendi, & prædicto modo colendi Imagines Christi, & Sanctorum. Ipse enim S. Lucas Evangelista venerationis ergo B. Virginis Imaginem depinxit, ut testatur antiquissimus Metaphrastes in vita S. Lucæ.

Secundi post Christum sæculi consuetudinem refert Methodius *Orat. 2. de Resurrect. Quas quidem ex auro Imagines conflamus Angelorum, ipsius principatus & potestates referentes, eas, ad honorem & gloriam Dei conficimus.*

S. Athanasius tertiò circiter sæculo, ad Antioch. *c. 38. Absit ut quemadmodum Græci faciunt, nos Christiani tanquam Deos imagines*

 adoremus;

adoremus, affectionem duntaxat & charitatis nostræ studium erga figuram personæ per imaginem expressa declaramus.

S. Chrysost. *tom 5. in liturgia. Sacerdos autem egreditur.. conversus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicit orationem.*

S. Augustinus *lib. 3. de doct. Christ. cap. 9* dicit, *Signa utilia divinitus instituta veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit.*

Denique S. Ambrosius in *Orat. de obitu Theodosii*, laudat Helenæ sapientiam, quod Crucem Christi levaverit, & ipsis Regibus honorandam exposuerit.

Et si silerent hi, aliique primitivæ Ecclesiæ testes, satis loquuntur innumera miracula in Crucis, ac Imaginum religioso cultu fidelibus à DEO omni ævo concessa, quæ non possunt nisi veritatis ac virtutis, non autem in erroris aut idololatriæ præmium concedi, nisi velis dicere DEUM per miracula & beneficia homines ad idololatriam invitare.

CAPUT X.

De sacris Reliquiis.

1. Argumenta suprà allata pro Imaginum veneratione non parùm probant Sanctorum quoq; corpora, reliquias, ac monumenta à fidelibus in honore pie, utiliterque habenda esse, prout docet *Trident. sess. 25. sub initium.*

Soli repugnant hujus temporis Sectarii, cum antiquioribus hæreticis, quales erant secundo post Christum sæculo Marcionitæ, qui docebant Martyrum corpora esse abominabilia, ut refert Magnes *lib. 4. contra Theostenem:* deindè post Diocletianum, & Julianum apostatam Vigilantius, qui nolebat reliquias coli, aut illis cereos accendi, cujus hæresim impugnat S. *Hier. 2. lib. 2. contra Vigil.* Videant quæso & advertant nostri Sectarii quales habeant primos suæ doctrinæ Patres, ac Patronos.

2. Probatur porrò ex Scripturis corpora, & reliquias Sanctorum veneratione digna esse. Nam *lib. 4. Regum cap. 14.* sic memoratur: *Projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit supra pedes suos*, Deus tanto miraculo ostendit quanto in honore habeat ossa Prophetæ, & tu illa honore indigna esse affirmas.

Actio-

Actorum 19. *v.* 12. narratur, quomodo sudaria & semicinctia à corpore Pauli deferrentur ad languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. En ipse Deus tot prodigiis ostendit se velle per reliquias Sanctorum beneficia hominibus conferre, morbos curare, dæmones appellere: ergo satis declarat se velle in illum finem reliquias illas in pretio, & honore haberi; alias ipse talibus signis eas honorando homines ultrò in errorem induceret.

Quinimò potiùs divina sapientia per hunc sacrarum reliquiarum cultum & æstimationem, excitat homines ad imitandum Sanctorum virtutes, & exempla, & corroborat in illis vivam fidem de futura mortuorum resurrectione; dùm vident sanctorum hominum ossibus ac cineribus tantam à DEO virtutem attribui, propter conjunctionem quam habuerunt cùm animabus jàm in gloria constitutis, uti loquitur Apostolus, *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti*, 1. ad Cor. 6.

3. Secundum argumentum quo hæc doctrina demonstratur, est primitivæ Ecclesiæ usus & fides indubitata; aut enim hæc penitùs erravit, quod nemo admiserit; vel errant illi, qui honorem Sanctorum reliquiis exhibendum inficiantur.

Clemens Romanus statim primo post Christum sæculo de honore Reliquiarum id testatur *lib.* 6. *constit. Apostol. cap.* 29. *Eorum qui apud DEVM vivunt, ne Reliquiæ quidem corporum sunt inhonoratæ: siquidem Elisæus Propheta postquam defunctus est mortuum suscitavit. .. quod quidem nunquam accidisset, nisi corpus Elisæi sanctum esset.*

S. Justinus Martyr, qui secundo sæculo fidem suam sanguine consignavit, hoc quoque attestatur *quæst.* 28. *Sanctorum corpora, & sepulchra Martyrum dæmonum amoliuntur insidias & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanationes.*

Sed ne adducam plura quæ pervolvi Patrum, & primitivæ Ecclesiæ monumenta. Instar omnium sit prolixum, & publicum S. Augustini testimonium, qui primò *epist.* 103. sic scribit. *Reliquias beati Martyris Stephani non ignorat Sanctitas vestra (sicut & nos fecimus) quam convenienter honorare debeamus.* Deindè *lib.* 22. *de Civit. DEI cap.* 8. fusè exponit miracula facta per Reliquias S. Gervasii & Protasii Mediolani, & quo modo

se præsente cæcus fuerit subitò illuminatus coram innumer populi multitudine, adeò ut miraculum à nullo ibi potuer ignorari.

Et enarratis aliis prodigiis, quibus ipse quoque testis inter fuit, declarat quomodo dum Episcopus nomine Projectus S. Stephani Martyris Reliquias publicè portaret, per flores qui Re liquias attigerunt, oculis applicatos mulier à cæcitate subitò li berata fuerit, populo universo DEUM in suis Sanctis collau dante.

Pergit eodem capite S. Doctor alia quoque miracula, & bene ficia exponere ex Sanctorum, & Reliquiarum cultu à DEO im petrata, quæ testatur intra suam Diœcesim fuisse numero septua ginta.

4. Quis quæso his inspectis de hac fidei veritate dubitare au deat? Nisi Augustino, & toti antiquitati, & primitivæ Eccles diffidat, aut ipsi Deo, qui per tot signa & prodigia hanc doctri nam Ecclesiæ suæ tam apertè testatam, & commendatam reddi dit. Plura in hanc rem dedi Tractatu de Miraculis edito Lovani anno 1667.

CAPUT XI.

De numero Sacramentorum.

SAcramentum apud Catholicos, est sensibile signum, & causa gra tiæ sanctificantis. Numerum Sacramentorum docent esse sept narium cum *Trid. sess. 7. de Sacram Can.* 1 Duo tantùm propri dicta novi Testamenti Sacramenta admittunt Sectarii, nempe Ba ptismum, & Eucharistiam sive Cœnam Domini: quamvis nec in hoc numero omnes inter se conveniant.

Sed hoc argumento unico satis redarguuntur: Nihil credunt es de fide Sectarii moderni, quod in claro & aperto Dei Verbo non continetur. Sed nullibi in Verbo Dei claro & aperto continetur, duo tantùm esse novi Testamenti Sacramenta. Ergo non est fide creden dum duo tantùm esse Sacramenta.

Si reponant, in Scripturis nullibi etiam apertè dici septem esse novæ Legis Sacramenta. Respondetur, Catholicos non credere ea tantùm esse de fide, quæ in Scripturis clarè & disertè continentur, ut Sectarii; sed admittunt ad Regulam fidei præter Scripturam, quando obscura est, traditionem & definitionem Ecclesiæ necessariò perti nere, uti probavimus supra *par. 1. cap. 7. & 8.*

§. I. De

§. I.

De Confirmatione.

PRimò itaque Confirmationem verum esse Sacramentum ex Scriptura, cum primitivæ Ecclesiæ traditione conveniente probamus. Nam *Act. cap* 8. narratur quod cùm audissent Apostoli quòd Samaritani recepissent Verbum DEI, & baptizati essent in nomine Domini Jesu: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Atqui illa impositio manuum post Baptismum erat signum sensibile, vi cujus conferebatur Spiritus sanctificans. Ergo erat Sacramentum distinctum à Baptismo, quod Ecclesia ab initio Confirmationis Sacramentum appellare consuevit. Nihil enim aliud ad propriam Sacramenti rationem requiritur, quam ut sit signum sensibile, à Deo constitutum, ad conferendum gratiam sanctificantem, sine qua Spiritus sanctus accipi non potest. Quæ institutio iterùm *Act. 19. v. 6.* declaratur, ubi narratur, quomodò Paulus postquam in nomine Jesu baptizavit, *imposuit illis manus, & venit super eos Spiritus sanctus*; cum aliis donis externis, quæ illi erant annexa.

Hic autem Scripturæ sensus ex traditione, & consensu primitivæ Ecclesiæ apertè colligitur. Nam *Clemens 1. epist. 4.* primo sæculo ab initio Ecclesiæ illius usum his verbis declarat. *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, septiformem Spiritus sancti gratiam percipere .... quia aliter esse perfectus Christianus nequaquam potest... ut à B. Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt.* Quid quæso in rem hanc clarius, quid antiquius? utpotè ab ipso Petro., cæterisque Apostolis continuò per manus acceptum.

In tertio sæculo *Fabianus epist. 2. Sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda... quia novum* Sacramentum *est.*

Melchiades Papa, qui quarto post Christum sæculo Ecclesiam gubernavit *ad Episcopos Hispaniæ* sic scribit. *Quæ sistis utrùm majus esset Sacramentum manus impositio Episcoporum, quàm Baptismus? scitote utrumque magnum esse* Sacramentum: *& sicut unum à Majoribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & majori veneratione venerandum & tenendum est.*

S. August. *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. In hoc*, inquit, *unguento* Sacramentum *Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut*

ipse Baptismus. Alios primitivæ Ecclesiæ testes prætereo plurimos: quia ex his manifestum est, aut primævam Ecclesiam errasse, aut Ecclesiam Romanam Confirmationis Sacramentum ritè usurpare.

§. II.

De Extrema Unctione.

SAcramentum extremæ Unctionis fundatur in Scripturis *Marci 6.* Ubi de Apostolis dicitur. *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Materia autem, forma, & effectus hujus Sacramenti distinctius declaratur *Jacob. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Ex his argumentandum est ut suprà: Signum sensibile ex institutione divina, à Presbyteris Ecclesiæ, ægris conferendum, quo causatur gratia remissivâ peccatorum, necessariò est verum Sacramentum; nam ut ipse Baptismus sit verum Sacramentum, nihil aliud requiritur. Atqui extrema Unctio est tale signum, uti patet ex scripturis jam allegatis. Ergo Extrema Unctio est verum Sacramentum.

Accedit usus & declaratio primitivæ Ecclesiæ, quæ non potest à vero scripturæ sensu discrepare, alias aut ipsa, aut Scriptura falsitatis arguenda esset.

S. Augustinus lib. 2. *de Visit. infir. cap. 4. olei sacrati delibatio intelligitur Spiritus Sancti typicalis unctio. Et tract. de rectit. Cath. conver. Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, . . oleum benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde Corpus suum ungatur, & secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, non solum Corporis, sed & animæ sanitatem accipiet.* Ubi vides D. Augustinum hanc Jacobi Apostoli Scripturam, cum Ecclesia Romana, de extremæ Unctionis Sacramento admittere, & explicare.

Denique universæ Ecclesiæ primitivæ ea de re praxim & consensum disce ex *Conc. Nicæno I. Can. 69. Transacto, inquit, anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum infirmorum.*

Ex his, dilemmate sæpius formato, facilè ostendes circa hoc

hoc Sacramentum vel primitivam Ecclesiam, vel modernos sectarios errare.

§. III.
De Ordine.

SAcramentum Ordinis quo Ministri in Ecclesia ad functiones sacras assumuntur, & consecrantur, patet ex scripturis 1. *ad Tim.* 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyteri.*

Cum enim ad exercenda ministeria divina opus sit aliquâ DEI vocatione, ut declarat Apostolus *ad Heb.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus est; non enim quisquam sibi assumit honorem, sed qui vocatur à DEO:* hinc necessè est signo aliquo sensibili à DEO instituto hanc vocationem innotescere, quod exprimit Apostolus per impositionem manûs, qua confertur gratia, & potestas sacra ministeria exercendi, nec amplius ad veram Sacramenti rationem requiritur.

Et quidem primo post Christum sæculo Clemens Romanus *lib.* 3. *constit. Apost. cap.* 27. Ordinem Ecclesiasticum per gradus distinguit in Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Lectores, Cantores, Janitores, subdens, *Hic est Ecclesiasticus Ordo & Conventus.*

S. Cyprianus sæculo tertio docet, Ordinem esse Sacramentum quod iterari non potest, æque ac baptisma, *in libro de Cardinal. Christi operibus, cap. de lotione pedum,* sic scribit; *docemur quæ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum stabilitas; nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ... & nemo sacros Ordines semel datos iterum renovat.*

S. Augustinus *contra Epistol. Parmeniani cap.* 13. Ostendens ab Episcopis hæreticis ordinatos, non esse iterum in Ecclesia Christi ordinandos, Ordinem esse Sacramentum non minùs quam Baptismum apertè declarat. Si (inquit) *nos malè facimus, ipsi explicent quomodo & Sacramentum Baptismi non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti... si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est* Et iterum *lib* 1 *de Baptismo contra Donatistas cap.* 1. *Sacramentum Baptismi est, quod habet qui baptizatur, Sacramentum dandi Baptismi est, quod habet qui ordinatur.* En quoties Ordo in ratione Sacramenti Baptismo æquiparatur ab indubitato teste, & Doctore istius primævi temporis, quod ab ipsis Sectariis inter aurea Ecclesiæ sæcula candido lapillo notatur.

Sed in hoc saltem cum Ecclesia Romana conveniunt Angelicanæ Ecclesiæ Protestantes, quod admittant in vera Christi Ecclesia necessarios esse Episcopos, & Ministros, qui ab ipsa Ordinem suum, & jurisdictionem accipiunt, quamvis negent esse Sacramentum. Nam absque Ordine non magis eorum Episcopis & Ministris quam cuivis de plebe propria esset potestas baptizandi, conficiendi Eucharistiam, aut exercendi alia Ecclesiæ ministeria.

Verum hinc summa emergit difficultas, quo modo Ecclesia Anglicana, postquam à Romana defecit, possit ostendere se habere veros Episcopos & consequenter veros Ministros, qui per legitimam Ordinationem potestatem suam à Christo participarunt. Nam sine legitima ordinatione non potest esse verus Episcopatus, sine vero Episcopatu, non potest esse verus Clerus, sine vero Clero nequit subsistere vera Christi Ecclesia.

Porrò in Anglia ultimum, qui Episcopalem Ordinem suscepit, fuisse Polum Archiepiscopum Cantuariensem apertè ostendit Stapletonus, Hardingus, Bristo, Reynold, aliique Catholici Doctores, qui circa ea tempora scripserunt, & ad respondendum huic difficultati adversarios frustra provocarunt. Et hinc solidè demonstrant neque Parkerum, qui post Polum Archiepiscopi Cantuarensis nomen in hæresi primus usurpavit, neque ullum ex cæteris Angliæ Prælatis ab ullis unquam Episcopis fuisse ordinatos. Adversarii autem de hac re toties postulati ut per tabulas, aut testes declararent à quibus Episcopis, quando, quo loco fuerint consecrati, nunquam spatio quinquaginta annorum potuerunt legitimæ ordinationis argumentum, aut testimonium proferre. Quod doctissimè probatum invenies in Tractatu ea de re edito anno 1659. ab Illustrissimo Præsule, qui modò Dublinensem Ecclesiam legitimâ Ordinis potestate feliciter gubernat, cui plurimos annos voveo.

Quæstiones aliæ de Sacramentis, & de Praxi Hæreticos Ecclesiæ reconciliandi, traduntur infrà in Resolutionibus Theologicis part. 3. in fine, &c.

CONCLUSIO

Adversus modernos vulgi errores à vera fide retrahentes.

HÆc quicunque legis, quicunque audis, aperi tandem oculos, tuæque felicitati gratulare; quod semotis popularium errorum

errorum tumultibus, licuerit in veritatis Sacrarium introire, & ex sinceris primitivæ Ecclesiæ suffragiis ancipitem animæ tuæ litem dirimere, ex qua pendet Regni nunquam perituri secura possessio. Acquiesce illis Judicibus, quos ipse erroris expertes esse agnoscis: sequere illos Duces quos non dubitas per rectam Fidei semitam ad salutis æternæ metam pervenisse. Atque ex adverso obliquam crede Novatorum viam, quam Patrum consensus condemnat, quam antiquitas ignorat, quam sacrarum Litterarum oracula refellunt, quam ratio ipsa tot modis deviam & præcipitem esse demonstrat. Ubi tot Tibi veritatis testes ad viam salutis facem præferunt, nullum superest erroris periculum, nullum ignorantiæ patrocinium.

At, inquies, longè alia Ministri nostri, quam Patrum libri, declamant. Quid indè? Veritas non est clamor, nec Ministri sunt Patres Ecclesiæ. Clamitant fortissimè circumforanei dum merces adulterinas commendant; tuum verò est, ne decipiaris, clamorem à veritate discernere. Ministri tui ad buccinandam Lutheri doctrinam contra Ecclesiam Romanam magno stipendio, & amplis Ecclesiæ spoliis conducti sunt; hâc arte familiam sustentant, uxores ornant, filias elocant, pro domo sua, non pro salute tua negotiantur: hujus tibi curam relinquunt, qui brevi stabis ante tribunal Christi, pro teipso rationem redditurus.

Confugies fortè ad populare argumentum. Vivimus felices, aspirat cœlum, omnibus fortunæ donis cumulamur; jacent passim in tenebris & inopia Romanæ Religionis cultores; manifestis igitur cœli favoribus Lutherana religio comprobatur. At vide quæso, quantum tibi fortunæ splendor mentis aciem obnubilet. Vivit felix imperium Turcarum, maximâ orbis parte denominatur, ad extremum mundi angulum relegatus est Lutherus, si cum Mahomete conferatur. Manifestis igitur cœli documentis præ cæteris omnibus Mahometi religio commendatur. Si igitur fortunam non colis, sed Christum, ipsum audi longè alias Ecclesiæ suæ notas ingerentem *Iohan. 16. v. 20. Vos contristabimini, mundus autem gaudebit.* Et *v. 33. Vos quidem in mundo pressuram habebitis; sed confidite quia ego vici mundum.* Vera Christi Ecclesia in stabulo & pauperie cœpit, in pressuris tyrannorum crevit, per crucem & inopiam adolevit. Aliam ad cœlum viam tuus Tibi genius, non Christus commendat.

Sed quomodò, inquies, fieri potest ut tot viri graves, vitâ & virtutibus in Repub. Lutherana conspicui, à veritate & salute aberrent? Virtutem si à Fide sejungas, nil nisi virtutis inane simulacrum ostentas. Veritas & virtus comites sunt individuæ:

absque

absque veritatis consortio nulla virtus adeò speciosa est, ut in DEI conspectum admitti possit, teste Apostolo; *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Notæ tibi sunt Reipub. olim Romanæ virtutes eximiæ, mira prudentia, clementia singularis, decantata toto orbe justitia. Tanto virtutum comitatu, verâ fide destituto, orbis quidem imperium, sed non cœlum obtinuit. Perierunt Cæsares, ardent Catones, cruciantur graves illi reip. Patres, olim ostro splendidi, nunc in flammis nunquam extinguendis purpurati.

Non igitur te detineat inanis illa virtutum umbra, quâ nihil fallacius: Non aura fluctuantis populi, quâ nihil incertius: Non speciosa fortunæ crepundia, quibus nihil in vita fugacius: Non voluptatum blandæ Syrenes, quæ te à recto veritatis cursu in errorum syrtes abducant. Periculosa est omnis ad salutem remora. Præterit vita, festinat mors, judicium præ foribus expectat: dum tempus sinit viam tutam amplectere; Nulla enim satis magna est securitas, ubi periclitatur Æternitas.

Genius fallax Novatorum quomodo cavendus.

COmmune vitium est naturæ lapsæ, Antiqua fastidire, ad Nova semper anhelare: *Semper*, inquit Seneca, *præsentibus est infesta levitas, & proprium est ægri animi, nihil diu pati:* hinc passim nova videndi, delibandi, audiendi, summa cupido. At quoniam Veritas, & Virtus perstat semper immutabilis, & novitatis nescia, hinc Novatorum commune studium est, novitatem falsæ doctrinæ, Veritatis, ac virtutis fuco convestire. Suos igitur errores his artibus, ac pigmentis decoratos, tanquam Patrum Antiquorum, S. Augustini, & ipsius Scripturæ oracula, incautis proponunt. His accedit proponentis gratia, frons blanda, lepor styli, & conciliatrix animorum facundia, quibus simpliciores capi necesse est, nisi sæpius recolant necessarium illud Christi monitum: *Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Illi verò Novatores ex adverso, ne lupinam hanc animas perdendi rabiem detegas, blandum illi charitatis nomen imponunt: Miseret illos tui erroris, dolent te à Pontifice & ejus asseclis in fraudem induci, tuum statum miserum & infelicem altè ingemiscunt. Sed si ad fucatam hanc charitatis speciem ritè attendas, facile deprehendes illam in solo vocis sonitu consistere, nec omne aurum esse quod lucet. Bractea quædam charitatis tibi ostenditur, ut de tuo lapsu nimis credulo novitatis Authores triumphum agant. Hac arte fraudu-

fraudulentæ charitatis graſſati ſunt omnium temporum Novatores, quorum blanditias, ac favos, & ipſa dona ut ſuſpecta habeas cautè monet de ſingulis S. Auguſtinus lib. 2. de Symbolo cap. 13. *Lupus eſt, agnoſcite; ſerpens eſt, ejus capita conquaſſate: Blanditur, ſed fallit; multa promittit, ſed decipit. Venite,* inquit, *defendam: ſi neceſſitas eſt, paſcam: ſi nuditas, veſtiam. O lupe male! O Serpens inique! Veſtis nudum, ut expolies intus Chriſto veſtitum. Paſcis eſurientem, ut animæ auferas cibum cœleſtem.*

Sed nec ab una mentitæ Charitatis ſpecie cavendum: novit id genus hominum, ut aptius fallat, reliquas etiam Virtutes adulterare. Ut tibi cautus videaris, ne oculis etiam tuis nimium credas, dum prima fronte externa probitatis & modeſtiæ ſpecies oſtentatur. In vaſe etiam aureo venenum non rarò propinatur. *Eſt,* inquit, *Origenes quædam etiam diaboli caſtitas; eſt etiam diaboli modeſtia, gravitas, demiſſio.* Hinc rectè monet *S. Ambroſius lib. 7. in Luc. cap.* 10. *Cave verſutæ diſputationis venena animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus infligunt.. Nec vos moveat quod formam prætendere videntur humanam, etſi foris homo cernitur, intus beſtia fremit.*

Uſque adeo potens eſt in propinandis erroribus forma iſta ementitæ virtutis, ut non rarò viris etiam perſpicaciſſimis fucum fecerit. Apollinarem hæreſiarcham peſtiferos olim errores diſſeminaſſe, nemo eſt etiam Sectarius qui modò non agnoſcit. Ille ipſe non exiguo tempore fallaci ſpecie ſimulatæ virtutis, viris maximis illudere potuit. Hoc de ſe, aliiſque fatentem audi *Epiphanium*, Hæreſi 77. *Egregius ille, ac venerabilis ſenex, quem nos & beatæ memoriæ Papa Athanaſius, imo verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinarius Laodicenus, hujus dogmatis author & propugnator extitit, neque nos veroſimile putabamus à tanto viro errorem iſtiuſmodi profectum.* Nec minus Pelagii ſpecie gravi, & modeſtâ captus fuit S. Paulinus, & alii viri doctrinâ conſpicui. Neſtorii ſevera frons, & oſtentata in publico macies, ac continentia, quàm multos in ipſius errores induxerit nobis deſcribit *Theodoretus* l b. 4. c. 12. ubi ſic concludit. *Hoc habitu, & hac ſimulatione populum ineſcans, magnam ætatis partem tranſegit, Chriſtianus videri potius, quam eſſe ſtudens.*

Hanc artem à priſcis illis quis non videt quam bellè hauſerint plurimi noſtri temporis Sectarii, in tradenda dogmatum novitate ad morum ſeveritatem, ad doctrinæ rigorem, ad novam Eccleſiæ reformationem toti compoſiti. Quorum verſutias niſi quis habeat exploratas, nihil propius erit, quàm ut in fraudem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.

Hoc

Hoc ne Tibi, quisquis es, unquam eveniat, Remedia quædam in promptu esse debent. Primò, In novis Scriptis, & primis congressibus, non temerè credere, sed assensum suspendere, & rem ulteriori sapientum judicio ponderandam reservare; Ne quidem Angelo salutanti, & novum mysterium annuncianti assensum præbuit Virgo prudentissima, nisi prius maturè expenderet, *Qua & qualis esset ista salutatio.* Secundò, suspectam habere doctrinam omnem à communi Ecclesiæ consuetudine abhorrentem. Tertiò, Si hac ratione doctrinæ sinceritatem nondum satis perspectam habeas, restat Remedium omni ævo certissimum, illam ad Lydium veritatis lapidem explorare, hoc est, ad Petram immobilem doctrinæ Apostolicæ, quam nobis sine periculo erroris exponit Christi in terris Vicarius, cui ipse Christus oves suas sinceræ doctrinæ pabulo in vitam æternam alendas commisit. Quem in decidendis Fidei, morumqu Cont roversiis, Judicem esse infallibilem supra demonstravimus.

TRACTATUS TERTIUS.

NOTÆ MANIFESTÆ FALSÆ ECCLESIÆ

IN SECTIS MODERNIS.

Exposuimus omnium oculis, manifestis argumentis, concordiam & consensum Scripturæ, ac Patrum primitivæ Ecclesiæ, cum sensu ac mente Ecclesiæ Romanæ, in dogmatibus controversis cum novis nostri ævi Sectariis: & horum Sectariorum consensum cum hæreticis in primæva Ecclesia legitimè damnatis.

Nunc ex altera parte proferemus discordias ac pugnas Novatorum, ac imprimis Lutheri, non tantum cum vera Ecclesia; sed etiam cum sacris Litteris impie depravatis, cum seipso sibi contrario, & cum suis Asseclis per Sectas innumeras ab ipso dissidentibus, dum confusione plusquam Babylonicâ idem ipse distruit & ædificat, affirmat & negat, neque secum ipse consentit, dum tamen totius Ecclesiæ consensui se opponit, quod manifestum est erroris, ac Spiritus satanici indicium. Ut hinc tandem videant moderni Sectarii, quam devios sibi duces in Via salutis elege-

elegerint, & desertis tandem erroribus ad rectam Ecclesiæ semitam tempestivè regrediantur.

Proponemus igitur primò, scripturas ab illis impiè vitiatas.

Secundò, Antilogias quibus sibi apertè contradicunt.

Tertiò, Confusionem plusquam Babylonicam Sectarum, quæ ex illis prodierunt.

Quartò, Calumnias manifestas in Ecclesiam Romanam confictas.

Quintò, Imposturas particulares *Antonii Egani*, & *Andreæ Sall* recentiorum Apostatarum.

Sextò, Sectarum maximè modernarum dogmata particularia breviter exponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Proferuntur varia loca Scripturæ sacræ à Sectariis fraudulenter depravata.

NOn potest vera esse Religio quæ imposturis & fraudibus propagatur. Nulla verò est impostura sceleratior quàm verbum DEI corrumpere & aliquid abolere, aut adjicere, quo in oppositum sensum transferatur. Quam nefario ausu moderni Sectarii verbo Dei vim intulerint, paucis exemplis monstrabo. Primò, ut ex corruptela tam impia de corrupta eorum doctrina judicium feratur. Secundò, ut ex horum textuum discrepantia, hæreticorum Editiones corruptæ, à sinceris ac Catholicis discerni possint, quæ sæpe alio modo non dignoscuntur.

In epist. 2. Petri cap. 1. editio vulgata & antiquissima sic habet: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram & electionem faciatis.* Lutherus sua authoritate in suis Scripturis delevit, *per bona opera*: quia verba illa aperte adversantur ejus errori, quo docet, bona opera homini ad salutem non conducere, sed sufficere sola merita Salvatoris.

Eâdem ratione, nec minori fraudulentiâ in Epist. ad Romanos cap. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem*, Lutherus adjungit, per *Solam* fidem, ut iterum excludat bona opera tanquam ad justitiam non necessaria.

In Evangelio Marci & Lucæ cap. 20. v. 20. apertè legitur, *Hoc est Corpus meum*: cujus loco imprimunt plerique Sectarii, *Hic* est Corpus meum, ne particula *Hoc* relata ad *Corpus* Christi, significet veram mutationem panis in Corpus Christi, quam Sectarii illi non admittunt.

Ob

Ob eandem causam, ubi Johan, 6.v.50. Biblia antiquissima etiam Genevensia sic loquuntur, *Ego sum panis vivus qui de Cœlo descendi*, pro voce *vivus* cum Calvino substituunt *Vivificans*, ut intelligatur panis usualis, qui hominem vivificat, etsi panis ipse non vivat, ut sic excludatur vivum Christi Corpus, quod in Eucharistia admittere nolunt.

In Epist. S. Jacobi cap.5.v.16. semper legebatur, *Confitemini alterutrum peccata vestra* : imo sic habetur in impressione Genevensi anno 1564. Sed quia viderunt hanc Scripturam antiquissimam adversari novæ doctrinæ, quæ negat Confessionem Sacerdoti aut alteri quam soli Deo faciendam esse, coegerunt scil. Spiritum sanctum aliter loqui in Bibliis impressis Genevæ anno 1605 hoc modo, *Confitemini peccata vestra erga invicem*. Aliud namq; est peccata ergà invicem commissa DEO exponere, quàm ea peccata alterutrum, id est, sibi invicem confiteri.

S. Paulus ad Hebræos c. 13.v.4. sic habet, *Honorabile connubium in omnibus*, id est, nihil est in connubio quod non sit honorabile. Hi autem Veneris patroni liberales, sic cum sensu verba transferunt, Honorabile connubium *inter omnes*, ut nempe sic defendant matrimonium etiam Sacerdotum, Monachorum, Monialium, ex Apostoli sententia licitum esse ac honorabile.

Iterum Apostolus in Epist. ad Ephesios v.5. c.32. De matrimonio disserens sic pronunciat; *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Sed loco hujus versionis, quæ ipso S. Hieronymo antiquior est. Novatores nostri substituerunt, *Secretum* hoc magnum est, ne cogerentur admittere matrimonium esse Sacramentũ, quod volunt ipsi contractum esse merè civilem.

In Epist. ad Philemonem v.14. Paulus dicit, *Sine consilio vestro nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*. Ad excludendum arbitrii libertatem, quam post lapsum Adami remanere negat doctrina Religionis reformatæ, sententiæ Apostoli venenum suum in fine aspeiserunt, addendo *velut* voluntarium, ne ex Apostolo verum voluntarium sine necessitate admittere cogerentur.

In Epist. I. ad Thessalonicenses cap.2.v.15. Apostolus monet; *Fratres state & tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Sed hi Reformatores Ecclesiæ, reformarunt etiam Apostolum, ut in eorum Bibliis alio modo loqueretur; Fratres state & tenete *documenta* quæ didicistis &c. Nolunt enim ut S. Paulus cum Papicolis dicat tenendas esse Traditiones, cum ipsi, qui aliter sapiunt, eas admittere recusent.

Epiſtolæ 1. ad Corinthios c. 9. interrogat Apoſtolus, *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* Lutherus *ſorore* minimè contentus, adjungit, *in uxorem:* Docet enim Apoſtolos uxores habuiſſe, eaſq; dum prædicarent ad opus conjugale circumduxiſſe, ut ipſe Lutherus ejuſque novi Apoſtoli, novo in Eccleſia Dei exemplo, facere conſueverunt.

Quid reliqua proferam Latrocinia verbo Dei inviolabili à modernis Sectariis illata, ut à Renato Benedicto, & Ludovico Berquino Pariſiis exuſto, & pluribus aliis qui ſacras Litteras corruptelis innumeris fædarunt, in quibus vel unum apicem adulterare, ſummum foret Sacrilegium? Si enim in Regio diplomate aliquid immutare ſcelus eſt læſæ majeſtatis ferro aut igne plecti ſolitum, quàm enorme facinus erit, incommutabilem æternæ veritatis paginam tot modis pro ſua libidine truncare, corrumpere, violare. Sed & hinc argumentum præbent certiſſimum doctrinam ſuam à veritate deviare, dum ad eam tuendam Scripturæ ſacræ veritatem immutare neceſſe eſt.

Sed neque verentur moderni per Hollandiam Miniſtri iſtis Sacrilegiis novas Calumnias conſarcinare. Teſtatur inter alios Illuſtriſſimus *Caſtorienſis* in eruditiſſimo *Tractatu* nuper edito, nihil eſſe magis familiare modernis Miniſtris quam paſſim & publicè vociferari, Sacroſancta Scripturarum Oracula apud Catholicos ſummo in contemptu haberi, & in prima Librorum prohibitorum claſſe collocari. Itane illis lubet & licet in aperta totius orbis luce calumniari? Quid quæſo poteſt eſſe magis conſpicuum quam apud Catholicos in publico Miſſæ Sacrificio Scripturam Sacram ſumma cum veneratione populo aſſiduè prælegi? Quid magis notum quam illam in ſacris Concionibus proponi, exponi, inculcari? Quid magis publicum & ſolemne quam in celeberrimis Academiis Lectionem Scripturæ ſacræ primo ſemper loco haberi, & in ipſius Tridentini Decretis *Seſſ. 5. de Reform. cap.* 1. eandem Lectionem ut imprimis honorificam, & omnium maximè neceſſarium ſummo ubiq; ſtudio proponi, præcipi, mandari? Quod verò Eccleſia Romana Editiones ſpurias, corruptas, & ab hæreticis mille modis truncatas ac vitiatas populo prohibeat, & Fidelium manibus ſubductas velit, hoc ipſum probat ſummam Verbi Dei apud Catholicos æſtimationem, quod nempe divinum hunc theſaurum purum ſibi, & ab hæreticorum corruptelis immunem tanto ſemper ſtudio conſervet. Sed & hoc ipſum eſt quod illos Novatores adurit, quod in puros ac primævos Scripturarum noſtrarum Fontes impuras corruptarum Editionum Lacunas influere non permittamus.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Exhibentur ex multis quædam insignes Antilogiæ, quibus ipse Lutherus, & alii in sua doctrina sibi contradicunt.

DE SACRAMENTIS.

Antilogia Prima.

SEptem ponenda sunt Sacramenta. Ita scribit *Lutherus de potestate Papæ.*

Tantum tria sunt Sacramenta pro tempore ponenda, Ita *Lutherus, de Captivitate Babylonica.*

2.

Duo tantum sunt Sacramenta. *Lutherus, ad Waldenses.*

Si juxta Scripturas loqui velim, est tantum unum Sacramentum. *Luth. de Captiv. Babyl.*

3.

In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. *Luth. in Assertionibus.*

Baptismus omnia peccata remittit. *Luth. in Captiv. Babyl. de Baptismo.*

4.

Confirmatio Sacramentum est. *Luth. de potestate Papæ.*

Mirum quid illis in mentem venerit quod Sacramentum Confirmationis fecerunt ex impositione manuum. *Luth. de Captiv. Babyl.*

5.

In Sacramento Altaris non est panis & vinum, sed species panis & vini. *Luth. in Sermone de Euchar.*

Thomistica doctrina est transubstantiari panem & vinum; liberum est, & circa salutis periculum imaginari, opinari, & credere remanere aut non remanere substantiam panis & vini. *Luth. de Captiv. Babyl.*

Impius & blasphemus est, si quis dicat panem transsubstantiari; Catholicus autem & pius est qui contrarium docuerit. *Luth. in lib. contra Regem Angliæ.*

Sicut panis & vinum transubstantiatur; ita & nos in spirituale Corpus transmutamur. *Luth. in Serm. de Euchar.*

6.

Impiissimus usus est in Ecclesia persuaderi Missam esse opus bonum & Sacrificium. *Luth. de Captiv. Babyl.*

Missas

Missas pro vivis & defunctis valere tota approbavit Ecclesia. *Luth. de decem præcept.*

7.

Sacerdotes à subditis honerandi sunt. *Luth. in Decalogum.* Contra.
Nullum est in novo testamento Sacerdotium, nisi quod est humanis mendaciis à sathana creatum. *Luth. de Captiv. Babylonica.*

8.

Confessio articularis in Ecclesia, etsi ex scriptura probari non possit, utilis tamen est, imo necessaria. *Luth. de Capt. Babyl.*
Confessio articularis est fictio hominum. *Luth. de 10. leprosis.*

9.

Matrimonium non solùm sine ulla scriptura Sacramentum censetur, verùm eisdem traditionibus quibus Sacramentum esse jactatur; merum ludibrium factum est. *Luth. de Capt. Babyl.*
Matrimonium in Ecclesia Dei Sacramentum est. *Luth. de potestate Papæ.*

10.

Ordo in Ecclesia Dei Sacramentum est. *Luth. de pot. Papæ.*
Sacramentum Ordinis Ecclesia ignorat, in ventumque est ab Ecclesia Papæ. *Luth. de Capt. Babyl.*

11.

Extrema unctio Sacramentum est. *Luth. de potest. Papæ.*
Si usquam antea deliratum est, in extrema unctione nunc præcipuè deliratum est. *Luth. de Captiv. Babyl.*

De Papatu.

Si potestas Papæ non esset à Deo, nec jure divino, tam diu subsistere non potuisset. *Luth. de potest. Papæ.*
Certus sum Papatum regnum esse Babylonis. *Luth. in Captiv. Babyl.* Quod sæpe repetit ibidem, & in *lib. Adversus Regem Angliæ.*

De Fide sola.

Sola fides Christi necessaria, quâ justi simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita. *Luth. ad Galat. cap. 2.*
Vita Christiana est credere & diligere; at diligere nihil est nisi benefacere. *Luth. de 10. leprosis.*

De Ecclesia.

Ecclesia errare non potest. *Luth. de 10. præc.*
Ludificatio Sathanæ est affirmare quod Ecclesia, si quando erret, aut peccet, ideo non sit Ecclesia.

De Traditione.

Neque Papa neque Episcopus, neque *ullus Hominum* habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem. *Luth. in Capt. Babyl.*

Ideo positi sunt Canones Patrum ut dirigant populum. *Luth. in decem prae. cap. 5.*

De invocatione Sanctorum.

Rectè conclusi, meritum Christi thesaurum esse Ecclesiæ, & Sanctorum meritis juvari certum est. *Luth. conclus. 10. contra Eckium.*

Pro meritis S. Petri ne unum quidem obulum darem ut me adjuvarent. quia seipsum juvare non potest. *Luth. in art. 4. quæst. 6.*

De Indulgentiis.

Contra veritatem Apostolicarum Veniarum qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. *Luth. in Resol.*

Indulgentiæ nihil sunt, nisi Romani Pontificis imposturæ. *Luth. de Capt. Babyl.*

De Purgatorio.

Tutius est totum Purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere. *Luth. de abrog. Miss.*

Non solum credo, sed etiam certissimè scio Purgatorium esse. *Luth. in disput. Lipsiensi.*

De libero arbitrio.

Revera Deus nobis liberam voluntatem contulit: cur tu illam liberam non permittis? cum enim tu illâ ad tuum abuteris libitum non est libera, sed magis servitutem apud te servit. *Luth. in explic. orat. Dominica.*

Liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re; quia nulli est in manu sua cogitare quidquam mali aut boni, sed omnia, ut Viclefi articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absoluta eveniunt. *Luth. in Asser. art. 26.*

De Conciliis generalibus.

Sæpe nullus vir in Concilio est qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit, sicut contigit in Niceno Concilio ubi de uxoribus Sacerdotum agebatur. *Luth. in Serm. Attendite à falsis Prophetis.*

Conciliis nihil derogo, sed omnium sacratissimum fuit Nicænum. *Luth. in disput. Lipsiensi.*

Calvini quædam Antilogiæ.

DEum esse absolutè omnipotentem fatetur Calvinus, *ad Cap. 1. Lucæ.* Verbo, inquit, DEI nulla impossibilitatis objicienda.

Ne-

Negat verò *ad cap.* 23. *Isaiæ*, Istud somnium de potestate absoluta in Deo, quàm Scholastici introduxerunt, execranda blasphemia est:

2.

Nomen Jesu Christi venerandum esse asserit Calvinus ad *Matthæi cap* 1. *v.* 23. Ita reputanda est nobis in hoc nomine (Jesu) divina Christi majestas, ut reverentiam apud nos obtineat, quæ unico debetur & æterno Deo.

Negat idem ad *cap.* 2. *epist.* ad Philippenses. Plusquam ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex præsenti loco; *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur*, genu flectendum esse colligunt, quoties nomen Jesu pronunciatur, quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam.

3.

Sine Baptismo Christi neminem salvari docet Calvinus, *ad cap.* 3. *Iohannis v.* 3. Si uni hoc dixisset Christus vel paucis, non posse eos pervenire in regnum cœlorum, nisi prius renati essent, possemus conjicere certas duntaxat personas notari, sed de omnibus sine exceptione loquitur.

Idem negat *Instit. lib.* 4. *cap.* 16. §. 36. Explodendum est eorum commentum qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant.

4.

In cæna Domini miraculum agnoscit Calvinus. *Tract de Concordia ineunda:* Ergo (inquit) in Sacra Cæna miraculum agnoscimus, quod & naturæ fines & sensus nostri modum exuperat, dum Christi vita nobis fit communis, & ejus caro nobis in alimentum datur.

Negat verò disertè *Instit. l.* 4. *cap.* 17. §. 24. agens contra Lutheri asseclas: Isti, inquit, boni ejus zelotæ miraculum sibi fabricant, quo sublato evanescit Deus cum sua omnipotentia. Et ibidem §. 24. Illi auditis Christi verbis, *Hoc est Corpus meum*, miraculum ab ejus mente remotissimum imaginantur.

Secta Lutheranæ modernæ, & antiquæ in Anglia, antilogia & discrepantia manifesta.

PAtet illa, in mutatione Libri authentici publicarum precum, quem sibi ab initio pro puro Dei Verbo, & fidei suæ instrumento Secta Lutherana proposuit. Nam in prædicto Libello sub Rege Eduardo & Elisabetha Regina pro vera Scriptura legebatur

Tobiæ Caput quintum, sextum, & octavum. Danielis Caput 14. & quædam ex 13. Ex Ecclesiastici cap. 46. non pauca. Hæc autem omnia aliaque, sub Jacobo Rege eadem Ecclesia ex Libro publicarum precum tamquam apocrypha penitùs expunxit: uti apertè ostendit. Examen Libelli publicarum precum prælo datum anno 1610. pag. 30. Quomodò verò potest esse eadem Ecclesia, quæ eandem non habet Scripturam? In qua quod illa pro Verbo DEI olim admisit, hæc pro apocrypho modò expunxit? Manifestum sanè est vel illam pro Scriptura ista approbando, vel hanc reprobando in fide errasse.

Prætereo in his, aliisque dogmatibus loca innumera, in quibus Calvinus, ac multo magis Lutherus secum apertè pugnavit, atque instar fallacis Prothei, uti res ferebat, sese in varias doctrinæ formas transmutavit. Ex quibus hoc demum conficies argumentum.

Non potest ex DEI Spiritu loqui qui vel semel in doctrina fidei proponenda sibi contradicit: Atqui Calvinus & Lutherus in doctrina fidei quam Dei nomine proponit sæpius eloquitur contradictoria. Ergo non potest Calvinus & Lutherus loqui ex Spiritu divino in doctrina illa quam se Dei nomine scribere ac prædicare profitentur. Sicut in verbo Dei scripto si vel semel in illo contradictionem apertam deprehendas, in cæteris omnibus tota Scripturæ fides evanescit. Videant igitur, ac serio agnoscant horum Sectatores, quàm fallaces sint Prophetæ ac divini Spiritu penitus vacui, quibus ab initio fidem suam ac salutem crèdiderunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Confusio & discordia Sectarum, quæ ex Lutheranismo & aliis prodierunt.

NOn potest esse unitas, aut veritas Fidei in Ecclesia Lutherana, cujus præcipua membra, & quasi primi Apostoli, in sua doctrina neque cum Luthero, neque inter se concordant; sed mox ubi prodierunt in Sectas varias sibi, Luthero, ac Evangelio contrarias degenerarunt, uti hic apertè demonstro.

Ac primò, ipse Lutherus in Saxonia circa annum 1517. ubi matrem suam Ecclesiam Romanam viperino more laniare exorsus est, mirum dictu in quot se figuras moresque transmutaverit, ut novum aliquod Religionis monstrum efformaret. Etenim ex ipso

ipso non Secta unica, sed tres immundi spiritus (quales *Apocalypsis cap.* 13. dicuntur exire de ore Pseudo Prophetæ) primo velut partu prodierunt. Hi sunt Homologistæ, Anabaptistæ, & Sacramentarii. Et quia tres *sunt qui veritati testimonium dant in terra, spiritus, Aqua, & Sanguis*; Baptismum aquæ inquinarunt Anabaptistæ, Spiritum veritatis in potestate Clavium oppugnarunt Homologistæ, Sanguinem Domini profanarunt Sacramentarii, ne ullum veritati testestimonium in terris integrum permaneret.

At ecce ex *Anabaptistarum* Spiritu cænoso quotillico Sectæ, veluti totidem ranæ, pullularunt. Ex his enim alii à cæteris divisi se *Adamitas* appellant, quod Adamum in statu innocentiæ se imitari profiteantur. Alii dicuntur *Sabbatharii*, quia Sabbathum more Judæorum, non diem Dominicum colendum esse docent: neque de Christi divinitate rectè sentiunt, ad Judæorum Messiam proclives. Alii se *Clancularios* Christianos vocant, quod existiment sibi sufficere fidem suam clam solo corde profiteri: & si rogentur an sint Anabaptistæ, licere id ad vitandum periculum apertè negare: Alii contra *Manifestarii* nuncupantur, qui prorsus impium esse docent, si rogentur, se Anabaptistas inficiari. Sunt & alii dicti *Tacentes*, qui nolunt amplius esse docendum aut prædicándum, eo quod mundus jam indignus sit, ut verbum Dei audiat. Sed & alii reperiuntur dicti *Enthusiastæ*, eo quod jactent se divinis revelationibus intus è cœlo doceri, ac diu velut mortui jacent, quasi interea divinis colloquiis fruerentur.

Jam verò ex secunda Lutheri sobole, qui sunt *Sacramentarii*, quanta Sectarum colluvies effluxerit inspiciamus. Cum enim Lutherus scribens contra Leonem Pontificem, & in Libello de formula Missæ doceret in Eucharistia neutram speciem, sed solàm Sacramenti fidem ad salutem sufficere, occasionem præbuit Carolostadio, & Zuinglio, ut de hoc Sacramento Berengarii hæresim renovarent. Hinc igitur orti *Zuingliani*, qui negant verum & substantiale Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento contineri.

Verùm de hoc dogmate en quanta mox inter illos dissensio oborta est; quot pæne capita, tot de vero hujus dogmatis sensu sententiæ prodierunt. Alii & Zuinglianis dicti sunt *Significativi*, qui Christi verba. *Hoc est Corpus meum*, sic intelligi volunt, ut verbum, Est, idem sit quod, significat Corpus meum. Ast alii dicti *Tropistæ*, qui Verbo, Est, in propria significatione relicto, contendunt tropum esse admittendum in voce, *Corpus*,

ut intelligatur tantum in Eucharistia Corporis figura. Ab his omnibus dissentiunt *Energici*, qui ut propius ad verba Christi accedere videantur, Corpus Domini dicunt intelligi debere per metonymiam, pro energia Corporis Christi, hoc est, pro effectu quod Corpus Christi in Cruce oblatum in nobis operatur, & cum his sentit Calvinus. Alii dicti *Arabonarii* statuunt aliud ab his omnibus diversum, nempe Cænam Domini præberi tanquam arabonem, investituram, aut pignus Corporis Christi nobis donari. Præter hos sunt & alii ex eadem Lutheri sobole, qui Corpus Domini in Eucharistia omnino adesse concedunt. Verum & inter illos quanta in uno puncto fidei discordia! Alii admittunt Corpus esse sub vero pane illic permanente, alii in pane, alii circa panem. Prolixum foret vel de hoc uno fidei mysterio cæterorum pugnantia inter se deliria recensere, ex quibus luce meridianâ clarius ostenditur, Lutheri Sectam non veram Ecclesiam, sed errorum inter se diffidentium fæcundum esse seminarium.

Tertius errorum Spiritus quem evomuit Lutherus fuerunt *Homologistæ*, cujus Sectæ præcipuus semper scopus fuit Sedem Apostolicam, & in ea potestatem Clavium à Christo traditam funditus evertere; in hanc Confessio Augustana, & cum ea Melanthon totus conspirat. Sed & hi *Confessionistæ* in plures Sectas dividuntur, ex iis enim alii dicuntur *Rigidi*, quorum duces erant Illyricus, Gallus, Morlinus &c. qui profitentur se Lutheri dogmata integra & inviolata tueri, ut nullum esse homini liberum arbitrium, opera bona non esse necessaria ad salutem, ritus & cæremonias omnes ab Ecclesia exterminandas, & alia quæ à Luthero dubiè pronunciata, ab illis, in summo rigore defendenda suscipiuntur. Quin & ipsi Rigidi in varias factiones, & opinionum portenta dissecantur ex quibus prodierunt *Antinomi*, *Samosatenenses*, *Inferiani*, nec non *Antadi aphoristæ*, qui nullas cæremonias veteres, sed aliquas tantum novas admittunt, & *Anticalviniani*, qui contra Calvinum credunt verum Christi Corpus in Eucharistia contineri, ac *Bisacramentales*, qui duo tantum statuunt Sacramenta, Baptismum, & cænam Domini; ac *Trisacramentales*, qui tria Sacramenta admittunt. Plura alia inter Rigidos pullularunt Sectarum portenta tam re, quam nomine formidanda.

Rigidis opponuntur Confessionistæ *Molles*, quorum princeps fuit Melanthon, cui inter præcipuos hujus Sectæ duces accessit Major, Fursterus, Pomeranus, ac Theologi Lipsienses. Hi contra Rigidos docent dari in homine liberum arbitrium, & post Fidem, bona opera saltem minus principaliter ad justitiam requisi-

ri. Sed quod hæresi proprium est, nec isti quidem in fidei suæ fundamento concordiam colunt. Alii enim *Majoristæ* dicti quia Majorem ut ducem sequuntur, docent absolutè bona opera ad salutem esse necessaria. At *Adiaphoristæ* repugnant in hoc, quod asserunt Ecclesiæ constitutiones ac cæremonias esse res indifferentes, quas licitum sit pro arbitrio admittere, aut repudiare. Alii inter Molles sunt *Quadrisacramentales*, qui ex septem, quatuor Sacramenta recipiunt, Baptismum, Eucharistiam, Claves, & Sacrum Ordinem, Alii *Luthero-Calviniani*, qui Berengarii dogma de Eucharistia sic temperant, ut persuadere velint Calvini hæresim Sacramentariam in Confessione Augustana à Principibus Lutheranis approbatam esse, uti ipse Calvinus in sua adversus Westphalum admonitione & Melanthone testificatur. Alii dicuntur *Medi Osiandrini*, quia cum Osiander hominem essentiali Dei justitia justum esse docuisset, & contra *Illyricani* assererent hominem solum imputativè justum haberi, correxerunt utrosque Medi-Osiandrini, quasi mediâ viâ docentes, hominem quidem in hac vita tantum imputativè: justum reputari, in vita autem beata illum fore justum eâ justitiâ quâ ipse Deus per essentiam justus existit. De his ac pluribus aliis Molles illi Lutheri asseclæ inter se non molliter digladiantur.

Ab his ac Rigidis recedunt *Confessionistæ*, qui *Recalcitrantes* dicuntur, eo quod contra ipsius Lutheri doctrinam ausi sint apertè calcitrare: & quamvis nolint omnino à Confessione Augustana deficere, sic tamen contra priores Sectas, ac contra se mutuo in multis decertant, ut in alienis castris militare videantur, quales sunt Osiandrini, Stancariani, aliique quorum dogmata non recenseo.

Hæc tantum pauca unius Sectæ Capita ex fidis Scriptorum monumentis collegisse, atq; in hunc ordinem claritatis causa redegisse sufficiat. Ut quisque propriæ, aut alienæ saluti consulturus, dilucidè perspiciat, ex uno Luthero ejusque triplici Secta, quot iterum novæ Sectæ inter se toties dissectæ, resectæque assiduò pullulaverint: quæ in perpetuis dogmatum, animorumque dissidiis natæ, & adultæ, potius palæstræ alicujus gladiatoriæ, quam unius Ecclesiæ speciem habent.

Sed nondum finitæ sunt istæ Sectarum dissensiones. Transeunt ad modernos Nepotes cum antiqua hæresi nova dogmatum dissidia. Hæc inter Hollandiæ Ministros hodie flagrantia, eleganti stylo describit *Fridericus Spanhemius* apud ipsos Sectarios Sacrarum litterarum Professor in *Epistola* ad Amicum, de novissimis

illic circa Res Sacras dissidiis, editâ Lugduni Batavorum hoc anno 1677.

Conclusio.

Et verò ex harum Sectarum discordiis quot nata fuerint per Europam prælia, quot bellis ac cædibus laterata Germania, loquuntur ætatis nostræ historiæ, ac superiorum temporum ferales ruinæ. Quis enim enim ignorat ab ipso exordio quid per Germaniā acciderit in rusticano Lutheranorum tumultu, qualia inter confœderatos Tigurinos prælia exarserint, quo facto harum discordiarum occasione Prussiam Germaniæ eripuerit Polonus, Solymannus Hungariam, nec Suecus pauciora vastaverit. Per Galliam verò & florentes olim Belgarum Provincias quàm internecinis odiis hæ Sectarum furiæ sacra omnia ac profana miscuerint, testantur adhuc recentia non minus odiorum, quam præliorum vestigia. Sed quid antiquiora memoramus? Non potuit toto Oceano cohiberi illud rapidissimum Lutheranici furoris incendium, ne Britanniam universam novis dissidiis, bellis, ac cædibus inflammaret. Recenti adhuc memoriâ retinemus, quam infestis in se invicem odiis, atque armis incurrerint Protestantes, Puritani, Presbyteriani, Independentes, atque ex eodem germine sectarum de novo nascentium confusa progenies: quæ ad illum furoris apicem progressa est, ut non dubitaverit supremum Religionis suæ caput excutere, ac dicatas sceleri manus regio sanguine crüentare.

Et erit etiamnum aliquis adeo fatuus & excors, ut seriò in animum inducat suum, infinitam Dei Sapientiam reformandæ suæ Ecclesiæ hanc hæresum se mutuo dissectarum atque armatarum colluviem in orbem immisisse. Quæ cum antiquam Ecclesiam evertat, neque per se novam, nisi merè Babylonicam constituat, quid aliud restat, quam ut omnem Christi Ecclesiam è mundo eliminet. Quis igitur erit, nisi rationis penitus expers, qui sibi sinat persuaderi, huic portentosæ tot capitum Hydræ Spiritum inesse divinum, qui audiri debeat, contra authoritatem & vocem totius Ecclesiæ Romanæ quæ constanti sedecim sæculorum decursu suam Fidem, cœlestibus signis comprobatam, summo animorum, dogmatumque consensu, per orbem pænè universum propagavit.

Restat igitur ut ex his Sectarum dogmatumque dissidiis hactenus explicatis, hoc porrò firmum, invictumque conficiatur argumentum. Tota illa Sectarum collectio pro primo suæ fidei arti-

articulo profitetur, se missam à Deo ad reformandum Ecclesiam Romanam. Sed collectio Sectarum sibi mutuo contradicentium non potest esse vera, aut reformatrix Ecclesia, ut jam ostensum est. Ergo moderna collectio Sectarum quæ profitetur se missam à Deo ad reformandum Ecclesiam Romanam, non potest esse vera Christi Ecclesia, aut reformationi idonea; sic enim curvitas esset norma recti; & falsitas, & contradictio regula perfectæ veritatis. Videat ergo in quanto salutis æternæ naufragio versetur quisquis extra gremium Ecclesiæ Romanæ inter has Sectarum syrtes miserè fluctuatur.

ARTICULUS QUARTUS.

Calumniæ quædam apertæ contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ à Novatoribus confictæ.

CALUMNIA PRIMA.
In cultu Imaginum.

FAmiliare est Sectariis quamvis labem Catholicis aspergere, quâ apud ignarum populum deformes aut monstrosi appareant. Colunt hi vetusto majorum ritu imagines Christi ac Sanctorum: hinc fæcunda seges Calumniarum. De Papistis, inquiunt, conclamatum est: fugienda hæc hominum pestis: non tantum impii sunt, sed etiam Sacrilegi: neq; sacrilegi tantum, sed etiam cultores idolorum; Christiani hominis nomen exuerunt, cum ethnicis insaniunt, infidelium more lapides, & ligna adorant.

At tu, Sectarie, Calumniam loqueris quovis lapide & ligno crassiorem. Orant Catholici ad statuas lapideas sanctorum, infers, ergo statuas lapideas adorant. En tibi in simili forma formosum argumentum: Orant Sectarii in templis ad Aras aut columnas lapideas, ergo lapideas aras aut columnas adorant. Errore isto nos facile liberabis, si tu prius errare desinas. Fides nostra est, cultum divinum nulli creaturæ deferendum; si tu aliam nobis in vitis affingas, tuum istud figmentum, non nostra religio est. Imaginem Sancti hac ratione veneramur: primò ut ea conspecta ad cultum Sancto absenti deferendum moneamur; sicut tibi, Sectarie, visa in conclavi tui Regis effigie subit animum grata quædam ac venerabunda benefici Principis recordatio. Hoccine tibi novum crimen, & inauditum genus Sacrilegii? Altero modo imagines ipsas in honore habemus, quia Sanctos

ctos homines, & Deo charos repræſentant: ſicut tu, Sectarie, Bibliorum volumina, quam vis ex charta & atramento conflata, præ aliis libris in honore habes & oſcularis, quia in illis deſcriptum Dei verbum continetur: neque ſua altari aut calicibus in ſacris litteris derogatur veneratio, quorum ſacrilegum abuſum in Rege Balthaſare cœleſtis ultio vindicavit. Quidquid verò nos Sanctis in Imagine deferimus, id volumus univerſum in Deum ipſum redundare, cujus unius gratia præ aliis homines Sanctos honore proſequimur. En quo recidit immanis illa Papiſtarum impietas, & par cum Ethnicis cultus idolorum.

Eſto, inquies, iſta ratione Catholici quidam doctiores à cultu Imaginum idololatræ maculam detergant; at populus paſſim eo errore dementatur, ut credat imaginibus Numen aliquod, aut poteſtatem naturæ viribus majorem ineſſe. Hinc illis genua flectunt, oſcula figunt, luminaria accendunt, templa atque aras ſacrilego cultu contaminant.

Nova hæc eſt calumnia, quam peperit diſciplinæ Catholicæ craſſa nimis ignorantia, hanc tibi palpandam præbeo. Quæro enim, an populus noſter exiſtimet ſe crimen aut ſacrilegium admittere, ſi Sancti alicujus ſtatuam argenteam aut æneam confringat, confractam comminuat, & in pateras, lances, alioſque uſus convertat, quando id publicæ, aut etiam privatæ utilitatis ratio fieri depoſcit. Nemo eſt inter nos qui hunc Eccleſiæ ſuæ pervulgatum uſum & inſtitutum ignoret. Numen ſcilicet ineſſe credit ſtatuæ quam frangit, ligno quod ſecat, imagini quam in publica Eccleſiæ luce lacerat atque comminuit. Apage cæcam calumniam: non ſunt hæc noſtri popelli; ſed tui Miniſtelli deliria, cui parum eſt in re aperta cæcutire, modo vel ſic Religioni Romanæ aliquam impietatis larvam imponat, contra quam poſſit è Cathedra falſitatis, ad captandum populi ſui plauſum, liberius detonare.

CALUMNIA SECUNDA.

De ſigno Crucis.

ALtera calumnia eſt, Catholicos ligna in Crucis modum tranſverſa populo adoranda proponere; ſibi perſuadere in hoc ſigno latere internam & arcanam virtutem, ad pellendum quoſlibet morbos, & quamlibet dæmonum poteſtatem debellandam. Et quamvis Catholici omnes uno ore reponant, ſe neque adorare neque invocare aliquam internam ligni virtutem, ſed adorationem, ac fiduciam ſuam ad Chriſti in Cruce paſſi perſo-

nam

nam referre, surdis canunt, qui audire nolunt quid Catholici credant, sed quid Sectarii ipsis affingant, tanta est conviciandi libido. Ut verò exornando huic convitio populare ludibrium adjiciant, Catholicum percunctantur: An si parens illius aut avus in patibulo expirasset, propterea vellet Patibulum in familiæ suæ insignia adoptari. O pium, ac dignum Christiano homine argumentum. Quæro ego vicissim: An si parens tuus in Cruce expirasset, illum hominem tanquam tuum ac totius mundi Salvatorem adorares? Absit, inquies, istud nefas: alius enim Homo est Christus, quam quivis cæterorum mortalium. Vides quam facili responso ipse tuam enerves ludicram quæstionem. Si ergo humanitatem Christi pro nobis passam propter unionem cum Verbo tanquam instrumentum redemptionis nostræ adorare non recusas, cur signo Crucis ob singularem conjunctionem cum Christi humanitate nullum genus sacræ venerationis deferendum censes? At, inquis, populus ignarus non Christum, sed ipsum lignum Crucis adorat. Verum contra, populi cultum constituit non aliena cogitatio, sed propria intentio. Audi ergo & paucis cape, In Cruce non colit lignum, sed in ligno Christum adorat: quem autem adorat, illum & invocat, & propter hunc Crucem in quo passus est tanquam passionis instrumentum & signum in honore habet. Tunc audeas aperta fronte profiteri, te non magis Crucis signum, quàm latronis patibulum venerari? Tam sacrilegam vocem non tantum dæmones, sed etiam plerique horum temporum Sectarii exhorrescunt. Non adeo possunt primævæ Ecclesiæ monumenta ignorare, ut de Crucis veneratione ac virtute tempore Hieronymi, Augustini, Tertulliani, Constantini, ac Helenæ nihil in aures animamve admiserint. Obvium est quod narrat S. Augustinus *lib.22. de civit. Dei cap. 8.* matronam quandam Carthaginensem nomine Innocentiam cum immedicabili morbo sinum illi cancer exederet; signo Crucis repente curatam esse. Nec minus notum, quod refert S. Hieronymus in vita Hilarionis. Exorto ingenti terræ motu, post mortem Juliani, maria suos terminos egressa Epidauris exitium minabantur: horum rogatu S. Hilarion contra tumentem maris gurgitem signum Crucis in arena formavit, confestimque stetit indomitum elementum, ac retro relapsum in suum sese alveum recepit. *Hoc* (inquit Hieronymus) *Epidaurus & omnis illa regio usque hodie prædicat, matresq; docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam.*

Calumnia Tertia:

De quadam Iohanna Papissa luculentè refutatur.

MOdernis Sectariis, maximè Anglis, objiciunt Catholici, quod regnante Elizabethâ, fæminam sacræ potestatis & Ordinis incapacem, in Ecclesiæ suæ Caput evexerint. Hærent illi ad hoc exemplum orbi hactenus invisum, tanquam ad apertum Sectæ acephalæ argumentum. Sed, cum alia arte monstrosi Capitis deformitatem abstergere nequeant, aliud monstrum non dissimile Catholicis affingunt. Ajunt enim anno Christi 855. Leoni IV. in Sede Romana successisse fæminam, quæ in Pontificatu dicta fuerit Johannes VIII. & in eo sedisse annis duobus, & mensibus quinque. Hanc verò Joannam volunt fuisse origine Anglam, sed natam Moguntiæ in Germania, & à quodam amasio in habitu virili ductam Athenas, postea scientiis instructam venisse Romam, ibi ementito sexu in Pontificem electam. Denique dum de S. Petro in Lateranum tenderet, in via coram populo peperisse, & fæminam prodidisse.

Videamus quam bellè inter se hujus figmenti membra cohæreant. Assumpta est, inquiunt, in Pontificem anno 855. interea per quadringentos annos usque ad quemdam Martinum Polonum, qui vixit anno 1250. omnes historiæ Ecclesiasticæ Scriptores rem tantam, tamque publicam ignorarunt, aut de ea, quasi conjuratione facta, homines tot sæculis dissiti in suis scriptis penitus siluerunt; in quorum monumentis immediatè post Leonem IV. consignatur Benedictus III. nullâ istius fabulosi Joannis aut Joannæ facta mentione.

In gratiam, inquies, Romanæ Sedis rem tam deformem in Catalogo Pontificum ultro præterierunt. At quamvis ista tam admiranda tot sæculorum conspiratio latinos Scriptores invasisset: Græci tamen authores ut est Zonoras, Cedrenus, Curopelates, qui ante Martinum Polonum Annales scripserunt, pro suo erga Sedem Romanam odio & invidia, historiam tam enormem minimè reticuissent: multò minus istorum temporum hæretici Sedis Apostolicæ hostes infensissimi. Audiverint forte hujus fabulæ primi authores, fæminam aliquam in alicujus privatæ Ecclesiæ Sedem irrepsisse, statimque odio stimulante rumorem illum Sedi Romanæ affingere non dubitarunt.

Deinde ipsa quæ circumfertur facti narratio apertè fabulam prodit. Magdeburgenses centur. 9. cap. 20. ajunt fuisse Anglam, eo quod fuerit ex parente Anglo nata Moguntiæ. Theodorus autem & Bibliander in Chronico, asserunt tantum dici Anglam, eo quod in

in Anglia educata & litteris erudita fuerit. Gerardus verò refert pro Angla habitam, eo quod Monachus Anglus eam ementito habitu per Galliam, & Italiam circumduxerit. Alii demum tradunt eam non fuisse eruditam in Anglia, sed Athenis operam studiis dedisse; cum tamen ex Bellarmino & aliunde probetur eâ tempestate litterarum studia usque ad Bardam Cæsarem in tota Græcia extincta fuisse. Quam quæso hæc tam pugnantia testimonia referunt speciem veritatis? Denique quis credat hanc fæminam sagacissimam, quæ in reliqua ætate sexum tanto studio & arte celaverit, adeo fuisse imprudentem, imo dementem, ut, cum sciret se tot mensibus uterum gerere, in publicum processerit, suamque infamiam toti populo spectandam ac vindicandam prodiderit? Quid vero de ea in tantis flagitiis deprehensa factum fuerit, quomodò postea vixerit, aut quomodo obierit, inter ipsos etiam Adversarios altum silentium, ac si ipsa unà cum hac fabula è rerum natura subitò evanuisset. Apage indignum sano cerebro commentum, ex quo nihil aliud probant nostri Sectarii, quam insanam, cæcamque contra Ecclesiam Romanam calumniandi libidinem.

Atque ut calumniam tam infeliciter fabricatam, si quid habeant frontis, tandem erubescant: Consulant de ea Confutationes *Blondelli* ex ipsa Calvini Secta viri litterassimi, qui postquam ex antiquioribus monumentis, hujus Fabulæ authores tempus, locum ac partes omnes accuratè expendisset, demum apertè demonstrat, nullam subesse veri speciem, totum esse inane figmentum, & suis architectis maximè probrosum. Adeo nempe luculenta est veritas, ut suis etiam Adversariis suffragium extorqueat.

Referuntur Calumniæ quædam apertæ à Ministris præsertim in Anglia confictæ.

ASserunt imprimis Catholicos in Pænitentiæ Sacramento impunè omnibus flagitiis fræna laxare: ac pro criminibus in futurum perpetrandis absolutionis beneficium impertiri. Ut corruat hæc Ministrorum infamis ignorantia, aut versuta ignorantiæ simulatio sufficiat ad singulorum Catholicorum testimonium, & conscripta passim fidei nostræ monumenta appellare, in quibus, de absolvendis peccatis in futurum committendis ne tenue quidem vestigium deprehendes: quinimo omnes passim Sectarii, cum ipso Luthero, Confessionem peccatorum apud Papistas crudelissimam conscientiæ carnificinam appellant. Tam bellè criminationes illæ inter se concordant, quàm solent mendacia convenire.

Iterum, ut impingant Catholicis omnium scelerum carnisq; licentiam, ajunt gravissima quæq; flagitia inter illos pro Venialibus haberi. Refert in hanc rem Johan. Barclaius, se præsente à serenissimo Angliæ Rege interrogatum ex suis Episcopis aliquem: Ecquid Catholici de Fornicatione sentirent? an eam pro mortali, an veniali ducerent? Atque illum sine cunctatione respondisse, inter Scriptores Catholicos esse qui Fornicationem in Venialibus numerarent. Commotus mendacio tam splendido Barclaius liberè reposuit. Non visum esse inter Catholicos probatum authorem, cujus doctrina tam infandum præbeat Veneri patrocinium. Dum inter hos de ea quæstione pluribus disceptatur, subintrat conclave regium Episcopus alter non levis famæ Sectarius. Rex ad hunc conversus, hic, inquit, disputatur, an Catholici doceant Fornicationem mortalem esse culpam, an venialem. Ille confestim, ac si de re notissima sententiam pronunciaret, Venialem omnino (Rex serenissime) Venialem culpam existimant. En quales hi sunt Seniores populi, qui Ecclesiam Romanam, ut innocentem Susannam, suis calumniis & conviciis opprimunt. Hi sunt idonei Judices controversiarum fidei, hæc oracula fallere & falli nescia, ex quorum ore populus discernat quid Apostoli, quid Patres antiqui, quid prisca Ecclesia docuerit; qui in doctrina præsenti & ante oculos posita tam malignè cæcutiunt.

Ostenditur Impostura iniquissima ANTONII EGANI *de de quæstu Simoniaco Ecclesiæ Romanæ per Apostolicos Missionarios.*

PRodiit non ita pridem pestifer Libellus Antonii Egani, pudet dicere, natione Hiberni, qui desertâ avitâ fide, religiosâ professione, & suâ patriâ, in Angliam profugit, nec enim Hiberniæ tellus animal tam venenatum in suo gremio sustinere potuit. Vulgavit ille contra Apostolicos Missionarios calumniam mirâ arte confictam, de quæstu sacrilego ac Simoniaco, quo singula flagitia venalia exponunt, taxato etiam pretio quod ex eorum absolutione aut dispensatione corrogare debent: tanta solet esse transfugis calumniandi libido. Nolo ego (quod mihi promptum foret) rem hanc pluribus persequi, sed tantum paucis, & absque ullius offensione calumniam adeo perniciosam dissipare, ne pergat incautos in errorem inducere.

Atque imprimis quæro, Egane, quibus argumentis, tabulis, ac testibus hanc accusationem gravissimam in publica orbis luce confirmas? Hoc ut præstes omnium gentium leges, & ipsius Angliæ statuta requirunt, quæ jubent Accusatorem legitima crimi-

nis

nis probatione destitutum Impostoris infame nomen ac pænam subire. Hic verò, in accusatione gravissima, nihil aliud Eganus nisi suam unius fidem, eamque levissimam, in causæ suæ testimonium adducit. Cum tamen Jus omne tam civile, quam Canonicum, & ipsum Actorem, & inimicum, & malevolum, & infamem, & Apostatam à testium numero penitus excludat, Vide si quid Juris delibasti C. *Cum oporteat* de Accus. Et l. *Iusta.* ff. de manu vin. Et in C. *Alieni erroris* 3. *q.* 4.

Ex quibus manifestè conficio tantum abesse ut tuo testimonio susceptæ accusationi ullam veritatis umbram concilies, ut potius teipsum execrandæ calumniæ authorem, & impostorum pænis obnoxium admittere cogaris. Neque verò arbitror ipsa Acatholicorum tribunalia adeo esse æquitati inimica, ut audiendos censeant fugitivos in suos Dominos crimina procudentes, nullo alio teste, nullis tabulis, nullâ veri specie comprobata.

Secundò interrogandus mihi est Eganus, quo pacto fieri possit ut Missionarii Apostolici impune, & ex præscripto Cancellariæ Romanæ, ut ipse fingit, quæstum Simoniacum ubique exerceant, quem ipsa Ecclesia, cum Pontifice Romano, in œcumeninis Conciliis congregata, severissimis semper legibus damnat, ac pænis insectatur? Legantur censuræ ac pænæ gravissimæ contra Simoniacos ab Ecclesia Romana Constitutæ in Concilio Romano primo sub Alexandro II. Pontifice. Extant contra eosdem decreta Concilii Placentini, ubi traduntur fuisse quatuor millia Clericorum tempore Urbani II. Eadem fuit mens & sententia Patribus ex toto orbe Christiano congregatis in Concilio generali Lateranensi VI. sub Innocentio III. *cap.* 36. Nec minor nostro ævo cura incessit omnes Ecclesiæ Præsules in Tridentina Synodo collectos, ne quem è suo corpore, aut aliud Ecclesiæ membrum execranda Simoniæ pestis afflaret, contra quam firmissimos legum obices opponit *sess.* 21. *in decreto de Reformat. cap.* 1.

His accedunt gravissima Pontificum diplomata, quibus quæstui Simoniaco omnis in Ecclesiam aditus severissimè præcluditur. Et quidem Eugenius IV. præcedentium Pontificum ac Conciliorum vestigiis insistens in suo diplomate, post multa in hanc rem decreta, his verbis concludit, *Statuentes præterea quod universi & singuli, etiam præmissa (quâvis) dignitate præditi, qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiserint, aut ut illa fiat Mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam Excommunicationis incurrant &c.* Et ne harum legum vigor lapsu temporis vel in minimo laxaretur, proximo sæculo disertè innovantur à Leone X. in

sua

sua Constitutione quæ incipit *Superna.* §. 37. *Constitutiones*, inquit, *per Antecessores nostros, etiam in Sacris Conciliis contra hujusmodi Simoniacos editas innovamus, easq; inviolabiliter servari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis & insertis haberi, & deliquentes, etiam authoritate nostrâ, affici volumus.* Atque has Constitutiones perpetuo valituras & in quovis Ecclesiæ tribunali severissimè observandas, non minori semper curâ alii, atque alii Pontifices instaurant.

Quis ergo, nisi fatuus, uni credat Egano fugitivo, Apostatæ, & Ecclesiæ Romanæ hosti jurato; contra hæc quæ adduxi testimonia, ac publica Ecclesiæ Jura, ac tribunalia toto orbe notissima.

Hinc ego vos, Academici Oxonienses, qui Egani libello testimonium apposuistis, & omnes cordatos monitos velim, ut omnia sedulò circumspiciatis anteaquam aurem hujusmodi Transfugis, multò minus fidem præbeatis, qui prius honestatem omnem quam fidem exuêrunt.

Veniunt illi ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces, qui non dubitant quavis calumnia Ecclesiæ Romanæ famam lacerare, ut hac infami arte vestram gratiam ac patrocinium promereantur. Latet, mihi credite, latet intus fraudulentus Sinon; qui multa de Danais mentitur, paratus interea, si res ferat, vestram quoq; Trojam incendere, eoq; se proripere quo libido, quo lucrum, quo novus furor impulerit. *Tales*, inquit Erasmus ad Unibaldum, *tantum quærunt censum, & uxorem, cætera præstat illis Evangelium, hoc est, potestatem vivendi ut volunt.* Neque hic de genio irrequieto, quo Transfugæ illi agitantur nostri tantum temporis sensus aut censura est, Innatam illis levitatem ac depravatam indolem vivis coloribus depinxerunt nobis primi Ecclesiæ Patres, ne malis artibus incautos in fraudem inducerent. *Non existimes*, ait S. Cyprianus de unit., Ecclesiæ, *bonos de Ecclesia posse discedere; triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit; inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur.* In eandem sententiam notat Tertullianus per hujusmodi Ecclesiæ spumas; ac vilia purgamenta, sincerum illius corpus magis purum, integrumque conservari. *Avolent quantum volent paleæ levis fidei quocunque afflatu tentationum, eò purior massa frumenti in horreo Domini reponetur.* Hæc omnia in levissimis Egani moribus quam apertè eluceant quisquis observare voluerit, facile concludet, nihil aliud ab hujusmodi Protheo, quàm malas artes, fraudes, ac calumnias, expectandum fuisse.

Contra

Contra fatuam Conclusionem ANDREÆ SALL *pro Secta Protestantium suscipienda.*

ASserit ille, in sua Recantatione, post diuturnum studium, ad considerationem Ecclesiæ Romanæ, & Lutheranæ, se tandem *Conclusisse.* Fidem Ecclesiæ Anglicanæ tutiorem & securiorem esse pro sua salute, quàm viam Ecclesiæ Romanæ.

Itane tu concludis, infelix Dialectice? Expendisti igitur, te fatente, pro veritate Ecclesiæ Romanæ totius pænè orbis Christiani commune testimonium, per mille quingentos annos à Christo usq; ad Lutherum, omnium populorum, omniumque gentium consensu receptum. Adeò ut toto illo sæculorum decursu, præter Romanam, nullam omnino possis designare Ecclesiam palam cognitam, de qua potuerit verificari perpetuus ille symboli articulus, *Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Nulla ergo in orbe terrarum per mille quingentos annos publicè nota fuit Catholica, id est universalis Christi Ecclesia, vel sola debuit esse Romana. Et tu ex hac præmissa concludis, rejectâ Religione Catholicâ ac Romana, securiorem tuæ saluti fore Confessionem Protestantium in Anglia, quam & tota Ecclesia Catholica, & aliæ Sectæ per orbem diffusæ & maxima pars ipsius Angliæ tanquam falsam, erroneam, ac hæreticam prorsus damnant, & execrantur. Adeò ut nullum toto orbe angulum, nullam Sectam, aut Sectarium mihi possis demonstrare, qui in constituendo Capite, primatu, & hierarchia Ecclesiæ, cum Anglicana Protestantium Secta conveniat.

Tune Sall, & Sal, ut ipse putas, magnæ sapientiæ, tune sana mente ponderasti pro Ecclesia Romana tantam tamque constantem omni ævo Miraculorum gloriam, quam ipse Christus publicam veræ Ecclesiæ notam ac testimonium esse pronunciat. Non ignoras quanta Compostellæ, ubi aliquando vixisti, edantur prodigia omnibus conspicua, quanta in Monte acuto, quanta Laureti in ipso sinu Ecclesiæ Romanæ, ut alia sileam tote orbe notissima. Sat tibi nota constantia tot Martyrum signis innumeris à Deo comprobata, qui omni ævo veritatem Religionis Romanæ suo sanguine ita consignarunt, ut nullis Tyrannorum tormentis (multò minus unius Pseudo-episcopi blanditiis) à primævæ fidei confessione dimoveri potuerint.

Hanc tu Religionem pro animæ tuæ salute tibi deserendam concludis, & amplectendam sectam paucorum Protestantium, cujus originem, aut progressum omni ævo à Christo usque ad

Lutherum, & tu, & orbis univerſus ignorat. Pro cujus veritate, præ aliis Sectis, quas ipſe condemnas nullum particulare Dei teſtimonium, nullum generale Concilium, nullum divinum Miraculum, nullum ſæculorum aut gentium conſenſum poteris in medium proferre. Quidquid enim tu pro cætu Proteſtantium ſive ex arcano, tibique ignoto Spiritus teſtimonio, ſive ex ſcripturarum intelligentia illis ſolis à Deo donata, prætendes; idem ſibi Puritani, idem Anabaptiſtæ, idem Independentes, idem reliquarum Sectarum colluvies eodem jure vindicabit. Non tantum ergo totius orbis Catholici ſuffragio, ſed tuo etiam judicio conſtrictus & condemnatus teneris.

Heu Sall miſerande, Sal infatuare; adeò ne tuus ille in Chriſto Pater, aut potius parricida, te potuit dementare, & omnem bonæ mentis aciem eripere, ut in Concluſionem tam ſtolidam, tam cæcam, tam infamem te adactum fateare? Quâ tandem factum eſt, infauſta metamorphoſi, ut qui poteras tibi & aliis Sal eſſe Chriſtianæ Sapientiæ, nunc ut inſulſum cadaver ad nihilum valeas ultra, niſi ut mittatis foras, & ab hominibus ubique gentium tuo merito conculceris.

At agnoſce infelix, agnoſce tandem, quanta te involverit mentis caligo, quæ cæco impetu Te in hanc erroris abyſſum præcipitem adegit. Revoca, dum licet, infauſtum gradum, quo ad interitum feſtinas. Aderit brevi dies illa extrema, aut potius nox caliginoſa, in qua dabitur profligatæ vitæ errata ſerò agnoſcere, nunquam reparare Reſpice vel nunc ſtatum animæ tuæ miſerandum, in quem te ultro demerſiſti. Extra ſinum matris Eccleſiæ tanquam abortivum te projeciſti; ſacrum Sacerdotii miniſterium tot modis temeraſti; vota Deo nuncupata auſu ſacrilego proculcaſti: omnia ſalutis remedia tanquam inane ludibrium longè abjeciſti. Et adhuc tot ſcelerum reus haud ſeriò adverris, quàm horrendum te judicium, quàm dira ſententia, quàm immane barathrum expectet. Quid dico expectat? jam coram orbis tribunali tua perfidia patefacta eſt, omnium judicio condemnatus, & vinculis tuæ conſcientiæ conſtrictus teneris, in profundum gehennæ, niſi reſipiſcas, quâ neſcis horâ abripiendus. Ridet interea & exultat in interitu tuo infauſta hæreſis ejuſque Miniſtri, quibus te nefandis errorum catenis mancipandum tradidiſti. At luget ex adverſo funus tuum Patria chariſſima quæ te olim genuit: luget Eccleſia quæ te à tueris in ſinu fovit: luget Cætus ille ſanctiſſimus, qui te optimis legibus & exemplis inſtituit. Si enim cenſemus communi luctu deflendum corpus quod deſeruit anima, quomodo non deflenda eſt anima quam deſeruit Deus?

Atque

Atque utinam tandem tu teipsum deflere incipias : neque verò poteris, nisi ferreus es, à salubri luctu ac lachrymis temperare, si oculis tuis seriò proponas statum animæ tuæ tot modis horridum ac luctuosum : deformata omnia pristinæ Religionis vestigia, obliteratam pietatis speciem, extinctam probitatis imaginem, aut potius in imaginem Satanæ sacrilego furore transformatam.

Pandit adhuc Clementiæ sinum prodigo Filio benignus Deus: humanum esse novit labi & errare, sed dæmoni proprium in errore perdurare Unica ad salutem restat via, à lapsu gradum revocare, errores agnoscere, ac palam abdicare. Non desunt tibi etiam in Anglia non indecora magnorum heroum exempla, qui non dubitarunt abdicato quovis officio, dignitate, & Aulæ gratia, errores potius corrigere, & ad Romanæ Ecclesiæ gremium convolare, quàm certissimum æternæ salutis naufragium incurrere. Et tu tandem Salle, qui hos secutus es errantes, sequere dum licet pænitentes : utque in oppugnanda Christi Ecclesia te subitò in Saulum transformasti; ita in propalanda ipsius fide ac veritate, te deinceps Paulum exhibe. Hoc à te suo jure deposcit toties indignè proculcata Religio, violata conscientia & æquitas, & quod caput est, nunquam nisi sic evitanda mors illa immortalis, & gehennæ nunquam extinguendæ supplicia.

Quod si in ista qua detineris mentis caligine incipiat tandem tibi radius aliquis divinæ lucis oboriri, reflecte oculos ad Petram unde excisus es, neque pudeat post tot errorum labyrinthos ad agnitam olim Ecclesiæ Catholicæ semitam respectare.

Utque tibi ad hoc non desint Considerationes idoneæ, quas in Dei conspectu sincero animo revolvas, non recusavi (utinam in tuam quoq; salutem) laborem formandi in hoc opere pauca quædam ac dilucida Argumenta, quibus necesse est à Novatorum erroribus ad veram Ecclesiam quemliber adduci, qui apertam salutis viam animo non penitus obcæcato investigare voluerit.

ARTICULUS QUINTUS.

Novarum Sectarum dogmata Particularia proponuntur,

Hæresis Anglicana Protestantium, Puritanorum, Independentium.

PRotestantes in Anglia Religionem sibi fabricarunt à ceteris Protestantibus Germaniæ in multis diversam, uti supra

cap. 2. oſtendi eos nec quidem in articulis fundamentalibus per omnia convenire. Eſt autem Secta Proteſtantium conflata ex variis dogmatibus partim Lutheri partim Calvini, quibus & alia ſunt adjuncta dogmata ritusque ab utroque diverſi. Nam primò, Proteſtantes Regem ſtatuunt eſſe Caput ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ. 2. Admittunt Eccleſiam debere conflari ex Archiepiſcopis, Decanis, Epiſcopis aliisque gradibus Eccleſiaſticæ hierarchiæ. 3. Varios recipiunt Catholicorum antiquos ritus, altaria, cereos, ſuperpilicia, non tamen realem Chriſti præſentiam in cœna Euchariſtica. Eſtque hæc in Anglia Religio Regis, & Aulæ; cui per varias leges conantur reliquas Sectas conformare.

Puritani è contra ſunt rigidi Calviniſtæ, nec niſi purum DEI verbum juxta Calvini placita ſe admittere profitentur. Hi in negando Regis primatu: in excludendis gradibus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, in eliminandis omnibus Eccleſiæ Romanæ ritibus, Proteſtantibus è diametro opponuntur. Qui & alio nomine *Presbyteriani* nuncupantur: eo quod velint Eccleſiam ſuam, excluſis Epiſcopis ac Miniſtris, à ſolis Senioribus laicis adminiſtrari.

Independentes, qui maximè Crompelli tempore emerſerunt, in hoc Puritanis ac Proteſtantibus adverſantur, Quod neque Reges, neque Epiſcopos, neque Seniores ad Eccleſiæ Regimen admittant. Sed velint quemlibet ſibi Miniſtrum eſſe: ac quemvis ſine ulla perſonæ ac ſexus diſtinctione eſſe legitimum verbi DEI præconem, idque quovis loco, ac tempore, dum ſentit ſe à Spiritu Sancto ad prædicandum DEI verbum impelli. Ac proinde templa, altária, pulpita, rem fruſtraneam, & è medio tollendam exiſtimant. Pro ſuæ vero Sectæ defenſione contra reliquos Sectarios hoc argumentum validè intorquent: Vobis omnibus licuit Eccleſiæ Romanæ antiquos ritus ac Cæremonias omnes evertere ac reformare, quibus centenis annis ante vos uſa fuerat. Ergo nobis multò magis licebit veſtros ritus, Eccleſias, ac Cæremonias abolere, quæ tantum de novo emerſerunt, neque parem cum Eccleſia Romana authoritatem, aut antiquitatem obtinuerunt. Videant quæſo Proteſtantes, & Puritani, niſi à ſuo errore recedant, quo pacto ab hoc Independentium argumento ſeſe expediant.

Secta nova, Tremblantium dicta.

NOn ita pridem anno Chriſti 1655. originem ſumpſit in Anglia, nova Secta, Tremblantes dicti, qui cæperunt Londini, quaſi æſtro quodam perciti, in compitis, ac triviis comparere ſolo induſio tecti cætera nudi. Hi miras viſiones, ſuaque ſomnia tanquam revelationes divinas populo referebant, ac velut concionabundi & divino Spiritu agitati monebant oportere *in timore & tremore ſalutem operari*, atque hinc illud Tremblantium nomen accepere. Horum aliqui comprehenſi ſunt & flagellis cæſi, quorum præcipuus erat Jacobus Nailor, qui deſertâ militiâ, in qua ſub Fairfaxio agebat caſtrorum metatorem, his Fanaticis ſe ducem præbuit. Et quamvis publicè ſtigmate inuſtus, lingua etiam candenti ferro perforata, & ergaſtulo demum incluſus fuerit, nihil tamen de ſua inſania remiſit. Pergitque etiamnum hæc male ſana rabies per varias Angliæ provincias multorum animos occupare.

Docet hæc Secta primò Scripturas tam veteris, quàm novi teſtamenti nequaquam eſſe Dei verbum.

Secundò, In Scripturis non contineri veram lucem, quæ homines ad ſalutem adducere debeat.

Tertiò, Omnes omnino homines hac verâ ac ſalutari luce inſtructos eſſe, ſic ut neceſſarium non ſit ad eam docendam Miniſtros aut præcones ullos deſignari.

Quartò, Homines non juſtificari per fidem in Chriſtum, ſed per opera.

Quintò, Pro hominum corporibus poſt mortem, neque conſtitutum eſſe cœlum, neque infernum, in quo vitam agant immortalem.

Denique corpora noſtra, poſtquam mortua & ſepulta fuerint, nunquam amplius ad vitam reditura. En qualia hæc ætas etiamnum monſtra parturiat: quæ facile refelluntur ex iis quæ de Spiritu privato aliiſque fidei articulis ſupra tradidimus *tract.* 1. *cap.* 6. *&c.*

Secta Anabaptiſtarum, & Mennoniſtarum.

MEnno in Friſia non contentus amplecti dogmata Anabaptiſtis propria, ſe novæ Sectæ ducem conſtituit, habetque per Hollandiam, Friſiamque aſſeclas complures, qui à Menno paſſim Menniſtæ nuncupantur.

Itaque præter errores illis cum Anabaptistis communes, de pueris non baptizandis; de peccato originali non admittendo; de repudiando inter Christianos Magistratu politico; de Juramento, ac de bello inter Christianos semper illicito; de animabus justorum in cœlum non recipiendis ante extremum judicium.

Mennistæ insuper male sentiunt de mysterio SS. Trinitatis, & distinctione trium Personarum, quibus dicunt in verbo Dei nullum fundamentum assignari, cum nomen Trinitatis, aut Personæ divinæ nullibi in Scripturis reperiatur, ideoque videntur ad Arianismum declinare. Sed hi breviter interrogandi, An credant Scripturam flandricam esse purum verbum Dei? Credunt mordicus. Et tamen nomen Scripturæ flandricæ nuspiam in verbo Dei scripto reperitur: neque dicitur hæc cum hebræo originali per omnia convenire.

Mysterium autem Trinitatis, & tres Personæ, etsi non istis terminis, satis tamen re ipsa exprimuntur in Scripturis, ut in *epist. 1. Iohannis cap. 5. v. 7. Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt,* & sæpius alibi.

2. Docent Mennistæ Christum de corpore Virginis Mariæ nihil accepisse, sed tantum per illius corpus transiisse, sicut lux vitrum pertransit: ideoque dici Johannis primo, *Erat lux vera*; unde consequens esset, Christum non fuisse verum hominem.

Sed contra hunc errorem clara est Scriptura ad *Galat. 4. v. 4. Misit Deus filium suum, factum ex muliere* Et ad *Rom. 1. v. 3.* de Christo pronunciat Apostolus, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Non dicitur lux facta ex vitro: neque Jonas factus ex ventre ceti dum corpus illud nihil assumendo transierat.

3. Docent orandum non esse publicè, neque voce altiori: adeò ut dum mensæ orationem præmittunt, moris sit vultum pileo, aliove modo obtegere. Quia Scriptum est *Matth. 6. v. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum .. & clauso estio ora patrem tuum in abscondito.*

At cur non dicunt illic etiam interdictum esse in templo, aut mensa, aut alibi quàm in cubiculo orare? Hi sanè novi Doctores non dubitarent S. Stephanum, & cum eo morem primævæ Ecclesiæ è suo cætu eliminare, qui *Actor. 7. v. 59* non in cubiculo, non in abscondito, sed in publico supplicii loco orasse memoratur: *Positis autem genibus clamavit voce magna dicens; Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

4. Arbitrantur homini verè Christiano piaculum esse crines lon-

longiores alere aut collaria, aliumve vestis ornatum admittere: ipsi proinde in externa specie, vestitu & verbis singularem modestiam sectantur. Et quoad crines quidem prolixiores, doctrinam suam probant ex Apostolo 1. *ad Corinth.9. v.14. Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi.*

At videant ne Christum, & Apostolos ac plures Sanctos hoc piaculo involvant, ac reformatos velint. An non *1 Reg.1. v.11.* Samuel, cæterique Nazareni comam alere jubentur? an hunc morem sequi non debuit ipse Christus, qui Matthæi *c.2. v.23.* Nazaræus appellatur. Quoad vestitus ornatum, laudatur quidem S. Johannes Baptista *Matth. 11.* quod spreta vestitus elegantiâ cultum asperum & pilosum assumpserit: laudantur & plures alii in Catholicorum cœnobiis, qui Baptistæ exemplum secuti, rudi lacerna, & cilicio corpus domant, At nulli hactenus in cætu Menistarum hanc laudem adscribi cognovimus. Satis notum est quam exquisitis artibus cutem suam curare consueverint. Sed hæ sunt Novatorum artes non novæ, ut colliges ex iis quæ tradidimus supra *tract.2. post cap.10.* de genio fallaci Novatorum cavendo.

Hæresis Gommari & Arminii.

ANno 1605. Leidæ in Batavia exarsit gravis controversia inter Franciscum Gommarum, & Jacobum Arminium Professores Leidenses, quæ tandem in apertum Schisma erupit, & reliqua Reipub. membra in oppositas partes distraxit. Tuebatur autem Gommarus rigidam Calvini hæresim, docens, Deum esse authorem peccati, ac decreto immutabili prædestinasse ab æterno paucos homines ad gloriam antecedenter & independenter ab eorum meritis; cætero, verò ad gehennam reprobasse independenter ab eorum demeritis, & ante prævisionem peccati etiam originalis; eosque ultro in peccata impellere, ut suam in illis justitiam exerceret. Contendebat ex adverso saniori doctrinâ Arminius, Deum non ita procedere, sed decretum prædestinationis, ac reprobationis ordine rationis posterius esse præscientiâ futuræ perseverantiæ, aut non perseverantiæ in fide Christi. Dum hæc discordia stylum & arma per Hollandiam passim commoveret, convocata est à Statibus Synodus Dordracena anno 1619 multis Ministrorum ex Germania, & Anglia confluentibus, ut sua authoritate per sententiam definitivam hanc litem dirimerent. Ac tandem, Gommaro ope Magistratus suffulto contra Arminium, lis magis adjudicata, quam extincta fuit, ac Barneveldius authoritate, meritis, ac ætate gravis, tan-

quam Arminii fautor, septuagenario major capite supplicium luit: atque ita Conventus ille insignis plus sanguinis quam erroris exhausit.

Sed in hoc infelix Arminii Schola, quod cum Calvino doceat, Infantes natos ex parentibus fidelibus sine respectu ad Baptismum salvari, nempe ut filios Abrahæ, & in illius fœdere comprehensos.

Secta & errores præcipui Turcarum sive Mahometanorum.

Author hujus impiæ Sectæ fuit Mahomet circa annum Domini 616. qui natus est in Arabia felice, ex patre Ismaelita; Saraceni enim ab Ismaele filio Abrahæ ex ancilla originem traxerunt. Cum esset humili loco natus, nobilis matronæ Camelos pascebat. cumque esset vaferrimo ingenio tantum suis artibus effecit, ut Dominam suam in uxorem acceperit. Ac tandem post multa cum Judæis, ac Christianis commercia, per varias fraudes & imposturas, Prophetæ nomen obtinuit; adeò ut dum comitiali morbo cui obnoxius erat aliquando laboraret, uxori, aliisque persuaserit, se ex conspectu Angeli Gabrielis sibi apparentis in animi deliquium concidere. His in vulgus sparsis, dum à pluribus ut verus Propheta coleretur, volumen aliquod variis figmentis refertum conscripsit, dictum Alcoranum, quod sibi è cœlo transmissum esse fingebat. Ut autem omne genus hominum ad suam sectam colligeret, doctrinæ suæ articulos ex omnium penè gentium Religione conflavit, suaq; ipsis figmenta adjecit.

Docuit itaque cum Christianis, & adhuc credunt Turcæ dari unum Deum Creatorem cœli, & terræ. Negant tamen Trinitatem personarum cum hæreticis Sabellianis, adeoque Verbum DEI esse Deum, cum Arianis; ac Spiritum sanctum esse Deum negant cum Macedonianis.

Cum Judæis utuntur Circumcisione, & abstinentiâ à carne suilla: ideoque ab initio Judæi Mahometi tanquam Messiæ adhærebant. Sed cum adverterent illum loco Sabbathi diem Veneris celebrare, & à vino abstinere, & circumcisionem non octavo die, sed circa 15. ætatis annum adhibere, ab illo in plurimis defecerunt.

Cum Christianis habent Turcæ aliquod genus Baptismi, qui in nuda cæremonia consistit, quâ ferè quotidie certas lotiones, & Baptismata usurpant.

Credunt etiam Christum esse filium DEI, eumque ex Maria Virgi-

Virgine ſine virili ſemine generatum: agnoſcunt quoque magnum eſſe Dei Prophetam, ſed negant eſſe Deum.

Ex Alcorano plura habent propria Mahometi figmenta. 1. Credunt dari Fatum, quo ſinguli homines ad bonum, vel malum deſtinati ſunt.

2. Quod Mahometi, tanquam fideli veritatis cultori, in die judicii tradendæ ſint claves paradiſi.

3. In futura carnis Reſurrectione Sectatores Mahometi introducendos in beatiſſimum Paradiſum, ubi omnes ad cibum & potum deliciæ abundarent, ac mulierum pulcherrimarum ad uſum libidinis copia ſuppeteret. Hoc ſcilicet cœlum eſt Mahometanum. Hanc tamen doctrinam ipſe Mahomet damnare convincitur, dum Chriſtum ſummum caſtitatis amatorem & præconem, magnum fuiſſe Dei Prophetam, & ex virgine natum agnoſcit.

In hac etiam vita indulget Mahomet ſuis Turcis pluralitatem uxorum, & ut unam pro alia mutare liceat, pluresque ipſe uxores habuit.

Credunt Mahometani omnes homines in ſuis Sectis ac legibus ſalvari poſſe, ſive ſint Judæi, aut Chriſtiani, aut Saraceni &c. Denique ut aſſeclas ſuos in perpetua cæcitate retineret, prohibuit Mahomet ſub pæna capitis ne de Alcorano, vel lege à ſe data diſputarent; quod diceret nefas eſſe Myſteria diſputando tractari.

Hæc figmenta ut hominibus magis perſuaderet, videri voluit varia miracula patraſſa, & diſertè in Alcorano. *Azoara* 64. dicit ſe in Luna miraculum feciſſe, quod ejus aſſeclæ dicunt contigiſſe quando lunam in duas partes diviſam ipſe in manus acceptam reparavit, & in cælum remiſit, ſed iſtius prodigii neminem præter Mahometem conſcium fuiſſe.

Moriturus anno Domini 630 in urbe Mecha prædixit ſe ab Angelo Gabriele tertia die reſuſcitandum, ſed cum Gabriele non comparente Corpus putreſceret, ad tegendam ignominiam Haumarus Mahometis ſucceſſor ſepulchrum illi magnificum erexit, ad quod Mahometani ſaltem ſemel in vita ex longinquis etiam regionibus peregrinari ſolent.

Poſtremò adverte, ex amplitudine hujus Sectæ, & multitudine hominum qui eum ſequuntur, nullum poſſe formari argumentum pro illius veritate, uti formare ſolet ex amplitudine Catholicæ religionis. Quia illa tam latè propagata eſt ſola coactione armorum, & amore libertatis ad omnem carnis voluptatem & libidinem, quam omnibus impunè concedit. Neminem verò

poteſt

potest ad se trahere puritate doctrinæ aut divinorum miraculorum testimonio, cum potius dogmata habeat divinis Scripturis & honestati naturali apertè contraria. Quod sedulò notandum contra modernos Sectarios, qui argumentum pro Religione Romana ab ejus amplitudine desumptum, ex ista Turcarum multitudine infringere conantur.

Græcorum Schisma, & Errores.

Ecclesia Orientalis, sive Græcorum, conjuncta semper fuit Ecclesiæ Romanæ, donec circa annum 869. impius Photius Schismati initium dedit, qui post S. Ignatium, ex Sede Constantinopolitana ab Imperatore depulsum, in eam intrusus fuerat, & contra Canones ordinatus. Cum verò à Pontifice Romano confirmationem obtinere non posset, ab illius obedientia se subduxit.

Idem schisma, ob similem causam, redintegravit Michael Constantinopolitanus circa annum 1058. qui contra Canones ad eam sedem evectus, dum à S. Leone Papa reprobaretur, cæpit eos damnare & persequi, qui Latinos ritus Constantinopoli, & in Græcia observabant, Baptizatos à latinis rebaptizare, & in quibusdam articulis Ecclesiæ Romanæ hæreseos labem aspergere. Donec post multas lites Græci suos errores in Concilio Florentino abjurarunt: sed non multo post iterum græca levitate ad vomitum redierunt. Ac tandem, Deo superbam impietatem vindicante, infelix Græcia, quæ noluit Christi in terris Vicario subesse, crudelissimum Turcarum jugum subire coacta est.

Præter impium Schisma, quo se ab Ecclesia Romana separarunt, in varias quoque hæreses prolapsi sunt, quas etiamnum tuentur.

Primò, negant Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, volunt enim à solo Patre spirari, sive suam processionem ab æterno habere: ideoque graviter damnant Ecclesiam Latinam quod in symbolo expressè apponat nomen Filii, dicatque, *qui ex Patre Filioq; procedit*, contra quam habeatur explicitè in symbolo Nicæno.

Prætextum huic errori quærunt ex verbis Christi Johannis 15. v. 26 *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo (inquiunt) non procedit à Filio, cum solius Patris mentio habeatur. Sed inepta est consequentia quæ desumitur ab authoritate negativa; hoc modo, Chri-

Christus illo loco non dixit Spiritum sanctum à Filio procedere; ergo id negavit. Sic enim dum de Verbo divino dicitur Johannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, sequeretur hunc mundum esse à solo Verbo sive Filio, non autem simul à Patre & Spiritu sancto creatum, cum illo loco de solo Verbo divino mentio habeatur. Cæterum ex aliis Scripturæ locis satis disertè colligitur Spiritum sanctum etiam à Filio procedere, ut *Iohannis 16. vers. 15.* ubi Christus de Paraclito loquens dicit: *De meo accipiet & annuntiabit vobis, omnia quæcunq; habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Atqui Paraclititus tanquam creatura nihil à Christo accipere potuit, ergo ibi Christus sive Filius dicitur Paraclito originaliter communicare aliquod esse increatum tanquam personæ divinæ.

Quod porrò opponunt Græci, si Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, necesse erit ineptè statui duo illius principia, sive duas causas, quasi pater ad Paracliti spirationem per se non esset sufficiens: Respondetur inanes esse argutias; Etsi enim asserant Latini Patrem, & Filium duas esse personas, negant tamen duo esse distincta principia, aut duas causas; sed docent utrumque simul unicum esse principium, & unicam causam. Sicut & ipsi Græci admittere debent non solum patrem, sed tres personas necessariò simul causare omnes creaturas; non tamen ideo sunt tres causæ, sed unica causa habens eandem essentiam, & eandem voluntatem productivam omnium creaturarum, neque hinc verentur Græci ne aliquid Patris potentiæ aut sufficientiæ detrahatur.

Altera Græcorum hæresis est, quod contendant Eucharistiam conficiendam esse in pane fermentato, & Christum in ultima cæna ita confecisse; ideoque docent apud Latinos qui celebrant in azymo Sacramentum esse invalidum. At contra Ecclesia Latina docet celebrandum esse in azymo, quamvis nolit Sacramentum esse invalidum si conficiatur in fermentato, cum panis sive azymus, sive fermentatus in eadem specie conveniat.

Probatur autem contra Græcos Christum celebrasse in pane azymo ex Matthæi *cap. 26. v. 17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Cum ergo in diebus azymorum apud Judæos grave flagitium fuerit uti fermentato, manifestum est Christum more cæterorum voluisse in azymo celebrare, qui non venit legem solvere, sed adimplere. Præter hos, Ecclesia Græca postquam à Romana defecit, in alios errores paulatim prolapsa est.

Hic

Hic verò ad inſtitutum noſtrum præcipuè obſervandum eſt, Lutheri ac Calvini aſſeclas inſigni nequitia hominibus illudere, dum audent jactare ſuam Religionem omni tempore ab Eccleſia Græca quæ ampliſſima eſt, agnitam & approbatam fuiſſe. Nam ex iis quæ ſupra diſſerui patet imprimis, Græcos usque ad annum circiter 869. cum Eccleſia Romana ſemper conjunctos fuiſſe, quo tempore nihil de Religione Lutherana aut Calviniana ſomniare potuerunt. Secundò, ſatis conſtat etiam hoc ævo, & ab ortu Lutheri & Calvini, nunquam hos à Græcis pro Fratribus agnitos fuiſſe, imò in ſuis ſcriptis horum errores acriter oppugnaſſe. Tertiò Eccleſia Græca, quamvis Schiſmatica, in pluribus tamen articulis contra modernos hæreticos cum Romana conſentit. Admittunt enim etiamnum Græci ſeptem Sacramenta: Miſſæ Sacrificium retinent. In Sacramento Euchariſtiæ veram realemque Chriſti præſentiam, ſine ſubſtantiâ panis, omnino agnoſcunt: Confeſſionem Sacramentalem in uſu habent: pro defunctis orant: Jejunium quadrageſimale accuratè obſervant. Quænam igitur poteſt eſſe noſtris Sectariis, qui hæc omnia condemnant, cum Græcis concordia? Miſera certè eorum conditio, Matrem ſuam Eccleſiam Romanam deſeruerunt, nec ullibi terrarum Fratres inveniunt.



PARS





PARS SECUNDA,

RESOLUTIONES THEOLOGICÆ IN SCHOLIS CONTROVERSÆ.

QUia necessarium est Missionario, & ceteris qui alios docent, accuratè discernere Controversias purè polemicas, à Quæstionibus Scholasticis, quæ inter ipsos Catholicos in utramq; partem libere disceptantur: maximè quoq; decet virum literatum quæstiones subtiliores in promptu habere, quæ passim in disputationem venire solent, & quarum ignoratio facile doctrinam sanam cum damnata confundit. Hinc, ex plurium desiderio, harum notitiam, statum, argumenta, resolutiones, partim hic, partim alibi, brevi, commodaq; methodo exponemus.

CONTROVERSIA PRIMA.

De varia in Deo Scientia, ac præscientia futurorum.

§. I.

Notio, ac divisio Scientiæ Divinæ.

PRimò: Deo nulla inest realis distinctio, præterquam trium Personarum: hinc quævis intellectio, aut volitio divina, aliud non est, quàm Deus per se intelligens, aut volens, sine ulla actuum distinctione, aut nova accessione, per quam aliqua mutationis internæ umbra inducatur.

2. Nulla Dei intellectio est merè apprehensiva, aut etiam oppinativa: Sed omnis ejus cognitio perfecta scientia est. Quidquid enim cognoscit, id clarè, certòque judicat. Neque judicium illud scientificum formatur more nostro, per compositionem ac divisionem, sed per simplicem repræsentationem, absque eo quod prædicatum ad subjectum mediante copulâ referatur dum affirmat, aut à subjecto removeatur dum aliquid negat.

3. Scientia

3. Scientia Dei non est discursiva, sive illativa unius ex alio, Quia aliqua mentis imperfectio est, ex antecedente clarius cognito elicere consequentis cognitionem obscuriorem, quod in omni discursu contingit. Hinc dum cognoscit Deus suam omnipotentiam esse productivam leonis, non monetur intellectus divinus à potentia productiva leonis cognita, ad cognoscendum leonem, sed utrumque simul, & per se perfectissimè comprehendit.

4. Divisio scientiæ divinæ communior est, in scientiam naturalem sive necessariam, quâ Deus ab æterno, ante omne liberum decretum suæ voluntatis, cognovit res possibiles, quæ non potuerunt aliter se habere, ut mundum esse producibilem: & in scientiam liberam, quâ cognoscuntur res contingentes, sive quæ potuerunt aliter se habere, v.g Judam peccare.

Ea divisio aliter exprimitur, in scientiam Simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognovit res possibiles quasi abstrahendo ab earum existentia: in scientiam Visionis, quâ videt totam seriem rerum existentium in quacunque temporis differentia: & in scientiam Mediam, quâ cognoscit rem futuram sub conditione contingenti, sive quid homines & angeli facturi essent pro sua libertate, si cum his vel illis circumstantiis in hoc vel illo rerum ordine collocarentur.

5. Ut hæc triplicis scientiæ distinctio clarius inhæreat: Primò concipiatur, Deum ab æterno, antea quam aliquid extra se producere statuisset, in mente sua, tanquam in lucidissimo speculo, complexum fuisse infinitos rerum ordines, quos si vellet, condere potuisset: secundò, distinctè percepisse, quid in singulis ordinibus futurum esset ex libero hominum & angelorum arbitrio si decerneret illos in his vel illis circumstantiis actu producere: Tertiò, ex illis omnibus elegisse hunc ordinem rerum, qui à prima mundi creatione perseverat, & continuâ serie deinceps decurret: Quartò, hac electione constitutâ, absolutè & determinatè ex parte sui actus vidisse omnia quæ in hoc ordine ex libero hominum & angelorum arbitrio fiunt; & præter hæc præscivisse universa, quæ in quavis hypothesi futura essent; atque hæc sub conditione tantum futura, alii per scientiam quam nuncupamus Mediam, alii aliter prænosci contendunt, ut jam dicemus.

§. 2. De

§. 2.

DE SCIENTIA MEDIA.

Controversiæ status, & origo breviter exponitur.

EXorta est controversia hæc in scholis celeberrima de scientia media, præcipuè circa annum 1588 dum in lucem prodiit liber P. Ludovici Molinæ Societatis Jesu Theologi, Ulissipone in Lusitania, de Concordia gratiæ. Sed & Opere nondum typis vulgato, ut in ipsis cunis prævocaretur, summo studio contendit ex Schola S. Thomæ Dominicus Bannez, aliique, à quibus doctrina de scientia media, & auxiliis, ad tribunal S. Inquisitionis Lusitanicæ protracta est, & in multis vehementer accusata. Sed in hoc judicio, omni erroris suspicione liberata, robur potius quam detrimentum accepit. Instauratur tamen in Inquisitione Hispanica nova accusatio: ac primum Complutensis Universitas, jubente Illustrissimo Nuncio Cardinale Cajetano, & Senatu S. Inquisitionis, Molinæ Concordiam per annum integrum rigido examini subjecit. Sed & hinc purior robustiorque evasit, dum tandem primo Octobris anno 1596. Universitatis calculo declaratur, in Molinæ Concordia contineri sanam & Catholicam doctrinam, Scripturæ, Conciliis, Patribus, & Scholasticis consentaneam: ut testatur ipse Academiæ Rector in litteris Romam datis ad Cardinalem Pompejum Aragonium, quæ extant apud Paulum Leonardum *§. 1. n. 36.*

Itaque dum scientiæ mediæ per universam Hispaniam exagitatæ nihil detrimenti, multum verò incrementi, & gloriæ accederet, visum est illius impugnatoribus rem totam ad Romanæ Inquisitionis tribunal revocare, ac si ea nondum alibi satis ventilata fuisset. Sic enim ex fidis monumentis rem prodit Ripalda *tom. 2. de ente supernat. disp. 113. n. 55.* Asseclæ Dominici Bannez, non acquiescentes judicio Hispanorum, ad supremum Romanæ Inquisitionis tribunal appellarunt, missoque in sollicitationem causæ legato sui Ordinis, qui prolixum in doctrinam Molinæ Scriptum, Cardinali Alexandrino dicatum, obtulit, Cardinalis pro excutienda Molinæ doctrina Congregationem octo Theologorum à Clemente VIII. obtinuit, quibus postea duo alii accessêre. Sed cum hi ex Molinæ Concordia propositiones aliquas modò censurarent, modò easdem censurâ eximerent, placuit tandem Pontifici censuras aut sententias in priva-

tis

tis conventibus hactenus latas supprimere aut suspendere, & causam totam ad se revocare, solemni ritu coram se, & Cardinalibus, ac Judicibus disputandam à selectis Doctoribus tum Patrum Dominicanorum, tum Societatis Jesu, utriusque etiam Ordinis Generali assistente.

Inchoatæ itaque sunt die 28. Martii anno 1602. Romæ in litterario theatro, summâ orbis Christiani expectatione, celeberrimæ illæ inter utrumque Ordinem disputationes, quæ ingenti utrimque conatu protractæ fuerunt usque ad annum 1606. Hujus temporis decursu habitæ sunt concertationes quadraginta septem, quarum triginta septem præsente Clemente VIII. celebratæ sunt; quo è vivis sublato, Paulus V. reliquis decem Disputationibus interfuit.

Tandem de rebus disputatis accuratè collecta est judicum censura, & summo Pontifici tradita; qui, inquit Ripalda, conveniens cum solis Cardinalibus eam expendit, & de sententia juxta merita causæ ferenda contulit. Ac demum ipsâ die D. Augustino sacrâ 28. Augusti 1606. majori meliorique Censorum parti adhærens, cum iisdem Cardinalibus pronunciavit. *Vt omnis doctrina Molinæ indemnis persisteret, & utriusque Familiæ sententia in scholis Catholicis tutò & impunè doceretur, donec aliud à Sancta Sede decernatur.* Eâ tamen lege ut neutra pars alteram censuris carpat, injuriisve lacessat. Quæ Pontificis Sanctio utrique parti intimata est, & ulterior hujus causæ processio interdicta. Hoc Pauli Pontificis Decretum inter alios refert Spondanus *ad annum* 1606. Et de eo plura notatu digna fusè tradit Petrus à Josepho, Paulus Leonardus, Ripalda, Henao, & Anatus *de scientia media disp.* 4. *cap.* 1. & in *responsione ad fabulas Quæstionarii Tolosani.* Scio quas tenebras his actis offundere moliatur Xantes Mariales in sua *Bibliotheca relect.* 17. *pag.* 459. & alibi, quas Apostolica authoritate dissipavit Innocentius X. in calce Decreti à se editi 23. Aprilis anno 1654.

Verùm mihi hoc loco consilium non est pluribus monimentis, quæ ad manum sunt, huic causæ præsidium adferre, sed tantum aliquam ejus notitiam delibare, in ordine ad alias Controversias, quæ hic, & alibi in hoc Opere tractantur.

§. 3.

Explicatur, & probatur necessitas scientiæ Mediæ.

Scientiam in Deo Mediam negant, ut dixi, ex professo Thomistæ, neque eam admittunt plerique Scotistæ; plures tamen

Academiæ, ac Scholæ celebriores eam non excludunt, imo passim à viris doctrinâ eximiis, multis, magnisque encomiis celebratur, uti videre est apud P. Henao, & plures alios. Ut verò controversiæ decisio, ejusque probatio distinctius intelligatur.

Dico primò, Admittenda est in DEO scientia illa conditionalium, quam nos mediam vocamus, hoc est, novit Deus infallibili scientiâ non solum quid agere possint, sed etiam quid facturæ essent singulæ causæ liberæ, si locarentur in his vel illis circumstantiis ad actionem ponendam vel non ponendam conducentibus, & haberent omnia ad libere agendum requisita, quamvis etiam causæ illæ nunquam sint futuræ, vel certè nunquam in talibus circumstantiis constituendæ: hujus exempla dabimus assert. 2. de Tyriis & Cilitis.

Scientiam hanc infallibilem de conditionatè futuris habere DEUM saltem in suis decretis, de quibus infra, admittunt quoque recentiores Thomistæ: negarunt tamen illam absolutè nonnulli antiquiores, ut Ledesma, Cabrera, aliique, qui circa objecta sic conditionate futura agnoscebant tantum in DEO scientiam conjecturalem: ac Ledesma quidem de scientia futur. contingent. *disp. 2. differ. 2.* disertè asserit, posse quidem DEUM judicare quid foret verosimilius vel probabilius in tali eventu, non tamen posse definitum judicium ferre, quod hoc esset aut erit, si illud fiat vel fieret.

Oportet igitur accuratè observare, controversiam celeberrimam inter Thomistas & authores Societatis non esse sitam in eo, An DEUS certò cognoscat futura contingentia quæ nunquam erunt, sed tantum futura essent positâ hac vel illa conditione: in hac enim scientia DEO attribuenda plerique nobiscum conveniunt. Sed quæstio principalis est, An Deus cognoscat illa futura directè in seipsis, aut antecedenter ad sua decreta, ut docent authores Societatis; an verò in suis Decretis, quæ Thomistæ statuunt in DEO absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti circa omnes actiones liberas conditionatè futuras, quale est hoc decretum, Decerno ut si Petrus intret domum Caiphæ Christum neget; si respiciatur à Christo, moveatur ad pœnitentiam. Cum autem alii in hujusmodi decretis, cum prædeterminatione physica quibus nituntur, gravem ostendant difficultatem, ut consistant cum libertate actuum humanorum, quam beneficio scientiæ mediæ facilius expediunt; hinc illa scientia contra se, suosque Authores aliquem invidiæ fomitem ministravit.

Dico tamen secundò, Scientia media jam explicata fundamentum habet solidissimum tam in Scriptura, quam in Ratione.

Probatur itaque primò, ex pluribus Scripturæ locis, ac præcipuè 1. *Regum c.* 23. ubi Davidi Deum consulenti, An descenderet Saul in Urbem Ceilam, & an eo adveniente viri Ceilitæ Davidem Sauli tradituri essent, Respondit Deus. Si manseris, in Ceilam descendet Saul, & à Ceilitis in manus ejus tradêris. Itaque prævidit Deus sub conditione futurum adventum Saulis, & traditionem Davidis, quæ nunquam absolutè consecuta est. Atqui Deus non habuit decretum quo voluit ut si David permaneret in urbe, Ceilitæ eum traderent: Ergo Deus illud prævidere debuit independenter à tali decreto per scientiam quam vocamus mediam. Minor probatur, Quia Deus non potest velle, aut decernere ut fiat malum, quale facturus erat Saul postulando sibi tradi, & Ceilitæ tradendo Davidem innocentem, aliàs enim Deus id decernendo se præberet authorem actus mali: nam eadem ratio quæ vetat Deum absolutè prædefinire actus peccaminosos, prohibet etiam eosdem decernere sub aliqua conditione.

Probatur idem ex verbis Christi *Matthæi* 11. *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ facta sunt in te, olim in cilitio & cinere pœnitentiam egissent.* Ubi exprobrat Judæis quod pœnitentiam non egerint, qualem facturi erant Tyrii & Sidonii, si DEUS illis eadem miracula, eandemque gratiam præbuisset. Nullam autem vim habuisset ista exprobatio, sed potius frivola & iniqua foret si necessarium esset, istiusmodi decretum ex parte actus absolutum, quo statuerit DEUS convertere Tyrios si Christus apud illos virtutes & miracula patrasset. Respondere enim Judæi Christo exprobranti meritò potuissent: Quid mirum est convertendos Tyrios si vidissent illa miracula, & nos illis visis minimè converti? Quandoquidem decretum habueris convertendi Tyrios si signa illa spectassent, pro nobis autem sub eadem conditione convertendis desit tale decretum, quod tamen ad nostram conversionem est omnino necessarium. Tantundem enim illud est, ac si Judex captivum, quem clausum detinet, hortetur ut carcere egrediatur, & egredi cunctantem hoc modo increpet, si hoc dicerem socio captivo ille confestim exiret, habeo enim decretum, ubi hoc dicerem simul fores carceris illi reserandi, quod tibi facere non decrevi. Quis non videt viro prudenti, multò magis Christo, indignam esse istam increpationem, admissâ necessitate talis decreti.

Retor-

Retorquet in nos istam Judæorum querelam in nuperis Thesibus Eximius P. Jansens, nec non Exim. P. Harney thesi 16. *Idem*, inquit, *in tua opinione dicerent* (Judæi) *ob negatam ipsis vacationem certo congruam*, qualis Tyriis concessa fuisset. At non ferit nos ista retorsio. Replicare enim isti querelæ in nostra sententia meritò potuit Christus, hoc modo: Vestra culpa factum est quod illa gratia sufficiens qua nunc vocati estis, non fuerit prævisa certò congrua & efficax, qualis omnino esset, si velletis cum ea liberè converti & pœnitere, quod in vestra situm est potestate. At non ita ab ipsorum libertate pendebat, quod DEUS ab æterno non habuerit decretum illud ex parte actus absolutum visis miraculis illos convertendi per media prædeterminantia, quale decretum ponunt in DEO respectu Tyriorum, si ea miracula ipsis proposita fuissent.

Porro ad enervandam vim argumenti quod supra assumpsimus pro scientia media, novam subtilitatem commentus est Johannes Caramuel in sua *Theol Fundamentali lib.* 1. *Thesi* 6. Statuit ille in Tyriis & Sidoniis piam affectionem erga miracula, & decretum actuale amplectendi Religionem quam viderent miraculis comprobatam: ex quo, inquit, per infallibilem consequentiam constare poterat, visis prodigiis, convertendos fuisse: pium autem affectum, & illud actuale Tyriorum decretum cognoscebat Deus scientia visionis, nihil igitur opus erat scientiâ mediâ.

Sed respondeo, machinam hanc imaginariam facili corruere, negando in Tyriis eo tempore extitisse istud actuale decretum, quod nullo fundamento ab adversariis astruitur. Vel enim decretum illud publico Senatus populique consensu conditum fuit, vel privato singulorum civium consilio conceptum. Si publico omnium consensu, incumbit adversariis ostendere, in quibus tabulis, aut monumentis decretum illud memoriæ proditum existat, nisi velint agnoscere, non Tyriorum decretum, sed suum esse commentum. Si autem asserant privato consilio singulorum animos miro consensu coaluisse in pium illud decretum capessendæ Religionis miraculis confirmatæ; nemo non videt quam parum probabilis, multò minus infallibilis sit arcanus ille Tyriorum consensus: cum passim in Scripturis de Tyriorum dura cervice, & impietate extent plurima; de pio autem ad veram Religionem affectu nihil uspiam scriptum reperiatur, præterquam in eorum libris qui hoc contra scientiam mediam argumentum recenter excogitarunt; quod cum ostenderim probabili fundamento destitutum per se corruere, non est cur operosius expugnetur.

Aliam, sed non multò meliorem, evadendi viam tentarunt nuper aliqui, qui ad eundem Scripturæ locum respondent; Tyrios præ Judæis minori affectu suis vitiis, & erroribus adhæsisse: potuit igitur Deus per visionem istius affectus infallibiliter scire, Tyrios non amplius erroribus adhæsuros fuisse, si eodem tempore fuissent fortius impulsi ad pœnitentiam per gratiam & miracula, quibus conversi non sunt Judæi, utpote suis vitiis & erroribus majori affectu alligati. Sufficiet ergo, absq; scientia media, visio divina circa istam Tyriorum dispositionem olim actu existentem, ut inde certò cognoscat eorum pœnitentiam sub conditione futuram.

Sed contra, Supponere videtur hæc responsio, minorem affectum in vitia, accedente majori impulsu gratiæ, necessariò succumbere, & voluntatem gratiæ tunc impellenti infallibili lege obsecundare: unde sequetur, pœnitentiam sic prævisam non fore liberam, atque ita hanc responsionem impingere in doctrinam Jansenii de gratia victrici: parum enim referre videtur, sive major impulsus gratiæ necessariò victricis componatur cum minori affectu in vitia, sive cum minori inclinatione concupiscentiæ, modò voluntas sub illis constituta ex vi intrinseca & infallibili istius gratiæ ad actum pœnitentiæ determinari debeat.

Quamquam & hæc objectio, in hypothesi quam supponit, eodem cum priori vitio laboret. Gratis enim assumitur Tyrios & Sydonios, homines insigniter impios, minori affectu suis vitiis adhæsisse, quàm Judæos Bethsaidæ incolas, qui Dei notitiâ, & lege, & plurimis divinæ ultionis exemplis instructi erant, quibus poterat vehementior in vitia affectus non parum elidi. Et in hoc ipso consistere videtur vis exprobationis divinæ, quod cum Tyrii & Sidonii infideles majorem haberent obicem conversionis, facilius tamen per eadem miracula, eandemque gratiam liberum voluntatis arbitrium ad pœnitentiam inflexissent.

Quod si adhuc de Tyriorum moderatiori in vitia affectu benignius hic sentiendum esse contendas, cogeris etiam ad Sodomitas idem patrocinium extendere. Nam in eodem contextu de Capharnao Judæorum urbe continuò subjungitur: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ in te forte mansissent usque in hodiernum diem*, nempe per secuturam conversionem pœnitentiam. An ergo cognovit Christus scientia visionis Sodomitas minori affectu ferri in sua vitia, quam Judæi Capharnaitæ suis erroribus adhærerent? At contra, ipsa Scriptura diserte testatur *Genesis 13.* Sodomitas fuisse *homines pessimos*, & in suis vitiis ad extremum induratos: & tamen horum pœnitentia conditionata præ Capharnaitis à Christo cognita, &

præ-

prænunciata fuit, non utiq; ex minori in vitia affectu, qui ultricibus è cælo flammis ac sulphure cohibendus erat; sed ex ipsa libera, ac laudabili voluntatis ad pœnitendum determinatione sub conditione futura, & per scientiam mediam prævisa. Neque video quorsum, ob expositionem tam parum solidam, aliqui scientiæ mediæ patroni judicaverint hunc Scripturæ locum non satis illi patrocinari.

Probatur secundò assertio ex Ratione, qua simul scientiæ mediæ singularis usus ac necessitas declaratur. Quia ad salvandam libertatem & meritum nostrorum actuum necesse est dicere, omnes gratias, quæ ad actum eliciendum proximè conducunt, esse indifferentes, sic ut voluntas illis habitis possit seipsam determinare sive ad agendum, sive ad non agendum; actio enim ad quam voluntas non à se sed ab alio principio determinatur, non potest esse voluntati libera, aut meritoria. Et tamen ex altera parte necesse est asserere, aliquas gratias sic dari à Deo ut infallibiliter inferant actum voluntatis creatæ, cum non possit Deus homines certò destinare ad merita gloriæ æternæ, nisi per gratias quas novit fore efficaces. Hæc autem duo optimè conciliantur per scientiam mediam, & non ita per viam cui alii insistunt. Nam posito quod Deus istâ scientia videat, Si Petrus in talibus circumstantiis habeat hanc gratiam eliciet actum amoris Dei, potest decernere Petro dare in talibus circumstantiis illam gratiam: atque ita decernet gratiam quæ infallibiliter inferet effectum, liberè tamen ponendum, ex determinatione libera Petri per scientiam mediam prævisa. At verò absque ista scientia non ita apparet, quâ ratione possit dicta efficacia gratiæ à DEO dandæ cum libertate voluntatis conciliari. Debebit enim illa efficax & infallibilis connexio gratiæ cum actu provenire, vel ex ipsa natura & entitate gratiæ, per se determinantis, & sic non relinquet voluntatem proximè indifferentem ut possit seipsam determinare: vel certè ponet aliud quo proximè determinetur in præjudicium libertatis. Quæ difficultas plures etiam ante Jansenium, in eum errorem impulit, ut absolutè negarent ad libertatem requiri illam voluntatis indifferentiam. Hunc nos scopulum existimamus aptissimè declinari per usum scientiæ mediæ jam expositum, alii aliter, quorum varias & probabiles de hoc puncto sententias dabimus infra in *Controversia 7.*

§. 4.

Dissolvuntur breviter variorum Argumenta contra scientiam Mediam.

OBjiciunt primò, Scientiam mediam auferre Deo rationem primæ causæ, & primi liberi. Absit tantum nefas à Scientia illa minimè noxia. Probant tamen, Quia supponit liberam determinationem voluntatis creatæ conditionatè futuram, ante omne decretum actuale & determinatum voluntatis divinæ. Esto: Quid inde piaculi, quod Causa prima considerata in statu conditionato nihil actu agat, ubi actu nihil agitur. Sic enim in simili forma argumentor, & ostendo ex illa objectione sequi, Scientiam etiam simplicis intelligentiæ auferre à DEO rationem primæ causæ, & primi liberi: Deus ut cognoscens per scientiam simplicis intelligentiæ objectum in statu possibilitatis v.g. actum creaturæ possibilem nullum de eo objecto habet actuale decretum: ergo Deus ut sic cognoscens non est prima causa, aut primum liberum. Si claudicat hæc sequela, vacillat & ista; Deus per scientiam mediam cognoscens objectum in statu conditionato nullum de eo habet actuale decretum: Ergo Deus ut sic cognoscens non est prima causa, aut primum liberum. En utrobique error idem se manifestat, quod nempe exigatur in statu non absoluto divina libertas absolutè exercita. Debet igitur hic primum liberum sive primum determinans sumi proportionatè ad statum in quo objectum consideratur, hoc est, in statu possibilitatis, Deus est primum liberum, sive determinans non actu, sed possibiliter; in statu conditionato Deus est primum liberum, non actu, sed conditionatè, sive, esset primum agens libere si conditio poneretur: in statu autem absoluto DEUS est primum liberum actu & absolutè. Cum ergo pro illo triplici statu, in quo res eadem considerari potest, Deus sit primum agens & primum liberum, nullo prorsus modo per scientiam mediam excluditur à ratione primi agentis, liberi, determinantis. Nec impedit illa quo minus omne agens, & liberum creatum à DEO volente & decernente accipiat & ipsam potentiam eligendi, & totum actum electionis, relativè ad statum possibilem, conditionatum, aut actualem, in quo res à mente nostra consideratur existere. Hoc si rite attenderetur, multum difficultatis & contentionis evanisceret.

Objicies tamen Secundò: Scientia media lædit in hoc libertatem divinam, quod non proponat Deo objectum suum cum indiffe-

differentia ad existendum, vel non existendum, sed exhibeat determinatè futurum, si ponantur certæ circumstantiæ, quasi præveniendo determinationem divinam.

Respondeo negando assumptum: & iterum moneo, frustrà objici læsionem aut impedimentum libertatis in statu conditionato, ubi non datur locus libertati exercendæ, quæ tantum actu exerceri potest in statu absoluto. Cæterum non proponit scientia media actum voluntatis humanæ futurum sine dicta indifferentia, nisi ex hypothesi quod Deus liberè vellet suam gratiam, & concursum, & reliquas conditiones præbere, cum quibus prævidetur connectenda actio voluntatis humanæ, adeoq; actus conditionatè prævisus per scientiam mediam, supponit etiam conditionatum exercitium libertatis divinæ, sive, quod hoc exercitium actu esset, si actura foret voluntas creata. Non enim concipitur hæc actura, nisi supponantur adfutura omnia ex parte DEI ad agendum requisita.

Objicies tertiò: Cum scientia media non consistit libertas voluntatis creatæ: Posito enim auxilio divino; & scientia mediâ quâ DEUS novit, si detur hoc auxilium in his circumstantiis habiturum effectum, non potest non sequi consensus voluntatis creatæ.

Respondeo, Si ita noxia est libertati humanæ scientia media auxilii indifferentis, væ prævisioni prædeterminationis physicæ, actum per se infallibiliter inferentis. Nihilominus; admittunt adversarii DEUM prævidere, si ponatur prædeterminatio physica, voluntatem liberè consensuram: Si ergo scientia conditionata futuræ prædeterminationis, non tollit libertatem voluntatis humanæ, quomodo eam tollet scientia conditionata auxilii indifferentis, quod ex parte sua voluntatem indeterminatam relinquit.

Ad rationem itaque allatam in forma dico: Posito auxilio divino, & ista scientiâ mediâ, non potest non sequi consensus voluntatis humanæ, necessitate aliqua simpliciter antecedente istum consensum, nego; necessitate aliqua consequente & præsupponente liberum exercitium voluntatis; concedo; hæc autem præscientia non potest tollere illam libertatem cujus exercitium à præscientia non pendet, sed potius illa præscientia dependet à determinatione conditionata & libera ipsius voluntatis. Per scientiam itaque mediam ideo solum novit Deus Petrum consensurum; si ponatur in his circumstantiis, quia reipsâ in illis constitutus ad consensum liberè se resolveret. Nulla igitur hic est necessitas nisi merè conse-

quens ex hypothesi liberæ determinationis voluntatis humanæ, cum absolutæ fuerit in potestate Petri efficere ut Deus hanc scientiam non haberet, sed contrariam de negatione consensus, si nempe Petrus in illis circumstantiis positus nollet consentire.

Quinimo si voluntas esset instructa gratia, & concursu DEI, & aliis ad agendum proximè requisitis, eodem modo actum eliceret etiamsi scientia illa à Deo penitus abesset. Ista enim præscientia conditionata, quæ in actum nullo modo influit, non requiritur ad hoc ut voluntas possit agere, uti aliqui præposterè concipiunt, sed ut Deus in decernendo actu libero creaturæ procedat providè, & non cæco modo per auxilia & media indifferentia, cum quibus non potest cognosci conjungendum esse effectum, nisi id exploretur beneficio scientiæ mediæ; sine qua in obtinendo efficaciter actu libero, dirigendæ essent à Deo suæ gratiæ eventu incerto: sicut ab homine emittuntur in scopum plures sagittæ, de quibus incertus est an hac, an alia scopus attingetur, cum singulæ ad hoc sint indifferentes, & possint à scopo aberrare.

Instabis, Etsi admitteretur scientia media esse posterior consensu voluntatis creatæ ut conditionatè futuro, est tamen illa prior eodem consensu in statu absoluto, sive ut est absolutè futurus, & stante illa præscientiâ necessariò sequetur: Ergo scientia media aufert libertatem istius consensus ut est absolutè futurus.

Respondeo distinguendo antecedens: Scientia media est prior consensu absolutè futuro aliqua prioritate rationis, in quantum dirigit Deum ut actum futurum absolutè decernat, concedo antecedens: Est prior consensu absolutè futuro aliqua prioritate naturæ, per modum causæ influẽtis, nego antecedens. Tantum enim requiritur illa scientia in Deo, ut cognoscеatur consensus ille positis mediis indifferentibus infallibiliter secuturus, non verò ut illa in actum influat. Quinimo positis ceteris prærequisitis actus ille non minus eliceretur, etiamsi scientia media abesset, ut supra ostendi, uti & ipsam scientiam mediam potius dependere à libero exercitio hujus actus sub conditione futuri.

Quomodo verò universim scientia media, aut alia, quæ sic præcedunt actum liberum ut ab ipso libero actus exercitio dependeant, nullo modo officiant libertati, clarius elucescet ex similitudine umbræ, quæ corpus nostrum antecedit, quando sol nobis à tergo obvertitur. Nihil enim ambulantis libertati obest illa umbra necessario antecedens, cum illa non obstante possit homo pro suo arbitrio huc vel illuc ambulare, & efficere ut hæc, vel illa umbra præcedat, quamvis ex hypothesi quod stet ad solem Petro lucentem

debeat aliqua umbra hominem antecedere. Eſt autem rerum futuritio quaſi quædam umbra intelligibilis, quæ licet intervallo temporum, rerum futurarum exiſtentiam antecedat, ab hac tamen futura exiſtentia, tota illa antecedens futuritio dependet. Non poteſt igitur illa futuritio aut prænotio rerum futurarum libertati præjudicare, etiamſi res quæ eſt, vel eſſet futura, per ſuam futuritionem antecedentem ſeipſam quodammodò objectivè antevertat, uti umbra quaſi quid idem cum corpore, ipſum corpus antecedit. Quæ ſimilitudo facilius accommodabitur rebus quæ tantum ſub conditione eſſent futuræ, ſi more Mathematicorum conſideremus aſtrorum umbras ſive eclypſes, quæ poſt viginti millia annorum eſſent futuræ, quamvis forte mundus tam diu non ſtabit; adeoque eclypſes illæ nunquam ſint futuræ, habent tamen nunc ſuam futuritionem in mente Mathematicorum. Sic etiam futuritio conditionata non cauſatur ab ullo quod actu eſt, vel erit; ſed ab eo quod eſſet ſi conditio poneretur. Et per hanc ſimilitudinem aptè explicari poteſt, quo pacto omnis Dei præſcientia, prædefinitio, prædeſtinatio, reprobatio, quamvis fuerint ab æterno, non tollant hominis libertatem, ſed à noſtro arbitrio benè, vel malè operante dependeant, quod ægrè capiunt rudiores.

Objicies quartò: Uſus ille ſcientiæ mediæ favere videtur errori Semipelagianorum; Si enim Deus in diſtribuenda gratia dirigatur per ſcientiam illam conditionalem, ſequetur opera conditionatè ponenda eſſe cauſam cur Deus hanc gratiam homini largiatur, in hoc autem errarunt Semipelagiani.

Reſpondeo negando aſſumptum: Ad argumenti ſequelam dico, opera conditionatè ponenda, etſi ſint certo modo cauſa finalis, ad quæ obtinenda conceditur gratia, non eſſe tamen opera illa cauſam meritoriam, aut impetratoriam gratiæ, ſicut illa nondum exiſtentia gratiam ſibi à DEO tanquam præmium concedi poſtulent; hoc autem contendebant Semipelagiani. Cum enim vellent omnem DEI gratiam homini dari ob merita ejus naturalia prævisa, & ſæpe non reperirent merita abſolutè futura, recurrebant ad merita, ſive bona opera conditionatè ponenda; ſicut aſſererent ex duobus infantibus morituris uni prædeſtinari Baptiſmum, & alteri negari, eò quod Deus prævideret, ſi ſupervixiſſent, unum benè acturum, alterum malè: item uni adulto, non alteri, fidem prædicari, eo quod Deus præſciret hunc non illum, crediturum ſi fides illis annuntietur. Iſta autem doctrina etiam apud defenſores ſcientiæ mediæ prorſus erronea eſt, cum

certum sit nullum opus, nisi absolutè existens, præmium aut pœnam mereri: imò constet multos præmaturè mori ac salvari, qui si diutius vixissent, in multa demerita, & peccata incidissent, juxta illud Sapientiæ 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*: quem proinde locum sibi adversum, teste S. Augustino *lib. de prædest. Sanctorum cap. 14.* Semipelagiani repellebant, tamquam è libro non canonico citatum. Causa itaque motiva cur Deus det alicui gratiam quam prævidet fore efficacem, potius quam merè sufficientem, est ipsa Dei bonitas, quam non tenetur in omnes æqualiter exercere: præscientia autem conditionalium proponit Deo opus bonum conditionatè futurum, uti dixi non ut causam meritoriam gratiæ efficacis, sed tantum ut causam finalem, quæ non movet actu existens instar meriti, sed per modum objecti futuri, & per media procurandi, juxta illud D. Thomæ *quæst. 23. art. 5. ad primum*: *Usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.*

Objicies quintò: S. Augustinus agens contra Semipelagianos, scientiam mediam non agnoscebat. Nam teste Prospero *in epist. ad S. Augustinum*, Semipelagiani credebant ab Augustino sub nomine prædestinationis, fatalem quandam induci necessitatem. Atqui istius necessitatis nulla poterat esse apparentia; si prædestinetur gratia indifferens; quæ per scientiam conditionalium certò cognoscitur consensum voluntatis liberè obtentura. Ergo D. Augustinus illam scientiam non agnoscebat.

Respondeo, etsi S. Augustinus in statuenda prædestinatione usus fuisset scientiâ mediâ, potuisse nihilominus Semipelagianis videri, etiam cum illa, non satis salvari hominis libertatem: sicut etiamnum multi contendunt per prædefinitionem nixam scientiæ mediæ creaturæ libertatem everti, uti supra vidimus in objectione quarta: quamvis è contra alii existiment eâ positâ nullum esse evertendæ libertatis periculum.

De cetero, notam fuisse S. Augustino, aliisque Patribus scientiam illam conditionalium, patet vel eo, quod noverint ex Scripturis DEUM præscivisse, quid acturi fuerint Ceilitæ si David apud eos mansisset; & quid visis Christi miraculis fecissent Tyrii & Sidonii, de quibus supra. Atqui S. Augustinus & Patres non agnoverunt de actionibus istis sub conditione futuris decreta conditionata quæ ponunt Thomistæ; sæpe enim disertè docet S. Augustinus, non omnium rerum, quarum est in DEO præscientia, earum etiam esse prædestinationem, sive decretum; sed prædestinationem esse de rebus bonis tantum; præscientiam

etiam

etiam de malis. Ergo debet S. Auguſtinus cum aliis Patribus, ad præſcientiam iſtarum actionum, maximè malarum, ſcientiam mediam agnoviſſe.

His breviter diſſolutis, non parum ſubit admirari, argumenta iſta ab adverſariis jactari tanquam tela ſcientiæ mediæ, ac Moliniſtis fatalia, cum tamen ex iis præcipua facile poſſint unico verbo infringi, & in ſuos Authores retorqueri, ut jam oſtendo.

Jactant imprimis S. Auguſtinum in concilianda gratia cum libertate nomen ſcientiæ mediæ nunquam uſurpaſſe. Sed ne hoc prolixè diſputetur, ita ſit, quid inde? Nuſpiam gratiæ per ſe determinantis, nuſpiam phyſicæ prædeterminationis, nuſpiam iſtius decreti ex parte actus abſoluti &c. nomen diſertè expreſſit. An ideo agnoſces hæc quoque penitus repudianda tanquam S. Auguſtino ignota? Nihil igitur hinc in ſcientiam mediam potius quam in adverſariorum doctrinam invidiæ redundat.

At urgent alii D. Auguſtinum ſcientiam mediam in Semipelagianis diſerte reprobaſſe. Sed contra: Si ſcientiam hanc ne quidem de nomine novit, quo pacto eam diſertè reprobavit? Dico igitur S. Auguſtinum ſcientia in DEO mediam nunquam repudiaſſe, admitto tamen quandoque malum ejus uſum in Semipelagianis reprehendiſſe. Verùm quid inde conficies? An non poteſt rei optimæ abuſus eſſe peſſimus? Si hac tempeſtate Calviniſtæ gratiâ per ſe prædeterminante ſic abutantur, ut perperam doceant per eam humanæ voluntati neceſſitatem inferri, an ideo admittes gratiam illam eſſe Calvinianam, & è Scholis relegandam?

Sed, inquies, Semipelagiani olim ajebant, aliquos infantes præ aliis ante mortem baptizari, & quosdam adultos præ aliis ad fidem efficaciter vocari, quia nempe Deus per ſcientiam mediam prævidit illos poſtea ſi ſuperviverent fidem liberè amplexuros; quod ab Auguſtino & Eccleſia univerſâ meritò damnatum fuit.

Reſp. Semipelagianos in eo damnatos eſſe, quod dicerent opera bona ex viribus naturæ, & tantum conditionatè futura, vim habere meriti, & ad ſalutem conducere; non quod aſſererent ea opera à Deo ſub conditione fuiſſe præviſa.

Hoc ſi neges, & porro contendas, illorum errorem in hac præſcientia ſitum fuiſſe, Vide ne teipſum non minus quam tuos Adverſarios incautè impugnes. Nam & ipſe ſaltem in decretis conditionatis præſcientiam de omni objecto etiam ſub conditione

ne futuro in DEO admittis; & tamen ex præscientia sic habita sequetur vim meriti absolutam competere operibus ut conditionatè futuris, si id ex vi scientiæ mediæ sequi debeat: Parum enim refert sive Deus in decretis, sive per scientiam mediam opera illa præcognoscat, ad hoc ut rationem meriti obtineant, in quo illis attribuendo hæretici illi meritò damnati fuêre. Atque ita ut alios in Pelagianum illud Pelagus demergas, teipsum in eandem ruinam incautè præcipitas.

Sunt & alii, qui scientiæ mediæ patronis objiciunt, quod velint esse primi istius scientiæ authores, cum tamen ea sit antiqua, & pridem cognita: at contra alii ex adversariis eam novitatis insimulant. Nec desunt alii qui scientiam mediam penitus abstrusam, & inconceptibilem esse affirmant: alii verò eam ut nimis apertam, & facilem gratiæ & libertatis conciliatricem accusant, cum mysterium hoc maximè reconditum esse omnes agnoscant. Hæ accusationes dum se mutuo interimunt, nostrâ responsione non egent.

Stant autem pro hac Scientia, præter Authores Societatis, variæ Academiæ, ac Doctores celeberrimi. Pro eâdem apud Henaum & Philaletem *cap.*3 § 3. *à pag.* 175. ex Archiepiscopis enumeratur Hugo Cavellus, Antonius Peret, Augustinus Antolinus, Caspar Nemius Duaci olim Professor: Ex Episcopis Malderus, Mascarenius, Dietalepius, Manriquez, Abelli, Crespi, Joannes Strienus, Levinus Torrentius, S. Franciscus Salesius novum Ecclesiæ tam sanctitate quàm doctrinâ columen & ornamentum. Ex quibus discernet idoneus Lector hanc Scientiam, & quæ innituntur dogmata, inter sanæ, solidæque doctrinæ articulos liberè recipiendam, etsi contra eam à pluribus more scholastico disputetur, uti fit in Controversia sequenti.

CONTROVERSIA SECUNDA.

An detur Prædeterminatio physica à DEO ad omnes actiones creaturarum.

§. I.

Status & historia hujus Controversiæ.

POst Disputationes coram summo Pontifice institutas à Patribus Dominicanis contra scientiam mediam & affines Controversias, rogarunt impensè Patres Societatis, ut sibi quoque liceret contra Prædeterminationem physicam, præsertim in materia

teria de gratia, sua argumenta depromere. Itaque de illa coram Paulo Quinto, habitæ sunt à P. Bastida octo disputationes, quæ durarunt usque ad diem 22. Februarii anni 1606. in quibus contendebat gratiam quæ est efficax in actu primo, non esse talem ex sua physica entitate, sic ut eâ posita in voluntate, implicet contradictionem ex vi illius gratiæ non sequi voluntatis consensum: idque ex quatuor potissimum principiis concludebat. Primò, ex testimoniis Scripturæ Sacræ: 2. ex definitionibus Conciliorum Tridentini, Arausicani, & Senonensis: 3. ex doctrina S. Augustini, & aliis Ecclesiæ Patribus: 4. ex consensione quam conabatur ostendere inter hanc, & doctrinam Calvini; non enim videbatur adhuc eo tempore in hoc conatu nimium excedere, cùm paulo ante ab adversariis, prolixis parallelis, doctrina Molinæ, cum Pelagii institutis collata fuisset. Omnibus absolutis talis fuit Pontificis sententia, qualem de scientia media in §. 2. supra retulimus.

Status itaque hujus celeberrimæ Controversiæ de Prædeterminatione physica genericè sumpta hic est. An ut creatura agat, necessario prærequiratur prædeterminatio physica, quæ sit prævia aliqua motio ad singulas actiones à Deo producta in causa secunda, per quam applicetur, & determinetur ad agendum.

Prima sententia propria est Thomistarum, quæ asserit, præter Concursum concomitantem, quem ponimus, causæ primæ cum secunda, necessariam esse motionem illam antecedentem, quâ positâ creatura debeat agere, & quâ non positâ nequeat operari, sive sit agens necessarium, sive liberum.

Disconveniunt tamen inter se Thomistæ in assignanda Entitate in qua præcisè consistat illa præmotio. Primò, Bannez Cabrera, aliique apud Ruiz *de volunt. Dei disp.* 46. *sect.* 1. volunt esse qualitatem physicam & fluentem à Deo causis secundis impressam, & per modum partialis principii prius naturâ complentem actionem creaturæ; & sic dicendum est hanc præmotionem se tenere ex parte actus primi.

Secundo, docet Nazarius, & Capezudo, esse ipsam actionem creaturæ prout illa procedit à Deo ut causa determinante, & simul à creatura ut causa determinata; & juxta hanc expositionem, prædeterminatio videretur se tenere ex parte actûs secundi. Alii recentius ajunt, illam consistere in applicatione omnium prærequisitorum ad actum secundum, sive ad actionem necessariò ponendam.

Tertiò, Alvarez, & Zumel tradunt prædeterminationem esse aliquid neque spectans ad actum primum, neque ad actum secundum

cundum, sed inter utrumque aliquid medium de utroque extremo aliquid participans, quam motionem virtualem nuncupant. Sed ista entitas media nullâ potest ratione fulciri; per hoc enim omnino corruit, quod neque D. Thomas, neque alii Theologi dividentes adæquatè actum in primum & secundum, talis actus medii unquam meminerint. Quodque per se inexplicabile videatur, aliquam rem absolutè existere, & simul de actu primo aliquid participare.

Secunda opinio est Scotistarum, negantium creaturas applicari ad agendum per ullam hujusmodi entitatem illis intrinsecè inditam: asserunt tamen illas per decretum DEI extrinsecum, absolutum, & efficax ad agendum applicari ac determinari. In hoc igitur à Thomistis tantum discrepare videntur, quod hi doceant præviam creaturæ applicationem fieri per aliquid causæ creatæ intrinsecum, Scotistæ verò per aliquid extrinsecum. Sed neque sic prioris sentententiæ difficultates satis evitant, neque desunt propria quas insuper incurrunt.

Tertia opinio prioribus opposita, & Scholæ Societatis universæ propria, rejicit omnem istiusmodi prædeterminationem physicam: negatque applicationem causæ secundæ ad agendum aliam esse necessariam, quam ut Deus in actu primo paratus sit suum illi concursum præstare ad agendum, & creaturâ seipsam determinante, Deus simul per eandem actionem cum illa operetur: quod ex dicendis magis exponetur.

§. 2.

Ostenditur Prædeterminationem Physicam non esse admittendam ad causas sive necessarias, sive liberas.

DIco primò, Ad actiones causæ necessariæ superflua est omnis physica prædeterminatio.

Probatur. Ideo ab aliis requiritur illa prædeterminatio, ut causa creata per illam determinetur ad agendum. Sed causa necessaria per naturam & entitatem suam est sufficienter determinata ad agendum positis omnibus ad actionem prærequisitis ex parte creaturæ, & decreto præbendi concursum concomitantem ex parte DEI, absq; alio determinante, aut applicante. Ergo illa prædeterminatio in causis necessariis est omnino superflua.

Neq; dicas, ad hoc requiri præmotionem divinam ut potentia creata, per se incompleta & insufficiens, à causa prima com-

compleatur & applicetur ad agendum, ſicut inſtrumenta debent promoveri & applicari à cauſa principali.

Nam contra, cauſa ſi neceſſaria poſita cum omnibus prærequiſitis, & concurſu Dei ſibi oblato, per ſeipſam ita eſt completa ad agendum, ut nequeat actionem omittere; ideo enim cauſa illa dicitur neceſſaria, quia ad unum eſt determinata ſine potentia ad oppoſitum: ergo illa ſic conſtituta non requirit aliunde ad agendum applicari. Neque verum eſt quod creaturæ ſe habeant ſicut inſtrumenta illa, quibus nulla ineſt virtus operandi, ideoque debent ab artifice præmoveri: habent enim cauſæ creatæ virtutem intrinſecam à Deo ſibi inditam reſpectu effectuum ad quos ex ſua natura ordinantur; non enim admittent adverſarii illas merè paſſivè, & mortuo modo ad agendum admoveri, ſicut in inſtrumentis propriè dictis fieri ſolet.

At, inquies, cum Philoſopho 2. *Phyſic. textu* 33. *Omne quod movetur ab alio movetur.* Sed non ab alio quam à Deo: ergo prærequiritur præmotio divina ad omnem actionem creaturæ.

Reſpondeo negando conſequentiam. Non enim dicit, omne quod movetur ab alio promoveri, ſed ſimpliciter moveri. Sufficienter autem quælibet cauſa movetur à Deo, Primò per hoc quod ſimul concurrat coëfficiendo cum ea quamlibet illius actionem, quam ſine divino concurſu non poſſet ſola exercere: Secundò, præbendo creaturæ præviam virtutem effectivam omnis operationis ac motionis; quâ ratione omnis actio & motio creaturæ, à DEO tanquam prima illius cauſa procedit. Quo etiam ſenſu alibi dicit Ariſtoteles, elementa moveri à generante, ex eo tantum quod à cauſa quæ generat, ſive inducit formam elementi, indita ſit elemento vis naturalis quâ per ſe ſurſum aut deorſum moveatur, generante etiam abſente, & nullum motum actu imprimente. Adde, non paucos dictum Ariſtotelis ſic legere; *Omne quod movetur ab aliquo movetur*; nempe vel ab alio, vel à ſeipſo.

Dico ſecundò: In agentibus liberis prædeterminatio phyſica non videtur ullo modo poſſe conſiſtere cum libertate actus prædeterminati.

Probatur: Potentia libera eſt quæ poſitis omnibus ad agendum immediatè prærequiſitis poteſt agere & non agere; uti conſtat & lumine rationis, & conſenſu communi, etiam in Schola Doctoris Angelici. Atqui poſitâ prædeterminatione voluntas non poteſt agere & non agere, ſed debet infallibiliter id agere ad quod determinata eſt, ſine potentia hic & nunc expedita

dita ad oppositum. Ergo prædeterminatio physica non potest consistere cum libertate.

Minor probatur: Quia, omnis suppositio antecedens immediatè actum, independens à voluntate, & actum infallibiliter inferens, tollit potentiam liberam agendi & non agendi; determinat enim præcisè ad actionem, sic ut stante illâ suppositione impossibile sit voluntati actum omittere. Ex hoc enim capite necessarius est amor beatificus, aut quicunque actus voluntatis, qui ex necessitate elicitur. Atqui prædeterminatio physica est talis suppositio immediatè antecedens, & independens infallibiliter inferens actum voluntatis, in hoc enim plerumque Thomistæ conveniunt. Ergo positâ & stante prædeterminatione non manet voluntati potentia agendi & non agendi, adeoque necessariò præjudicat libertati actus prædeterminati.

Confirmatur nostra probatio: Gratia efficax non consisteret cum libertate, si ita per se determinaret voluntatem ad eliciendum actum bonum, ut positâ gratiâ impossibile foret non sequi consensum voluntatis. Ergo neque prædeterminatio physica consistet cum libertate, cum ea posita impossibile sit non sequi actum prædeterminatum. Antecedens patet ex Tridentino *sess. 6. can. 4.* asserente hominem posse dissentire gratiæ si velit: item, hominem posse abjicere gratiam si velit: qui censebat aliàs efficaciam gratiæ non stare cum libertate.

Respondent primò Thomistæ ad minorem nostri argumenti cum distinctione, & dicunt, posita prædeterminatione voluntatem posse agere & non agere, in sensu diviso, id est considerando voluntatem per se, & ut divisam ab actuali prædeterminatione, etsi nequeat non agere, in sensu composito, hoc est, componendo voluntatem cum actu prædeterminato, quem non potest non elicere ex hypothesi quod illum actu eliciat, quam dicunt esse necessitatem merè consequentem: atque ita ajunt intelligendam esse definitionem potentiæ liberæ, ut sufficiat posse agere vel non agere in sensu diviso: quo etiam modo aliqui conantur explicare sensum Tridentini. At contra: Non habet voluntas in casu potentiam non agendi in sensu diviso, quia stante prædeterminatione non habet potentiam ponendi sensum divisum, sive carendi actuali exercitio actus prædeterminati, quod probo. Non ponitur actu sensus divisus nisi ab eo qui potest auferre prædeterminationem; atqui in voluntatis potestate non est auferre aut excutere prædeterminationem, quæ à Deo solo voluntati imprimitur: ergo non est in potestate voluntatis ponere sensum divisum, ergo nec in sensu diviso actum omittere.

Respon-

Respondent secundò, Positâ prætermination è, cùm potentia ad agendum, remanet etiam potentia ad non agendum: quia saltem permanet ipsa voluntas, quæ est potentia ad non agendum.

Sed contra: Remanet quidem potentia ad non agendum remota, & per prædeterminationem impedita, concedo: remanet potentia proxima & expedita nego: voluntas enim prædeterminata ad agendum est tantum potentia remota & impedita ad non agendum; non sufficit autem potentia remota & impedita quia sic voluntas hic, & nunc non habet in potestate sua actum & non actum.

Quinimò in eadem forma conficiam actum voluntatis quacunq; necessitate elicitum, semper remanere liberum sic enim argumentor: Positâ per DEUM quacunque voluntatis necessitate, semper remanet voluntas in se & essentialiter potentia libera; ergo posita quacunque necessitate actus voluntatis erit liber. Consequens est apertè falsum, ergo & istud ex quo sequitur.

Respondent tertiò. Ad libertatem non requiri immediatam indifferentiam voluntatis, sed indifferentiam judicii, sive cognitionem proponentem objectum sub aliqua ratione boni, & sub aliqua ratione mali, quam vocat Alvares indifferentiam objectivam, quâ stante ajunt impossibile esse necessitari voluntatem, & illius tantum defectu amorem beatificum esse necessarium.

At contra: Libertas in eo consistit, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis possit voluntas agere & non agere: Atqui posito illo judicio indifferenti, & supposita prædeterminatione, non potest voluntas non agere; ergo ad libertatem non sufficit tale judicium: probatur consequentia: Non potest sufficere indifferentia judicii quando aliunde habetur causa necessitatis, qualis hic est vis ineluctabilis physicæ prædeterminationis: sic enim satis non foret, intellectui inesse judicium indifferens, si illo stante DEUS negaret voluntati concursum ad amorem objecti indifferenter cogniti, illo enim judicio non obstante omissio amoris esset absolutè necessaria. Denique fatendum est gratiam non adimere intellectui judicium indifferens; & tamen si voluntas non possit rejicere gratiam, per eam necessitaretur ad consensum; ut definivit Tridentinum contra Lutherum; qui docebat ex necessitate voluntatem gratiæ obsecundare. Sed neque Lutherus, neque Calvinus cognitionem objecti indifferentem sustulerunt, & tamen damnati sunt, eo quod docerent voluntatem per gratiam necessitari.

Respondent quartò, maximè Recentiores. Prædeterminationem

non esse suppositionem antecedentem , sed esse ipsam actionem creaturæ, prout est simul à Deo, juxta tertiam expositionem supra in § 1. sive esse applicationem omnium prærequisitorum ad actionem creaturæ. Ergo, inquiunt, prædeterminatio spectabit ad actum secundum ; ergo creatura ex parte actus primi erit potens agere & non agere.

Contra : illo etiam posito , determinatio ad illam actionem orietur à solo Deo : ergo non erit in potestate voluntatis creatæ, illam non ponere , cum penes illam non maneat determinatio ad agendum vel non agendum ; ergo respectu voluntatis creatæ actus secundus non erit liber. Imo ex parte actus primi dabitur adhuc aliquid quo posito necessariò ponitur actio , nempe prædefinitio, seu decretum efficax ponendi istam prædeterminationem , cum quo stare nequit non actio ; nam ad decretum necessariò sequitur prædeterminatio, & ad prædeterminationem actio. Denique sive statuas prædeterminationem esse talem actionem creaturæ , sive talem applicationem, quæro, an illa sit causa cur agat creatura? id certè non negabis , nisi à communi recedas: at causa tenet se ex parte actus primi : Ergo frustra ad causam secundam, aut istam applicationem recurris.

Sed postremò dices : voluntas potest seipsam determinare ad agendum salva libertate : ergo similiter Deus poterit suâ præmotione illam determinare illæsâ libertate ; habet enim Deus omnem potestatem in voluntatem creatam, quæ potest voluntati in seipsam competere. Idque corroborant ex verbis S. Augustini *de Corrept. & grat. cap. 14. Deus magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas.*

Respondeo neg. consequentiam , quia determinatio quæ oritur ab intrinseco sive ab ipsa voluntate , sita est in potestate liberi arbitrii ; determinatio autem quæ oritur ab extrinseco non est in ejus potestate , adeoque antecedenter necessitat ; habet ergo Deus in voluntatem liberam , omnem potestatem possibilem , sed non impossibilem, qualis esset, eam esse liberam, & tamen ad unum determinatam.

Habet quoq; voluntates liberas hominum in sua potestate æquè ac ipsi, hoc sensu, quod Deo sint in promptu media indifferentia & innumera, per quæ , mediante scientiâ mediâ , posset quemvis actum liberum à voluntate creata impetrare. Et hæc optima est S. Augustini explicatio ; quæ si tibi non sat arrideat , vide ne tuum in te argumentum hoc modo retorqueam : Habet Deus omnem potestatem in voluntatem creatam, quam habet ipsa : atqui voluntas creata potest determinare seipsam etiam ad formale peccati : er-

go &

gò & Deus. Hoc autem penitus negant etiam ipsi prædetermina-tionis physicæ defensores. Nunc itaque ulterius.

Dico tertiò, Data prædeterminatione physica ad actus pec-caminosos; non apparet quo modo DEUS non esset auctor peccati.

Probatur: Qui ponit prædeterminationem ad peccatum, magis videtur esse auctor peccati, quam homo, aut dæmon suadens & in-stigans ad actum peccaminosum; instiganti enim potest voluntas resistere, prædeterminanti non potest: sed dæmon suadens & in-stigans ad actum peccaminosum hoc ipso est author peccati: ergo multò magis Deus, si prædeterminet ad actum peccaminosum, esset author peccati. Unde ulterius sequetur injustam fore pæ-nam quam Deus peccantibus infligit.

Respondent, DEUM non prædeterminare ad formale peccati seu ad malitiam, sed tantum ad materiale peccati, sive ad actus pec-caminosi physicam entitatem, non ad illius moralem deordina-tionem.

Sed contra primò, sive formale peccati consistat in positiva enti-tate actus, sive in aliquo negativo, utrumque est necessariò conne-xum cum actu intrinsece peccaminoso v. g. in odio Dei: ergo non potest Deus prædeterminare ad materiale, quin etiam prædetermi-net ad formale talis peccati.

Contra secundò, Suadens alteri odium DEI, aut mendacium non quâ malum, sed quâ utile, sic ut utilitatem tantùm intendat, non malitiam, rectè adhuc censetur author istius odii, & mendacii; ergo multo magis illius author erit prædeterminans ad mate-riale peccati, vi cujus sequi talis actus à quo malitia est insepa-rabilis.

Contra tertiò, Damnatur error Calvini in Trid. *sess. 6. can. 10.* quod doceret Deum impellere homines ad peccatum; & tamen non contendebat ille Deum impellere ad formale peccati, sed potius ad materiale, ut ex illius assectis tradit Chamierus; hoc autem materia-le peccati non minus infert prædeterminatio quam impulsus aut instigatio; ergo infert pariter formalem malitiam dum ea cum ma-teriali peccato insolubili nexu sociatur.

Sed quæres, Quomodo etiam in nostra sententia non lædatur li-bertas, & Deus non sit author peccati, cum statuamus in Deo decre-tum concurrendi; imo & concursum Dei actualem ad omnem actum etiam peccaminosum?

Respondeo, In nostra sententia hæc omnia rectè salvari. Qui statuimus in Deo decretum concurrendi efficax quidem & absolu-tum, sed indeterminatum tam quoad exercitium, quam speciem

actionis: sic ut vi illius decreti non potius velit Deus amorem quàm non amorem, aut odium amori oppositum: ac si diceret, Volo omnipotentiam meam paratam assistere causis secundis, ut ab illis ad quamlibet actionem determinari possit. Concursus autem quo Deus in actu secundo agit cum creatura, non est prævius aut prædeterminans, sed tantum simultaneus, sic ut eadem actio procedat à creatura ut causa determinante, & simul à DEO ut causâ determinatâ, sive permittente se à creatura determinari, & quasi trahi in consortium ejusdem actionis. Per hunc autem concurrendi modum satis patet neque lædi creaturæ libertatem, cum non aliunde, sed à seipsa ad agendum determinetur: neque Deum esse authorem peccati, cum creaturam ad actum peccaminosum non determinet, sed tantum permittat se trahi ad cooperandum creaturæ juxta naturalem illius exigentiam.

Quæres secundò, Quo pacto discernatur sententia Prædeterminantium, à doctrina Jansenii contraria libertati voluntatis creatæ?

Respondent facilè Prædeterminantes, se ab ea doctrina plurimum discrepare. Primò, Quia damnata est illa doctrina Jansenii quæ tradit, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ non posse resisti: & ad merendum & demerendum non requiri libertatem à necessitate, sed tantum à coactione*; quam illi omnino abhorrent, & meritò damnatam admittunt.

Secundò, Dogma Jansenii negat in statu naturæ lapsæ dari gratiam sufficientem; Defensores verò prædeterminationis gratiam illam in terminis defendunt, & admittunt eam suo effectu posse carere.

Tertio, docent hi requiri prædeterminationem physicam in omni statu naturæ, tam integræ, quam lapsæ, eo quod ipsa conditio causæ creatæ illam absolutè deposcat; non ex eo quod amissa sit libertas indifferentiæ per peccatum Adami, ut alii perperam volunt. Denique absolutè negant voluntatem prædeterminatam necessitati, sed potius Deum prædeterminare convenienter ad naturam causæ liberæ. Quamvis autem alii Theologi contrarium opinentur, doctrina tamen prædeterminantium ab Ecclesia nullo modo interdicitur, aut ullâ censurâ notatur, sed liberè in scholis defenditur & disputatur.

Quæres tertiò, Quid de prædeterminatione physica senserit Doctor Angelicus?

Contendunt operosè non pauci mentem D. Thomæ, & plurium Thomistarum ab hac prædeterminatione omnino alienam esse;

esse; & ex ea Schola varios qui contra eam militant longo agmine conscribunt. Id sedulò præstat Petrus à S. Josepho, Ruiz, Henao, de Cerf. Josephus de Vita, & postremò Borul, ac plures alii. Sed nobis hic consilium non est alias ex aliis quæstiones serere, sed potius rem ipsam paucis complecti, & eorum quibus scribimus captui accomodare.

CONTROVERSIA TERTIA.

An Prædestinatio absoluta ad gloriam facta fuerit ante prævisa hominum merita, & Reprobatio ante prævisa demerita?

§. I.

Exponitur status Controversiæ, & de ea variæ Scholarum sententiæ.

CÆpit hæc Controversia primò omnium agitari circa annum Christi quadringentesimum, dum S. Augustinus ageret contra Pelagianos: nam à Patribus qui ante Pelagii tempora floruerunt nunquam ex professo, sed tantum ex incidenti, tactam fuisse, tradit ipse Augustinus *lib. de dono persever.* Ad demum circa annum Christi 1535 Johannes Calvinus, ejusque asseclæ, de modo electiônis ac reprobationis divinæ novos, gravissimosque errores invexerunt, de quibus supra in polemicis actum.

Inter Doctores Catholicos, de quæstione in titulo proposita, magna est etiam hoc tempore sententiarum discrepantia. Prima est opinio Thomistarum, cum D. Thoma, ut illi eum interpretantur, asserentium omnes qui salvandi sunt, à Deo electos esse ad gloriam ante prævisa eorum merita, ad construendam ex illis Jerusalem cælestem sicut Architectus pro suo arbitrio eligit certos lapides, postea aptandos ad constructionem ædificii. Eandem esse mentem Scoti sentiunt plerique Scotistæ qui eum sequuntur, ego tamen ex illis novi Professores probè eruditos aliter sentientes. Ex Auctoribus etiam Societatis ad hanc sententiam accedit Bellarminus, Suarez, Henriquez, Ruiz, Toletus, Tannerus, & quidam alii.

Non conveniunt tamen omnes prædicti auctores cum Thomistis in modo explicandi hanc electionem. Nam Suarez vult quidem electionem ad gloriam factam esse ante prævisum peccatum originale, sed quoad eos qui electi non sunt, in hoc signo tantum vult illos esse negativè reprobatos, id est, simpliciter non electos, nullâ adhuc ex parte eorum datâ causâ. At Alvarez cum

pluribus Thomistis statuunt Deum in hoc signo cæteros non electos positivè exclusisse à gloria, nec dum tamen destinasse ad supplicium ante prævisionem peccati originalis. Verùm è contra quoad originale Bellarminus, Ruiz, Toletus, Tannerus, nolunt discretionem salvandorum à non salvandis factam esse ante prævisum peccatum originale, sed in ipsum originale prævisum referunt reproborum exclusionem à gloria æterna.

Sed benè notandum est, hoc discrimen universale inter Thomistas, & prædictos Auctores Societatis, qui prædestinationem ponunt ante prævisa merita, qui certo modo infra explicando utantur scientia media, ne videantur præjudicare libertati humanæ per decreta illa antecedentia & absoluta. Thomistæ verò ut Deum faciant infallibiliter exequi sua decreta, ex prædeterminationibus physicis præsidium petunt.

Altera sententia generalis priori opposita, est eorum qui docent electionem ad gloriam factam esse post prævisa electorum merita, si sint adulti, vel merita Christi iis applicata per Baptismum vel martyrium si sint parvuli: & à fortiori statuunt reprobationem omnem non salvandorum factam esse post prævisa demerita propria, aut peccatum originale.

Hanc tenent ex antiquioribus Bonaventura, Albertus, Henricus, Argentinas. Et ex Recentioribus, Michael Medina. Faber. Pennotus, Tapperus, Stapletonus, & præcipuè ex Societate illam ex professo tuentur Valentia, Vasquez, Becanus, Amicus, Lessius, Derkennis, Vekenus, & plures alii.

Hunc etiam modum electionis admittit *Iansenius Iprensis* in prædestinatione Angelorum, statuens Angelos bonos non nisi post prævisa merita electos malos verò post prævisa demerita docet reprobatos. Sed priorem modum electionis ante prævisa merita docet habere locum respectu hominum secretorum à massa damnationis, post prævisum peccatum originale.

Accessit etiam è Sectariis ad hanc secundam sententiam *Arminius* Professor Leydanus, quique eum sequuntur Arminiani quoad adultos: Sed quoad parvulos in eo graviter errant, cum Calvino & Gommaristis, quod infantes natos ex parentibus fidelibus velint infallibiliter salvari sine respectu ad baptismum; quia inquiunt, illi sunt filii Abrahæ, & in ejus fædere comprehenduntur; alios verò qui non sunt filii parentum fidelium dicunt ob peccatum originale esse reprobatos.

Denique tertiam sententiam inter priores mediam cum paucis aliis excogitavit Arubal, & Granadus, quâ prædestinationem statuunt non ante, aut post, sed simul cum meritis absolutè prævisis;

visis, sic ut Deus uno simplicissimo actu, absque ullo rationis ordine sive per æquivalentiam ad actus nostros, sive per ordinem objectorum, simul decreverit merita & gloriam. Nam, inquiunt, volendo dare gratias quas per scientiam mediam novit fore efficaces, vult etiam merita, & in meritis decernit gloriam. Sed cum Theologi passim, etiam hujus sententiæ auctores, aliquem ordinem decretorum secundum rationem subinde in divinis actibus admittant, nulla est causa cur ordinem illum in divina prædestinatione tollendum censeant. Si enim finis, sive gloria quæ decernitur, non sit aliter concedenda nisi prævisâ conditione meritorum, prius omnino est cognoscere merita ponenda, quam velle absolutè dare gloriam per modum mercedis, uti in §. sequenti latius exponemus.

Ex his patet huic Controversiæ principali plures quæstiones gravissimas esse annexas, & nominatim illam celeberrimam de auxilio gratiæ efficacis. Nam Thomistæ ut salvent infallibilitatem decreti divini de salute electorum ante prævisa eorum merita, subordinent illi aliud decretum, quo Deus præfinivit suis electis omnia & singula opera meritoria (saltem quæ peccatum non supponunt) cum non velit eos sine meritis salvare: Hæc autem merita ut infallibiliter obtineant decernit electis ad bene agendum auxilia efficacia & physicè prædeterminantia in tempore præstanda. Sed quia hujusmodi auxilia ex se prædeterminantia voluntatem humanam ad actus meritorios, visa sunt aliis minimè cum libertate consistere, ceperunt Auctores Societatis efficaciam gratiæ cum libertate humana aliâ viâ conciliare, auxilio scientiæ mediæ. Et hinc originem sumpsit gravissima illa controversia inter Thomistas & auctores societatis de efficacia gratiæ, quam diximus Romæ coram summis Pontificibus sæpius ventilatam.

§. 2.

Ostenditur Electionem ad gloriam factam fuisse post prævisa Electorum merita.

PRobatur primò ex Scripturis *Matth. 25. Venite benedicti, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi; Esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* Ubi assignatur causa electionis ad gloriam, quod ab æterno prævisa sunt opera bona in tempore actu præstanda.

Respondent alii, assignari hic in extremo judicio causam actualis possessionis regni cælestis, non verò præparationis sive prædestinationis quâ illa possessio ab æterno decernitur, de qua ajunt ex mente Christi nullam in loco citato mentionem fieri.

 Contra

Contra primò, Patres sententiam Christi de ipsa Præparatione intelligunt. Chrysostomus *Hom 80.* eam sic explicat: *Nam antequam*, inquit, *nati essetis, quia sciebam hujusmodi vos futuros, hæc à me fuere præparata.* Ubi non possessionem tantum, sed ipsam præparationem regni dicit decretam ob prævisa merita, per quæ sciebat dignos fore regno cœlesti.

Secundò, Ipse textus hoc suadet, quia addit; *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo.* Certum est autem præparationem æterni ignis non solum ordine executionis, sed etiam intentionis decretam propter prævisa demerita; deberet autem esse ratio urgentissima quæ cogat nos asserere in eodem loco Scripturæ Verbum illud *Præparatum* diversimodè accipi, nec posse utrobique in eodem sensu intelligi.

Secundus locus est ad *Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui; quos autem prædestinavit hos & vocavit.* Ubi Apostolus videtur asserere præscientiam meritorum esse suo modo causam electionis, & electionem æternam causam vocationis, & donationis gratiæ in tempore. Quia sensus est ex mente D. Ambrosii *P. 5. de fide cap. 3. Apostolus, ait, quos præscivit & prædestinavit; non enim ante prædestinavit quam præscivit, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.*

Objiciunt primò adversarii: Scriptura è contra supponit institui electionem ante merita, quia ipsa merita vult proficisci ex illa gratuitâ voluntate dandi gloriam. Probant id primò, ex verbis Christi *Lucæ 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Ubi decretum dandi regnum assignat ut causam antecedentem, cur debeant esse securi de meritis, & gloria secutura.

Respondeo, cum Christus ibi sit locutus ad omnes discipulos, imo ad alios omnes qui credituri erant, ut patet ex sequentibus, verosimile non est voluisse revelare omnibus electionem absolutam ad gloriam, cum ibi fuerit etiam Judas, & alii fortè plures reprobi. Indicat ergo non decretum absolutum, sed voluntatem antecedentem & inefficacem quantum est ex parte sua conferendi regnum cœleste, si illud meriti fuerint: ac si diceret: Nolite esse soliciti de rebus temporalibus, etiamsi omnia vendatis; quia si Pater Cœlestis fuerit tam liberalis, ut voluerit omnibus & præcipuè fidelibus donare regnum Cœlorum quantum est ex parte sua, & media supernaturalia; multò magis subministrabit hæc temporalia, & habebit curam ut qui relinquunt omnia propter regnum Cœlorum, non destituantur rebus ad vitam necessariis.

Objiciunt

Objiciunt secundò pro sua sententia illud Christi *Ioh.15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos &c.* quod videtur sonare electionem sine prævisione meritorum.

Respondeo, ibi non agi de electione ad gloriam, sed ad Apostolatum prædicationis Evangelii ut exponunt Patres apud Maldonatum. Vel secundum Augustinum, agitur de electione ad gratiam & fidem, quæ sine electorum meritis facta est. Frustrà autem conantur Adversarii loca multa ex Evangelio congerere; quia non agunt illa de absoluta electione ad gloriam, sed de conditionata, si nempe perseverent in bonis operibus; quia Christus noluit Apostolis absolutam electionem revelare, quos jubet timere ne tanquam fur in nocte judicium adveniat.

Objiciunt tertiò, tanquam præcipuum suæ sententiæ fulcimentum, locum Apostoli *ad Romanos* 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum DEI maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ubi Apostolus, sicut & in toto capite, ostendit negotium salutis *non esse volentis, aut currentis, sed miserentis Dei*; & quidem sine respectu ad merita, aut quæcunque opera quoad intentionem conferendi gloriam.

Respondeo, negando illam esse mentem Apostoli. Et sanè non pauci sic explicant illum locum, ut non velit Paulus agere de electione sive ad gratiam, sive ad gloriam, sed tantum ad bona quædam temporalia, ut ad opes, splendorem, & regnum obventurum familiæ Jacobi præ posteris Esau sive Idumæis. Vel certè de electione ad peculiares favores genti Judæorum præ aliis Gentibus à Deo destinatos.

Attamen, cum Patres, & maximè S. Augustinus sæpius explicent illum locum de spirituali dilectione gratiæ, dico etiam Apostolum hic agere de speciali electione, non immediatè ad gloriam, sed tantū de electione & vocatione ad fidem, & gratiam Christi sine respectu ad ulla merita præcedentia, aut etiam in futurum prævisa, & multò minus ad opera legis absq; gratia Christi, de quibus tamen Judæi sibi præ Gentilibus gloriabantur. Hic enim erat scopus Apostoli: Non posse Judæos jure conqueri quod præ illis Gentiles eligerentur ad fidem, & gratiam Christi, etsi Judæi non verò Gentiles opera legis & cæremonias haberent; quia nempe hujusmodi electio ad fidem & gratiam Christi non procedit ex operibus, sed ex vocatione, proposito. & prædestinatione divina, quà unum præ alio, ex gratuita tantum voluntate, ad fidem adducit: Ac demum concludit hanc

vocationem & electionem ad primam fidei gratiam, *non esse volentis neque currentis, sed miserentis DEI*. De electione verò immediata & absoluta ad gloriam hic non agit Apostolus. Quinimo probabile plures æstimant, Esau, qui dicitur hic odio haberi, aliosque plures ex semine Esau oriundos, ad salutem & gloriam pervenisse. Et hanc expositionem hujus loci amplectitur S. Augustinus *quæst. 2. ad Simplicianum*.

Denique adverte, plura Scripturæ, & Patrum loca, quæ adferuntur pro electione ad gloriam independenter à prævisis electorum meritis aliud plerumque non probare, quam prædestinationem omnino completè sumptam non esse ex meritis, cum illa sic accepta involvat etiam electionem ad primam gratiam: ante hanc autem gratiam certum est nulla merita posse procedere, cum omne meritum gratiam aliquam supponat, & sic procederetur in infinitum, vel principium meriti caderet sub idem meritum, quod ommino repugnat: his ita resolutis.

Probatur secundò nostra assertio. Ratione validissima; pro qua assumo Fundamentum ex diametro contrarium illi quo nititur sententia opposita. Qui ordinatè procedit non prius intendit absolutè finem quam media, quando recta ratio finem proponit per modum præmii & mercedis ab alio obtinendæ: atqui DEUS proposuit gloriam per modum mercedis: ergo non prius absolutè eam intendit quam alterius merita prævideat, sine quibus gloria non obtinetur. Prob. major. Quia qui proponit finem per modum mercedis, debet moveri ab ipso merito tanquam medio ad dandum finem, cum meritum sit causa moralis dantem movens, ad inferendum finem, sive gloriam, quæ per modum mercedis operi meritorio respondet. Ergo non potest ante prævisionem meriti absolutè intendere ut alter habeat finem sive gloriam, quia tunc non moveretur à merito, sed omnino gratis conferret. Unde hæ duæ voluntates videntur pugnare: Volo antequam prævideam merita ut ille habeat gloriam: &, volo ut habeat gloriam propter merita. Quia voluntas dandi ex justitia sive ob merita, destruit voluntatem elargiendi gratis, sive ex liberalitate.

Respondet Suarez *l.3, de auxiliis c. 9. à n.* 22 æquivocationem involvi in voce *Gratis*, sive gratuitâ voluntate. Quia aliud est Deum eligere gratis aliquos ad gloriam, aliud eligere ad gloriam gratis conferendam: dicit autem Deum habere in eligendo priorem non posteriorem voluntatem: cum igitur docet, Deum habuisse aliquam voluntatem gratis circa electorum gloriam, illud *Gratis*, vult se tenere ex parte actûs DEI, non ex parte objecti sive gloriæ gratis conferendæ. Ut quando aliquis vult vendere equum amico, illa voluntas

tas non est dandi equum gratis, sed tamen est gratis concepta, quia amicitia censeri potest quod equum velit vendere.

At contra; Nos etiam concedimus in DEO esse gratuitam voluntatem proponendi gloriam per modum præmii obtinendam. Sed hæc est generalis, reprobis, electisque communis, nec tali voluntate ad prædestinationem electorum Suarez esset contentus, cum ex illa DEUS nec numerum, nec gradus electorum scire possit. Vult ergo DEUM absolutè decrevisse ut Petrus & Paulus consequerentur gloriam propter merita; at tale decretum, si sit absolutum, non est immediata & absoluta intentio finis, nisi in ordine ad illud decretum prævideantur ipsa merita liberè futura. Sicut insistendo exemplo contra nos allato, nulla potest esse absoluta voluntas vendendi equum ante prævisionem pretii, sed tantum conditionatas, volo quantum est ex parte mea equum pretio conferre: quod si is qui emit sit pauper, & non possit solvere nisi pecuniâ sibi liberaliter datâ à venditore, & sciat venditor acceptâ pecuniâ illum empturum, adhuc manet, non posse absolutè intendere venditionem equi, quæ pendet ab ementis libera voluntate, nisi per hoc quod prius videat alterius voluntatem equum sibi pretio comparandi.

Objiciunt non pauci, contrariam nobis esse S. Augustini authoritatem. Sed de ipsius mente in hac quæstione anceps est utrimq; dimicatio, nec decretoria sententia, ut erudite ostendit *Bruno Neusser in Prodromo Velitari part.1.* Certè electioni post prævisa merita videtur non obscurè favere *lib.1 ad Simplicianum quæst. 2.* Nemo eligitur, inquit, nisi jam distans ab illo qui rejicitur, unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quo modo sit dictum, nisi præscientiâ.

Porrò si quis opponat hanc doctrinam, de prædestinatione post prævisa merita aliquando in Academia Lovaniensi inter alios articulos censuratam fuisse: Respondetur, Censuram illam pridem cassam & irritam à Sixto V. declaratam esse in mandato illius jussu edito per Octavium Episcopum Galatinum Nuntium Apostolicum, & Lovanii promulgato anno 1588. Cujus sincerum tenorem, ut gratiam præstem, hic ex parte subjicio.

Statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, ut nemo, cujuscumq; ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat... de his Assertionibus controversis in alterutram partem, ita disputare, vel Doctorum authoritate unius partis assertiones confirmare, alterius ve refellere, aut impugnare, vel cujusvis pietatis, aut necessitatis prætextu de his loqui, scribere, vel dictare in posterum attentet, ut ausu temerario eas hæreticas, suspectas, & periculosas esse.., donec authoritate Apost. me-

rè

rè definita fuerint, affirmare præsumat. Quod si quis contra fecerit, sciat se excommunicationis latæ sententiæ pænam (à qua nisi in mortis articulo constitutus à nullo præterquam à Romano Pontifice valeat absolvi) incurrisse.

Quinimo admittunt plurimi hoc tempore viri doctrinâ ac pietate illustres, hunc electionis modum magis esse consentaneum suavitati gubernationis divinæ, quam & ipsæ Scripturæ sæpius explicant ad modum Principis omnes ad cursum invitantis, & victoribus præmia proponentis, quem sanè magis decet ante cursum certos victores non definire, sed expectare victoriam antequam designet victores etiamsi forte pro summa sua potestate possit ille Princeps aliter procedere. Ac præ ceteris huic doctrinæ pondus adjicit non leve suffragium illustre viri sanctitate & doctrinâ illustrissimi S. Francisci Salesii, qui in Epistola ad P. Lessium, cujus authographum servamus, hanc sententiam vocat antiquitate, suavitate, & Scripturarum authoritate nobilissimam, *quam*, inquit, *semper ut Dei misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, & amabiliorem existimavi.*

§. 3.

Rejicitur eadem Electio ut est conjuncta cum Reprobatione non electorum.

DUplex statuitur, ut diximus, reprobatio, una negativa, sive non prædestinatio, altera quæ sit positiva exclusio à gloria æterna. Suarez reprobationem negativam, quam sustinet, statuit in actu positivo, quo Deus voluerit aliquos non eligere ad gloriam, sic ut ipsa omissio fuerit objectum divinæ voluntatis, & hanc statuit ante prævisa demerita. Positivam vocat, decretum excludendi à regno, & addicendi pænis. Thomistæ multi ante peccatum prævisum ponunt positivam exclusionem à regno cælesti.

Contra hanc sententiam sic argumentor: Sicut electio absoluta ad gloriam est virtuale decretum procurandi media salutis; ita absoluta & antecedens exclusio à gloria est virtualis intentio quærendi media, per quæ aliquis à salute excludatur. Atqui illa media sunt peccata: Ergo Deus determinatur ad procuranda peccata illis quos rejicit, & seligendum gratias incongruas, eâ intentione ut essent inefficaces, ne contingat ipsius decretum frustrari, si aliquis forte non electus irreperet in numerum electorum.

Suarez hæc incommoda evitare conatur, asserendo reprobationem suam negativam non esse contrariam voluntati antecedenti ex parte sua salvandi omnes, sed opponi voluntati absolutæ salvandi

aliquos

aliquos, quos vult tantum relinquere communi providentiæ gratiæ, & non affici erga illos particulari illo affectu quo prosequitur electos.

Sed contra: Quomodocumque explicet suam negativam reprobationem, sequitur ex ea absoluta impossibilitas perveniendi ad salutem. Nam ipse Suarez hic *lib. 4. cap. ult. n. 8.* dicit non esse in potestate hominis cum reprobatione negativa actu ponere salutem æternam; atqui nec in ejus potestate ut non fuerit reprobatio, quia nulla datur ejus causa ex parte hominis, ut fatetur *ibidem cap. 5.* Ergo absolutè non subest potestati hominis obtinere salutem. Neque hic locus est sensui composito aut necessitati consequenti: quia ut dixi, antecedens illud unde sequitur impotentia salutis, scilicet reprobatio, nunquam fuit in potestate hominis; quando autem antecedens unde sequitur consequens non est absolutè in potestate, nec consequens esse potest; quo argumento Suarez ipse urget Thomistas in physica prædeterminatione. Unde ulterius tam parum intelligi videtur in hac, quam in priori sententia, quomodo Deus ex parte sua cupiat omnes salvos fieri. Neque ad levandam difficultatem quidquam hic juvat scientia conditionalium, sed potius eam aggravat. Quod enim Deus sciat, si negem talem gratiam Petro, labetur in peccatum, facit tantum ut Deus ex vi decreti non eligendi, fiat jam quasi certior de numero non electorum, cum sciat quas gratias negare debeat, ne illi quos non elegit ad salutem perveniant. Suarez enim *cap. 7.* circa finem, fatetur hanc causalem esse veram: Deus permittit hunc peccare, & negat auxilium quod novit congruum, quia non elegit eum ad gloriam. Ergo scientia conditionalium tantum servit ad neganda auxilia congrua, ad quod determinatur Deus ex vi decreti quosdam non eligendi. Itaque ex hactenus dictis colligitur hæc conclusio. Electio ad gloriam & reprobatio ab illa, neque fit ante merita vel demerita absolutè prævisa, nec simul, sine respectu ad ordinem actuum divinorum. Ergo necesse est illam fieri post merita absolutè prævisa, modo hactenus explicato.

CONTROVERSIA QUARTA.

De Gratia Divina.

INter Doctores Catholicos etiam hoc tempore variæ, gravissimæque controversiæ agitantur de gratiæ divinæ virtute, necessitate, sufficientia, efficacia &c. Horum dogmata inter se non parum

parum diffidentia necesse est à damnatis Hæreticorum erroribus accuratè discernere, & singulorum opinionum Authores ac fundamenta cognoscere, ne contingat divini Verbi ministros, dum aut orthodoxos docent, aut heterhodoxos oppugnant, aliquid de his imperitè pronunciare.

Fuerunt hæ de gratiâ præsertim sufficienti & efficaci controversiæ inter celeberrimas quæstiones coram Summis Pontificibus Romæ disputatas circa annum 1606. in Articulo 7. & 8. quæ quindecim propositiones summâ Disputantium contentione eventilatas continebant. Fuerunt & de his instauratæ lites Bajanæ, aliæque cum his concatenatæ. Nec desunt de iisdem hodie acerrima plurimum Scholarum certamina, quæ in decursu distinctius proferentur.

§. I.

Quid sit, & quotuplex Gratia Actualis, & quales de ea errores Pelagii, &c.

GRatia actualis rectè dicitur, donum naturæ indebitum peculiariter conferens ad beatitudinem supernaturalem. Hæc est communis doctrina Theologorum, quamvis aliter nonnihil sensisse Bajum infra patebit. Desumitur illa notio gratiæ ex Apostolo ad Romanos cap. 11. *Si gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* Et confirmatur ratione: Quia sicut ipsa beatitudo, sive clara Dei visio, est donum naturæ indebitum, ita necesse est ut gratia, quæ ad eam obtinendam naturæ impotentiam sublevat, sit singulare donum quod naturæ vires excedit.

Dividitur hæc gratia in operantem, cooperantem, excitantem, adjuvantem, prout vario modo concurrit ad actum voluntatis creatæ. Item in gratiam sufficientem, & efficacem, quæ infra exponentur.

Circa annum Christi quadringentesimum emersit Pelagius, qui professione dicitur monachus, & natione Scotus. Is tempore S. Augustini acerrimus Gratiæ impugnator fuit: contra illum strenuè dimicavit idem Augustinus, fueruntque ejus errores damnati à Concilio Arausicano, variisque Pontificibus.

Docuit Pelagius primò, nullum dari peccatum originale, & infantes esse in eo statu quo fuit Adamus ante prævaricationem, quem voluit nihil nocuisse posteris, nisi solo peccandi exemplo.

Secundò, Infantes non Baptizatos habituros vitam, & fælicitatem quandam æternam, sed in regnum cœlorum non admittendos.

Tertiò,

Tertiò, Homines posse per solas vires naturæ legem DEI implere, & cognitis præceptis, sine adjutorio gratiæ Salvatoris ad eam perfectionem pervenire, ut non sit necessarium dicere; *Dimitte nobis debita nostra.*

Postquam hæc pestifera hæresis ab Ecclesia reprobata est, non ita potuit penitus aboleri, quin aliquæ ex ea Reliquiæ subtiliori veneno plurimos inficerent, & hi dicti sunt Semipelagiani.

Itaque Semipelagiani, admisso peccato originali, & imbecillitate naturæ quæ integra fuerat in Adamo, docuerunt aliquam gratiam Christi ad salutem esse necessariam, sed eam subesse voluntatis nostræ arbitrio, eo quod per initium viribus naturæ credendi, quærendi &c. eam possimus obtinere. Et probabilius est eos hanc gratiam intellexisse non tantum de illuminatione supernaturali intellectus, sed etiam de corroboratione voluntatis. De his S. Augustinus *lib. de grat. & lib arbit. cap. 14.* sic loquitur, ut asserat convictos esse illos Inflatores liberi arbitrii, quod Gratia divina non tantum sit Dei scientia, & natura; sed faciat ut lex implentur, & istos ad hoc se convertere, quod gratia secundum merita nostra detur.

Docuerunt secundò, Multis prædicari Evangelium merè ob conditionatè præcognitam bonam eorum voluntatem; quin & infantes aliquos ideo obtinere Baptismum, alios vero Baptismo destitui, quia nempe præcognovit Deus si viverent rectè usuros bona voluntate, atque ita habituros ex se initium credendi, alios verò non rectè usuros, ideoque cœlo exclusos. Patent hæc ex Epist. Prosperi ad S. Augustinum, ubi ita concludit: *Novo absurditatis genere, & non agenda præscita sunt, & præscita non acta.* Quod nempe infantes dicerentur præsciri meritoriè acturi ex viribus naturæ, cum tamen sine gratia nemo possit meritoriè operari, nec infantes illi, unquam fuerint actu operaturi.

Docuerunt tertiò, Perseverantiam in bonis operibus & justitia, ac tandem electionem ad gloriam, maximè fundari in viribus naturæ: credebant enim Perseverantiam non esse peculiare donum gratiæ, sed hominem per vires naturæ persistendo in fide & desiderio salutis, posse illam promereri, ac ipsam prædestinationem ad gloriam, quam nolebant à peculiari DEI beneplacito dependere, ne alias foret acceptor personarum. Ita habet Epist. Hilarii ad Augustinum, & ipse August. *lib. de dono persev. cap. 17.* Neque refert quod Semipelagiani, ad perseverandum in adimplendis præceptis, DEI gratiam requirerent, quia eam volebant dependere à naturali permanentia in fide, & desiderio salutis tanquam merito. Et hoc tantum sensu sæpe damnatum est,

gratiam ancillari voluntati eam subsequi; non autem prævenire &c. Quæ omnia solerter annotanda, ut natura gratiæ, & doctrina Catholica ritè percipiatur.

Ubi ad extremum adverte, modernos Sectarios hos quidem errores aversari, sed insipientium more in altero extremo, soli gratiæ omnia attribuendo, in gravissimas hæreses prolabi: dum docent cum Calvino. Quidquid fit sine gratia multis modis contaminari: gratiam non consistere cum libertate à necessitate, sed tantum cum libertate à coactione: neminem à salute excidere posse post acceptam gratiam conversionis, & alia errorum monstra, quæ in controversiis de gratia & prædestinatione supra notavimus.

§. 2.

An possibile sit hominem condi in statu puræ naturæ absq; dono supernaturali gratiæ.

STatus puræ naturæ est, in quo homo tantum sortiatur perfectiones naturæ debitas, & ordinetur ad beatitudinem naturalem distinctam à clara Dei visione. Hunc statum prorsus impossibilem esse, post Bajum, ita defendit Jansenius Iprensis *lib.* 1. *&* 2. *de statu puræ nat.* ut possibilitatis istius assertores proclamet reos esse Pelagianismi, doctrinæ Augustinianæ corruptores, & divinæ justitiæ ac providentiæ eversores. Unde ulterius docet, sine justitia, & bona voluntate creaturam rationalem à DEO condi non posse; neque creaturæ innocenti sine justitia beatitudinem supernaturalem negari, neque posse morti ac miseriis obnoxiam relinqui. Ex quibus apertè sequitur gratiam divinam non esse donum naturæ indebitum.

At contra, omnino dicendum est, possibilem esse statum puræ naturæ. Estque hæc communis Theologorum doctrina cum D. Thoma 1. *part. quæst* 59. *art.* 1. & alibi frequenter. Consentit Scotus in 2. *dist.* 28. *quæst. unica.* Nominales, aliique Doctores, ac Patres; qui ex illo ad Roman. 3. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, deducunt gratiam actualem, ac veram justitiam esse singulare donum nobis indebitum; ergo natura non potest illam gratiam, quæ ad justitiam & charitatem ordinatur, ita sibi vindicare, ut non possit sine illa creari. Idque confirmatur ex S. August. tum alibi, tum *lib.* 3. *contra Maximum cap.* 15: „ *Homo ad Dei similitudinem factus, non est verus filius, & ideo fit* „ *gratiâ filius quia non est natura.*

Proba-

Probatur 2. ex Decreto trium Pontificum contra Michaelis Baji propositionem 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio:* Et Prop. 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.* Ergo ex sensu Ecclesiæ doctrinæ Bajanæ opposito, potuit homo ab initio creari qualis nunc nascitur absque sanctitate, & dono integritatis; qui esset status puræ naturæ. Et verò ratio ipsa docet, dona quibus constituitur status innocentiæ, neque esse proprietates naturæ humanæ per se spectatæ neque ea ex merito illi deberi, cum hominis creatio nullum meritum præsupponat, ac proinde nihil obesse quo minus possit in statu puræ naturæ donis illis orbata creari, obnoxia concupiscentiæ, & morti, & miseriis statum hominis naturalem consequentibus; munienda tamen fuisset tunc natura humana præsidiis ordinis naturalis, quibus possit peccata evitare.

Objicies primò: S. Augustinus *lib. 3. de peccat. meritis cap. ult.* & passim in Opere imperfecto & alibi, agens contra Pelagianos urget, frustra baptizari infantes, quia innocentiæ naturali annexa est sanctitas & gratia. Hoc verò argumentum nullius foret roboris, si possibilis esset status puræ naturæ.

Respondeo primò, hoc argmento nimium probari: inde enim sequeretur quod Augustinus plus attribuerit naturæ secundum se, quam ipse Pelagius: quia hic negabat naturæ parvulorum etiam innocenti debitam esse adoptionem in filios DEI, ad veram sanctitatem, & gloriam, ideoque in ordine ad hæc dona obtinenda asserebat Baptismum esse necessarium: quod si S. Augunus vellet dona ista sic debita esse naturæ, ut non possit sine illis creari, in efferenda natura longè Pelagium antecederet, quod nemo admiserit.

Respondeo igitur secundò, dum asserit S. Augustinus, si abesset originale, innocentiæ naturali annexam fore sanctitatem & gratiam; illum procedere ex suppositione providentiæ supernaturalis jam à DEO constitutæ, & promissæ de justitia infundenda ubi non esset obex peccati. Cum enim eo nunc supposito non detur status medius inter statum justitiæ & peccati, rectè argui contra Pelagianos, si dicant infantes esse sine peccato originali, illos esse in statu justitiæ, adeoque frustra baptizari ad justitiam obtinendam, aut peccatum expiandum. Hoc itaque dictum S. Augustini juxta præsentem rerum statum, nihil facit contra statum puræ naturæ possibilem.

Objicies Secundò: S. Augustinus *lib. de Spiritu & littera cap. 27.* contendit hominem naturaliter esse Dei imaginem, & statum

„ gratiæ illi esse naturalem &c. *Hoc*, inquit, *agit Spiritus gratia*
„ *ut imaginem DEI, in qua naturaliter facti sumus, in nobis restau-*
„ *ret*: Et *lib* 3. *de libero arbit. cap.* 18. ait *errare, torqueri &c. non est*
„ *natura instituti hominis, sed pœna damnati*. Ergo status innocentiæ fuit Adamo naturaliter debitus, adeoque status puræ naturæ impossibilis.

Respondeo neg. consequentiam. Sed ideo tantum tradit nos in imagine DEI naturaliter conditos, quia ipsa natura secundum se considerata, est quædam DEI imago, & multò magis prout fuit in Adamo cum Sanctitate de facto creata. Hoc igitur modo rectè dicitur, quod errare, aut torqueri, non sit secundum naturam instituti hominis, prout scilicet cum singularibus DEI donis de facto condita fuit. Hinc, *naturaliter*, non sumitur ibi prout opponitur statui supernaturali, sed illi qui est contra naturam, & morales defectus qui eam comitantur. Et hac ratione solvuntur dicta quædam aliorum Patrum, dum asserunt dignitatem illam Adamo fuisse naturalem; tantum enim volunt eam fuisse Adamo concreatam, sicut dicimus illum naturalem esse hæredem coronæ, cui contingit nasci cum jure ad regni coronam, quamvis absolutè sine isto jure nasci potuerit.

CONTROVERSIA QUINTA.

An, & qualis detur Gratia Sufficiens.

§. I.

Exponitur status Controversiæ.

GRatia sufficiens sumi potest prout opponitur insufficienti, quæ ad certum effectum v. g. ad amorem Dei nec proximè, nec remotè sufficit. Gratia verò sufficiens huic opposita talis est, ut possit vel proximè, vel remotè certum actum v. g. DEI amorem inferre; proximè quidem, si præter eam alia gratia non requiratur; remote verò si non sufficiat per se ad amorem eliciendum, possit tamen sufficere ad actum fidei, vel alium, per quem obtinebitur gratia ulterior ad DEI amorem requisita.

Sed communius Gratia sufficiens accipitur pro ea, quæ opponitur gratiæ efficaci, estque talis ut possit voluntas cum ea exercere actum ad quem conceditur, de facto tamen eam non exercet, & hæc dicitur gratia merè sufficiens; nam gratia efficax non tantum est sufficiens, sed etiam semper cum actu connexa.

De

De gratia ergo merè sufficienti hic quærimus, an jam in statu naturæ lapsæ talis detur, quæ effectum suum non sortitur? Negat primò Calvinus *lib. 2. instit. cap.* 3. afferens omnem gratiam internam esse seriam, & efficacem, dari tamen vocationem externam aliquando inefficacem, cui dum voluntas non obtemperat peccatum admittit; tametsi ad obtemperandum gratiâ internâ destituatur.

Secundò, docet Jansenius *lib. 3. de gratia Christi cap.* 1. etsi data fuerit Adamo, & Angelis, nullam tamen jam in statu naturæ lapsæ concedi gratiam sufficientem quin simul sit efficax v. g. nunquam dari gratiam, proximè sufficientem ad amandum Deum, quin amor ille à voluntate eliciatur. Hinc istam gratiam vocat perniciosam, inutilem lapsorum reparationi, & monstrum quoddam singulare gratiæ, novumque genus Augustino, Patribus, & D. Thomæ incognitum; & à Pelagianis excogitatum. Asserit quoque secum sentire Alvarez, Zumel, & alios Thomistas. Certum verò est illos in terminis docere dari de facto gratiam verè sufficientem; & omnino conari ut eam componant cum physica prædeterminatione; quam ajunt ad omnes actus requiri.

§. 2.

Admittenda est Gratia merè Sufficiens.

PRobatur primò ex Scripturis; *Matthæi* 11. *Si in Tyro, & Sidone „ facta fuissent virtutes quæ in vobis, pridem in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Ubi Christus exprobrat Judæis quod non fuerint conversi ad pœnitentiam cum illa gratia, cum qua Tyrii & Sidonii, si eam habuissent, pœnitentiam egissent; Atqui illa gratia fuit sufficiens ad pœnitendum, cum illa enim Tyrii & Sidonii actum pœnitentiæ elicuissent si iis concessa fuisset. Ergo illa talis est ut potuerit in Judæis effectum habere, quem tamen sortita non fuit; aliàs contra eos iniqua fuisset Christi exprobratio; sic cum ea gratiâ actum pœnitentiæ elicere non potuissent.

Sed, inquies, S. Augustinus *lib. 2. de dono persever. cap.* 14. de Tyriis & Sidoniis pronunciat: *Quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum.* Respondeo S. Augustinum tantum negare Tyriis datam esse gratiam quam Deus prævidit fore efficacem, sive quâ erant actu credituri; non negat autem datam esse aliquam sufficientem: neque ait

credituros non fuisse si habuissent gratiam Judæis concessam, cum Christus credituros disertè affirmet.

Eodem spectat illud Proverbiorum *cap. 1. Vocavi & renuistis.* Et ad *Rom. 2. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & benignitatis contemnitis?* Atque alia non minus manifesta Scripturarum oracula, quæ toties inculcant, peccantibus dari gratiam cum qua poterant rectè operari, nisi illam propriæ voluntatis arbitrio cassam, & infructuosam reddidissent.

His conformia sunt Conciliorum decreta, ac novissimè Tridentini, *Sess. 6. cap. 11.* ubi dum docet, justos posse per Christum piè vivere, & proficere, subdit rationem. *DEUS enim semel justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur:* Et *c. 3.* docet justificatos in DEI auxilio firmissimam spem collocare debere, *Deus enim,* inquit, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut capit opus bonum, ita perficiet.* In quibus Concilium apertè supponit justis præberi gratiam sufficientem, & defectum bonæ operationis in nostra tantum voluntate residere.

Subscribit disertè S. Augustinus tum sæpe alibi, *tum l. 80. trium quæstionum q. 68. Nec illi,* inquit, *qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera potestate.* Idem exprimit *lib. 1. ad Simplicianum q. 2.* Idem fusius urget *tract. 53. in Iohannem* ubi docet, Deum impertiri potestatem ut possimus filii Dei fieri per gratiam, hominem vero per liberum arbitrium gratiæ obluctari.

Postremò, veritas hujus doctrinæ invictè probatur, ex eo quod inter quinque propositones Jansenii, hæc ut hæretica damnatur: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Hæc enim propositio in sensu authoris asserit, gratiam semper habere omnem effectum quem hic & nunc obtinere potest, & ad quem à DEO conceditur; licet non causet effectum ad quem actu non datur, aut quem in aliis circumstantiis obtiniisset. Itaque ex damnatione prædictæ propositionis in sensu authoris, satis liquet definitum esse, interiori gratiæ aliquando resisti, sive eam non habere effectum quem hic & nunc obtinere potest, & ad quem conceditur; atque adeo dari gratiam merè sufficientem: non enim rectè dicitur resisti gratiæ, nisi frustrando illam effectu ad quem hic & nunc à Deo ordinatur.

Objiciunt Adversarii contra gratiam merè sufficientem, Primò, Hæc gratia sufficiens, est illa gratia *Possibilitatis* à Pelagianis olim asserta, & ab Augustino semper reprobata. Secundò, Gratia sufficiens à natura requiritur ad non peccandum: Ergo est naturæ

naturæ debita : si est debita , ergo non est gratia. Tertiò talis gratia sufficiens nunquam sortitur effectum ; Ergo est aliquod inutile & monstrosum genus gratiæ ; qualis esset medicina quæ nulli unquam prodesset. Ut hæc, & his affinia breviter dissolvantur.

Respondeo ad primum, Duplicem dari possibilitatem bene operandi, aliam fundatam in solis viribus naturæ, quam in Pelagianis Augustinus constanter oppugnabat *lib. de natura & gratia Cap.* 11. *& alibi.* Alia est possibilitas quæ tantum habetur in natura per gratiam adjuta, & hæc includit gratiam sufficientem quâ natura fit potens ut rectè operetur, etiam pro eo tempore, quo negligit gratiæ cooperari: & hanc disertè tuetur Augustinus eodem *lib. de nat. & grat. cap.* 43.

Ad secundum, Negatur ultima consequentia: Sic homini justo debetur gloria hæc tamen vera est gratia. Quia igitur gratia sufficiens debetur naturæ, non prout est in se sed tantum naturæ supernaturaliter elevatæ, hinc vera est gratia, & natura secundum se spectatæ omnino indebita.

Ad tertium, Neganda est etiam consequentia: Fatentur enim adversarii gratiam purè sufficientem in Angelis non fuisse monstrosam, etsi eorum vitio non fuerit sortiata effectum : idem ergo de nostra admittendum est, quia quantum est ex parte, & virtute gratiæ, potest sequi effectus, & de facto alia gratia huic omnino similis actum bonum aliquando operatur. Monstrosa igitur tantum esset illa medicina , aut gratia , vi cujus nullus absolutè curari, aut juvari possit. Plura de hujus gratiæ natura, necessitate, distinctione à gratia efficaci , ex dicendis magis elucescent.

§. 3.

An detur Gratia sufficiens omnibus, etiam obduratis, excæcatis, & facientibus quod in se est viribus naturæ?

DE his quæstionibus variæ sunt Doctorum etiam Catholicorum sententiæ. Negat Ariminensis, contra communiorem, dari gratiam sufficientem Infidelibus quibus Christus non innotuit, quales erant Philosophi gentiles, Plato, Aristoteles, &c. Quoad obduratos, Bellarminus, Suarez, Ripalda, Herice, &c. asserunt hanc gratiam etiam concedi obduratis, & excæcatis. Infantibus sine Baptismo morientibus non tribui sufficientia reme-

media ad salutem docet Ariminensis, Sotus, Vasquez, & quidam alii: affirmat Suarez, Lessius, Herice, & alii plures. Pro harum quæstionum resolutione.

Dico primò, Datur omnibus auxilium aliquod sufficiens saltem ad non peccandum, dum actum peccaminosum formaliter exercent. Hæc thesis certa, contra Calvinum, ac Lutherum; nec non adversus Jansenium *lib. 3. de gratia Christi cap. 13.* qui id negat de infidelibus, obcæcatis, pluribus Judæis, & aliquibus justis.

Probatur, Quia si homo, dum formaliter peccat, careret omni auxilio sufficienti tam ordinis naturalis, quam supernaturalis ad non peccandum, Deus præciperet illi rem impossibilem, nempe servare præcepta quæ nequeunt sine gratia sufficienti impleri. „ Atqui hoc repugnat Tridentino *sess. 6. cap. 11. Deus impossibilia* „ *non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod* „ *non possis, & adjuvat ut possis.* Hinc damnata est Baii *Prop.* „ *64. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* De hac doctrina, quam ipsum rationis dictamen adversari videtur, plura diximus supra *part. 1. tract. 2.* contra propositionem primam ex 5. damnatis.

Dico secundò. Nulli adulto, etiam obdurato, aut excæcato, statuit Deus denegare gratiam sufficientem ad conversionem, & salutem; sed paratus est eam omnibus dare, si vel ipsi, vel alii ponerent eas circumstantias, in quibus solet Deus gratiam præbere, quales sunt prædicatio Evangelii, exempla majorum, &c. Ita cum D. Thoma docet Alensis, Sotus, Vega aliique: Contra Medinam, Rossensem, & quosdam alios, qui volunt Deum statuisse quibusdam, ob enormia peccata, conversionis gratiam negare; sicut poterat illis in eo statu sine spe veniæ vitam auferre.

Probatur nostra assertio. Quia Deus in Scripturis passim, & sine exceptione invitat omnes peccatores ad pœnitentiam; ut *Ezechielis 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Et *2. Petri cap. 2. Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti.* Et de ipsis etiam in scelere obduratis id indicat Apostolus ad *Rom. 2.* asserens: *Divitias bonitatis DEI concedi iis, qui secundum duritiem, & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ.* Non esset satis sincera ista omnium invitatio, si Deus positivè decrevisset quibusdam gratiam ad pœnitendum sufficientem denegare. Hinc Concil. Senonense in decreto fidei *cap. 15. Deus*, inquit, *semper in promptu est, & nec momentum præterit in quo non stet ad ostium & pulset.*

Nec refert quod Deus quovis instanti possit justè peccatorem, sine

ſine ſpe pœnitentiæ, ad barathrum deturbare. Quia quamdiu vult illum relinquere viatorem, & præceptis ſubjicere, ſtatuit etiam illi dare auxilia ſufficientia, ut poſſit reconciliari; aliàs ad hoc tantum viveret ut ſine ſpe ſalutis poſſit ſibi peccata, & pœnas accumulare, in quo eſſet ipſis damnatis infelicior.

Objicies primò, Varia Scripturæ loca, in quibus dicuntur quidam eſſe à DEO excæcati, & obdurati, & dati in reprobum ſenſum, nec poſſe credere, aut ſanari. Quo modo ſæpe etiam loquitur Auguſtinus, ideoque aſſerit Pharaoni obdurato peccatum non imputari.

Reſpondeo, hæc intelligenda de excæcatione, & obduratione tantum permiſſiva, & impoſſibilitate morali converſionis. Deus enim permittit aliquando magnos peccatores obdurari, & perire, non negando illis adjutorium ſufficiens, ſed ſubtrahendo ſpeciale auxilium cum quo prævidet ad pœnitentiam movendos ſi illo inſtructi fuiſſent: item permittendo aliquas peccandi occaſiones, ac tentationes iis obvenire, cum quibus difficillima redditur eorum converſio ſine majori gratia, quâ ſe indignos reddiderunt. Et de hac majori, & efficaci gratia, non verò de ſufficienti, intelligendus eſt S. Auguſtinus, aliique, dum aliquando aſſerunt induratos gratiâ deſtitui.

Objicies ſecundò, Status obdurationis in peccato opponitur ſtatui confirmationis in gratia. Atqui ſic confirmati nequeunt peccare. Ergo conſentaneum eſt ut obdurari defectu gratiæ nequeant converti.

Reſpondeo, diſſimulato antecedente, negando conſequentiam: facilius enim DEUS concedit favorem compatibilem cum libera tendentia ad gloriam, quàm infligat pœnam cum illa tendentia non conſiſtentem. Satis itaque ſtatui confirmationis opponitur ſtatus obdurationis, per moralem impotentiam converſionis, quâ obdurati à ſpe gloriæ multum removentur, etſi non penitus excludantur.

Objicies tertiò, Peccatores multi in pœnam peccati admiſſi, à Deo ſubita morte puniuntur: imo aliquando inflagranti delicto dum peccant è vita abripiuntur. Atqui non apparet quomodo tunc paratus ſit Deus his largiri ſufficientem gratiam quâ poſſint converti: Ergo ea aliquibus negatur.

Reſpondeo negando minorem. Nam cum iſtiusmodi obitu repentino bene conſiſtit, quod Deus ex parte ſua fuerit paratus ſuppeditare gratiam, ſi pœnitendi occaſio occurriſſet, v. g. ſi aliquis peccatorem ante mortem admonuiſſet, aut ipſe de peri-

culo mortis cogitasset priusquam ipso peccandi exercitio se constituit in illo statu, cum quo usus gratiæ non consistit. Non enim dicimus quemlibet omni momento, dum dormit aut nulla incidit salutaris cogitatio, gratiam proximè sufficientem in promptu habere, sed dum adest præsens occasio se determinandi ad bene, aut malè agendum.

Extendi potest hæc doctrina ad Infantes sine Baptismo extinctos, quibus DEUS quantum est ex parte sua, prospectum cupit de Baptismo tanquam remedio ad salutem sufficienti. Asserit enim Apostolus 1. *ad Timoth*. 2. DEUM velle omnes homines salvos fieri: & merita Christi ex parte sua, & in actu primo tam latè se extendere ad omnes salvandos, quam peccati Adami ad omnes perdendos. Et quamvis non rarò eveniat aliquos infantes interire absque Baptismo, id per accidens contingit, ex eo quod eorum parentes ad ea loca se contulerint, aut causas naturales aliqui liberè posuerint, ex quibus infantes in lucem edi, aut certè Baptismus illis applicari non potuerit; quorum libertatem ob alias causas contra cursum communem naturæ Deus impedire noluit. Quod non officit sinceræ voluntati quâ Deus ex parte sua media infantibus ad salutem necessaria præparavit, quæ hominibus ordinario modo applicanda commisit; sicuti sincerè cupit pauperi subvenire, qui eleemosynam famulo distribuendam tradit, licet hic pro sua libertate aliquibus eam elargiri prætermittat.

Dico tertiò, Probabile est, homini facienti quod in se est viribus naturæ Deum non denegare gratiam primam, quâ possit credere, & salutem operari: modò per hoc non intelligas, operibus ex viribus solius naturæ factis per modum positivæ dispositionis, aut meriti, gratiam primam infallibiliter annexam esse, sed ex solo beneplacito DEI, decernentis omnibus obicem non ponentibus suam gratiam præbere. Est communior sententia Theologorum apud Suarez. 1. *part*. *l*. 2. *de prædest. cap*. 18. quam etiam docuerunt nonnulli Thomistæ, quamvis eam censuret Alvarez *de auxiliis disp*. 56. *n*. 21. & alios habeat adversarios.

Ratio præcipua est, quod id videatur congruum divinæ benignitati; quæ omnibus universim præparavit gratiam sufficientem, ut eam infallibiliter conferat singulis non ponentibus obicem. Cum enim Deus sæpe non degenet auxilia sua gentilibus, qui per continuata peccata se præbent positivè indignos isto beneficio, congruum est, ut eam gratiam iis conferat qui observando legem naturæ removent illud gratiæ impedimentum, & saltem se reddunt physicè capaces, ut commune illud DEI beneficium ad se

exten-

extendatur: atque ita non desit ex parte Dei illustratio & auxilium supernaturale, quo saltem possint ad salutarem Dei notitiam, & inde ad salutem pervenire.

Dices, Huic doctrinæ repugnat Concil. Arausicanum damnans Semipelagianos, quod assererent initium fidei esse ex nobis, sive ex bonis operibus viribus naturæ factis, quibus ad gratiam fidei percipiendam disponimur.

Respondeo, hanc doctrinam toto cœlo à Semipelagianis distare. Docebant illi primò, nos per merita naturalia absolutè promereri primam gratiam ad credendum; hæc verò sententia id omnino pernegat, & gratiam, naturæ legem servantibus conferendam, non refundit in merita istorum operum, sed in meram Dei benignitatem. Secundò, asserebant Semipelagiani, solis habentibus merita naturalia lege ordinariâ à DEO gratiam & quidem efficacem conferri, quod hæc opinio penitus abhorret. Unde perperam docebant illi, propter hujusmodi merita etiam conditionata infantes baptizari, & alios ob eorum defectum Baptismi beneficio privari. Hæc igitur doctrina nullo istorum errore inficitur; nec aliud apparet quo minus possit inter opiniones in Scholis probabiles meritò reputari.

CONTROVERSIA SEXTA.

De viribus Naturæ sine adjutorio Gratiæ divinæ.

§. I.

Quid possit homo præstare absque Gratia in servanda lege naturæ, & tentatione superanda?

DIco breviter primò: In natura lapsa sine gratia datur potentia physica servandi collectivè totam legem naturæ. Ita docent Ariaga, & plures alii. Quia etiam sepositâ gratiâ homo peccabit si violet legem naturæ. Atqui potentia peccandi includit potentiam saltem physicam non peccandi, nemo enim potest peccare in eo quod physicè nequit vitare.

Dico secundò, Homo tamen lapsus habet necessitatem moralem saltem ex parte violandi legem naturæ, si longo tempore ei desit gratia. Hæc est communis doctrina Theologorum, adeo ut opposita censeatur errori proxima.

Ratio desumitur ex eo, quod Concilia & Patres in illud

Apoſtoli ad *Rom. 7. Infœlix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? gratia DEI per Ieſum Chriſtum*; doceant obſervationem legis ſine gratia eſſe moraliter impoſſibilem, propter infirmitatem carnis , & vim concupiſcentiæ : quibus denotatur neceſſitas quædam antecedens , ſita in peculiari difficultate honeſtè operandi, ſepoſito adjutorio gratiæ : quia ſenſibilia vehementer apprehendimus, & concupiſcentia ad hanc apprehenſionem naturaliter inſurgens, voluntatem ad objecta inhoneſta vehementer inclinat, ideoque redditur moraliter impotens ad legem longo tempore obſervandam ; cum neceſſe ſit intra longum temporis ſpatium frequenter occurrere tentationes legis obſervationi contrarias. Sicut in magna multitudine hominum, etſi poſſibile ſit phyſice omnes ſilere, moraliter tamen neceſſarium eſt aliquem fore qui loquatur. Colligitur eadem doctrina ex Concil. Milevitano *Can. 5.* & Tridentino *Seſſ. 6. c 13.*

Dico tertio : Datur in homine lapſo moralis poſſibilitas ſervandi dictam legem exiguo tempore absque gratia. Eſt communis Doctorum.

Quia pro exiguo tempore poteſt deeſſe illa moralis difficultas, quam in ſuperiori aſſertione expoſuimus ; abſente autem ſingulari difficultate , nos poſſe honeſtè operari, adeoque legem ſervare, admittunt paſſim Doctores cum S. Chryſoſt. in 1. *ad Corinth. cap. 11.* & S. Anſelmo in *dial. de libero arbit. cap. 5. & 6.*

Dico quarto : Homo in hoc ſtatu nequit gravem tentationem ſine gratia ſuperare. Eſt communior, contra aliquos Authores Catholicos.

Et probatur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Ex quo loco docet Chryſoſt. dari aliquas tentationes quæ non poſſint à nobis viribus naturæ ſuperari, cum eas opponat Apoſtolus tentationi humanæ, ſive levi, quæ à nobis vinci poteſt. Et Proſper *lib. contra Collatorem cap. 35* invehitur in Caſſianum, quod dixerit à Jobo tentationem gravem viribus naturæ ſuperatam fuiſſe.

Hinc dicendum à fortiori, omnes tentationes collectivè ſine gratia ſuperari non poſſe. Et quamvis nonnulli contrarium contendant, id tamen temerarium eſſe cenſet Suarez hic *lib. 1. c 26.*

Dices, poteſt quis ex fine pravo inanis gloriæ mortem tolerare; ergo idem poteſt ex fine honeſto ſine gratia, non obſtante rei difficultate.

Reſpondeo negando conſequentiam. Quia finis pravus tollit aut minuit difficultatem operandi , propter vehementem ſenſibilis bonitatis apprehenſionem : finis verò honeſtus , quia languidè

guidè apprehenditur, relinquit totam tentationis difficultatem prædominari.

Dico quinto: Potest modo ab homine sine gratia vinci levis, aut mediocris tentatio. Ita docet Amicus, aliique communiter contra Vasquez, & Meratium, qui semper ad victoriam tentationis gratiam aliquam requirunt.

Ratio desumitur ex eo, quod aliqualis difficultas oppositæ tentationis non impediat, quin objecti honestas possit efficaciter apprehendi, atque ita connaturali modo placere ut voluntas illi adhæreat. Et sicut experimur opus non esse auxilio gratiæ ut quis resistat alteri gratiæ fortiter ac suaviter ad bonum inclinanti; ita etiam non est cur aliqualis difficultas concupiscentiæ impellentis ad actionem in honestam, per vires naturæ nequeat superari.

„ Adde proscriptam esse Baji propositionem 29. *Non solum fures*
„ *ii sunt & latrones qui Christum viam veritatis & vitæ negant;*
„ *sed etiam qui dicunt tentationi ulli, sine gratia ejus adiutorio, homi-*
„ *nem posse resistere.*

Quæ nostræ assertioni ab aliis opponuntur, tantum probant requiri gratiam ad quamlibet tentationis victoriam, ut hæc sit meritoria præmii supernaturalis: aut ut contra leves etiam tentationes victoria continua obtineatur, quod lubentes admittimus. Sicut enim absque speciali privilegio nequeunt moraliter vitiari omnia venialia, propter instabilitatem naturæ, & frequentes labendi occasiones, sic etiamlnatura per se non satis est potens, ut collectivè omnibus levium tentationum impulsibus obluctetur.

§. 2.

An homo possit habere aliquos Actus moraliter bonos absque Gratia supernaturali?

Certum est apud Doctores Catholicos, sine adjutorio gratiæ non elici actum bonum, prout conducit ad vitam æternam. Procedit igitur hæc quæstio de actu tantum moraliter honesto, sive laude digno intra ordinem naturæ. Talem actum negat Bajus, ac penitus explodit distinctionem communem actionis honestæ in naturalem & supernaturalem, asserens ad quemlibet actum honestum gratiam supernaturalem esse necessariam.

Sed

Sed contraria sententia necessariò admittenda est. Quod probatur primò; Quia, inter alios, damnarunt Pontifices hunc Baji articulum 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Quia nempe procedunt ab infidelibus gratiâ destitutis. At ex Bajo unum breviter exquiri velim: Si filius infidelis videat suum patrem lapsum in foveam, quid illi agendum ut peccatum non incurrat? Si nolit illi manum porrigere, delinquet certè contra amorem parenti debitum: si illum è fovea extrahat, etiam extrahendo peccabit, quia si Bajo credimus, omnia infidelium opera sunt peccata.

Probatur secundò, Quia concilia videntur supponere nos per vires naturæ posse honestè operari. Tridentinum enim *Sess.* 6. *can.* 2. *negat nos posse credere, pœnitere &c. sicut oportet ad justificationem obtinendam, sine gratia.* Quâ limitatione, *sicut oportet*, satis insinuat nos posse quidem moraliter honestè operari, sed non utiliter ad salutem, per vires naturæ. Cum eâdem limitatione loquitur Concil. Arausicanum *can.* 6. & 7. damnans Semipelagianos, non quod asserent hominem ex se posse honestè operari, sed quod adderent, id posse, sicut oportet ad salutem. Quin & eam gratiæ necessitatem sic restringit Augustinus *lib. de gratia Christi cap.* 27. ubi non asserit illam esse absolutè necessariam ad bene operandum; sed tantum sic, ut sine ea nihil possimus, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam. Eodem modo loquitur *lib. de Prædest. sanct. cap.* 2. & *lib. de bono persev. cap.* 16. & *lib. de grat. & libero arbit. cap* 17.

Neque his obstat primò, quod S. Augustinus aliquando asserat, voluntatem de suo nihil habere nisi peccatum. Vel enim peccatum accipit propriè, & sic verum est soli voluntati humanæ adscribendũ esse peccatum, & illi non esse integrè attribuendum opus moraliter honestum, cum hoc à Deo præcipuè proveniat. Vel sumit peccatum impropriè, pro actu inutili; & aberrante à fine supernaturali, atque ita voluntas de suo tantum habet peccatum sive opera inutilia ad salutem.

Neque obstat secundò, quod S. Augustinus dicat, sepositâ gratiâ, inductam esse, per hoc tantum indicat, totam legem naturæ, propter singularem difficultatem, non posse sine gratia ita integrè servari, quin ea aliquando violetur: non negat tamen eam posse, ex parte, per actus naturaliter honestos impleri.

Neque obstat tertiò, quod idem Augustinus aliquando doceat in Infidelibus veras virtutes non reperiri. Agebat enim contra Pelagianos asserentes viribus naturæ haberi veras virtutes utiles

utiles ad vitam æternam , idque probantes exemplo infidelium : negabat igitur è contra Auguſtinus , infidelibus tales virtutes inesſe, quæ poterant ad ſalutem conferre. Sic enim ſcribit *lib. 4. contra Julianum cap. 3. Abſit in aliquo ſit vera virtus niſi fuerit juſtus ; abſit autem ſit juſtus niſi ex fide :* poſtea ſubdit : *ſi ad conſequendum veram beatitudinem quam nobis fides promittit nihil proſunt homini virtutes, non ſunt veræ virtutes.* Hinc etiam elucet non aliam eſſe mentem S. Auguſtini dum dicit : *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt :* quia, ut ipſe loquitur *lib. de ſpiritu & lit. cap. 27.* Infidelis vix unquam debito fine operatur, & licet ſubinde agat honeſtè, id illi nihil prodeſt moraliter ad ſalutem. Adeoque omne opus hominis infidelis vel eſt propriè peccatum, vel impropriè, conſiderando ejus actionem prout eſt inutilis ad beatitudinem obtinendam. Ex quibus patet nullo fundamento negari opus moraliter honeſtum abſque auxilio gratiæ , modò non aſſeratur, tali operi vim ineſſe meriti , aut illud poſitivè hominem diſponere ad ſalutem, & beatitudinem ſupernaturalem ; quod ex §. ſequenti magis confirmatur.

Ex quibus patet , quàm parum conſiderate nuper quidam Profeſſor publice Scholas illas damnaverit hæreſis Pelagianæ, quæ hanc ſcientiam ſuſtinent. Cum tamen in Bajo diſerte & ſub anathemate proſcripta ſit hæc *prop. 37. Cum Pelagio ſentit , qui boni aliquid naturalis, hoc eſt , quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

§. 3.

An ſolis Naturæ viribus poſſit elici Amor Dei ſuper omnia.

PRocedit hæc controverſia de ſtatu naturæ lapſæ, fruſtra enim aliqui fusè diſputant, an poſſibilis ſit talis amor in ſtatu naturæ integræ: &, an ſine gratia poſſint cognoſci aliquæ veritates ad honeſtam operationem conducentes: nam ex ſola deciſione præſentis quæſtionis utrumque admitti debet.

Dico igitur , homini lapſo poſſibile eſſe ſolis naturæ viribus amare DEUM ſuper omnia , amore naturali tam concupiſcentiæ, quam amicitiæ , qui dum durat affectivè excludat voluntatem DEUM graviter offendendi. Eſt hæc receptiſſima Theologorum ſententia , quam tradit D. Thomas 1. *part. quæſt. 6. art. 3.* & ſæpius alibi : nec non Scotus *in 1. diſt. 17. q. 2.* Occamus quoque, Durandus, aliique docent, DEUM etiam ut eſt author

naturæ

naturæ posse ab homine post lapsum diligi perfecto amore benevolentiæ. Vasquez autem, & aliqui Doctores Catholici, qui videntur aliter loqui, non negant cum Bajo voluntati adesse sufficientiam eliciendi istum amorem sine gratia supernaturali; sed tantum opinantur ad Dei gratiam pertinere cogitationem congruam & efficacem cum qua amor iste actu elicitur, non verò cogitationem inefficacem: neque illi rejiciunt communem divisionem amoris in naturalem, & supernaturalem.

Probatur autem nostra assertio primò, ex damnata propositione Bajana 36. *Amor naturalis qui ex viribus naturæ oritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus.* Ergo nostra assertio huic contraria indubitatis Pontificum decretis roboratur.

Probatur secundò, ex Concil. Arausicano *can.* 25. & Tridentino *Sess. 6. can.* 3. ubi docent, hominem in isto statu non posse amare Deum, sicut oportet ad justitiam: hæc autem limitatio, ut supra dixi, satis ostendit per vires naturæ haberi posse alium Dei amorem, qui ad justitiam & salutem non conducat. Et hanc esse doctrinam S. Augustini, quem sibi frustra vindicat Bajus, patet ex *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 1. *Sicut*, inquit, *cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostendit quod ad naturam oculorum pertinet visus... ita cum vitium creaturæ rationalis dicitur, quod non adhæreat Deo, hinc apertè declaratur ejus naturæ ut Deo adhæreat convenire.* Et *lib. de moribus Ecclesiasticis cap.* 3. docet nos assequi ratione esse rectè vivendum, & Deum sequendo debere beatè vivere; id autem fieri diligendo Deum, quod est primum mandatum ad beatitudinem obtinendam. Sentit ergo S. Augustinus homini naturale esse Deo adhærere per amorem, nempe perfectum, adeòque id esse in potestate naturæ, quæ sepositâ gratiâ, ordinatur ad beatitudinem naturalem. Subscribit Augustino S. Fulgentius *ad Monimum cap.* 18. *Naturæ* inquit, *inesse non posset ullatenus ratio, nisi ei posset inesse Dei dilectio.* Et alii passim Patres, ex eo quod natura rationalis ex se sit imago Dei, inferunt ei competere ut in Deum tendat per dilectionem.

Probatur tertiò ex ratione. Tenemur lege naturali Deum perfectè diligere, neque in natura ostenditur impossibilitas illum ita diligendi: potest enim Deus naturaliter nobis proponi ut infinitè bonus, & amabilis. Ergo neque ratione motivi subest moralis impossibilitas perfecti amoris; neque ex eo, quod Deus debeat omnibus præferri; quia potest per cognitionem

nem perfectam summæ bonitatis appretiari ut omnibus præferendus, & simul abesse omnis tentatio quæ voluntatem avertat, & in creaturas inclinet.

Dices, In hoc statu inest voluntati impossibilitas effectiva, ut tota lex naturalis actu observetur absque adjutorio gratiæ. Ergo ex illa oritur etiam impossibilitas affectiva adhærendi Deo per amorem perfectum, nisi voluntati ad amandum gratia supernaturalis opituletur.

Respondeo neg. consequentiam. Potest enim fieri ut homo actu naturali cognoscat sibi postea ex parte Dei non defutura subsidia necessaria ad totam legem effectivè observandam: ergo eò posito potest affectivè Deo super omnia adhærere. Necessitas enim gratiæ conferendæ, non efficit quo minus voluntas jam ex parte sua perfecto amore in Deum feratur. Sicut necessitas potestatis supernaturalis ad celebrandum, non impedit quo minus jam actu naturali velim efficaciter Sacerdotium, tantum postea conferendum. Quia tamen dictus amor est naturalis, nihil conferens ad justitiam supernaturalem, nec repugnans peccato habituali, neque sufficiens ut occurente difficultate perseveret ad totius legis observantiam, hinc est quod à Patribus, aut Conciliis actibus gratiæ non annumerentur, cum tantum agant de amore ad salutem conducente, qui solet esse supernaturalis.

At, inquies, S. Augustinus sic insinuat amorem castum & perfectum elici ex gratia, ut agens contra Pelagianos sæpius inculcet, ubi non est Spiritus gratiæ, ibi dominari peccatum.

Respondeo, aliud non inculcari ab Augustino, quam gratiam esse necessariam ad actus conducentes ad salutem, & in infidelibus defectu fidei raro dari opus ex omni parte honestum: hinc meritò pronunciat, ubi non est Spiritus gratiæ ibi dominari peccatum, ibi enim censetur peccatum dominatum obtinere, ubi opera honesta rarius exercentur.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

De Gratia Efficaci, & in quo illa consistat, variorum sententiæ discutiuntur.

QUæstionis de Efficacia gratiæ indubitata solutio, scopus est ad quem summa orbis Christiani ingenia ingenti studio collimarunt, & à quo plures certò aberrarunt, quemque nondum nullus Theologorum ita attigit, ut omnium suffragio compertæ veri-

veritatis palmam retulerit. Siquidem angustiæ hic undique, & facilis error, quia inter duos scopulos navigandum est; si ad tuendum vim gratiæ divinæ nimium declines, destituis libertatem humanam: si ultra metam libertati patrocinaris, vim gratiæ inanem relinquis. Hanc difficultatem pridem advertit ipse S. Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. Quærentem*, inquit, *vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam ut liberum arbitrium auferre videamur: rursum ne liberum sic asseramus arbitrium ut superba impietate ingrati DEI gratiæ judicemur.* Olim incumbendum erat S. Augustino contra Pelagianos immodicâ elatione libertatis, vim gratiæ infringentes, sed neque minus laborandum est hoc ævo, ne cum Calvini ac Lutheri asseclis in efferenda gratia sic vela laxemus, ut libertas humana fatali necessitate depressâ naufragium patiatur. In hac opinionum sese collidentium procella, clavum suo jure arripuerunt Pontifices Romani, qui uti in hac quæstione olim Scholæ Thomisticæ & Societatis opinandi modum præscripserunt; ità hac tempestate quibusdam ad devia deflectentibus certam credendi legem imposuêre.

Itaque de gratiæ Efficacia primus error est Calvini, Lutheri, ac plurium Sectariorum, qui docent omnem Dei gratiam internam esse efficacem, ac hominis voluntatem sic ad assensum impellere, ut illi non sit liberum gratiæ impellenti resistere; atque ita absolutè admittunt voluntatem inevitabili necessitate ad agendum moveri; imo in ordine ad operationem gratiæ in natura lapsa liberum penitus interiisse arbitrium.

Dogma Jansenii, quamvis nolit dimittere nomen liberi arbitrii, admittit tamen ad operationem gratiæ efficacis sive victricis in statu naturæ lapsæ, non requiri libertatem à simplici necessitate, sed sufficere libertatem à coactione; quem errorem fusius refutavimus supra *part. 2. p.* 108. inter polemica, in prop. tertiâ inter quinque damnatas.

Quidam moderni, ut in explicanda gratiæ efficacia hunc scopulum in speciem declinare videantur, asserunt gratiam efficacem sitam esse in Delectatione justitiæ quæ sit Victrix, sive major delectatione terrenâ illi oppositâ: docentque illi delectationi, dum est major, voluntatem non posse non obsecundare, & rectè agere: quamvis possit eidem delectationi justitiæ non obtemperare, quando delectatio terrena major assurgeret: & ob hanc potestatem quantumvis remotam, putant efficaciam hujus gratiæ cum libertate conciliari. Volunt itaque ad libertatem indifferentiæ sufficere, quod voluntas possit non agere

quan-

quantum est ex parte eorum quæ voluntatem positivè afficiunt; ac proindè libertati actus nihil obesse negationem illam majoris delectationis terrenæ ad efficaciam istius gratiæ requisitam; quia scilicet negatio illa voluntatem positivè non afficit. At contra hoc novum effugium ceteri Theologi hactenus censent, ad tollendam libertatem indifferentiæ sufficere, quod positâ gratiâ cum ista negatione, non sit in potestate voluntatis ab agendo abstinere, sed ad bene agendum inevitabili necessitate determinetur.

Neque istâ viâ declinatur error Jansenii, quem constat eandem in explicatâ gratiæ efficaciâ semitam tenuisse, nisi quod ille palam admiserit, cum sua doctrina non debere conciliari libertatem indifferentiæ, quam docuit non esse necessariam ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ; moderni verò velint eam doctrinam stare cum libertate ad meritum & demeritum sufficienti. In quo non re, sed voce à Jansenio dissidere, facile colliges ex ejusdem „ verbis, quæ hic breviter adduco ex *lib* 8. *de gratia Christi cap.* 2. „ *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa* „ *est; tunc enim est victrix quando alteram superat; quod si contingat* „ *alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit ani-* „ *mus, ne efficaciter umquam volet quod volendum est.*

Facile autem ostendi potest hanc modernorum viam nullo modo conciliare suam gratiam victricem cum libertate voluntatis humanæ. Nam etsi possit existere illa entitas delectationis cœlestis sic, ut non causet actum bonum voluntatis, non potest tamen sine illo actu existere delectatio victrix, cum in eorum sententia delectatio prout est victrix, sive efficax, non sit sola entitas gratiæ sive delectationis cœlestis, sed illa simul cum negatione majoris aut æqualis delectationis terrenæ: cum his autem, ut ipsi doceant, nequit se voluntas determinare ad non agendum; adeoque sub gratiâ hac efficaci constituta non poterit ab actione bona abstinere, sed ad illam exercendam ineluctabili necessitate rapietur.

Ab hac doctrina Schola Thomistarum se semper alienam profitetur, gratiamque in sua sententia omni studio, & aliâ viâ cum libertate conciliare conatur. Docent itaque Thomistæ dari gratiam sufficientem, quæ tribuat voluntati potestatem operandi, dari etiam gratiam efficacem à sufficienti intrinsecè diversam, quæ tribuat ipsam operationem, quàm proindè volunt esse physicè prædeterminativam voluntatis, sic ut nunquam possit suo effectu carere. Et ut majori cum certitudine quid in hac parte

Thomistæ sentiant referamus, juvat hic adducere explicationem ipsorum verbis conceptam in Capitulo provinciali Inferioris Germaniæ habito Lovanii 25. Aprilis 1668. ubi aliis præmissis sic pergit explicatio : „ Ideo autem taliter efficax gratia in Thomista„ rum Schola physicè prædeterminans dicitur, non quod imponat „ voluntati necessitatem aliquam , sicut est in rebus naturalibus „ quæ sunt omnino determinatæ ad unum, vel aliquam aliam phy„ sicam qualitatem voluntati imprimat, quæ per modum naturæ „ eam impellat aut necessitet; sed ideo tantum quod per gratiæ „ suæ auxilium Deus, nullâ præsuppositâ scientiâ mediâ aut con„ ditionata boni usus nostræ voluntatis, eam ad actus bonos libe„ ros determinet, non solum interius suadendo, excitando, invi„ tando, aut aliter moraliter attrahendo, sed etiam activè, verè, & „ propriè, & per modum agentis, absque violentia tamen, ex parte „ potentiæ, & in ipsa potentia causet ipsam voluntatis actionem, „ adeoq; gratia sit bonæ voluntatis verè, & propriè effectrix, quâ „ fit ut homo ad suam actionem infallibiliter se determinet, non ex „ necessitate, sed juxta suum proprium modum omnimodæ liber„ tatis; sicque omnis efficacia proveniat ex sola gratia, & ex ipsa Dei „ omnipotentia, nec illam expectet aut emendet à libero arbitrio; „ neque efficax sit dependenter ab illo.

„ Et quia motio moventis præcedit motum mobilis ratione, „ & causa, rectè etiam præmotio ac prædeterminatio activè, „ verè & propriè, & in hoc sensu physicè efficiens appellatur, in „ quo intelligitur applicatio virtutis ad actionem , sicut homo „ est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen „ cultelli ad scindendum movendo ipsum ; sicque tota operatio „ pertinet ad gratiam sicut ad causam effectivam , præmoven„ tem, & determinantem, conformiter ad Tridentinum *Sess. 6. cap. 4.* Subscripserunt huic Expositioni in dicto Capitulo viginti & unus.

Quidquid sit de Thomisticæ sententiæ veritate, pridem certè per Apostolica decreta vetitum est ullam ei censuram inurere. Non est igitur de hac Schola bene meritus ille, qui conatus est in explicanda gratiæ efficacia, concordiam inducere inter Thomistarum sententiam, & eam quam aliqui Augustinianam prætendunt de gratia victrice Non ignorant enim viri ex illa Schola magis perspicaces, rem esse non exigui periculi, velle parem cum illa doctrina sortem subire.

Scotistæ relatam Thomistarum sententiam passim impugnant, negant enim gratiam esse intrinsecè prædeterminativam. Volunt tamen

tamen esse intrinsecè determinativam voluntatis, ratione decreti adjuncti, quo Deus absolutè & efficaciter; ac exclusa scientia media, intendit obtinere & efficere consensum voluntatis: an hæc sit sincera Scoti doctrina multum dubitat Suarez *de auxiliis c. 5.* Ab utraque sententia diversa est doctrina Societatis uti inf. patebit.

Contra Thomistas facere possunt argumenta supra allata de physica prædeterminatione, & scientia media. Insuper ex sententia Scotistarum sequi videtur decretum illud divinum ad obtinendum actum intentum fallibili & cæco modo procedere: quia cum gratia ex vi illius decreti data, sit intrinsecè indifferens, tantum infallibili modo connectitur cum actu efficaciter intento: ergò cum in illa sententia excludatur scientia media, non est undè DEUS sortiatur securitatem infallibilem de actu ponendo. Neque dicas, vi decreti divini voluntatem nostram infallibiliter trahendam, sicut nostra potentia motiva vi voluntatis ad motum impellitur. Nam contra, Vel decretum illud divinum vi sua infallibiliter infert nostrum consensum, & sic tollitur nostra libertas: vel causat consensum contingenter per medium indifferens; & sic ex nullo capite poterit Deus reddi securus de consensu secuturo.

Aliæ sunt de hac quæstione opiniones minus celebres, qualem sustinet Mascarenias, & alii qui docent entitati gratiæ efficacis inesse vim quandam determinandi moralem, ob singularem hujus attemperationem cum voluntate, ideoque semper connectendam cum effectu.

At contra hanc etiam opinionem militat vis superioris argumenti. Vel enim gratia sic attemperata habet ex se antecedentem & infallibilem connexionem cum consensu voluntatis, & sic evertit libertatem: vel habet connexionem fallibilem, atque ita non repugnat eam gratiam reddi inefficacem, & aliam reddi efficacem sine istiusmodi attemperatione; ergò non potest in hac attemperatione gratiæ efficacia consistere.

Ut has evaderet difficultates, alteram excogitavit viam P. Bonæ Spei vir doctus ex ordine Carmelitarum, qui gratiam efficacem constituit in qualitate ita accommodata flexibilitati voluntatis, ut hæc certò consentiat gratiæ, uno ex pluribus instantibus, aut alterutro duorum instantium indeterminatè, sic ut qualitas illa non sit determinans ad unum simpliciter, prout est prædeterminatio physica, sed ad unum sic eligendum, ut quovis eorum instantium sit in potestate voluntatis eligere, vel non eligere quoad substantiam actus, aut omissionis; ac proindè eligat liberè, quia agit verbi gratia ultimo instanti non

merè quia adeſt illa qualitas, ſed quia liberè omiſit agere priori inſtanti.

Sed nulla ex parte ſatisfacit hæc nova cogitatio Nam ex ea ſequitur primò, Deum non poſſe obtinere conſenſum hominis, & eum convertere eo inſtanti quo voluerit, ſed tantum aliquo inſtanti indeterminato. Secundò, Si primo inſtanti ex duobus voluntas non conſenſit, jam in ſecundo ad conſenſum abſolutè neceſſitabitur: nam libertas requirit ut eo inſtanti quo ponitur actus poſſit non poni neque ſufficit liberè fuiſſe omiſſum priori inſtanti. Tertio, Tollitur iſtâ viâ libertas illa quæ ad meritum requiritur, quia tantum merebor quod potius hoc quam illo inſtanti ponam conſenſum, quem alterutro debeo neceſſario elicere: quinimò potius demerebor ſi v. g. conſenſum ad actum bonum ſupenderim quantum potui, & tantum conſenſerim ultimo inſtanti, ultra quod non potui conſenſum differre.

Poſtremò, Schola Societatis prædictis contraria, cum aliis, docet efficaciam gratiæ, præter ipſam gratiæ entitatem ex ſe indifferentem reliquasque diſpoſitiones & circumſtantias ſe tenentes ex parte actus primi, involvere conſenſum voluntatis conditionatè futurum, prævifum per ſcientiam mediam, ſi in illis circumſtantiis gratia à Deo concedatur. Illud autem dicitur ſe tenere ex parte actus primi, quod prærequiritur ad agendum: ſive quod influit in effectum mediatè vel immediatè, vel ſimpliciter requiritur ut hic & nunc effectus poſſit poni, etſi in eum phyſicè non influat.

Explicatur ea ſententia hoc modo. DEUS vult convertere, aut ſalvare Petrum per actum finalem pœnitentiæ: habet in poteſtate ſua gratias innumeras ex ſe indifferentes quibus poſſit, Petrus conſentire, aut non conſentire: videt ergo Deus per ſcientiam mediam, cui harum gratiarum Petrus eſſet conſenſurus, cui non conſenſurus ſi eam in certis circumſtantiis haberet, v. g. dum in extrema vitæ hora verſabitur. Illa itaque gratia eſt efficax in actu primo reſpectu Petri, cui Deus prævidet illum conſenſurum ſi detur: erit eadem gratia efficax in actu ſecundo ſi in dictis circumſtantiis à Deo actu concedatur. Repugnat enim Deum prævidere effectum cum cauſa etiam indifferenti ſub certa conditione connectendum, & illum effectum, poſitâ conditione, ab ea cauſa non procedere.

Hic autem procedendi modus ſalvat ex parte DEI dignitatem, & infallibilem efficièntiam gratiæ efficacis, præ ſufficienti, & hanc gratiæ infallibilitatem conciliat cum libero voluntatis arbitrio; in quibus utrimque conciliandis in aliorum ſententiis

verſatur

versatur præcipuus cardo difficultatis. Ac primò quidem, hac ratione ex parte providentiæ divinæ; talis gratia constituitur idoneum instrumentum, quo certissimè possit DEUS obtinere actum bonum & meritorium voluntatis creatæ: per hanc potest infallibiliter prædestinare ad merita, & gloriam: per hanc potest habere in manu sua cor hominis quantumvis durum, & illud invictè & indeclinabiliter quocumque voluerit inflectere; non minus quam si humanum arbitrium adamantinis vinculis gratiæ necessitantis constrictum detineret. In hac porrò sententia ostenditur nullum incurri periculum violandæ libertatis humanæ, quia gratia efficax sic explicata, nihil involvit ex parte actus primi quod ex se non sit indifferens ad actum inferendum. Nam voluntas, & entitas gratiæ, & decretum quo Deus concursum suum præparat, est indifferens & indeterminatum ad consensum, vel dissensum secuturum. Scientia autem media propriè non tenet se ex parte actus primi, quia neque influit in consensum immediatè aut mediatè, neq; requiritur simpliciter ut voluntas possit agere, sed tantum ut à DEO gratia, & concursus providè offeratur, cum notitia effectus secuturi si conditio poneretur. Quamvis enim, quod fieri nequit, à DEO abesset scientia media, hoc ipso quo hæc gratia poneretur in voluntate, & Deus paratus esset hic & nunc concurrere, eodem modo voluntas exiret in actum.

Cætera quæ opponuntur, eò ferè tendunt, ut probent in hac sententia, sine gratia per se victrici, aut determinante, Resolutionem ultimam Conversionis humanæ referendam esse in determinationem liberi arbitrii, dicendumque hominem converti, non quia adest gratia divina, sed quia voluntas humana liberè consentit. Verùm hæc sententia non docet ita simpliciter loquendum, sed hoc modo: Ideo homo convertitur, quia à DEO accepit ut convertatur. Resolvitur itaque consensus voluntatis humanæ in DEUM per gratiam cooperantem, tanquam in primam & principalem causam boni operis, à qua voluntas humana semper in agendo dependet: hinc conversionis humanæ rectè statuitur hæc ultima resolutio: Ideo credit & convertitur homo quia vult, cum conversio in actu voluntatis consistat: ideo vult converti, quia congruenter per gratiam vocatus est; ideo congruenter vocatus, quia voluit Deus gratiam, quam novit congruentem, nunc homini largiri.

Ita docet hæc sententia, quam breviter retulisse sufficiat, quoniam ab illa contra quosdam alios stabilienda hic abstinere debeo.

beo. Argumenta quædam quæ pro gratia victrici superius relata hoc tempore adducuntur, resoluta sunt supra in Cont. de Scientia media, & præcipuè *part.1. tract. 2. cap. 2.* ubi contra propositiones Jansenii ostendimus, Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ voluntatem humanam posse resistere.

CONTROVERSIA OCTAVA.

De Iustificatione, & gratia habituali.

DIco primò, Ad Justificationem impiii non sufficit peccata non imputari, sed requiritur Sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Ita definit Tridentinum *Sess. 6 cap. 7.* contra Lutherum, Calvinum, eorumque asseclas, qui negat per Justificationem impii per peccata tolli, aut deleri, sed tantum tegi, & homini amplius non imputari. At contra, concipi non potest quo modo possint peccata DEO tegi, nisi penitus aboleantur; fieri enim non potest ut quæ nondum sunt deleta, divinis oculis omnia cernentibus tegi possint.

Dico secundò: Datur forma hominem Sanctificans, distincta ab omni actu justi, habitualiter inhærens, & permanenter justum constituens, quæ dicitur Gratia habitualis. Ita docent modò omnes Theologi, quorum multi censent esse de fide, quamvis hoc neget Sotus, Canus, Bannez, Vasquez *disp.* 103. *cap.* 6. si agatur de justificatione adulti extra Sacramentum per actum Charitatis, aut contritionis perfectæ, quos actus putant per se formaliter justificare.

Probatur autem assertio universaliter ex Tridentino *Sess. 6. cap. 7.* & *can.* 11. *Si quis dixerit homines justificari... exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret &c. anathema sit.* Atqui certum est parvulis formam illam permanenter inhærere, absque ullo actu suæ voluntatis dum per Baptismum justificantur: certum quoque est in adultis formam illam non consistere in aliquo eorum actu dum justificantur per aliquod Sacramentum v. g. pœnitentiæ sola attritione, quæ communi omnium consensu non est forma justificans. Ergo dicendum est universim etiam extra Sacramentum formam justificantem sitam esse in gratia Sanctificante, quæ animæ, etiam dum nullum actum elicit, permanenter inhæreat. Actus autem Charitatis, & contritionis perfectæ tantum

tum

tum sunt prævia dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ per se formaliter justificat.

Atque hanc esse mentem Concilii non parum confirmant verba Cardinalis Pallavicini in Hist. Tridentini *Part.* 1. *l.* 8. *cap.* 14. ,, Denique, inquit, considero quod mens Concilii fuit stabilire ,, habitum infusum justitiæ, & non meram justitiam intrinsecam, non determinando an illa sit vel actus, vel habitus ... quod ,, mihi redditur notum propterea quod tunc, requirente quodam ,, ut magis expressè declararetur fieri justitiam per habitum infusum, responderunt deputati, satis hoc declarari voce *inhærentia*, quod importat stabilitatem, & convenit habitibus non ,, actibus.

Dico tertiò: Etsi gratia habitualis diversa sit ab actu, non distinguitur tamen ab habitu charitatis. Est communior sententia Theologorum, contra plerosque Thomistas.

Probatur, Quia nullum inter hæc reperitur sufficiens distinctionis indicium; nam quæcunque conveniunt gratiæ habituali, ea pænè omnia Scripturæ attribuunt charitati: ut Johan. 4. v. 15. *Qui manet in charitate, manet DEVS in eo.* Et Johan. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii DEI nominemur & simus.* Deum autem in nobis permanere, & constitui nos filios Dei, est formaliter effectus proprius gratiæ habitualis. Hinc Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. gratiam hanc cum Apostolo vocat charitatem, dum asserit, *per Spiritum sanctum charitatem Dei diffundi in cordibus eorum qui justificantur.* Consentire videtur S. August. *tract.* 5. in Epist. 1. Johannis, dum ait, *charitatem esse quæ separat inter filios Dei, & inter filios perditionis.*

Neque his obstat quod aliquando Concilia, dum mentionem faciunt de donis, gratiam & charitatem distinctè commemorant: quia per plures voces res eadem diverso modo judicatur; dicitur enim gratia prout importat amorem Dei erga hominem, qui hunc per donum justitiæ reddit sibi amabilem, nominatur etiam charitas, prout efficit amorem quo Deus ab homine dignè diligitur.

Dico quartò, Gratia habitualis hominem per se ita sanctificat, ut stare nequeat cum peccato mortali, etiā de potentia Dei absoluta. Ita docet Vasquez *disp.* 104. Turrianus, Granadus, Sotus, Esparsa, aliiq; communiter: Contra Scotum, Gabrielem, Occamum, aliosque nominales, qui censent gratiam repugnare peccato non ex natura rei, sed ex sola DEI institutione: & contra Suarez, qui statuit repugnantiam tantum naturalem, qualis est inter calorem & frigus, non verò absolutam.

Probatur autem assertio ex verbis Tridentini *sess 6. cap 7. Iustificationis unica causa formalis est justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit.* Si est causa unica, hoc ipso est causa adæquata justificationis: ergo impossibile est animam cui gratia unita est non esse justam, quia causæ formali necessariò respondet effectus formalis, justa autem non esset, aut DEO grata, si illi cum gratia simul inesset peccatum. Neque refert quod gratia & peccatum non opponantur ut forma & ejus privatio, aut ut duo actus formaliter contrarii, quia repugnant saltem ut duo actus oppositi consecutivè; si enim simul existerent, rectè sequeretur in DEO dari actus incompossibiles amorem scilicet & odium respectu ejusdem personæ, cui simul inesset gratia & peccatum.

CONTROVERSIA NONA.

De Merito bonorum operum.

MEritum in concreto dicitur, opus bonum, in obsequium alterius factum, ex se idoneum ad aliquid obtinendum per modum præmii. Differt ab *Impetratione*, quod hæc moveat ad aliquid obtinendum per modum petitionis: & à *Satisfactione* quod hæc sit quædam redditio æquivalens injuriæ. Dividitur meritum in Condignum, quod habet æqualitatem cum præmio, & ex justitia debetur, accedente saltem alterius promissione: & in meritum Congruum, cui deest dicta æqualitas cum præmio, neque debetur illi ex justitia, sed ex præmiantis liberalitate. Ut conditiones ad meritum requisitæ ex parte operantis, operis, ac præmiantis magis elucidentur.

Dico primò, Ad meritum de condigno ex parte operantis requiritur, primò, status viæ: testantur enim Scripturæ & Patres, neminem posse mereri post hujus vitæ decursum: ita loquitur S. Hieronymus *in 1. ad Cor. cap. 6 Tempus sementis est præsens vita, cum transierit, operandi tempus aufertur.* Secundò, necessarius est status gratiæ, uti colligitur ex Joan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite; ita nec vos nisi in me manseritis,* scilicet per fidem & charitatem. Et hinc est quod in Scripturis passim ut ad *Colos. 3.* vita æterna dicitur retributio hæreditatis; quia ejus meritum præsupponit dignitatem filii per statum gratiæ, sine quo deest operi debitus valor ad hæreditatem obtinendam. Unde damnata est Baji hæc prop. 12. *Pelagii sententia est, opus bonum*

bonum circa gratiam adoptionis factum , non est regni cœlestis meritorium.

Dico secundo, ex parte operis, requiritur ut sit actus liber, non tantum à coactione, sed etiam à necessitate. Damnata est enim propositio tertia Jansenii huic opposita, quæ superius refutata est. Secundò, ut sit supernaturalis, etiam in substantia, quod docet Suarez aliique communius, contra Vasquez, Sotum, Valentiam. Quia meritum debet esse ejusdem ordinis cum præmio, cum illud tanquam semen præmium in se virtute contineat. Atqui merces vitæ æternæ consistens in clara Dei visione debet esse in substantia supernaturalis: ergo idem dicendum est de merito operis condigni ex quo merces illa procedit.

Quæres; An ut actus sit meritorius debeat esse à charitate elicitus aut imperatus, sic ut non sufficiat motivum alterius virtutis inferioris.

Respondeo negativè; contra Theologos quosdam recentiores. Quia scriptura sæpius aliis actibus, quàm charitatis aut ab ea elicitis, vitam æternam promittit, ut operibus misericordiæ *Matthæi* 5. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et de obedientia in observatione mandatorum dicitur *Matthæi* 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata:* horum autem mandatorum multa pertinent ad justitiam & alias virtutes à charitate distinctas, id denique evincit ratio; quia omnis actus virtutis infusæ, verbi causâ, fidei, spei, aut timoris Domini, abstrahendo à charitate, est per se supernaturalis, laude ac præmio dignus, & in justo meritum filii, sive hæredis regni cœlestis: ergo nihil illi actui deest quominus sit præmio vitæ æternæ proportionatus.

Neque his repugnant verba Apostoli 1. *ad Cor.* 10. *Omnia in gloriam DEI facite:* non enim continent præceptum sed tantum consilium, quo hortatur ad id quod est perfectius: vel certe indicat quodlibet opus ex motivo virtutis profectum, ad DEI gloriam conferre. Neque refragatur S. Augustinus *in enchiridio cap.* 117. *Regnat carnalis cupiditas ubi non est charitas:* accipit enim hic & alibi frequenter charitatem latè prout complectitur omnem virtutem infusam, quâ exercentur opera DEO accepta, quæ carnalem cupiditatem excludunt. Sæpe etiam Scripturæ, ac Patres, dum ajunt opera nostra nihil prodesse ad vitam æternam sine charitate; vel agunt de charitate habituali conjuncta cum statu gratiæ; vel certe negant ea ad meritum valere quamdiu versamur in odio proximi, aut alia dispositione charitati positivè contraria.

Dico tertiò : Ex parte præmiantis , requiritur divina promissio , ut opera justorum in actu secundo sint condignè meritoria vitæ æternæ , non verò ut ex parte sua sint isti præmio proportionata.

Prima pars probatur ex Tridentino *Seß.* 6. *cap.* 16. asserente *vitam æternam esse propenendam justis tanquam mercedem , ex DEI promissione bonis ipsorum operibus & meritis reddendam.* Promissionem quoque divinam ad meritum mercedis à Deo retribuendæ requirit S. Augustinus in *Psal.* 83. *Debitorem*, ait, *ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.* Hanc veritatem ratio confirmat : quia meritum condignum debet in actu secundo præmiantem ad mercedem reddendam obligare. Atqui nulla ratione potest homo suis operibus Deum obligare, nisi illis ultrò præmium addixerit : quia aliundè competit Deo legitima potestas quodlibet obsequium absque mercede ab homine deposcendi, ratione scilicet suæ excellentiæ, & supremi in creaturas Dominii. Et hinc defectu divinæ promissionis contingit bonis actibus animarum in Purgatorio nullum præmium respondere.

Patet secunda pars assertionis : Quia nisi ad meritum condignum independenter à divina promissione requireretur aliqua proportio operum ex parte sua , prout ab homine justo , & à divina gratia proveniunt , sequeretur contritionem peccatoris etiam de condigno mereri gratiam justificationis , cum hanc peccatori contrito Dominus addixerit , quam tamen non nisi ut meritum congruum obtinet.

Ex his colligitur , supposita promissione , Deum per meritum condignum obligari ex justitia latè dicta reddere vitam æternam homini in gratia decedenti. Quia etsi opera creaturæ, cum sint aliundè debita, non possint ex stricta justitia Deum ad mercedem obligare: tamen ex propria veracitate ac fidelitate adstringitur ut dictis facta conformet, quæ sunt virtutes justitiæ annexæ , quibus Deus ad præstandum promissam mercedem potiùs sibi, quam creaturæ obligatur.

Dico quartò: Ad meritum etiam congruum requiritur ut sit actus liber, honestus, in statu viæ, ac supernaturalis saltem in ordine ad præmium supernaturale. Quorum ratio patet ex dictis de merito condigno. Non est necessaria ad meritum congruum divina promissio; quia sufficit actum habere bonitatem aliquam proportionatam , cujus intuitu possit Deus beneficium aliquod homini conferre, non ex justitia aut fidelitate, sed ex quadam decentia munificentiæ divinæ. Hinc solum illud meritum de congruo habet

bet infallibilem connexionem cum retributione mercedis, cui de facto adjuncta est divina promissio. Deniq; ad meritum congruum non exigitur status gratiæ; contritio enim peccatoris meretur de congruo gratiam justificationis.

Dico quintò: Sola opera justorum merentur de condigno vitam æternam, & per consequens augmentum gratiæ habitualis.

Quia Tridentinum vitæ æternæ præmium attribuit tantùm meritis justorum *Sess.* 6. *can.* 32. *Si quis dixerit justificatum bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, anathema sit:* & idem asserit de vita æterna, quæ respondet gratiæ habituali. De homine vero nondum justo docet *Sess. 6. cap.* 8. *ideo nos gratis justificari, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Quod ulterius quoad merita justorum comprobari potest ex eo, quod bonis justorum operibus nulla desit ex conditionibus supra requisitis ad rationem meriti condigni respectu augmenti gratiæ, & gloriæ illi annnexæ.

Ex his ulterius adverte primò. Neminem sibi posse mereri, ne quidem de congruo, primam gratiam actualem: quia ipsa gratia est principium meriti, sine qua nihil potest fieri quoad vitam æternam.

Secundo, Neminem posse mereri primam gratiam habitualem de condigno: quia ipse status gratiæ est principium dignificativum, quod prærequiritur ut meritum sit condignum gratiæ obtinendæ. Eam tamen potest homo extra statum gratiæ mereri de congruo, uti patet in contritione peccatoris.

Tertiò, Non potest homo etiam justus merito sive condigno sive congruo infallibiliter obtinere sibi, aut alteri donum perseverantiæ, aut reparationem post lapsum, aut aliquam gratiam actualem, aut aliud beneficium à gratia Sanctificante, & gloria distinctum. Quia de illis, per merita nostra certo obtinendis; nulla extat DEI promissio aut revelatio; imò potiùs Scripturæ ad *Phil.* 2. monent, ut cum metu & tremore salutem operemur, ne scilicet à justitia aut perseverantia excidamus. Potest tamen homo illa impetrare merito congruo non habente infallibilem connexionem cum isto præmio. Admittit enim S. Thomas. 1. 2. *Quæst.* 114. *art.* 9. illa posse ferventi oratione à DEO obtineri. Et Sanctus Augustinus *libro de dono perseverantiæ cap.* 6. docet hominem posse hoc donum suppliciter emereri. Quando verò ibidem *cap. decimotertio* asserit, & inchoandi, & usque ad finem perseverandi

severandi gratiam DEI non secundum merita nostra dari, solum excludit meritum condignum, vel quod ex solis naturæ viribus procedit.

CONTROVERSIA DECIMA.

De Ecclesia, Pontifice, Concilio.

AD hunc locum revocanda sunt quæ superius in fine *part. 1. p. 61.* Controversiis polemicis adjunximus, de Ecclesiæ potestate, & infallibilitate: De authoritate Romani Pontificis, & quomodo ea sit supra Concilia generalia, & sine his possit absque erroris periculo definire controversias fidei, & morum, & facti quæstiones; declarare etiam verum sensum Scripturæ sacræ; judicare de sensu libri Catholico, aut hæretico. De reliqua denique potestate Pontificum, & Conciliorum varias horum temporum quæstiones in particulari decidimus, ex quibus, in controversiis quæ horum in Ecclesia authoritatem concernunt doctrina sana, à damnatis erroribus facilè discernitur. Hac autem authoritate stabilitâ, facilis fit progressus ad brevem certamque sequentium Dogmatum in reliqua Theologia decisionem. De singulis brevi methodo formari poterit hic syllogismus. Illa doctrina à nullo Fidelium admitti potest quam legitima Ecclesiæ Concilia, aut Pontifices è Cathedra damnarunt, aut censurarunt. Sed hæc doctrina N est talis, Ergo hæc à nullo Fidelium admitti potest. Unde ulterius ritè inferes, Doctrinam illi oppositam censeri sanam, & in scholis omnino receptam.

CONTROVERSIÆ ALIÆ.

In reliqua Theologia brevi methodo resolutæ, ex Censuris, Decretis, aut Definitionibus Ecclesiæ, aut Summorum Pontificum.

§. I.

De operibus, gratia, & meritis tam Hominum, quam Angelorum.

CEnsuratæ sunt sequentes propositiones in proprio verborum sensu, ut singulæ respectivè sint erroneæ, aut hæreticæ, aut suspectæ, temerariæ, scandalosæ, aut piarum aurium offensivæ, ut contra doctrinam Baji decernunt Constitutiones Pii V. Gre-

Gregorii XIII. & Urbani VIII. quarum tenorem in hujus 2. partis fine reperies.

Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

Sic ut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium; ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Pelagii ſententia eſt, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſſe regni cœleſtis meritorium.

Ratio meriti non conſiſtit in eo quod, qui bona operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolum, quod obedit divinæ legi.

Opera juſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt majorem valorem.

In redemptis per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.

Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.

DEUS non potuiſſet ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis ejus conditio. *Sunt & proſcripta alia propoſitiones his ferè ſynonima.*

Docet autem abſolutè *Lutherus*; Nullum eſſe ullius hominis meritum ad gloriam aſſequendam, & eam obtinendam per ſola merita Chriſti. Damnatur hæc aſſertio in Tridentino *ſeſſ. 6. can.* 32.

Errat in altero extremo *Pelagius* aſſerens: Hominem ſuâ virtute ſine gratia DEI, vitam æternam promereri. Poſt alia Concilia damnatur à Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 9. & *can.* 7.

Hæreſis quoque Lutheri eſt. Hominem juſtum certò ſcire, ſe eſſe in gratia, & ad hoc credendum obligari. Reprobatur in Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 9. & *can.* 13. Definitio autem legitimi Concilii aut Pontificis, cuivis verè Catholico indubitata probatio eſt: & ad eam recipiendam hæreticus adigitur argumentis, quibus alibi convincimus hanc eſſe veram Chriſti Eccleſiam, falli & fallere neſciam in controverſiis fidei, ac morum decidendis.

De his cæteræ Quæſtiones Theologicæ traditæ ſunt in ſuperioribus Controverſiis, & aliæ in *P.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. ubi agitur de operibus & gratia & 5. prop. in Janſenio damnatis.

§. 2.

§. 2.

De Peccato actuali & originali.

HÆc assertio ; Nullum peccatum imputatur habenti fidem. Damnata est in Luthero à Tridentino *sess.*6 *cap.*7.& *can.*9.

Peccatum non est à libero hominis arbitrio, sed à malo dæmone; Fuit error Valentini, proscriptus in Concilio generali Calcedonensi IV. sub Leone I.

Omne opus quomodocunque rectè factum, est tamen peccatum. Damnatur in Luthero Tridentini *sess. 6. cap.* 16. & *can.* 25.

Omnes homines ante Christum fuerunt damnati ob peccatum primorum parentum. Error Armenorum, reprobatus in Conc. Florentino sub Eugenio IV.

Aliqua sunt peccata, quæ à nullo prorsus Sacerdoti absolvi possunt. Oppositum definitur in eodem Florentino contra Armenos.

Semel per gratiam justificatus non potest amplius peccare. Damnatur in Conc. Viennensi sub Clemente V. contra Begardos.

Nullum datur peccatum mortale, præter incredulitatem. Reprobatur inter errores Lutheri in Trid. *sess.*6. *cap.* 15.

Nulla est differentia inter peccatum mortale & veniale. Proscribitur Tridentini *sess* 4. *cap.* 5. & *can.* 7. contra Calvinum.

Ex prævaricatione Adami nullum in posteros propagatum esse peccatum originale, cui abluendo necessaria sit gratia Christi : error est contra fidem in Pelagio damnatus.

In doctrina Michaelis Baji, & aliorum, reprobatæ sunt per diplomata trium Pontificum sequentes de peccato assertiones.

Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. De hoc actum supra *Controv.* 6. §. 2.

Omne quod agit peccator, vel servus peccati peccatum est.

Infidelitas purè negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces.*

Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

In

In peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

Peccatum originis ex habituali voluntate parvuli voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

Omne scelus ejus est conditionis ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

Omnes omnino afflictiones justorum, sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.

Nemo præter Christum est sine peccato originis; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati originalis vel actualis. Duæ postremæ propositiones sunt in dictis diplomatibus damnatæ potius ex aliis scriptis, quam ex ipsis libris à Bajo editis.

Doctrina Catholica his opposita docet, primò, Peccatum originale omnibus verum, & proprium inesse, ut loquitur Tridentinum. 2. Peccatum illud in eo consistere, quod Adam transgrediendo divinum præceptum, originalem sanctitatem, & justitiam naturæ indebitam, non tantum sibi, sed posteris amiserit, in quos omnes non propriâ voluntate, sed propagatione transfunditur. 3. Excipiendam à labe originali in suo ortu Virginem Deiparam, piè passim credunt fideles, idque non parum confirmat, quod in postrema Bulla Alexander VII. nobis disertè constare voluerit, hunc esse antiquissimum & communissimum omnium ferè Catholicorum sensum: & Festum Immaculatæ Conceptionis, in sensu piæ sententiæ, à S. Rom. Ecclesia celebrari. 4. Dari peccatum mortale, & veniale ab eo distinctum; & illud graviter, hoc leviter præcepto opponi. 5. Omne mortale non remissum puniri etiam pœnâ sensus æternâ: idque ob malitiam peccati intrinsecam: & in eo sitam quod offendatur persona dignitatis infinitæ cognita ut talis. Hæc & reliqua doctrina de Peccatis in particulari, fusius traduntur infra *part. 3. in Tractatu de Præceptis.*

§. 3.

§. 3.

De Fide, Spe, & Charitate.

NIhil credendum esse quod excedat vires nostri intellectus, docuit Petrus Abailardus, quod erroneum declaravit Concilium generale Rhemense sub Eugenio III.

Solam fidem, cum gravibus etiam peccatis, hominem justificare, & ad salutem perducere, docuit post Eunomium, Lutherus, asserens præter fidem opera ad salutem minimè esse necessaria; damnatum in Tridentino *seff. 6. cap. 3. & can. 9.*

Fidem amitti per quodlibet peccatum mortale, error est ejusdem Lutheri, proscriptus à Tridentino *seff. 6. cap. 15.* & *can. 28.*

Quemvis hominem pro libitu, sine superiorum facultate, posse fidem prædicare, falsum declaratur in Concilio generali Constantiensi *seff. 8.* contra Wiclefum.

Licitum esse urgente persecutione fidem negare, contra Basilidem damnavit Concilium Nicænum I. sub Sylvestro Papa.

Spem nullam justitiæ aut salutis collocandam in operibus: fideles per sola merita Christi sibi imputata justificari, erroribus Lutheri annumeratur in Tridentino *seff. 6. cap. 16.* & *can. 26.*

De Charitate proscriptæ sunt propositiones sequentes in Bulla contra Bajum.

Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusa DEUS amatur.

Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum. Et prop. 32. Charitas illa quæ est plenitudo legis non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto etiam suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

Quam-

Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.*

Non est vera obedientia legis, quæ fit sine charitate.

Hæc propositio, & quædam aliæ, à fortiori refutantur, ubi probamus Attritionem ex metu gehennæ, aut ex spe gloriæ cælestis absque charitate, actum esse per se bonum; & peccatorem ritè disponere ad gratiam in pœnitentiæ Sacramentò percipiendam, de quo infrà in *part. 3. tract. 1. quæst. 21.* inter controversias modernas.

Reliquas quæstiones Theologicas de Fide divina, ejusque objecto, necessitate, certitudine, motivo, & analysi; de Pontifice & Conciliis fidei particularibus ac modernis, copiosè tractamus supra in tota part. 1. Et alias quæ ad praxim ordinantur tradimus infra inter resolutiones ad Hæresim, & partes hæreticorum pertinentes in *part. 3. tract. 6.*

§. 4.

De jure & Injuria.

HÆc propositio: Non debet fieri restitutio furti, modo is qui abstulit, partem rei furtivæ, aut pecuniæ relinquat Sacerdoti ut absolvatur: Reprobata est in Concilio Florentino inter errores Græcorum.

Non est peccatum pecuniam ad usuram concedere. Hic error cujus primi authores fuerunt Græci, damnatur in Concilio generali Viennensi, his terminis; *Si quis pertinaciter defenderit, quod dare ad usuras non sit peccatum, decernimus esse puniendum velut hæreticum.*

Nullus homo potest justè occidi, etsi id fiat ex præcepto Judicis legitimi. Abolita est hæc doctrina in Concil. Florentino, contra Waldenses, quam postea sustinuit Nic. Galecus.

Ad obtinendam martyrii palmam licitum est seipsum occidere, & per hunc actum fiunt verè martyres. Damnatur in Concilio I. Carthaginensi, contra Circumcelliones.

Licitum est aliquando mentiri, sive pro servanda vita, sive pro gratia magna alteri præstanda. Contrarium definivit Concilium IV. Calcedonense, & fuit inter errores Cassiani, quem postea cum cæteris retractavit.

Licitum etiam esse perjurium, docuerunt Priscillianistæ, quos refutat S. Augustinus in *libro de hæresibus.*

Non licere Christianis coram Judice postulare reparationem injuriæ, damnavit Leo X. & Concil. Trident. *seß.* 9. *cap.* 10. *de reformatione*, contra Lutherum.

Peccatum non esse, inimicum decipere, aut illi damnum aliquod inferre; damnatum in Calcedonensi IV. & inter errores Græcorum recensetur à Guidone, de hæresibus.

Injuriam non esse ob conjugis adulterium matrimonium consummatum dissolvere, docuit primo Montanus, postea Lutherus, sed à Trid. reprobatur *seß.* 8. *can.* 5.

Illicitum esse bellum inferre docuerunt Manichæi: idque specialiter Christianis prohibitum, censent Anabaptistæ, contra praxim, & doctrinam Ecclesiæ in Conc. Lateranensi sub Calisto II. & alibi.

Doctrina Theologica de Justitia, & Principia practica de legitima acquisitione, possessione, detentione, & quid in his licitum sit cum conscientia dubia, aut probabili, traditur infra *part.* 3. *tract.* 1. Item, in particulari de Præceptis & Quæstionibus pertinentibus ad Contractus, Testamenta, Furta; Usuras, Restitutionem &c. *part.* 3. *tract.* 3. *& seq.*

§. 5.

De Christo, & Verbi Incarnatione.

CHristum purum esse hominem, error fuit Ebionis & postea Arii damnatus in Nicæno I. sub Sylvestro Pontifice.

In Christo fuisse tantum naturam divinam, nec verum fuisse hominem docuit Valentinus, & Apollinaris, damnavit verò idem Concil. Nicænum.

Sicut in Christo admittendæ sunt duæ naturæ, divina, & humana; ita in eodem duas esse personas: item, Virginem Mariam matrem esse non Dei; sed tantum hominis, docuit Nestorius; sed doctrinam hanc hæreticam censuit Conc. Ephesinum III. *can.* 4.

Et è contrario, In Christo solum unam esse naturam, & unam personam, scilicet divinam, error fuit Eutichetis & Dioscori, damnatus in Ephesino III. & Calcedonensi IV. sub Leone primo.

Unicam in Christo fuisse voluntatem, eamque divinam, nullam verò humanam, error fuit Macarii Episcopi Antiocheni & aliorum qui dicti sunt Monothelitæ, & damnatur in sexta Synodo generali Trullensi *seß.* 17. in qua definitur in Christo duas esse volun-

voluntates, divinam quâ æqualis est Patri, & humanam quâ factus est obediens usque ad mortem.

In Christo non fuisse Spiritum timoris Domini, docuit Abailardus, ut refert D. Bernardus *Epist. 190.* At Ecclesia in Conc. Rhemensi confirmato ab Eugenio III. hunc cum cæteris Abailardi erroribus proscripsit.

Christum in Cruce adhuc viventem fuisse lancea vulneratum, reprobatur in Concilio Viennensi sub Clemente V. contra Petrum Joannis, tanquam apertè contrarium Evangelio *Joannis* 19.

Christum nunquam resurrexisse, sed tamen aliquando resurrecturum error fuit Cerinthi, quem damnavit Conc. Nicænum sub Sylvestro Pontifice.

Surrexisse autem horâ sextâ Sabbathi, inter errores Armenorum correxit Ecclesia in Concil. Florentino.

Ascendisse Christum in cœlum absque carne humana, docuit Apelles teste D. Augustino *lib. de hæresib.* sed proscribitur hæc doctrina in Conc. Ephesino III. *cap.* 13. sub Cælestino primo.

Filium DEI ignorare ultimum mundi diem, censuerunt Monothelitæ, contra quos oppositum definivit sexta Synodus generalis, Constantinop. sive in Trullo celebrata sub Agathone Pontifice.

Porrò nos cum vera Ecclesia, Christum pro omnibus, etiam reprobis, mortuum esse: Non oravisse Patrem pro solis prædestinatis: Impetrasse omnibus, etiam reprobis auxilia sufficientia ad salutem; contra recentiores horum temporum errores, fusius supra ex Trid. & aliunde probavimus in *Controversia 5. de gratia sufficienti* §. 2 & 3.

Doctrina autem Catholica de Verbi Incarnatione hæc est:

Primo dicendum, per Unionem hypostaticam, duas esse in Christo naturas in Persona Verbi subsistentes; naturam scilicet divinam & humanam, sine ulla Naturarum, Voluntatum, aut Operationum confusione: remanentibus etiam post unionem, Proprietatibus utriusque naturæ. Quod constat ex concilio Calcedonensi sub Leone Magno anno 451. ubi definitur *Filium DEI unigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum esse, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem,* juxta illud Joannis primo: *Et Verbum Caro factum est.*

Secundò, Unionem Verbi incarnati factam esse in Persona, sic nempè, ut compositum resultans ex utraque natura sit una Persona,

adeoque in Christo unicum esse suppositum. Ut definitum est in Concilio Ephesino sub Cælestino Pontifice.

Tertio, ex eodem dicendum, Humanitatem Christi fuisse propriè, physicè, & personaliter unitam verbo & non tantum habuisse cum eodem conjunctionem extrinsecam, moralem, aut accidentalem per amorem, & concordiam voluntatum, & operationem rerum mirabilium, ut volebant Nestoriani.

Quartò, quoad Sanctitatem & impeccabilitatem naturæ humanæ in Christo, Certum est inter Theologos, primò, Christum de facto nunquam peccatum admisisse: & hoc de fide est ex illo *Petri 2 Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*: Secundò certum est etiam Christum non potuisse peccare in sensu composito, id est, remanente unione. Tum quia fuit beatus à primo conceptionis suæ instanti, cum beatitudine autem non consistit peccatum. Tum quia ex vi unionis hypostaticæ communicatur humanitati Christi sanctitas Verbi infinita, exclusiva omnis peccati. Porrò quæstio Theologica est, an potuerit etiam absolutè in sensu diviso peccare: quod fieri non potuisse docet communis consensus Patrum & Theologorum apud Suarez hic *disp.* 32. *sect.*2. & Vasquez *disp.*61. *cap.* 3.

Quintò, Dicendum cum D. Thoma, & meliori parte Theologorum, Unionem hypostaticam esse aliquid realiter distinctum à natura divina, & humana. Ita docet etiam Scotus, Suarez, aliique communiter, contra Nominales & aliquos Recentiores. Quamvis ipse Occamus princeps Nominalium ab illis dissentiat *in Tertium, dist.* 1. *q.* 1. *Dico*, inquit, *quod unio addat aliquid ultra extrema unita, quia hic non potest evadi per negationes, & connotationes.* Rationem assignat D. Thomas, Quia potest esse Verbum, & hæc Christi humanitas, sic tamen ut humanitas non sit unita Verbo: ergò illa duo esse inter se unita importat aliquid ultra humanitatem & Verbum.

Sextò dicendum, Actiones Christi meritorias habuisse vim merendi & satisfaciendi in actu primo extensivè infinitam, sive valorem sufficientem ad præmium & satisfactionem infinitam. Ita cum aliis Suarez hic *disp.* 1. *sect.*4. qui docet vim illam infinitam provenire à sanctitate increata Verbi, quæ cum sit infinita, & humanitati unita, actiones Christi infinitè dignificat. Quanto autem persona est dignior tantò majus præmium ipsius actioni, & obsequio respondet. Hinc sequitur Christum pro peccatis humani generis non tantum condignè, sed etiam copiosè, & abundè satisfecisse. Et patet ex Apostolo ad Romanos 5. *Non sicut delictum ita & donum ... ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

Septimò

Septimò, quoad Causam sive motivum cur debuerit Verbum divinum incarnari; Dicendum, causam principalem fuisse Reparationem generis humani, & DEI gloriam ex ea provenientem. Patet ex symbolo Nicæno, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælo.* Probabilis est sententia Scoti cum pluribus aliis, Christum venturum etsi Adam non peccasset, sed in carne impassibili, ut etiam in illo statu esset Caput, & Causa meriti omnium electorum. Sed communior est opinio D. Thomæ, venturum non fuisse nisi dependenter à peccato. Quia Scripturæ passim insinuant peccatum, & maximè originale, fuisse motivum principale Incarnationis.

Cæterum, cum peccatum mortale, contra DEUM infinitæ dignitatis, sit aliquo modo malitiæ infinitæ, pro condigna illius satisfactione necessaria erat Persona dignitatis infinitæ, qualis erat Christus cum esset homo, & simul DEUS. Et hinc ulterius sequitur nullam potuisse dari puram creaturam, quantâvis supernaturali gratiâ ornatam, cui possibile foret pro peccatis humani generis ex rigore justitiæ satisfacere.

Porrò *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. demonstratur, quænam sit vera Christi Ecclesia, in qua salus possit obtineri, ex ipsius Christi promisso infallibili Ecclesiæ Romanæ antiquitate, unitate, amplitudine, sanctitate doctrinæ, & gloria Miraculorum; quæ in Ecclesia Romana, non alibi, persistunt.

§. 6.

De Sacramentis, & eorum effectu.

DOgmata hæc variis Ecclesiæ decretis reprobantur, & à Trid. infra citando *sess.* 3.

Sacramenta nullam per se causare gratiam, sed tantum excitare fidem quâ justificamur.

Novæ legis Sacramenta non deferre à Sacramentis legis antiquæ, nisi quoad ceremonias, & ritus externos.

Illa Sacramenta tantum esse signa quædam externa acceptæ per fidem gratiæ, aut notas quasdam Christianæ perfectionis, quibus fideles ab infidelibus apud homines discernuntur.

Sacramenta novæ legis ex opere operato non conferre gra-

gratiam, sed tantum fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere.

In Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima unde illa iterari nequeant.

Christianos omnes in administrandis Sacramentis potestatem habere.

In ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia.

Etiamsi Ministri in statu peccati mortalis constituti ponant omnia requisita ad essentiam & collationem Sacramenti, ipsum tamen Sacramentum in eo statu non conficere, aut conferre.

Ritus in Sacramentorum solemni administratione adhiberi consuetos omitti posse, & per quemvis Ecclesiæ pastorem sine peccato mutari.

Prædicta dogmata, & quædam alia de variis Sacramentis, damnata sunt à Concil. Trident. *sess.* 3. in decreto de Sacramentis Ecclesiæ, contra varios nostri temporis errores.

Censurâ recentiori Trium Pontificum in Diplomate, *Provisionis nostræ*, &, *In eminenti*, reprobatur doctrina sequentium propositionum.

In Sacramento Baptismi, & Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu pœnæ.

Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.

In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio: separata tamen à remissione peccatorum.

Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illâ, qua omne opus quod fit, ut sancta Societate DEO homo inhæreat.

Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

Pro refutatione horum dogmatum quæ postremo breviter adduximus, tantum usi sumus decisionibus ac decretis Conciliorum, ac Pontificum, quæ, ut supra dixi, sufficiunt cuivis homini Catholico, ut errores à veritate discernat. Ut verò ex eadem refutatione hæreticus convincatur, demonstranda est illi infallibilis authoritas definitionum Ecclesiæ, ac Pontificis Romani, quam

supra

supra in polemicis sub initium validis argumentis stabilitam invenies *pag. 53.*

Doctrinam Theologicam de Sacramentis in genere, & de singulis in specie tradimus infra *part.3.tract.de Sacramentis*, & sæpius alibi inter Quæstiones modernas, de quibus Index consulendus, & quædam puncta de Pœnitentia in §. sequenti.

§. 7.

Alia Puncta doctrinæ Modernæ ad pœnitentiam spectantia.

Certum est ex Tridentino *sess.14.c.5. & can.* 8. Sacramentum pœnitentiæ non esse carnificinam conscientiarum, ut eam nobis heterodoxi depingunt.

Certum est ex eodem *cap.* 6. *& can.* 9. Absolutionem Sacerdotis non esse nudum ministerium, sive declarationem tantum peccati à DEO remissi, sed ipsi absolutioni ex institutione divina inesse virtutem abolendi peccata per confessionem clavibus rite subjecta.

Quia verò quædam circumferuntur Dogmata, quæ videri possint cum mente Tridentini, & cum aliis ab Ecclesia constitutis minus convenire: ad majorem cautelam Missionario Apostolico ea dogmata ad puncta quædam redacta hic breviter proponemus, quamvis nonnulla colligi possint ex iis quæ alibi fusius deduximus.

PUNCT. I.

Necessitas dilectionis DEI.

Primò, docent nonnulli, *Omnem actum humanum esse peccatum qui non exercetur ex amore DEI propter se dilecti.* Volunt enim in omnibus actibus amorem illum requiri ex primo decalogi præcepto, *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*: nec posse omissionem istius dilectionis ulla ignorantia excusari, cum, sit præceptum juris naturalis, à quo (ut ipsi ajunt) nulla ignorantia excusat.

Damnavit autem constitutione inviolabili Pius V. Gregorius XIII. hanc Baji propositionem 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Hanc damnatam, à priori quo modo discernes?

Quod si quis velit, in omni actione requiri amorem Dei super

omnia, & perfectum: Sequetur porrò omnem prorsus actum humanum extra statum gratiæ esse peccatum, quia quisquis elicit actum charitatis perfectæ, hoc ipso statum gratiæ adipiscitur, etiam extra Sacramentum. Quinimo difficulter ostendet ille, qui requirit amorem DEI super omnia, se non exigere amorem perfectum. Quid enim est DEUM amare perfectè, quàm super omnes creaturas diligere? Si dicas in amore perfecto requiri majorem actus intensionem, quæro designari, penes quem intensionis gradum amor Dei perfectus ab imperfecto discernatur. Hunc sanè gradum designari non posse fatentur ipsi, qui tamen per majorem actus intensionem, amorem Dei perfectum ab imperfecto discerni volunt.

P. 2.

Dolor ex metu gehennæ.

2. EX superiori doctrina profluit hæc: *Peccat omnis, qui de peccatis dolet ex metu gehennæ absque charitate: Imo etiamsi doleat ex desiderio salutis æternæ.* Quia hic actus non concipitur ex amore DEI, sed ex desiderio salutis propriæ.

Doctrinam oppositam sonat Tridentini *canon.* 8. *Sessionis* 6. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam DEI de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*, de quo latius infra *part.* 3. *quæst.* 21.

P. 3.

Attritio in Sacramento.

3. IN *Sacramento Pœnitentiæ non sufficit Attritio, sive dolor de peccatis ex metu gehennæ, cum spe veniæ, & proposito emendationis.*

Sufficere autem istam Attritionem ex Tridentino *sess.* 14. *c.* 4. aliisque fusius ostendo *partis tertiæ q.* 21. *§.* 2.

Quod si quis pergat ad dolorem in Sacramento requirere, *Amorem DEI super omnia, qui per se absque Sacramento justificet*; Unum è duobus prætendere videbitur, Aut Absolutionem Sacerdotis peccatorem DEO non reconciliare, contra Tridentinum *sess.* 14, *cap.* 14. cum id per se præstet solus amor ante absolutionem elicitus, Aut certè dilectionem Dei super omnia vim non habere per se reconciliandi peccatorem absque Sacramento: quod damnatum est in Baji articulo 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Scopulus hic cautè vitandus, alias alterutra ex parte in doctrinam damnatam necessariò impinges.

P. 4.

P. 4.

Satisfactio ante Absolutionem.

IN quorundam novis libellis post proscriptum ab Innoc. X. Librum de frequenti Communione, sparguntur etiam in vulgus dogmata hic subjicienda, quæ quantum deterreant à Sacramento Pænitentiæ, & vim Absolutionis in pluribus enervent, aut imminuant, Missionario Apostolico cautè prospiciendum propono.

Non licet Sacerdoti peccatorem absolvere nisi prius satisfactionem injunctam expleverit.

Constat autem in Petro de Osma Doctore Salmanticensi damnatam esse à Sixto IV. hunc articulum: *Non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debent*: patet ex Bullarii *tom.* 1. *bulla* 17. Et sanè si ista praxis nova servanda foret, nullo modo excusanda esset Ecclesia, quæ istum ordinem inter partes Sacramenti necessarium, per tot sæcula in huncusque diem inverti permisisset; præsertim cum aliqui velint ordinem illum ad valorem Sacramenti necessariò pertinere.

P. 5.

Confessionis institutio.

2. *COnfessio præcipuè instituta est, ut Sacerdos injungat idoneas pœnitentias ac satisfactiones, quibus ante absolutionem peccati malitia deleatur.*

Vide an hoc viam non sternat, ut Absolutio censeatur nudum, & inane ministerium, non verò sententia judicialis per se remissiva peccati. Talem sententiam absolutionem esse affirmat, nudum ministerium esse disertè negat Tridentinum sess. 14. c. 6.

P. 6.

Dilatio Absolutionis.

EXtra casum necessitatis, non licet Sacerdoti peccatorem absolvere, sed differenda est absolutio, nisi de illius interna conversione, sive dispositione sufficienti habeat Sacerdos judicium moraliter certum, absque omni prudenti formidine.

Adverte quo vinculo hæc doctrina constringat manus Sacerdotis, & deprehendes vix illi relinqui potestatem absolvendi nisi in casu necessitatis: sic enim liceat argumentari. Non potest Sacerdos certior esse de conversione interna & sufficienti peccatoris, quàm ipse qui confitetur: imo nonnisi ex ipso pœnitente potest conversio ejus interna Sacerdoti constare. Atqui ipse

peccator non potest plerumque ita esse moraliter certus de sua conversione interna ut nullus prudenti formidini locus relinquatur; aliàs quoties actu percipit absolutionem, poterit certò & absque formidine illi constare de sua justificatione, quod est contra communem sensum & sententiam. Ergo vix dabitur casus quo extra necessitatem sacerdos possit peccatori absolutionem impertiri, si vera sit ferrea lex, quam dogma hoc recens natum tam Sacerdoti, quam pœnitenti imponit. Contra verò doctrina communis tradit, de interna pœnitentis conversione certitudinem non requiri, sed sufficere prudens judicium, sive rationi non levi innixum, etsi relinquatur etiam aliqua prudens formido de sufficienti illius dispositione.

P. 7.

Consuetudo peccandi.

Nisi adsint signa conversionis omnino extraordinaria, & nisi adsit casus necessitatis, differenda est absolutio peccatori habenti consuetudinem peccandi, qui ante absolutionem notabili tempore vitam non immutaverit, etsi cum lachrymis promittat vitare occasiones peccandi, & paratum se prabeat ut adhibeat remedia à Confessario prascribenda.

Certum est, doctrinam hanc adversari communi praxi Ecclesiæ, prout ea colligitur ex Authoribus classicis & maximè probatis; nullam hi admittunt legem universalem differendi absolutionem peccatori laboranti consuetudine peccandi, si talem ostendat dispositionem, qualem jam descripsi. Minimè igitur tutum videtur auscultare paucorum sensui cum tanta Sacramenti, & pœnitentis injuria, Sacramenti quidem, quia praxis illa paulatim à Confessionis usu plurimos deterreret, qui experti fuissent se cum singultu ac lachrymis absolutionis beneficium frustra implorasse. Accedit injuria pœnitenti irroganda, si repellatur ab auxiliis quæ virtute Sacramenti conferuntur, ut consuetudini pravæ potentius resistat: & præpostere adigatur, ne medicinam percipiat, nisi prius morbum curaverit. Quantum possit hæc praxis incommodi procreare Missionario, dum plura loca unus, & rarò perlustrat, satis edocet assiduus usus & experientia.

P. 8.

Timor relapsus.

Illicitum est absolvere peccatorem, quamvis de sufficienti illius dolore Sacerdos sit moraliter certus, si adsit probabilis timor de relapsu.

Si

Si vera eſſet hæc doctrina, nunquam liceret Sacerdoti abſolvere peccatorem, qui peccandi conſuetudinem actu non depoſuit, niſi forte in mortis articulo. Atqui hoc eſſe contra receptam in Eccleſia praxim, & conſenſum Doctorum, ignorare nemo poteſt, niſi qui in Theologorum placitis cupit eſſe peregrinus. Probatur autem antecedens; Quia quamdiu non eſt depoſita conſuetudo ad peccatum inclinans, poteſt ſubeſſe probabilis metus de relapſu in priora peccata, ac proinde ſi his authoribus credimus, pænitens conſuetudine prævià nondum actu depoſitâ nunquam erit abſolvendus. Quid ergo ſi aliquis ad plures annos cum inveterata conſuetudine depugnet nondum ex integro victor? Erit etiam illi pluribus annis de abſolutionis beneficio deſperandum; quod dici nequit.

P. 9.

Emendatio pro tempore notabili.

INvalida quoque eſt abſolutio peccatoris qui nondum exuit conſuetudinem peccandi, & de quo eſt probabilis timor ne relabatur, ſed debet abſolutio differri donec peccator notabili tempore vitam emendaverit.

Ex hac doctrina ſequi videtur idem incommodum quod ex ſuperiori. Sequitur inſuper invalidas eſſe confeſſiones durante conſuetudine peractas & plerumque tamquam ſacrilegas neceſſariò repetendas, nec id diſſimulant iſtius dogmatis authores. Per hoc autem induci videtur novum præceptum à praxi fidelium, & à mente Tridentini alienum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi ad Valorem Sacramenti tantum requirit, *Animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero*; nec addit, debere vitam eſſe emendatam notabili tempore, aut ex vi propoſiti certo conſtare pœnitentem non relapſurum.

P. 10.

Obſervatio Remediorum.

PRo irrita etiam habenda eſt abſolutio Sacerdotis, quando pœnitens poſtea non obſervavit ea quæ ad remedium à Sacerdote abſolvente præſcripta fuère.

Supponit hæc doctrina abſolutionem illam eſſe irritam, eo quod pœnitens dum abſolveretur, non habuerit propoſitum efficax vitandi peccata de cætero. Supponit autem defuiſſe tale propoſitum, quia non eſt ſecuta obſervatio mediorum ad abſtinendum deinceps à peccatis. Quia, inquiunt, ſi pœnitens efficaciter intendiſſet

disset finem, intendisset pariter media: atqui non est secuta observatio mediorum, sive remediorum ad vitanda peccata; ergo defuit illi propositum efficax deinceps abstinendi à peccatis, quod requiritur ad valorem Sacramenti.

Error illius argumentationis in eo potissimum versatur, quod supponat dispositionem præsentem esse inefficacem & insufficientem, si non duret eadem dispositio pro tempore futuro, & non inferat applicationem mediorum. Ac si prima dispositio etsi optima, non esset mutationi obnoxia, nec possit variis modis, & illecebris debilitata paulatim deficere. Cavendum insuper est ne hac viâ pedetentim accedatur ad doctrinam in Tridentino damnatam *sess. 6. cap. 25.* Ubi anathema intorquet, *si quis dicat, eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse justificatum.*

P. 11.

Dilatio pro quovis mortali.

Differenda est absolutio etiam cuivis peccatori culpam lethalem confesso donec notabili tempore vitam emendaverit: nisi absolutionem efflagitet justa necessitas, vel adsint signa conversionis omnino extraordinaria.

Peccat hæc praxis in eo, quod requirat ante absolutionem à quovis etiam peccato graviori præmitti notabili tempore emendationem ac satisfactionem. Ac si non possit homo, gratia DEI & libero arbitrio instructus, vel subitò, vel brevi saltem tempore ad meliorem frugem se convertere. Cum supponendum sit, peccatorem sufficientis gratiæ adjutorio non destitui.

P. 12.

Absolutio, & confessio Venialium.

Cavenda quoque sunt hæc nova quorundam dogmata. 1. Improbanda est frequens Absolutio à peccatis venialibus, qualis in monasteriis est usitata. 2. Apud Christianos primitivæ Ecclesiæ non erat usus confitendi venialia.

Opponitur generatim utrique propositioni doctrina Tridentini *sess. 14. c. 5. Peccata* (inquit) *venialia rectè, & utiliter & citra omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod Piorum hominum usus demonstrat.* Agnoscit Concilium illum esse usum piorum hominum, eumque esse rectum & utilem. Infero primò, Ergo rectè tam in monasteriis, quam à piis passim hominibus praxis illa usurpatur. Et ne dicas posse quidem fideles ea peccata utiliter confiteri,

non

non tamen absolvi, & expiari, contrarium ibidem innuit Tridentinum, dum subdit, eadem multis *aliis modis expiari.* Infero secundò, Ergo Confessio venialium apud fideles pios ac probos fuit in usu in primitiva Ecclesia. Hoc si neges, infero ulterius: Ergo in primitiva Ecclesia ab Apostolis edocta, peccata venialia non erant materia idonea Sacramenti pœnitentiæ, aliàs Christiani in primæva Ecclesia pii ac ferventes illa confiteri non prætermisissent: esse autem venialia materiam Sacramenti, nemo ut arbitror orthodoxus inficiabitur.

Ut hæc periculosa dogmata Apostolicæ doctrinæ amatores aversentur, non parum conducet digitum intendere in fontem minimè sincerum, ex quo hi perniciosi rivuli in aliorum libellos profluxerunt. Delibo pauca ex Litteris Abbatis Sancyrani *part. . l. t. 32. Confessio* (inquit) *peccatorum venialium non fuit in usu ordinario per Ecclesiam nisi valde serò ad expiationem ipsorum: quia spatio mille annorum & amplius justi, qui ea committebant, satis habebant ut plurimum eligere sua sponte quasdam pœnitentias leves, priusquam assisterent Sancto Missæ sacrificio.*

Hic ille est Sancyranus proprio nomine Joannes Vergerius, qui inter alia novæ doctrinæ capita, Ecclesiam quoque Bicipitem erigere molitus, statuit æqualitatem omnimodam inter S. Petrum & S. Paulum absque subordinatione in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ. Hanc autem doctrinam constat esse authoritate Apostolicâ profligatam, & omni censura dignissimam: habes ex ungue leonem.

Exemplar Diplomatis Urbani VIII. Anno 1641. Confirmantis Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. contra Propositiones vulgò Bajanas ab iisdem prohibitas &c. Item, Constitutio Alexandri VII. & Prædecessoris contra Propositiones Cornelii Jansenii, & alia huc pertinentia.

QUoniam in hoc Opere, & in aliis hoc tempore Controversiis non rarò occurrit mentio prædictorum Dogmatum, & Quæstionum ex illis emergentium: hinc sæpe dubitatur, qualia sint singula dogmata, quo modo, tempore, tenore proscripta. Per commodum igitur pluribus erit, præsertim Missionariis, si hic ipsa Pontificum Diplomata, & dogmatum seriem, ac verba integrè exhibeamus. Ut quoties de his dubium exoritur, ad primævum, & sincerum fontem facilè recurratur.

Urba-

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Eminenti Eccleſiæ militantis Sede, meritis licèt imparibus conſtituti, ſedulò meditamur, ut quæ, ad fidei Catholicæ conſervationem, à Prædeceſſoribus noſtris providè ſtatuta, & ordinata ſunt, firmiter perpetuò obſerventur; & cum opus ſit, noſtræ authoritatis munimine confirmentur. Dudum ſiquidem à fel. record. Pio Papa V. Prædeceſſore noſtro emanavit Conſtitutio tenoris ſubſequentis, videlicet, PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quod Religio Chriſtiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis Opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim, & promiſcuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ ſimul atque proſiliunt, penitùs opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, ſpectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ, in varias ſententias, offenſionis, & periculi plenas, tum verbo, tum ſcriptis prorumpunt; denique eis, etiam in Scholis, invicem controverſantur; cujusmodi ſunt ſequentes,

1. *Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*

2. *Sicut opus malum ex naturâ ſuâ eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex naturâ ſuâ eſt vitæ æternæ meritorium.*

3. *Et bonis Angelis, & primo Homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces & non gratia.*

4. *Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.*

5. *In promiſſione factâ Angelo, & primo Homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, quâ pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.*

6. *Naturali lege conſtitutum fuit homini ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.*

7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non rectè vocantur gra-*

gratiæ; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari.

8. *In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.*

9. *Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Iesum Christum malè meritis, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.*

10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.*

11 *Quod piè, & justè in hac vita mortali, usque in finem, conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ DEI, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

12. *Pelagii sententia est. Opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cœlestis meritorium.*

13. *Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.*

14. *Opera bona Iustorum non accipiunt in die Iudicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.*

15. *Ratio meriti non consistit in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solùm, quod obedit Divinæ legi.*

16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.*

17. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.*

18. *Opera Catechumenorum, ut fides & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

19. *Opera Iustitiæ, & Temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.*

20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

21. Hu-

21. *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.*

22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2.* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, *intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.*

23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.*

24. *A vanis, & ociosis hominibus secundùm insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.*

25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.*

28. *Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

29. *Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicunque aliunde, quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.*

30. *Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, at ab ea non superetur.*

31. *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.*

32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

33. *Catechumenus, justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata DEI observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur.*

34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.*

35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola* Philo-

Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor, creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42. Iustitia, quâ justificatur per fidem impius consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Iustitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & DEI mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio; separata tamen à remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm ut Dei mandatis pareant; cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio; à furto; à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, quâ omne opus, quod fit, ut sancta societate, DEO homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Vnde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur sunt prohibita præcepto, Non concupisces.

51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

52. *Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere posit, quo infecit prima transgressio.*

53. *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.*

54. *Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino cum Pelagii sit.*

55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

56. *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.*

57. *Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.*

58. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo DEO, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur.*

59. *Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.*

60. *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.*

61. *Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.*

62. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quòd sit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.*

63. *Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantē, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti,*

Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ Legis justificatio impleatur; similiter rejicitur.

64. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur; & palmes vivus in Vite Christo efficitur; pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut Martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino Justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde & Iob, & Martyres quæ passi sunt; propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo præter Christum, est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, Non concupisces; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, Non concupisces; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

77. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. *Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

79. *Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse à DEO creari, & institui sine justitia naturali.*

Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac, quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus: Vinculo quoque anathematis, eo ipso innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterum, ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti, plenius consulatur, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendam, facto opus sit, in primis diligenter expendat; deindè in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit; salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium, seu alios, fide, doctrina, & religione præstantes ocyus exequatur, faciatque, quidquid decreverit, inviolatè ab omnibus observari. Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendo; Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis: non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, & literis Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præ-

præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri Anno secundo.

Postea inseritur in eandem sententiam Constitutio Gregorii XIII. edita 4. Kalend. Februar. Anno 1579. Ipsa vero Urbani Constitutio edita est Romæ anno 1641.

NOTA.

Circa tenorem prædictæ Bullæ, cæperunt aliqui contendere, non debere apponi Comma sive virgulam, quæ superius notatur post illa verba *sustineri possint*, ac si sensus esset, ex illis proscriptis Sententiis, nonnullas aliquo pacto sustineri posse in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Verum ne ulla prorsus remaneret ansa dubitandi, curavit Pontifex deputatis Academiæ Lovaniensis Romæ existentibus per tres Cardinales Bullam ritè notatam, & authenticam in manus consignari. Idque testatur ipsum S. Congregationis Decretum datum 16. Junii Anno 1644. cujus hic verba subjicio.

Sanctitas sua omnibus ritè perpensis, & consideratis, mandavit ex Archivo ejusdem Congregationis, & ex Matrice Actorum, quæ in eodem Archivo conservantur, extrahi sive transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar præfatæ Bullæ, illudque sic extractum, collationatum, impressum, iisdem Sinnichio & Papio (deputatis) *per supradictos DD. Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium consignari &c.* Tradita autem est illis Bulla cum dicto Commate per eosdem Cardinales, præsente etiam Sacræ Gen. Inquisitionis Assessore Francisco de Albicis, nunc S. R. E. Cardinali, die vigesimo nono Julii 1644. Possim & ego hodie ejusdem exempla satis authentica exhibere. Et sanè res per seipsam manifesta est. Fatua namque esset Constitutio

Pontificia *Damnans, circumscribens, abolens* aliquas Propositiones, quæ tamen sustineri possint in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento; quæ enim sic sustineri possint, non pro damnatis, sed absolutè pro legitimis & veris in quovis tribunali habendæ forent.

ALEXANDER VII.

Constitutionis Innocentii X. Confirmatio & Declaratio contra Doctrinam Iansenii.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum DEI, Universis Christi Fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad sacram Beati Petri Sedem & universalis Ecclesiæ regimen inscrutabili Divinæ providentiæ dispositione nullis nostris suffragantibus meritis evecti nihil Nobis antiquius ex munere nostri debito esse duximus, quam ut Sanctæ fidei nostræ ac sacrorum dogmatum integritati traditâ Nobis à DEO potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tanquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ Auctoritatis remedium censuimus, non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à felicis recordationis Innocent. PP. X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio & Definitio tenoris qui sequitur, videlicet.

Innocentius Episcopus Servus Servorum DEI Vniversis Christi fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, Complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, uti easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum Propositionum est prout sequitur.

Prima, aliqua Dei præcepta Hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda:

Secunda: In interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Heretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnino omnibus Hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia DEI nobis ex Alto commissa, purgatis pravarum Opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit, pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem Quinque Propositiones, uti supra Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per Nos sollicitè implorata sancti Spiritus Assistentia, tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta Hominibus Iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent Vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blasphemiam, Anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione: Hæreticam declaramus & uti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ Interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana

voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam & hareticam declaramus & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse; Falsam, Temerariam, Scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat pradestinatorum mortuus sit: Impiam, Blasphemiam, Contumeliosam, Divina pietati derogantem, & Hareticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, pradicare aliter prasumant, quam in hac prasenti nostra Declaratione, & Definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra Hareticos & eorum fautores in jure expressis. Pracipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Haretica pravitatis Inquisitoribus, ut Contradictores, & Rebelles quoscumque per censuras, & pœnas pradictas, cateraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) Auxilio Brachii Sacularis, omnino coerceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super pradictis Quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, qua continentur in pradicto libro Cornelii Iansenii. Datum Roma apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominica millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio pridie Kal. Iunii. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Cum autem sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas Quinque Propositiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodē intento damnatas fuisse asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident; Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica Auctoritate eadem causa discussa est eâ profectò diligentiâ quâ major desiderari non posset; quamcumque dubitationē super præmissis imposterum aufere volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii ac maturâ deliberatione præinsertam Innocentii prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem & Definitionem harum seriè Confirmamus, Approbamus, & Innovamus, & Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse

Definimus & Declaramus, & uti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis notâ, quæ in prædicta Declaratione & Definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum ſæpe dicti Cornelii Janſenii, cui titulus Auguſtinus, omnesque alios tam manuſcriptos, quam typis editos; & ſi quos forſan inpoſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Janſenii doctrina, ut ſuprà, damnata defenditur vel adſtruitur, aut defendetur & adſtruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel occultè, imprimantve ſub pœnis & cenſuris contra Hæreticos in Jure expreſſis, ipſo facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæterisque Locorum Ordinariis ac Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ac Judicibus Eccleſiaſticis ad quos pertinet, ut præinſertam ejusdem Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, Declarationem; ac Definitionem juxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis aliisque juris & facti remediis, invocato etiam ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxilio, omninò coërceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, decimo ſeptimo Kal. Novembris; Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

NOTA.

Præter iteratam doctrinæ damnationem cum Innocentio X. Prædeceſſore communem, in hac Bulla Alexandri VII. inſuper diſertè definiri, easdem quinque Propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, *ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe.* Quia nempe aliqui prætendebant, Propoſitiones illas fuiſſe damnatas in ſenſu ab Authore non intento. Quinimo addebant alii, hanc rem de ſenſu Authoris, tanquam ad quæſtionem facti pertinentem, non potuiſſe à Pontifice infallibili authoritate definiri, quod refutatur ſupra *part. 1. pag. 76. & ſeq.*



PARS TERTIA,

RESOLUTIONES THEOLOGICÆ AD PRAXIM ACCOMMODATÆ.

SIVE

TRACTATVS PRIMVS,

PRINCIPIA PRACTICA,

Dictamina quædam Generalia, ex quibus ritè intellectis Resolutiones particulares facilè deducuntur.

PRINCIPIUM PRIMUM.

Dictamen Conscientiæ, & Ignorantia invincibilis.

Quivis tenetur sequi dictamen suæ conscientiæ, quamdiu, re examinatâ, nulla in oppositum dubitandi ratio occurrit. Hoc est: Si homo sine sua culpa absolutè judicet hic & nunc se obligari sub peccato ad aliquid agendum, vel omittendum, actu peccabit, si se isti judicio non conformet; & non peccabit, si conformet; quamvis aliàs à parte rei contingeret actionem, aut omissionem illam aliqua lege esse prohibitam.

Ratio est, quia conscientia nostra est proxima regula voluntatis, derivata à prima regula omnium actionum humanarum, nempe à lege divina & æterna, ut docet S. *Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 3.* Ergo qui agit secundum dictamen conscientiæ, naturali regulæ, à Deo sibi constitutæ se conformat.

Hinc fit ut omninò existimans se obligari ad jejunium die Dominico, teneatur à cibis vetitis abstinere. Et contra, judicans non

non esse abstinendum à carnibus die Veneris, non peccat si carnibus vescatur, quamdiu non potest ab illo errore se expedire.

Sunt quidam hoc tempore qui negent hoc Principium valere in actionibus, qui procedunt ex *Ignorantia invincibili* juris naturalis, ut si mentiaris ignorans mendacium esse peccatum, ajunt te per hoc à delicto non excusari. Hanc doctrinam in lucem protrusit Jansenius in suo *Augustino tom.2.de statu nat. lapsæ lib.2.c.2.* fætum illum adhuc informem cum paucis suscepit Sinnichius in *Saule ex-reg.l.1.c.96.* formare eundem & fovere conatur alius recentior, sed quasi umbram captans, de qua ambigit an talis ignorantia detur in rerum natura, credit tamen probabile eam dari, & à peccato non excusare.

Ad conatum hunc immaturum facile opprimit invicta ratio, communis authoritas, & ipse S. Augustinus *lib.3. de lib.arb. c.19. Non,* inquit, *tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Quin & ipsa ratio cum Augustino docet, in eo quod caveri non potest deesse voluntarium, sine quo nequit peccatum admitti: caveri autem non potest malitia quæ sic ignoratur, ut de ea nulla prorsus animum subeat cogitatio. Frustra autem opponunt, hanc ignorantiam in nobis ex libero Adami peccato profluxisse, nisi etiam velint nobis ad peccatum imputari ea, quæ contra legem naturæ ex cæcitate, amentia, aut concupiscentia nolentes incurrimus, quod nemo sanè admiserit, qui nolit hinc in alium errorem devolvi, qui negat libertatem à necessitate ad peccandum requiri, quod in propos.3. Jansenii, & aliis pridem damnatum est. Nec unquam ostendent hujus dogmatis male cohærentis authores, cur minus à peccato excuset ignorantia invincibilis juris naturæ, quam ea quæ est juris divini aut positivi, quæ pariter ex Adami peccato profluxit, quam tamen ipsi à delicti reatu omnino eximunt.

Denique, si doctrina illa vera foret, sequeretur aliquando dari casum in quo quidquid agas vel omittas necessario statuêris peccati reus. Ut si invincibiliter judices ad liberandum innocentem te hic & nunc ad pejerandum obligari; si pejeres, formaliter peccas, quia ignorantia hæc à formali peccato non excusat; si non pejeres, peccas contra conscientiam dictantem te sub peccati reatu nunc ad pejerandum teneri. Sequeretur secundò, Aliquos Sanctos Patres qui ex invincibili ignorantia errores aliquos in materia juris naturæ docuerunt, vel operando secuti fuerunt, damnandos esse, si ante mortem errores illos indebitè non retractarunt. Tertiò, cum in quæstionibus juris naturæ aliter

aliter in multis opinetur ac doceat tota Schola Thomiſtica, aliter tota Scotiſtica, neceſſariò alterutra, tanta quanta eſt, in formali peccato continuò verſabitur. Neque minus illis injurius eris, ſi ignorantiam illam vincibilem affirmes, quaſi viri tot integerrimi ad veritatem aſſequendam ſe non ritè diſponant. Eſt tamen quidam Recentior, qui oſtendit ſe hunc bolum facilè deglutire, ſed qui adeò laxioris eſt, quidni & alios dogmatum camelos facilè devoret.

Ex dictis ſatis liquet ea quæ fiunt ex ignorantia invincibili juris naturæ, nec eſſe homini libera, nec ad peccatum imputari poſſe: ac proinde doctrinam aſſerentium eam à peccato non excuſare, principium eſſe dirigendæ conſcientiæ non magis idoneum, quàm ſit iſtud: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, quod omnino damnatum eſt, ac ſupra refutatum *tract.* 2, *cap.* 2. §. 2.

P. II.

Ignorantia vincibilis.

COnſcientia vincibiliter erronea non excuſat abſolutè à peccato operationem aut omiſſionem, quæ ex illa ignorantia procedit.

Ratio eſt, quia cum ſit in hominis poteſtate conſtitutum prævio veritatis examine errorem illum vincere & deponere, operatio mala quæ inde ſequitur, ſaltem in ſua cauſa, eſt illi indirectè voluntaria, & ad culpam imputabilis. Potuit enim cauſam illius depellere, quam tamen amovere neglexit. Ignorantia enim *vincibilis* eſt quæ depelli potuit, & debuit; *invincibilis* quæ pro hominis arbitrio vinci non potuit, uti cum D. Thoma tradit *Wiger.* 12. *quæſt.* 7. *art.* 8, *Malderus, aliique Theologi.*

Hinc fit ut quis peccet atteſtando rem falſam, quam putat eſſe veram, ſi antea neglexerit veritatem inquirere: Item, ut delinquat omittendo ſacrum, etſi judicaverit diem non eſſe feſtum, ſi noluit in cognitione Feſtorum debitam curam adhibere. Et ſic de cæteris.

Nota tamen, peccantem ex ignorantia vincibili non ſemper committere novum peccatum formale diſtinctum à præterita omiſſione inquiſitionis debitæ. Ut ſi quis pridem ſuâ culpâ neglexerit inquirere, an tali die ſoleat eſſe jejunium, & poſtea ignarus jejunii iſto, die carnes comedat, non incurrit ille tunc novum & formale peccatum contra præceptum jejunii, de quo ipſi illo tempore nihil in mentem venit.

P. III.

P. III.

In dubio quomodo agendum.

QUi operatur cum Conſcientia practicè dubia, committit peccatum ejusdem ſpeciei cum eo de quo dubitat. Dicitur autem *practicè dubia*, quando pergit dubitare, non tantum de bonitate objecti, ſed etiam de honeſtate ſuæ actionis hic & nunc exercendæ. Exempli gratia, ſi quis dubitans an ſibi licitum ſit hic & nunc in die feſto ſtudere, pergit nihilominus ſtudio incumbere, incurrit idem peccatum quod ex feſti violatione contraheret.

Ratio eſt, quia talis exponit ſe periculo peccandi, cum non habeat determinatum judicium quod operatio ſua ſit licita potius quàm illicita. Tenetur proindè actionem ſuam ſuſpendere, donec re ulteriùs examinatâ dubium deponat, &, licitam eſſe ſuam actionem ex prudenti ratione concludat. Quibus autem Regulis homo in dubio conſtitutus poſſit ſe reſolvere ad dubium deponendum, & licitè agendum, ex ſequentibus principiis magis in particulari intelligetur.

P. IV.

Dubitanti favet Poſſeſſio.

IN *dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Hanc *Regulam* plurimi Theologi intelligunt non tantum de poſſeſſione alicujus rei, aut juris, ſed etiam libertatis, id eſt. Quando poſt diligens examen dubium adhuc perſeverat, licitum eſt homini quam velit partem amplecti, quia per ſolum dubium non cenſetur de conſueta poſſeſſione & uſu ſuæ libertatis deturbari. Quod ſi è contra poſſeſſio præcipiendi præſumatur ſtare pro lege, aut præcepto, non cenſetur homo poſſidere libertatem à legis obligatione ſolutam.

Ratio autem dicti axiomatis eſt, quod cuivis licitum ſit uti ſuâ libertate quam à Deo accepit ad agendum & non agendum, quamdiu poſt diligens examen non conſtat illum eâ poteſtate eſſe privatum: ſicuti licitè retinet alia ſua bona quamdiu non probatur ea alteri eſſe devincta; hoc autem non ſatis probatur, quamdiu res intra dubium hæret.

Quod autem dicitur, *In dubio tutior via eligenda*, rectè notat cum aliis *Wiger*. 1. *quæſt*. 19. *artic*. 3. *num*. 50. Regulam illam ſine limitatione acceptam non ſemper eſſe præcepti: ſed tantum eſſe aliquando Conſilii docet *Navarrus*, *Bonac*, *Sanch*. *Laym*. & plures alii. Sed quia aliquando dubium eſt, pro qua parte ſtet ipſa poſſeſſio, an pro lege,

aut

aut voto, aut libertate &c. ut hoc resolvatur statui potest hæc regula: In dubio quid sit in possessione, judicandum est possessionem pro eo stare pro quo est præsumptio, judicandum stare pro eo qui onus probandi rejicit in alium ut est reus; cui sufficit crimen, vel obligationem negare, quam actor debet probare. Quod si præsumptiones sint ex utraque parte, prævalere debent validiores. Si verò sint utrimque æquales, ita judicandum est, ac si nulla præsumptio esset. Est autem ipsa *Præsumptio juris*, suspicio quædam verosimilitudinis à jure approbata, ut in dubio eam tanquam assensum verum & prudentem sequamur, donec veritas aliundè innotescat. Porro ut ex prædictis casus particulares resolvere possis, ad sequentia adverte.

P. V.

Dubium an lex lata.

QUi dubitat de aliqua Lege an sit lata, vel de Voto an sit emissum, resolvere potest se tali lege, aut voto non obligari.

Quia ut lex vel votum obligationem inducant, debent sic proponi ut prudenter præsumatur ea verè existere, cùm autem in casu id præsumi non possit, dubitans manet in possessione suæ libertatis. Hinc si crás sit jejunium, & dubites an sit hora duodecima noctis; potes carnibus vesci. Quia non constat legem jejunii pro illa hora esse latam, adeoque voluntas retinet possessionem sui arbitrii ut istâ horâ carnibus utatur.

At si constet legem, aut votum existere, sed tantùm dubitetur an illis satisfeceris ad satisfaciendum obligaris. Quia tali casu lex & votum est in possessione. Hinc fit ut indubitatus Sacerdos dubitans an Horas legerit, eas persolvere teneatur.

P. VI.

An casus lege comprehensus.

QUi certus est de Lege lata, sed dubius est an casus occurrens lege illâ comprehendatur, rectè resolvit se quoad illum casum non obligari. Quia præsumptio quoad hoc punctum est pro libertate, non autem pro lege, cum post diligens examen maneat dubium; an in lege contineatur. Exempli causa: Præceptum est die Dominico abstinere ab opere servili: dubium manet an pingere sit opus servile; non teneor à pingendo abstinere.

P. VII.

An Lex acceptata, aut abrogata.

QUando constat de lege, sed dubium est an fuerit recepta, aut posteà abrogata, pergit illa dubitantem obligare. Quia pro lege, quam constat existere, stat præsumptio, & possessio juris ut ei obtemperetur, ac proinde alleganti, eam ab initio non esse acceptatam, aut aliquando fuisse abrogatam, incumbit probatio istius quod allegat, quam cùm dubius exhibere non possit, manet ea lege adstrictus. Quamvis in dubio de legis *Acceptatione* probabile sit eam non obligare, cùm plures doceant leges saltem civiles sine populi acceptatione esse invalidas, uti tenent plerique Canonistæ, *Item Navar. Azor, aliique citati à Laym. l.1. tr.4. c.3.*

P. VIII.

De fine Legis cessante.

QUando constat finem adæquatum legis ex toto cessare, cessat etiam totaliter ejus obligatio: uti cum communi docet *Suar. Covar. Ariaga de leg. d. 27. Sect. 6.* Ratio est, quia ordinatur tanquam medium ad procurandum bonum aliquod publicum, vel privatum, vel malum avertendum: ergo quando observatio legis ad hæc nullo modo conducit, cessat habere rationem medii.

Exempli causa: si lex lata sit ut nemo egrediatur civitate ob metum hostis, desinit obligare, si constet hostem procul abesse.

Hinc etiam inferunt aliqui apud *Ariaga suprà*; Cessante fine adæquato legis in casu particulari, probabile esse pro eo casu cessare legis obligationem. Quia quando ratio adæquata legis ex toto cessat, desinit etiam tota ejus obligatio, ergo dicendum est illam in uno casu desinere, in quo adæquatus ejus finis evanescit. Et hinc infertur cessare in casu individuo legem correctionis fraternæ, quando ex alterius admonitione nulla correctio speratur.

P. IX.

Dubius de Debito, de Solutione, & aliis.

QUi dubius est, post diligens examen. an aliquid alteri debeat, nihil tenetur solvere. Quia iniqua esset solutio certa pro debito incerto.

Verum, qui certus est de debito, & tantùm dubius est an persolverit, à solutione non eximitur, *Suar. Vasq. Dian. p.2. Tr.6.*

resf.

ref. 49. Eo enim casu pro debito stat possessio. Si tamen ipse simul creditor de accepta solutione dubitaret, opinantur alii debitorem ad nihil teneri; *Tanner.t.2.d.2.q.6.d.4.* alii docent pro qualitate dubii ad partem obligari, *Laym.Dian.p.4.Tr.3.resol.32.*

Si depositarius aut commodatarius dubitet an culpâ suâ amiserit rem quam depositam aut commodatam accepit, non tenetur ad restitutionē pro ea præstandam. Quia uterque est in possessione libertatis, neque lex ulla resistit, neque culpa præsumitur, nisi casus sit talis in quo culpa intervenire solet: quod etiam docet Schilder *de conscient. pag.* 442. & Bardi *pag.* 594.

Si mutuatarius aliquid mutuanti dederit supra sortem, sive valorem rei mutuatæ, & dubium sit an gratuitò donaverit, non licet mutuanti illud accipere. Quia lex, pro mutuo nihil accipiendi, nisi gratuitâ donatione, est in possessione; non præsumitur autem donatio: ut etiam docet Lessius, Bardi, aliique, contra Cajetanum.

Dubitans an censum debeat, non tenetur solvere, nisi creditor antea sit in possessione exigendi: quia alter est in possessione libertatis non solvendi, nec in tali dubio præsumitur censum deberi: ita etiam Schilder supra *pag.* 464.

Qui dubitat de ætate, doctrina, aut de alia simili conditione requisita ad Ordinem sacrum, aut aliquod Officium, non potest licitè illum Ordinem, vel officium postulare. Quia Lex requirens talem conditionem est in possessione, & conditio non præsumitur postulanti inesse, nisi id ab eo probetur, quam dubius probare non potest. Aliud est de quibusdam conditionibus quæ quasi naturaliter insunt, ut innocentia, quæ præsumi solet. Hoc pluribus confirmat Schilder supra, quamvis ex principiis à nobis nonnihil diversis.

P. X.

Dubium Possessori superveniens.

NIhil obest dubium superveniens bonæ fidei possessori. Quia, ut ex dictis colligitur, debet ei possessio favere. Hinc si emisti equum bonâ fide, & postea dubites an fuerit Petro ablatus, retinere potes, si nihil certiùs occurrat. Contraxisti matrimonium bona fide; exoritur dubium de valore, post diligentem veritatis inquisitionem si dubium permaneat, licebit debitum conjugale reddere alteri parti bonâ fide petenti: licere etiam tibi petere cum multis docet *Thom. Sanchez, & Dicastillo de Iust. lib. 2. tract. 2. disp. 5. d. 8. n. 221. & Diana p. 3. tract. 3. resol. 15. citans 8. Authores valde probatos.*

P. XI.

Dubius de Legis justitia.

IN dubio de Legis Justitia subditus ei parêre tenetur. Quia legislator possidet Jus præcipiendi, à quo subditus per solum istiusmodi dubium non probat se esse exemptum. Quod verum esse, etiamsi contra legis justitiam occurrant etiam rationes probabiles, docet *Suar. cum pluribus.*

P. XII.

Legum interpretatio.

IN legum interpretatione, *odia sunt restringenda, favores amplian-di : Reg. juris* 15. Hoc est, quæ odiosa & pænalia sunt, non extendi ultra proprium & rigidum verborum sensum : secus, quando legis gratiam aliquam largiuntur, & dubitatur de aliquo an verbis legis comprehendatur, judicandum est potiùs comprehendi. Præsumitur enim legislator ad favores quam ad pænas esse propensior. Hinc in dubio an censuræ verba te comprehendant, judicandum est non comprehendere.

P. XIII.

Metus in violatione præcepti negativi.

NUllus metus excusat à violatione præcepti naturalis negativi, prohibentis rem intrinsecè malam. Hinc ob metum mortis non licet unquam mentiri; aut aliquo signo fidem negare. Repugnat enim esse intrinsecè malam, id est, à malitia inseparabilem, si possit in aliqua circumstantia honestari.

P. XIV.

Metus in violatione præcepti positivi.

MEtus gravis sæpè excusat à præcepto positivo tam divino, quam humano.

Hinc cum periculo vitæ, aut gravis infamiæ, non teneris observare integritatem Confessionis, aut explere votum, aut succurrere proximo in extrema necessitate spirituali non obstante mortis metu, teneris v. g. baptizare infantem certò moriturum, aut absolvere peccatorem moribundum, quando constat aliâ viâ non posse juvari. Ad hæc tenetur etiam in gravi necessitate Parochus, cui ea cura ex officio incumbit.

P. XV.

Violatio præcepti indirecta &c.

NOn violat præceptum, qui ponit causam, sive actionem indifferentem, ex qua præter intentionem sequitur effectus

 malus,

malus, & æquè immediatè bonus, quando hujus bonitas illius malitiam elidit.

Ratio est, quia talis non intendit directè effectum malum in se, uti supponitur. Neque illum intendit indirectè in sua causa, cum illius causa assumat tantum in ordine ad effectum bonum & solum permissivè se habeat ad effectum malum accidens secuturum, quem non tenetur cum omissione æqualis boni, & suo incommodo impedire. Esset enim illa generalis, & frequens obligatio humano commercio nimis onerosa, uti fusius declarat *Sanch. in prac. l. 1. cap. 7.*

Hinc licita est mercatori venditio gladii, etsi videat inde secuturam injustam alterius læsionem; aut vini, ex quo videt alios inebrandos: si nequeat sine notabili detrimento gladium, aut vinum ementi negare.

Licitum quoque est Duci in bello justo turrim hostilem evertere, etsi videat innocentes in ea conclusos eadem ruinâ involvendos esse.

Possunt famuli equum parare, & officia alia præstare, licet sciant Dominum suum obsequio illo ad peccata usurum Quia ex omissione istius obsequii sequeretur ordinariè in famulos gravis indignatio, aut percussio, quæ efficit ut malum ex eorum actione secuturum ipsis non imputetur.

E contra, ad peccatum imputatur effectus malus, qui prævidetur secuturus ex causa indifferenti, nisi adsit ratio proportionata, quæ causam illam poni requirat. Hinc illicitum est apponere hospitibus cibum, quo videntur violaturi jejunium, quandò ad hoc nullus urget metus incommodi gravioris.

Quæres: Quomodo possit Confessarius violationem præcepti mortalem, à veniali peccato discernere?

Respondeo: Peccatum mortale à veniali optimè discerni per Regulas sequentes. Primò ex gravitate materiæ prohibitæ aut præceptæ colligitur gravis obligatio: materia autem gravis censeri debet, quam prudentes solent multum æstimare, sive in se, sive in ordine ad finem à legislatore intentum; v. g. exercere opus civile sine necessitate per notabilem partem diei festi, non autem per unam horam. Secundò, si legislator utatur verbis graviter prohibentibus in materia non levi v. g. *mandamus, districtè prohibemus, vel præcipimus:* potest enim, si velit, & id declararet, materiam gravem leviter prohibere. Tertiò mortalis est violatio præcepti, cui additur gravis pœna, aut censura Ecclesiastica; aut quandò aliquid præcipitur, in virtute sanctæ obedientiæ. Quartò ex parte pœnitentis, censentur Rudes mortaliter peccasse, quando ostendunt se dum peccarent

rem

rem graviter apprehendiſſe,aut magnam conſcientiæ turbationem, &remorſum habuiſſe:vix enim norunt hi rudes alio indicio formalem peccati ſui malitiam explicare.

P. XVI.

Quomodo Dubium à Probabili diſtinguendum?

VAldè accuratè notandum eſt, magnam eſſe differentiam inter dubium (de quo ſuprà actum eſt) & opinionem, ſive ſententiam probabilem.

Dubium enim eſt ſuſpenſio judicii circà rem propoſitam, ſic ut nequeat intellectus affirmare ita eſſe,vel non eſſe.Hoc autem oritur aliquando ex penuria rationis pro utraq;parte, ut cum dubitatur, an Stellæ ſint pares,an impares:aliquando ex æqualitate rationum pro utraque parte occurentium; undè fit ut intellectus nequeat ſe ad alterutram partem determinare, quamdiu æqualitatem rationum actu expendit: quamvis voluntas ſtante illa motivorum æqualitate,aliquando poſſit intellectum ad unius tantum partis aſſenſum inclinare.

Opinio autem probabilis eſt, quæ nititur ratione. vel authoritate gravi, ex qua ſcilicet homo prudens in rebus magni momenti concludere ſolet.

Unde patet primo,opinionem dici probabilem *intrinſecè*, quandò pro motivo habet rationes ab authoritate diſtinctas: probabilem vero *extrinſecè*, quando ſola authoritas movet ad aſſenſum.

Patet ſecundo, opinionem probabilem debere niti motivis, quæ per ſe ſufficiant ut intellectus poſſit determinari ad eliciendum pro una parte judicium prudens, quamvis ſit incertum, & inevidens, eo quod motiva iſtius judicii non ſint tàm evidentia,ut poſſint intellectum de rei veritate omnino certum reddere. In dubio autem motiva tàm ſunt exigua,aut ex utraque partè tàm æqualia,ut ſi inter ſe conferantur, nequeant pro ulla parte aſſenſum generare, aut conſcientiam ad prudentem actionem per ſe dirigere.

Itaque ulterius examen, quod diximus adhibendum, dum conſcientia hæret dubia, ad hoc plurimum ſervit ut majoris momenti rationes inveniantur,quæ ſufficiant ad formandum opinionem probabilem, quâ poſſit homo ſe à dubio expedire, & ad operandum prudenter & practicè reſolvere.

P. XVII.

Operatio quando licita ex Opinione probabili?

LIcita eſt plerumque operatio,vel omiſſio; quæ procedit ex opinione vere probabili.Dixi,*plerumque*, quia ad hoc quædam in ſequentibus ſunt obſervanda, & excipienda.

Ratio hujus patet ex ipſa definitione, & natura opinionis probabilis, & communi hominum æſtimatione. Nemo enim operationem illam vituperio dignam exiſtimat, quam ex gravi rationis, vel authoritatis fundamento licitam eſſe judicavit, quando poſt diligens examen ad majorem veritatis certitudinem pervenire non potuit. Sic enim viri prudentes in rebus magni momenti procedere ſolent. Undè factum eſt ut lectiſſima pars Doctorum, qui hactenus ſcripſerunt, hanc ſententiam communi calculo comprobaverint, ut magis patebit infra inter Controverſias generales Recentiorum §. 1.

P. XVIII.

Conſcientia practicè certa.

QUi operatur cum opinione verè probabili, poteſt habere conſcientiam practicè certam, quod licitè procedat.

Ratio eſt. Quia poteſt eſſe certus quod opinio, qua nititur, ſit probabilis, id eſt, nitatur motivis gravibus, ex quibus viri prudentus in rebus magni momenti operari ſolent. Atqui certus eſt quod prudenter agendo non poſſit peccare. Ergo practicè ſecurus eſt, quod hic & nunc operando peccatum non admittat. Illa enim concluſio eſt practicè certa, & ſecura, quæ ex præmiſſis certis ac indubitatis deducitur: & quamvis de materiali honeſtate objecti non ſit ſecurus, certus tamen eſt de formali honeſtate ſuæ actionis. Undè ſi probabiliter jejunus, judices tibi hic & nunc bonum eſſe communicare, hoc ipſo practicè certum eſt tibi licitum & bonum eſſe ad Communionem accedere, & ſi aliàs ſpectata rei exigentiâ communio illa prohibita foret.

P. XIX.

De opinione minus probabili.

LIcitum eſt ſequi opinionem verè probabilem relictâ opinione oppoſitâ probabiliori & tutiori: ſecluſa tamen certa injuria, periculo proximi, vel lege, aut conventione in contrarium, de quibus infra. Hæc ſententia eſt communis, & à longè maxima Theologorum parte ſemper recepta, adeò ut pro ea cum S. Antonio, Maldero, Wigers, ſupra centum authores citari poſſint, ut infra oſtendam.

Ratio hujus clara eſt primò, Quia qui ſequitur ſententiam gravi authoritate, vel ratione non levis momenti innixam, non agit temerè, ſed prudenter procedit, agendo communi more hominum prudentium; ſed opinio minus probabilis nititur authoritate

thoritate gravi, vel ratione non levis momenti: ergò qui juxta illam operatur, non agit temerè, sed ut solent procedere in suis rebus viri prudentes; prudenter autem operando nemo censetur peccare.

Secundò, Constat multò probabiliorem esse ex authoritate Doctorum hanc sententiam, quod liceat sequi minùs probabilem, mìnusque tutam, quam opinionem, quæ id negat: Ergò omnibus expensis amplectendo opinionem minùs probabilem, reflexè sequor sententiam probabiliorem, quæ docet licitum esse sequi opinionem minùs probabilem.

Tertiò, quia esset onus parùm conforme infirmitati humanæ, si cuivis sub reatu peccati incumberet in rebus agendis semper inquirere, utra duarum opinionum sit probabilior & tutior. Imò sæpissimè cogerentur homines actionem rectè inchoatam interrumpere, quoties scilicet de novo se offerrent aliquæ rationes, quæ facerent opinionem, quæ antea videbatur minus probabilis, modò apparere probabiliorem.

Hinc etsi probabilius sit legem purè pœnalem in materia gravi obligare sub mortali, uti cum 19. aliis docet Suar. licitè tamen sequeris opinionem contrariam cum Navarro & 7. aliis probatis authoribus. Undè similia resolves plurima.

Dixi suprà, *seclusa certa injuria proximi, aut lege, aut conventione in contrarium, aut periculo gravis mali.* Quia illa impediunt usum opinionis speculativè probabilis, eo quod efficiant ne tunc possim habere judicium practicè certum de honestate meæ operationis. Hinc licet mihi sit probabile feram esse quam video moveri in sylva, si tamen probabilius, aut etiam probabile sit esse hominem, non possum me licitè ad jaculandum resolvere, idque propter periculum gravioris mali, quod in adimenda hominis vita consistit. Ex quo etiam sequentia deduces.

P. XX.

Quid in administratione Sacramentorum.

IN Administratione Sacramentorum, non licet sequi sententiam speculativè probabilem circa valorem Sacramenti, quando non deest potestas sequendi tutiorem.

Hinc illicitum est baptizare infantem in solo digito, vel aqua rosacea, aut nivali, quando aliter fieri potest: etsi speculativè, id est, considerata ratione vel authoritate, sit probabile baptismum in digito validum esse.

Item, non licet moribundo conferre absolutionem probabiliter tantum valituram, quando certior impendi potest.

Ratio est, quia licet opinio probabilis possit reddere actionem licitam, non potest tamen facere Sacramentum validum, si contingat requisita ad materiam, formam, aut valorem deesse: Ergo Minister Sacramenti hoc advertens magnam suscipienti irrogat injuriam, exponendo eum periculo ne privetur gratiâ, & effectu Sacramenti, quæ à verà materia, & forma, & valore dependent.

Nisi tamen ipse suscipiens licitè consentiat, ut sibi Sacramentum aliquod cum opinione merè probabili administretur, extra necessitatem.

P. XXI.

Quid possit in probabili Judex, Advocatus, Medicus, Jus incertum &c.

Respondeo ad primum: Quandò circà jus litigantium opiniones sunt utrimq; diversæ, tenetur Judex sequi opinionem propriam, vel illam quæ ipsi, omnibus expensis, videtur esse probabilior. Ita docet Sotus, Valencia, Bardi, Bannez, Thomas Sanchez, Scildere *de conscientia pag.* 147. Contra Joannem Sanchez, Ovicdum, Salas, & alios, qui tradunt saltem licere Judici sequi alienam opinionem contra propriam in materia civili, & quæstione juris, nisi ubi lex, aut consuetudo id vetat.

Ratio cur Judex teneatur sequi probabiliorem hæc est: Quia non habet potestatem aliter judicandi quàm voluerit Respublica, aut alii à quibus suam potestatem accepit: Atque illi omninò censendi sunt voluisse ut judicaret juxta id quod omnibus expensis ipsi videretur probabilius. Hoc enim maximè expediebat, ne locus esset largitionibus, aut acceptioni personarum. Vix enim de aliqua causa litigatur, in qua utrimque probabilitas aliqua non occurrat. Et hoc videntur Judices promittere, quandò officium suscipiunt, ut colligitur ex Authentica ad legem, *Rem non novam*, apud Scildere supra.

Quandò autem una pars non apparet alterâ justò probabilior, debet Judex vel rem inter litigantes ex æquo dividere; vel, si dividi nequit, aliter utrique parti satisfacere. Nisi fortè alter litigantium vel sit possessor, vel sit reus, cui etiam contra actorem favet possessio. Excipi etiam solent causæ quæ vocantur piæ, & privilegiatæ, quales sunt causæ pro matrimonio, dote, libertate, pupillo, pro quibus judicandum est, ceteris paribus, etiam contra reos, qui jus ita disponit.

Respondeo ad secundum: Advocatus potest licitè defendere causam quæ ipsi videtur minus probabilis, modo spes affulgeat fore ut ea causa judici probetur. Ita communius docent Theologi.

Quia

Quia per hoc nec clienti, nec parti contrariæ injuriam facit, non magis quam si ipse cliens tali casu suam causam apud judicem ageret. Advocatus enim controversiam non definit, sed judici eam relinquit, quem meritò supponit, omnibus auditis, ex æquo & bono judicaturum.

Respondeo ad tertium: Medicus tenetur adhibere suo ægro medicinam certam, relictâ aliâ probabiliter tantum profutura, si certam ad manum habeat, & sine suo, & ægri incommodo adhiberi possit. Ratio est, quia primo Charitas ad hoc obligat, ut consideranti facilè patet. Secundò obligat justitia, si sit Medicus mercede conductus: quia inter ægrum & medicum intercedit hoc pactum saltem implicitum, ut applicet remedia quæ videntur securiora, & probabilius profutura. Hic ergo intercedit conventio, quam supra puncto 19. diximus posse obstare usui sententiæ speculativè probabilis.

Quod si non inveniantur remedia certa, tenetur Medicus adhibere illud quod videtur ipsi securius omnibus spectatis. Hoc enim meritò importat tacita conventio, quâ quisque censetur pacisci cum suo medico: & ipsi Medici quandò ægrotant idem volunt sibi ab alio præstari. Nec frustra addidi, *omnibus spectatis*; tenetur enim Medicus considerare non tantum suas rationes & experientias, quæ sæpe ultra potionem, & lanceolam parum procedunt, sed etiam authoritatem, & experientiam aliorum peritiorum: hoc sanè studium, & hanc curam æger à medico quem conducit suo jure expectat.

Quando autem contingit desperatam esse vitam ægri, nisi applicetur medicina, de qua æquè incertum est, an sit profutura, an nocitura, potest ea adhiberi, ut docet cum communiori Thomas Sanchez, Layman Bonacina Scildere *de conscient. pag.* 170.

Respondeo ad quartum: Non licet privato authoritate propria occupare rem ab alio bona fide possessam, quamvis probabile, vel probabilius sit rei Dominium ad illum pertinere: ita habet sententia communis, contra Joan. Sanchez *disp.* 33. *num.* 42. Ratio est: Quia bonæ fidei possessor justè rem possessam defendit contra privatum eam eripere volentem, non minus quam sciens rem certò esse suam; quod verum est, etiamsi inceperit dubitare an verè res esset sua: idque constat ex juris Reg. 136. digest. de reg. juris: *Bona fides tantundem possidenti præstat quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Ergò privatus propter jus suum probabile non potest bonæ fidei possessori rem eripere. Nisi enim hoc leges inhiberent incertissima passim esset rerum possessio, & mutuis rapinis perpetuò obnoxia.

Docent plerique idem dicendum etiam de Regibus probabile tantum jus habentibus ad invadendum aliquod regnum vel provinciam. Contra tamen adferuntur Authores non pauci. Res igitur decidi potest per judicium, vel arbitros: quod si altera pars judicio stare nolit, propter hanc injuriam invadi potest.

P. XXII.

Regulæ pro Opinionis delectu.

PRo notitia & delectu opinionis verè probabilis, ut securiùs procedatur, magni momenti erunt Regulæ sequentes.

I. Si duo tresvè Scriptores sive antiquiores, sive recentiores sententiam doceant, quam alii passim censent improbabilem, non debet illa probabilis æstimari.

II. Etsi reperiatur author unus altervè, aut plures aliquid obiter asserere, quasi per transennam, sine ullo istius materiæ examine, per hoc non redditur sententia illa probabilis, præsertim si alius, qui eam materiam ex professo tractavit, contrarium doceat.

Item, Quandò Author aliquis cognoscitur solitus affectare opiniones novas, singulares, aut laxiores, si in eo reperias sententiam quæ prima fronte apparet paradoxa, sive à communi sensu plurimum discrepare, etsi alios pro ea citet, non rectè eam sententiam judicas probabilem, nisi eam ulterius apud alios non similes, examines. Prudenter enim suspicari potes talem Authorem pro suo genio magis novitati, quam veritati studuisse.

Idem dicendum, quandò pro sententia aliqua duos tresvè Authores citatos reperis apud aliquem Scriptorem, qui deprehenditur sæpè in citando parum esse fidelis: ideoque consulendi sunt alii ut formetur judicium prudens de probabilitate istius opinionis.

III. Quandò author doctus & probus, non tantum ut veram docet, sed reflexè & in terminis affirmat, sententiam aliquam omnibus consideratis esse probabilem, aliis id præcisè non negantibus, merito credis certitudine morali, & humana illam esse talem; eumque ea de re Doctorum judicia maturè examinasse; eoque magis si ipse sententiam contrariam doceat; tunc enim vel maximè apparet, illum ex privato erga suam doctrinam affectu non judicare.

IV. Quandò author, qui solet esse in citando valdè accuratus, adducit quatuor vel quinque probatos, aut magni nominis authores pro aliqua sententia, prudenter judicas illam esse probabilem. Meritò enim & illius fidelitati in citando, & horum judicio

cio in asserendo fidem adhibere potes, cum supponantur esse graves, & probati authores. Quod alii etiam de paucioribus admittunt. An, & quando possit unicus Author sufficere, dicam paulò infra §. 3.

V. Notandum porrò pro iis, qui libris destituuntur, pro quibus potissimum scribimus. Quando à viro gravi, cui meritò fidem negare non potes, tibi absque scripto serio affirmatur, sententiam aliquam esse probabilem, rectè & prudenter judicas illam esse talem. Illius enim authoritas respectu tui est omninò gravis, nec habes rationem dubitandi, quin de iis, quæ ad probabilitatem requiruntur, sit ritè instructus, & informatus. Sic rusticus rectè credit, & acquiescit suo Parocho, aut Confessario, dum sententiam aliquam probabilem esse affirmat.

P. XXIII.

An, & quomodo opiniones aliquando Probabiles possint per Censuras aut aliter fieri Improbabiles.

DIcendum primò, Prælatos Ecclesiasticos tam Sæculares, quàm Regulares posse ob justas causas suis subditis prohibere, nè certas Propositiones doceant, sustineant, aut in praxim externam deducant, etsi non desint alii probati Authores, qui doctrinam illam ut probabilem recipiant.

Quia Prælati respectu suorum subditorum habent jurisdictionem, ut in materia etiam indifferenti ferant leges eorum directioni conducentes, qualis potest esse abstinentia ab usu doctrinæ, quæ prudenter judicatur illis nocitura, etsi ea non sit aliis interdicta.

Dico Secundò, Hujusmodi prohibitio, aut censura, alios præter eorum subditos obligare non potest, quo minus doctrinam ab iis prohibitam doceant, eamque in praxi sequantur.

Quia ista censura aut prohibitio, doctrinæ veritatem non attingit, sed tantùm vim habet alicujus præcepti, ut alios ab ejus usu coerceat; præceptum verò Prælati ultra ejus subditos extendi non potest.

Dico tertiò, Eadem ratio est de Censura alicujus Doctoris, aut Academiæ, quæ istius tantum Facultatis Academicos ad obtemperandum obstringit: doctrinam verò per se non reddit improbabilem, sed vim habet privatæ authoritatis, qualem obtinent alii Authoris paris dignitatis, & eruditionis, qui de eadem doctrina suum suffragium tulerunt. Hinc sicut Sedes Apostolica (quæ sola in reliquam Ecclesiam magisterium exercet) aliorum sæpe Doctorum sententias damnat aut interdicit, sic ipsas

Præla-

Prælatorum aut Academiarum censuras non rarò graviori censurâ castigat, & erroneas esse declarat, ut probant non pauca, quæ præsto sunt superiorum temporum exempla.

Et hoc quidem Censurandi munus proprium esse Romano Pontifici, rectè docet Facultas Theologica Academiæ Lovaniensis in Justificatione suæ Censuræ editæ contra aliquas Propositiones de Prædestinatione, Gratia Christi &c. anno 1588. ubi pag. 6. sic loquitur.

Et Censuræ quidem illi nomen dedimus, non quasi damnationis authoritatem nobis sumentes, quam Sacrosanctæ Apostolicæ Sedi propriam esse non ignoramus, sed Scholasticum tantùm ferentes judicium sententiamque nostram dicentes, aut ut verius loquamur, non aliud quam fraternam correptionem interponentes &c. At quomodò eadem iterum, & quidem sub nomine Censuræ, quamvis mandato Sixti V. pridem irritæ, novis typis quasi rediviva nuper lucem aspexit?

Itaque sciendum est, hoc modo opiniones, quæ aliquibus authoribus visæ sunt probabiles, aliquando fieri omninò improbabiles: nempe si constet illas, non ab homine tantùm privato, sed ab Ecclesia, vel Pontifice aliquâ Censurâ notatas esse, aut prohibitas omninò doceri, aut in praxim deduci.

Tales sententias in doctrina morali non ita pridem collectas, & ab Alexandro VII. censuratas, & ritè proscriptas, ad communem utilitatem, & doctrinam hic subjicio: ut sciatur etiam in Missionibus, ubi occasiones occurrent, ab earum usu, & praxi cavendum esse.

Sententiæ prohibitæ ab Alexandro VII. Anno 1665. & 1666.

1. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actũ Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est; anno 1629 18. Julii in Consistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque

cunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proindè non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa accipere licitè, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti respondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cùm Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retentâ.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans viæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Li-

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel ex inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, adeoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

18. *Martii* 1666. *prohibitæ.*

29. IN die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Ex

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleëmosynas, quas ante beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confiteri quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Prædictas Sententias & earum singulas sua Sanctitas statuit ac decrevit, minimùm tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas: ita ut quicunque illas conjunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè aut privatim

tracta-

tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem Pontifici reservatam. Uti patet ex Decreto Alexandri VII. in Congreg. generali universalis Inquisitionis die 24. Septemb. an. 1665. & die 18. Martii an. 1666.

CONTROVERSIÆ GENERALES RECENTIORUM,

De probabilitate opinionum.

§. I.

Exponitur status Controversiæ, & Communis Authoritas contra Impugnatores Probabilitatis.

COntroversia de licito usu opinionis probabilis, relictâ etiam probabiliori, vix ante hæc tempora mota, aut nota fuit, de illo usu passim antiqui non dubitarunt. Placuit tamen quibusdam, nescio quo affectu doctrinam aliis omni ævo communem, tanquam Scholæ Societatis propriam, multis modis insectari. Non equidem tali nos honore dignamur, ut magnorum virorum qui nos præiverunt duces statuamur. Inter primos Scriptores Societatis extitit Gabriel Vasquez, hic tamen disertè notat 1. 2. *disp. 62. cap. 4. num. 14.* doctrinam illam in Scholis longè ante sua tempora communem fuisse. Ante illum idem notavit Michael Salonius *tom. 1. de just. qu. 63. art. 2. cont. 2. conclus. 4. asserens,* Multos; ac gravissimos Doctores ita sentire, ac maximè ex discipulis S. Thomæ. Et verò ante Societatem pridem eam doctrinam tradidisse reperitur ex Schola Thomistica Barthol. Medina *1. 2. qu. 19. art. 6. conclus. 3.* Lud. Lopez. *p. 1. instruct. cap. 120. concl. 3.* agens de Confessario absolvente juxta pœnitentis opinionem minus probabilem. Fran. Victoria *in summa de Confess. num. 177.* Thomas Mercado *de Contract. lib. 2. cap. 5.* Dom. Sotus *in 4. d. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5.* ubi resolvit Confessarium licitè procedere cum omissione opinionis probabilioris & magis tutæ Barthol. de Ledesma in *Summarii de pœnit. diffic. 14. concl. 5.* Cui fortè inter antiquiores accenseri posset Petrus Ledesma in *Summa p. 2. tract. 8. cap. 22.* ubi ante concl. 12. asserit etiam hanc sententiam tenere Medinam, & Orellanam, & multos alios Doctores, ac præcipuè discipulos S. Thomæ.

His

His consentiunt passim hodie ex eadem Schola viri eruditione eximii, & nobis notissimi. Nec non ex Schola amplissima Doctoris subtilis Scriptores celeberrimi, quibus non leve pondus recentius adjecit authoritas gravissima Rev. P. Hernix, uti & P. Van Sichem moderni Provincialis, qui in Thesibus celeberrimis Lovanii defensis 10. Septembris anno 1669. hanc de probabilitate doctrinam plurium testimonio solidè confirmat, & postremò thesi 33. adducit Alexandrum Alensem, qui in sua summa Theologica sæpe sententiam probabilem, etiam minus tutam sequitur, ac proponit. Illam autem Summam jussu Alexandri IV. Facultas Parisiensis examinavit, & appensis septuaginta duorum Magistrorum sigillis approbavit, ipseque Alexander IV. Pontificio diplomate confirmavit. Quomodo confirmavit securè, si sententiam probabilem & minus tutam non securè sequamur?

Ut verò rem hanc ex aliorum testimonio, ac disertis verbis summatis perstringam: Barthol. de Ledesma *de Sacram. Pœnit. d.* 14. *conclus.* 5. pronunciat hanc doctrinam esse verissimam, *& probari ex usu universali omnium.* Stephanus Spinola *opusc. de libera & prudenti electione agibilium, in præfatione* asserit esse, Recentiorum omnium calculo, & universali pænè populorum usu confirmatam. Hier. Garcias in *Summa tract.* 1. *diffic.* 5. *dub.* 2. *num.* 5. docet, tam communem & securam esse istam conclusionem, ut solus Machado pro se alleget 45. recentes Authores. Nec pauciores profert Pasqualigus Theatinus *decisione* 5. judicans, Hanc sententiam esse certissimam, & in materia morali posse demonstrari. Neque hæc unius gentis, aut Scholæ vox est: Cum pluribus ex Gallia Ysambertus, ex Hispania Montesimus, ex Italia Bonacina, uno ore pronunciant, hanc esse *Communem Theologorum Sententiam.* Adeò ut Angelus Bossius Clericus Regularis *Tom. moral. varior. ad tit.* 1. *in appendice*, non dubitet affirmare: *Apud* quoscunque doctos & simul probos in toto orbe Christiano nihil magis decantatum, quam licitum esse in operando sequi quamcunque opinionem probabilem; dummodo sit probabilis, etiam minus tutam, ubi non agitur de valore facti, vel de damno insequendo, sed de sola honestate operationis.

Denique ut summatim procedam, pro hac sententia, quam ex *Bossio* jam expressi, adducere possim cum nostro *De Champs* in *lib. de quæstione Facti*, extra Scriptores Societatis, Episcopos decem, Doctores Sorbonicos quatuor, nec plures ex illis nostro sæculo de hac quæstione scripserunt. Addo ex aliis Ordinibus Religiosis

ligiosis simul sumptis Authores omnino sexaginta. Et ex cæteris orbis Christiani Doctoribus clarissimis, viginti duos. Quod si velimus omnium simul Authorum etiam Societatis numerum inire, pro nostra sententia centum quinquaginta novem adducit Sarasa *in part. 2.* nec pauciores pro ea recenset Terillus *in quæst. 21.* qui ut fidus, & oculatus sit testis, illos à se lectos affirmat: author eximiè doctus & religiosus, & pro illustranda re litteraria longiori ævo dignissimus.

Mirum sanè paucos Recentiores, qui contra probabilitatis usum insurgunt, ex tot Scriptoribus, unum sibi vel alterum tanquam probabilitatis authores exagitandos suscepisse, ac si in ceterorum omnium Scriptis peregrini fuissent.

At volvenda illis erant saltem Pontificum oracula, ne nimis incautè per authoris privati latus supremæ sedis authoritas impeteretur. Licitum esse amplecti opinionem probabilem omissa tutiore saltem minus probabili, senserunt illi Pontifices, qui in voto solemni Castitatis de facto dispensarunt, scilicet, Alexander III. Honorius II. Cælestinus III. Clemens II &c. Quia tantum est probabilis opinio, quod Pontifex habeat potestatem dispensandi in solemni voto Castitatis. Hanc tamen sententiam sequi non dubitarunt, omissâ tutiori quam docet D. Thomas, & plures alii, nimirum non posse Pontificem in solemni Castitatis voto dispensare. Tutius sanè foret Pontificem, negando dispensationem, se non exponere periculo usurpandi potestatem sibi indebitam, & Religiosum non collocare in periculo deinceps peccandi contra votum castitatis; quod fiet, & quidem in materia quæ est contra legem naturæ, si fortè probabilis opinio quam secuti sunt illi Pontifices à parte rei non subsistat.

Possem quoque hic adducere authoritatem, & exemplum in luce Ecclesiæ notissimum, illorum Pontificum, qui non dubitarunt in Matrimonio rato dispensare; quod tamen per Pontificem solvi non posse, *opinionem esse probabilissimam, & eam Theologos communiter tenere*, affirmat Sanchez *lib. 2. de matrim. d. 14. n. 1.* citatque pro ea Scotum, & Scotistas, pluresque alios, cum Domin. Soto, qui *lib. 7. de Iust. q. 2. a. 5.* eam habet ita certam, ut vix velit oppositam esse probabilem. Unde manifestum est primò, Opinionem quam indispensando secuti sunt Pontifices tantum esse probabilem: secundò illam esse minus tutam, cum multò tutius foret non dispensare in matrimonio quod constat fuisse ratum & validum, & per omissionem dispensationis nullum erat periculum alicujus legis violandæ. Dispensationem verò in matrimonio rato concessisse reperitur Gregor. VII. Martinus V.

Eugenius IV. Paulus III. Greg. XIII. Pius IV. & Pius V. Idemque fecisse Adrianum VI. olim Lovanii Doctorem fatetur Sinnichius in *Saul. Exr. c. 17. pag. 227.* quamvis ipse Adrianus aliquando docuerit illam potestatem Pontifici non competere.

Facile foret eandem sententiam probare ex Jure Canonico Cap. *Laudabilem, de frigidis & maleficiatis*, ubi Cælestinus III. naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, si frigiditas prius probari non poterat, concedit ut cohabitent ad triennium; atqui post copulam per biennium frustra attentatam, multò probabilius est sub finem triennii subesse impedimentum impotentiæ, adeoque matrimonium esse nullum; & multò tutius foret à thoro conjugali abstinere, & utrimque castè vivere, idque in materia juris naturæ, in qua Pontifex nequit dispensare. Et tamen in casu illo conjuges licitè se mutuo tangunt, & copulam tentant, idque à Pontifice positivè permittitur: non aliam certè ob causam, quam quia usque ad finem triennii manet probabilitas potentiæ ad copulam, quamvis illa sit multò minor quam probabilitas impotentiæ, appetente fine triennalis experimenti.

Certum ex iis quæ ab initio tradidimus satis colligitur, usum sententiæ probabilis à suis assertoribus ad quamlibet materiam non extendi, ut dum agitur de valore Sacramenti, de certa injuria, & aliis supra explicatis.

§. 2.

Dissolvuntur aliquorum Theologorum argumenta.

Objicies primò, Qui sequitur opinionem minus probabilem, minusque tutam, incurrit majus periculum peccandi, quàm si amplecteretur opinionem probabiliorem, ac tutiorem. Hoc verò existimari debet illicitum, ut quis sciens, volensque se violandæ legis periculo exponat.

Respondeo negando antecedens, & id quod gratis supponit. Nego inquam, illum qui opinioni sive magis sive minus probabili adhæret, ullum peccandi periculum adire: frustra igitur de majori periculo disputatur, ubi nullum incurritur. Certus enim est se prudenter, adeoque licitè agere, quando procedit ex opinione quam constat esse verè probabilem, sive niti ratione vel authoritate non levis momenti: qui autem prudenter agit, non potest formaliter peccare, etiamsi contingeret objectum circa quod versatur esse materialiter malum, sive aliqua lege prohibitum,

bitum. Nullum igitur hic incurritur periculum peccati formalis, omne autem periculum peccati materialis semper evitare nullâ lege jubemur, uti etiam ex resolutione, & dispensatione summorum Pontificum supra demonstravi.

Instat tamen iterum Wendrochius hoc syllogismo, ut ipse arbitratur, gravissimo; sed nullius ponderis, si rectè libretur. Ille inquit, contra conscientiam agit, qui id facit quod conscientia judicat non esse faciendum. At cum aliquis probabilius esse censet, aliquid esse illicitum quam licitum, utique etiam probabilius esse judicat fugiendum id esse, quam faciendum. Ergò qui sic affectus operatur, procedit ille contra lumen ac judicium suæ conscientiæ.

Respondeo, admissâ majori, falsam esse minorem quæ subsumitur, nec minus fallacem esse consequentiam quæ inde deducitur. Falsum, inquam est, quod probabilius censeat id sibi fugiendum esse, quam faciendum: imò certò statuit actionem suam hic & nunc licitè exercendam, dum probabili ratione, adeoque prudenter judicat legem non obstringere, nec eam sibi satis innotescere. Itaque imperitè supponit Wendrochius hæc duo semper esse connexa: objectum quocunque modo judicari malum, sive lege prohibitum; & actionem quæ tendit in objectum semper judicari illicitam: cum tamen sæpe contingat legis prohibitionem tam imperfecto judicio innotescere, ut prudenter concludere possim me illa obligari. Sed parum est huic authori impingere in formam Logicæ, dummodò vel sic reformet Theologiam.

Objicit idem tertiò, argumentum desumptum ex sequela in materia fidei periculosa. Si licet alicui, contra propriam opinionem quam judicat probabilem, sequi alienam sententiam æquè aut minùs probabilem, eique tutò acquiescere: Ergo etiam, Hæreticus, qui eo devenit ut veritatem Ecclesiæ Romanæ judicet esse probabilem, poterit nihilominus suæ hæresi adhærescere, & immori: quam nempe ob authoritatem suorum Ministrorum æquè, aut etiam minus probabilem esse discernit.

Respondeo, negando consequentiam. Quia Hæreticus ille non potest bonâ fide sistere in ista opinione probabili, quia potest ulterius investigando notas veræ Ecclesiæ, veritatem fidei certò deprehendere: adeoque imprudenter acquiescit opinioni tantùm probabili illius rei, in qua potest certitudinem attingere, dummodò in veritate investiganda moralem diligentiam adhibeat. Insuper in materia fidei peculiare est, quod ipse error materialis, annexa habeat incommoda maxima, in carentia Sacramento-

mentorum, aliorumque mediorum ad salutem conducentium. In aliis autem actionibus merè ad humanos mores & commercium pertinentibus, cum non detur via ad certam rei veritatem perveniendi quocunque studio inquiratur, prudenter acquiescit animus veritati probabiliter inventæ cum non possit morali diligentiâ veritatem certam & indubitatam attingere. Fateor autem in quavis materia, si cum morali & moderata diligentia promptum sit ad certam rei veritatem penetrare, licitum non esse sistere in opinione tantum probabili: atque ita consequenter assero, in die jejunii fas illi non esse vesci carnibus qui ex diverso pulsu campanarum probabile judicat nondum adesse horam noctis duodecimam, si ex instrumento mathematico quod in promptu habet, certò possit horam noctis explorare. Nihil igitur ex hac sententia incommodi redundat, in quo vel ipse Wendrochius, vel ejus asseclæ aliquam laxitatis, aut malæ fidei speciem redarguant.

Objicies quartò, cum Sinnichio, dictum Christi, *Ego sum veritas*, non autem dixit, ego sum probabilitas. Ergo non licet sequi opinionem merè probabilem.

Respondeo in simili forma: Dixit Christus, *Ego sum ostium*, non verò, ego sum fenestra. Ergo necesse est semper intrare per ostium nunquam per fenestram. Dico igitur hanc objectionem posse in ipsum authorem retorqueri. Si enim ex eo quod Christus dixerit, *Ego sum veritas*, illicitum sit amplecti opinionem probabilem, nefas etiam erit sequi sententiam probabiliorem aut moraliter certam: sæpe etiam contingit illis non subesse veritatem, cum judicium quod nobis apparet moraliter certum, possit falli, & omni veritate destitui.

Instat tamen ex authoritate S. Augustini *l. de util. credendi c.* 11. *Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus authoritati, quod opinamur errori.* Ergò opinio ad nihilum valet nisi ut à veritate aberremus. Quia, inquit Sinnichius, opinantem latet veritas etiam dum adest; adeoque sic agit ac si veritas semper abesset.

Respondeo, S. Augustinum loqui de opinione longè diversâ à judicio probabili, de quo hoc loco disceptamus, uti patet ejus verba attentius expendenti eodem cap. 11. *Tria*, inquit, *alia hominum genera profectò improbanda ac detestanda, primum est opinantium, id est, eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt.* Ubi disertè ostendit se agere de opinione quæ adjunctam habet æstimationem falsam, eorum scilicet qui putant suam opionem esse perfectam scientiam, quod semper est erroneum: opinioni autem, de qua

hic agimus, nemo nisi fatuus ejusmodi persuasionem adjungit, cum agnoscant omnes opinionem esse assensum incertum, & à scientia omnino diversum. Neque verum est quod adjungitur, opinantem sic agere ac si veritas semper abesset. Quia etsi is judicet se opinando posse falli, non existimat tamen suæ opinionem falsitatem actu subesse, imo probabile judicat suam opinionem veritati conformem esse, seque cum probabili veritatis notitia prudenter procedere. Quâ ergo veri specie dici potest, illum qui opinatur falsitatem implicitè semper amplecti, atque ita agere ac si veritas omninò abesset?

Objicies quintò, cum Mercoro. Si licitum foret sequi sententiam merè probabilem, Adam & Eva manducando pomum vetitum immunes fuissent à violatione præcepti divini: quia poterant pro se obtendere sententiam probabilem. quæ docet legem pœnalem non obligare in conscientia, cum Navarro, Lessio Valentia, aliisque: præceptum autem primis parentibus impositum prolatum est in forma legis pœnalis. *In quacunque die manducaveritis, moriemini.* Ergo excusandi sunt primi parentes à peccato formali, & posteri ab originali, si norunt sibi formare conscientiam artificio sententiæ probabilis.

Respondeo, negando illud assumptum, quod plus præfert salis, quam sapientiæ. Siquidem ignorat Adamum & Evam nullam habuisse opinionem sive probabilem, sive improbabilem in primo illo statu innocentiæ, ut disertè docet D. Thomas *Q.* 18. *de veritate art.* 6. ubi sic concludit: *Ex quo patet quod solum in eo* (primo homine) *nulla falsa opinio fuisset, sed penitus nulla opinio in eo fuisset, & quidquid cognovisset secundum certitudinem cognovisset; in statu scilicet innocentia perseverans.* Quinimò tam clarè constabat illis de voluntate divina, ut persuasio illa quâ pertrahente de fructu vetito comederunt, censeatur etiam formalis infidelitas, ex plurium Patrum sensu, ut tradit Bellarminus *in tom. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati c.6.* Corruit igitur tota basis Mercoranæ Machinæ contra usum probabilitatis jam inde ab Adamo, & frustra, & longè quæsitæ.

Postremò congerunt varia loca, partim ex Jure Canonico, partim ex authoritate Patrum, & Doctorum deprompta; quæ contra usum sententiæ probabilis frustra intorquentur: eo quod non pertineant ad statum hujus controversiæ, in multis ab adversariis non satis examinatæ, qui sæpe inter conscientiam probabilem, & dubiam non discernunt, & consilium amplectendi tutiora cum præcepto confundunt.

§. 3.

§. 3.

An & quomodo assertio unius Authoris possit reddere sententiam probabilem sic, ut eam practicè liceat amplecti?

HÆc quæstio magnâ contentione utrimque agitata, non adeo videretur peregrina, si ii qui sustinent partem negativam, satis attenderent quid alii affirment. Certum est primò, Non satis esse ad probabilitatem opinionis, quod contineatur in libro alicujus junioris aut moderni Scriptoris, etsi non constet eam à Sede Apostolica rejectam esse ut improbabilem. Constat hoc ex propositione 27. ab Alexandro VIII. damnata 24. Sept. an. 1666.

Non sufficit etiam opinionem aliquam obiter aut ex incidenti traditam esse ab uno authore sive antiquo, sive recenti, præsertim si alii oppositam ex professo docuerint.

Dico tamen primò, Censeri debet opinio omnino probabilis, quæ ab unico authore multum perito, ac probo traditur, in re quam nemo præter illum tractavit si ipse judicet eam non repugnare sensui communi, & aliis nihil in ea appareat quod absurdum judicetur.

Et probatur: Quia quod nititur motivo plerumque connexo cum veritate illud meritò & prudenter censetur probabile. Atqui Authoris multum periti, ac probi assertio est tale motivum. Quia vir probus raro mentitur, & pollens doctrina sæpius veritatem attingit, rariùs in errorem labitur: Ergò illius assertio prudenter censetur esse certò probabilis. Cumque solus rem ex professo examinaverit, nulla est opposita authoritas, quæ elidat vim hujus motivi, quod ab istius viri assertione & judicio desumitur. Et hæc ratio videtur non minus evidenter id quod assumpsi probare, quam uni artifici prudenter credendum in arte quam ipse unus exercet, nisi constet ipsius resolutionem ex sinistro affectu procedere; quod de Authore probo non præsumitur, nisi aliunde probetur.

Sed quid si Author ille tantùm dicat Resolutionem quam tradit, sibi videri omnino probabilem, non verò absolutè certam & evidentem?

Respondeo, hoc etiam casu eam ut probabilem recipiendam esse. Id enim evincit ratio jam tradita, de ipsius asseveratione cum veritate potius quam cum falsitate connexa: eoque magis quod facilè sit de probabilitate judicium certum proferre,

quod nempe assertio nitatur ratione vel authoritate verosimili, quæ prudentem assensum mereatur.

Quæres, quid si Author ille, vel alii, tantum asserant, sibi probabile videri assertionem aliquam esse probabilem?

Respondeo, quæstionem hanc, si termini penetrentur, nodum non habere adeò difficilem quam aliqui apprehendant. Quid enim est aliquid probabiliter videri probabile, quam omnibus expensis prudenter posse judicari adesse sufficientem rationem vel authoritatem, ex quibus mereatur determinatum assensum? Hæc autem si adsint objectum apparet reflexe certò probabile, hoc est, certò mereri prudentem & determinatum assensum, & intellectum non debere circa illius probabilitem dubium, aut suspensum hærere.

Quod si contingat intellectum hærere & sistere in solo judicio de probabilitate probabilitatis partis minus tutæ illicitum esse inde procedere ad operationem docet Card. Lugo *de fide disp.* 1. *sect.* 1. Honoratus Fabri *in dial. de opin. probabili* citans Bresserum *de conscient. lib.* 3. *cap.* 5. Merulam, Mastritium, Spinulam, Medinam, 1. 2. *quæst.* 19. *artic.* 6. Quibus accedit Baldellus *lib.* 4. *disp.* 10. *num.* 5. nec non P. Ant. Terillus *in fundam. theol. mor. pag.* 300. Non desunt tamen qui sententiam prædictis oppositam tradunt, & illis fortè consentirent plures, qui negant requiri ipsum dictamen ultimum moraliter certum, ut quis absque formali peccato opinioni probabili se conformet; quam sententiam tenet Vasquez, 1. 2. *disput.* 62. *cap.* 9. Anton. Perez. *certam* 10. *cap.* 2. Vericelli *tom.* 1. *quæst. mor. tract.* 2. *q.* 11. *num.* 2. Petrus de Tapia *in Catena moral. lib.* 1. *quæst.* 8. *ar.* 12. Neque D. Thomam aliter sentire de eo qui probabiliter, & cum formidine judicat, sed tantum de eo qui dubitat, censet Barth. Medina 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. §. *si quis*, His ita constitutis ad quæstionem in titulo propositam.

Dico secundò, Potest unicus Author sententiam aliquam reddere probabilem contra communem aliorum opinionem, si rationibus in contrarium allatis solidè respondeat, & pro sua parte novas adferat rationes, quæ tantum habeant momenti, ut aptæ sint movere virum peritum & probum absque passione ad recedendum à communi, & novam unius opinionem recipiendum.

Probatur ratione satis evidenti: Quia in re morali consensus Authorum communis non est adeò certus, quin absolutè falli possit; Supponimus enim rem non esse per se evidentem, aut à DEO revelatam. Ergò fieri potest ut aliquis sagaci ingenio rem investi-

investigando latentem errorem deprehendat, eumque refutet, & verâ solidâque ratione oppositam veritatem confirmet, ac in lucem proferat. Hoc ubi aliquis re ipsâ præstiterit, nova illa unius Doctoris sententia, contra communem, digna erit ut probabili assensu ab intellectu bene disposito recipiatur. Et verò multæ de facto sunt sententiæ in Theologia, Philosophia ac Mathesi, quæ olim communi consensu receptæ, postea errore per novum authorem sufficienter detecto è Scholis evanuêre.

Quinimò argumento ad hominem hanc confessionem ab ipsis Adversariis facilè eliciemus. At non ad hanc usque ætatem communis erat Authorum sententia, licitum esse usum opinionis probabilis ? Illam doctrinam nonnulli hoc tempore ut improbabilem rejiciunt, & contrariam admittendam non dubitant. Non alia certè de causa, quam quia sibi persuadent suorum aliquem cepisse detegere communem illum Casuistarum errorem, eumque solidè refutasse, & argumenta in lucem protulisse, quibus communis sententia ita labefactatur ut opposita doctrina illi omnino præferri debeat. Atque ita doctrinam hanc, de unius Authoris opinione, communi quandoque præferendâ, simul ipsi oppugnant, simul exemplo suo & calculo incautè confirmant.

De cetero, sufficere quandoque unius Doctoris authoritatem ad constituendum opinionem quam in praxi sequi liceat, tradunt authores plurimi, quorum plerique minori quam nos limitatione utuntur. Ex his viginti quatuor adducit Vericelli *tom. 1. quæst. moral. tract. 2. singularium q. 5.* inter quos est Angelus, Sylvester, Sanchez, Vasquez, Molfesius, Pasqualigus, Rolandus, Villalobos, Clavis Regia &c. Accedit Thomas Hurtadus *Resol. moral. tract. 4. cap. 8. num. 911.* affirmans unum Doctorem classicum sufficere ad constituendum opinionem probabilem, pro se adducens insuper Baldellum, Martinez, Bonacinam, Reginaldum, Curielem, Suarium, Pasqualigum, à quo refert alios innumeros in eandem sententiam citari *decis. 360.* His addit idem Hurtadus in *Append. ad tract. 10. cap. 3. num. 33.* Magistrum à S. Thoma, Pontium, Torrez, Malderum, Sylvium, &c. Ex quibus patet non esse peregrinum, incidere posse casum, quo possit aliquis, re debitè ponderatâ, se unius Authoris opinioni conformare.

Per hoc tamen non inficior, posse evenire, ut nec tres, nec quinque, nec decem Authores sufficiant, ut opinio aliqua sit practicè probabilis. Quando scilicet plures & melioris notæ Authores

thores communi consensu, & absque passione, aut partim studio pronunciant istam opinionem absolutè, & in praxi esse improbabilem. Aut quando deprehenditur talem opinionem alicui Pontificum Decreto omninò adversari. Sicut ex utroque capite nunc improbabilis est sententia docens, absolutionem Sacramentalem absenti collatam esse validam, quam ante declarationem Clementis VIII. Authores multi, & graves docuerunt.

Hinc quoque manifestum est, probabilitatis defensores non metiri opinionis licitum usum, aut probabilitatem, ex solo Authorum numero. Multò minus passim docere, Illud omne esse practicè certum, quod est speculativè probabile, quod aliqui ipsis imperitè affingunt. Denique probabilitatis Accusatores omnes transcendere voluit ille qui asserit. *Probabilitas plus sibi attribuere, quam attribuunt Pontifex, Ecclesia, ac ipse Deus.* Nemo hoc credet qui Theologorum modernorum doctrinam communem intelligit. Videat proindè Professor ille, ne per hujusmodi liberioris calami assertiones ceteris suis Scriptis apud viros cordatos plurimum deroget.

§. 4.

Qui & quales sint pauci Recentiores Scriptores, qui communem de probabilitate doctrinam impungant.

Confirmato usu recto opinionis probabilis tam ratione quam authoritate inexpugnabili, ac dissolutis adversariorum argumentis: restat nunc demonstrandum quam invalida sit authoritas ac conatus paucorum Scriptorum, qui postremis hisce temporibus communem omni ævo doctrinam impugnare cæperunt.

Magno impetu in probabilitatis Authores insurrexit Montaltius in suis *Epistolis*, quas vocat *Provinciales*; Wendrochius in *Notis ad Epistolas Provinciales*, quibus disputationem de probabilitate annexuit; ac Paulus Irenæus in suis *Disquisitionibus*. Sed quàm infelix fuerit horum trium conatus eventus docuit. Montaltii Epistolæ Provinciales condemnatæ sunt, ac legi aut retineri prohibitæ per Bullam Alexandri VII. datam 6. Septembris anni 1657. quæ etiam Lovanii publicata fuit. Wendrochii liber, cum opere dicti Montaltii, & Irenæi, flammis publicè traditus est decreto Regis Galliæ edito Parisiis 23. Septembris 1660. Decretum illud antecessit, contra hos triumvios Censura plurium Episcoporum, Doctorum, ac Professorum facultatis Parisiensis

7. Sept.

7. Sept. 1660. quæ declarat in eorum scriptis propugnari hæreses Jansenianas ab Ecclesia damnatas, eaque passim scatere maledicentiâ, ac petulantiâ, quâ nulli hominum conditioni parcunt: Ac proindè decernit Opus illud esse dignum pænâ libellis famosis à Jure constitutâ.

Scripsit quoque Vincentius Baronius librum, qui inscribitur *Theologia moralis, adversus Probabilistas.* Contra illos etiam stylum armavit Thomas Hurtado in suis *Resolutionibus Moralibus.* Sed quam hi parum solidis nitantur principiis vel indè satis prodiderunt, quod uterque in plurimas ex propositionibus ab Alexandro VII damnatis impegerint, ut apertè detexit D. Nicolaus du Bois in Tractatu pererudito, quo dictas propositiones elucidavit, & suis quamque Authoribus adscripsit. His accessit gallicè Theologia quædam Moralis edita sub nomine curatorum Franciæ, quæ adeò imperitè ab ipso controversiæ statu aberrat, ut nec sibi, nec prædictis Authoribus satis cohæreat. Multa quoque contra probabilitatis usum suo *Sauli Ex-regi* inseruit Eximius D. Sinnichius, sed ista D. Guilielmus le Maire fusè eventilavit. Inter Jurisconsultos pridem, Illustrissimus Prosper Fagnanus adversus probabilitatis usum calamum strinxit; Antonius quoque Merenda Jurisconsultus, in suo libro *de Consilio*, eandem doctrinam vehementer impugnat. Quamvis non videatur Fagnanus omni probabilitati absolutè adversari, dum *num.* 448. sic resolvit: *Authoritas unius gravis Doctoris reddit opinionem probabilem, & est fundamentum sufficiens eam tenendi & ad praxim deducendi, si in contrarium nullus occurrat Doctor, & utrimque sint rationes æquè probabiles.*

Postremò, Benignam sententiam oppugnavit Julius Mercorus Mantuæ Inquisitor in sua *Basi Theologiæ Moralis*, qui in hac controversia discutienda sedulus & moderatus fuit, nec in praxi à sententia communi multum recedere videtur. Adeò ut apud Wendrochium illi objiciatur, totum ex illius assertis stabiliri, quod in aliis reprehendit, ac proindè illum in *appendice de probabilitate*, ex professo impugnat. Sed nec Wendrochii doctrinam ferre potuit ipse Vincentius Baronius, quam insectatur *part.* 2. *à pag.* 340.

His æquâ lance perpensis facilè est judicare, hos paucos Scriptores, nec omnes sibi constantes, nec inter se in oppugnando probabilitatis usu cohærentes fuisse. Nec videtur quisquam habere conditiones à nobis supra requisitas, ut unus Author novus reddat opinionem suam probabilem contra communem aliorum sententiam.

Veniemus

Veniemus nunc ad Particulares sententias, de quarum probabilitate, aut usu hoc tempore disputatur, ut de statu controversiæ constare possit, non ut major illis probabilitas concilietur, aut abrogetur.

CONTROVERSIÆ PARTICULARES

De Opinionum variarum probabilitate.

QUÆSTIO PRIMA.

Quinam Authores, & qua ratione doceant probabilem esse doctrinam de licito usu Restrictionis pure mentalis, & aliis eo pertinentibus.

RESTRICTIO dicitur purè mentalis, quando nec verba secundum se sumpta, nec simul cum circumstantiis externis sensum verum recipiunt, sed tantum conjuncta cum aliis verbis, quæ sola mente subintelliguntur. Ut si bene pransus dicam, me hodie nihil comedisse, in mente intelligendo nihil carnium.

Hanc restrictionem illicitam esse docent plerique Authores nostræ Societatis, ut Layman *lib. 4. tract. 3. c. 13. n. 7.* Coninck *de actib. supern. l. 1. disp. 10. dub. 3.* & passim alii: nec ullum vidi nostrorum Professorum multis annis quibus Lovanii docui, qui illic contrarium tradiderit. Unus fuit à pluribus annis P. Leonardus Lessius, qui in Opere celeberrimo quod edidit de *jure & justitia lib. 2. cap. 42. dub. 9 n. 47.* secutus est Navarrum, & illos tantum, qui docent licitum esse aliquandò, & justa de causa, uti restrictione purè mentali. Neque ipsius doctrina in praxi dissidet à communi ac vera sententia, quæ agnoscit licitum esse uti restrictione non purè mentali, quando scilicet circumstantiæ externæ consignificant id quod in verbis prolatis non exprimitur: sed tantum differt ab illis in explicatione & probatione suæ sententiæ. Nam in omni casu quo Lessius docet licitam esse restrictionem mentalem, eò quod verba exterius prolata possint conjungi & sensum integrare cum aliis verbis sola mente intellectis, alii admittunt eadem verba licitè proferri, eo quod sensum verum conficiant, non cum verbis sola mente occultatis, sed cum circumstantiis externis loquentis aut interrogantis, & alia justa causa, propter quam licitum sit verbis non exprimere, quod externis circumstantiis sufficienter importatur.

Hanc

Hanc autem justam causam Lessius semper requirit, & hæc ipsa est circumstantia externa, propter quam licitum sit verbis restrictis uti ex sententia communi etiam plurium qui Lessium vehementer impugnant. Ut si Confessarius interrogatus de Petro homicida dicat, Petrum confessum non esse homicidium: Alii dicent id licitum esse propter justam causam, quæ facit ut persona Confessarii loquentis æquivaleat his verbis, sic ut tibi debeam dicere; Lessius autem docet licere sic loqui, quia adest justa causa ut solâ mente intelligantur eadem verba, sic ut tibi debeam dicere.

Hinc patet, quam iniquè aliqui Lessii doctrinam traducant tanquam in praxi perniciosam, & destructivam commercii humani. Quod præ ceteris furore toto, sed viribus exiguis contendit Joannes Barnesius natione Anglus, ordine Benedictinus, qui non tantum Lessio injurius, sed etiam Ordini suo rebellis fuit, contra quem infami libello debacchatus, & in carcerem conjectus, tandem emotâ mente Romæ in morotropio delituisse traditur. Alter Lessianæ doctrinæ hostis præcipuus est Thomas Hurtado Ordinis Clericorum Regularium Minorum in *Resol. de vero Martyrio Resol. 70. digress. 6. sect. 2.* qui imperitè affirmat, nullum ante tempora Lessii restrictiones purè mentales defendisse, quod quam apertè falsum sit mox patebit. His utinam socium se non adjunxisset Sinnichius in suo *Saule Exrege lib. 1. cap. 104. §. 392.* ubi contra Lessium præ cæteris, tanquam magnum restrictionum mentalium patronum, ut loquitur, multa diffusè conglomerat, qui tamen, si alios Authores studiosè expendisset, facile reperisset plures ante & post Lessium, qui multò magis huic doctrinæ patrocinati fuerunt.

Restrictiones siquidem purè mentales, quas Lessius paucis tradidit, pridem ex professo defendit Navarrus *Commentario in* Caput, *Humanæ aures.* Et in sua *Summa Cap. 12. num.* 8.9.14.18.*&c.* Citat quoque Lessius pro licito earum usu, se multò antiquiorem, Sylvestrum, Angelum, Adrianum postea Pontificem, Joannem Majorem, deinde Toletum, & Valentiam. Quod si voluisset esse magnus Restrictionum mentalium patronus; poterat in eandem sententiam adducere Paludanum, Capreolum, Almainum, Greg. Ariminensem &c. Quibus, ex recentioribus, accessere Pesantius Rodriquez, Salonius, Philiarchus, Ludov. Lopez, Sayrus, Portel, Gazæus, Bonacina, Barth. Medina, & alii, qui vel universim, vel in particulari casu resolvunt justam ob causam licitam esse restrictionem, quam non aliunde quam ex verbis mente subintellectis conflatam, & probatam esse volunt.

Ex quibus facile colligas qui sint, & ab initio fuerint authores istius sententiæ: & quam inique imputetur illa Scriptoribus Societatis, qui ad cæteros comparati exiguo prorsus numero eum tradiderunt. At, inquies, quorsum Societati præ aliis obtruditur doctrina tàm invidiosa? Vel ideò obtruditur quia invidiosa est: Nimium fortè in Bibliothecis prælucent istius Scholæ operosa volumina, ideò necesse fuit hujusmodi fuligines illis aspergi; aliam ego causam non reperio.

Notandum porrò, Authores qui docent justa ex causa licitum esse adhiberre restrictionem purè, aut non purè mentalem, plerosq; etiam admittere licitum esse addere juramentum, quando adest gravis causa, & nullum alterius præjudicium, aut aliud incommodum intervenit. Supponunt enim juramentum illud cadere in sermonem verum, & causam esse gravem, quæ removet omnem in jurando irreverentiam, ac temeritatem.

Quæres, An licitum esset *Missionario* inter Chinenses infideles more Gentis adhibere Idolo externam adorationem, sed intentione clam directa ad Deum ut repræsentatum in Imagine Crucifixi penes ipsum floribus contecta, aut propè Idolum occultatâ.

Respondeo negativè: Nam in professione fidei, ob gravia quæ redundant incommoda, omnis simulatio, restrictio, & æquivocatio interdicta esse debet. Gravis est calumnia Thomæ Hurtado, & aliorum qui post illum hanc praxim quibusdam apud Chinas Missionariis affinxerunt. Calumniam abundè detersit decretum generalis Inquisitionis Romæ editum Anno 1656. quod extat apud P. Theophilum Rainaudum de Missis Sinensibus, ubi fabulam illam apertè refutat. Extat quoque Lovanii apud P. Ægid. Estrix testimonium authenticum Dominici Mariæ Sarpetri Ordinis Prædicatorum, qui præsens apud Sinenses Missionarium egit.

QUÆSTIO II.

An debeat censurari ut improbabilis hæc propositio, Reus & testis non obligantur ad mentem judicis respondere, si dubitent an legitimè interrogentur à Judice?

RESpondeo, Nullam saltem extare legitimam istius doctrinæ censuram. Illam disertè tradit apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 91. Sotus, Bannez, Medina, Salas, Lessius, Henriquez, quibus addit Villalobos *tom.* 2. *tract.* 16. *dif.* 1. *num.* 6. Cajetanum, Adrianum, Aragonium, Salonium, & alii alios. Et sequitur

ſequitur ex principio à multis admiſſo, non teneri ſubditum, obedire ſuperiori, cujus dubia eſt jurisdictio aut poteſtas, eò quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſuam libertatem.

Porrò Malderus 2. 2. *cap.* 3. *dub.* 1. abſolutè affirmat probabile eſſe Reum non teneri crimen capitale fateri, ſi non ſit in eo deprehenſus, aut convincendus, & ſpem habeat evadendi. Et minori limitatione Petrus à Navarra *l.* 2. *de reſt. cap.* 4. *num.* 142. ſic pronunciat: *Piè & probabiliter exiſtimo in cauſa criminali, præcipuè capitis, poſſe Reum in conſcientia veritatem, ſecluſo mendacio contegere.* Idem cum Reginaldo, Joanne Sanchez & Leſſio docet Rodriquez, Spatarius, Porrel, Salzedo, Peyrinus apud Dianam *p.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 27. Accedit Card. de Lugo *de juſt. tom.* 2. *d.* 40. *ſect.* 1. *num.* 14. qui ait Turrianum immeritò hanc ſententiam improbabilem dixiſſe. Multoque acrius in hoc Turrianum & Texedam caſtigat Diana *p.* 10. *tract.* 13. *Texeda*, inquit, *& Turrianus nimis audacter ſe gerunt in cenſurandis Doctorum virorum opinionibus ...* Opponitque Texedæ judicium graviſſimum M. Serra 2. 2. *q.* 69. *a.* 1. *dubio* 1. *Ego*, inquit, *abſolutè hanc ſententiam ob authoritatem citatorum, & argumenta facta probabilem eſſe judicio.* Eandemque recentius Franc. Bonæ Spei admittit communiorem eſſe Theologorum doctrinam *de juſtitia d.* 4. *dub.* 3. *n.* 57.

Quæres porrò, An hæc ſententia quam Authores omninò probabilem agnoſcunt, de Reo negante crimen capitale ſemiplenè probatam, intelligi debeat de ſolo periculo vitæ, an etiam de quovis damno gravi, ut exilium, triremes, gravis jactura bonorum, aut famæ?

Reſpondeo, etiam in his caſibus probabilem cenſeri à Navarro *l.* 2. *de reſtit. cap.* 4. *num.* 137. referente etiam pro eadem Panormitanum, Sylveſtrum, Angelum, Armillam &c. Illamque docet Em. Rodriquez *in Summa*, ac probabilem aſſerit Suarez, Sa, Leſſius, Vega, & plures alii. Non ita tamen ut aliquis horum exiſtimet licitum eſſe mediante mendacio crimen contegere.

QUÆSTIO III.

An probabile ſit non requiri attentionem internam, ut ſatisfiat præcepto recitandi Horas canonicas?

PRobabilitatem huic ſententiæ conciliare nititur authoritas Doctorum, qui cenſent attentionem internam non ſpectare ad ſubſtantiam Horarum ab Eccleſia præceptam: modò non exerceatur

exerceatur aliud opus externum quod per se excludat omnem attentionem internam. Non negant tamen intervenire peccatum veniale, aut etiam mortale, si adsit gravis irreverentia, aut contemptus officii divini. Ita docet S. Antoninus *p. 3. Tit. 13. cap. 4. §. 7.* citans etiam Hostiensem, & Umbertum. Item Sylvester *in Summa v. Hora q. 11. n. 13.* Angelus *verb. Hora. num. 27. Evagatio,* inquit, *quæ est advertentis, & solum secundum actum interiorem, licet sit temeraria & gravis, non tamen est mortale, nisi propter contemptum.* Durandus *in 4. d. 15. q. 12. n. 6.* Valerius *in Differ. utriusque fori V. Horæ. differ. 1.* ubi pro se citat plurimos. De hac quæstione agens Herinx *tract. de Relig. d. 2. q. 4. n. 40.* & referens non suam sed aliorum sententiam, *Censeo*, inquit, *valde probabile ab Ecclesia non præcipi attentionem internam, sed solum externam.* Denique Leander à SS. Sacramento *tom. 2. de Sacram. tract. 6. d. 13. q. 13.* citans insuper pro eadem Joan. Medinam, Archidiaconum Ægidium, Dianam: *Sine metu*, inquit, *probabilem esse affirmo cum Lessio, Henriquez, Victorello, Layman.*

Verùm etsi hæc sententia spectata fore solâ authoritate probabilis alicui videri possit, & idonea ut scrupulosis subveniat, qui facile imaginantur se in recitatione Horarum nullam habuisse attentionem: existimo tamen spectatâ ratione illam non subsistere. Negari enim non potest quin Ecclesia divinum officium præcipiat pro ut est oratio sive precatio, non ut est sola verborum recitatio sine ulla mentis ad Deum elevatione. Atqui oratio necessariò involvit aliquam mentis applicationem, vel ad sensum verborum, vel ad eum cui oratio persolvitur; nemo enim dicet illum orare DEUM, qui sola voce recitans psalmos Davidicos curat sibi prælegi aliquam historiam, ad quam totam mentis attentionem convertit. Ergò qui magna parte officii divini sponte caret omni prorsus attentione interna, non persolvit orationem quam præcipit Ecclesia, adeòque etiam indè reus est gravis peccati propter officium divinum non debitè persolutum.

QUÆSTIO IV.

An probabiliter licitum sit in animo desiderare, aut à Deo postulare mortem, aut morbum alterius, si damna ab illo inique inferenda non possint aliter evitari?

Respondeo, non paucos esse qui eam doctrinam admittunt, modò hæc duo accedant; primò ut illud desiderium non oriatur

oriatur ex affectu inimicitiæ, quo alteri optetur malum ut ipsi malum est, sed tantum ex desiderio propriæ & alienæ incolumitatis aut utilitatis ab alio iniquè impediendæ, sine alia cooperatione externa. Secundò ut damnum avertendum tanti sit momenti, ut possit cum alterius morte æquiparari. Et hanc sententiam docet Sotus *de just. lib.* 5 *qu.* 12. Petrus Hurtado *in* 2. 2. *tom.* 2. *de char. disp.* 153. *sect.* 4. item Joan. de la Cruz *in direct. part.* 1. *de homicidio dub.* 3. Zanardus, Conradus, Cajetanus, & ipse D. Thomas 2. 2. *qu.* 76. *art.* 1. sic loquitur, *Si quis* (inquit) *imperat, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum: Contingit autem malum aliquod dici impetrando sub ratione duplicis boni, quandoque sub ratione justi, quandoque sub ratione utilis; puta cum aliquis optat peccatorem pati aliquam ægritudinem, vel aliud impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.*

Ratio autem hujus est, quia motivum propriæ utilitatis aut incolumnitatis conservandæ non est per se malum & affectus mortis alienæ procedere potest non ex vindicta, sed ex motivo honestatis, & justitiæ, ne scilicet alter peccet gravia damna injustè inferendo. Sic si quis furorem amentis declinare non possit, licitum est hominis illius mortem optare, nulla in hoc desiderio intercedit inimicitia. Ex quo patet hujusmodi votum posse tendere in solam indemnitatem propriam, & ab omni vindictæ labe defæcari. Decet tamen ab hujusmodi desiderio homines dehortari, ob periculum ne dilabantur ulterius ad effectum inordinatum odii, aut vindictæ. Habent interea ex hac doctrina quod timeant viri potentes, ne iniqua vexatione pauperum suspiria, & justas ad Deum preces in se commoveant, nam *desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

QUÆSTIO V.

An in prælio navali probabile sit, licitum esse militibus ignem pulveri nitrico injicere, & se mari committere, ne ipsi, cum navi, & opulenta præda in hostium manus deveniant?

REspondeo probabile videri id licitum esse, si hæ conditiones observentur: primò, ne id fiat ea intentione ut quis seipsum directè occidat, sed ne hostis iniquus præda ditetur, & si fieri possit, propria vita servetur: Secundò, ut nulla sit Spes navim, aut vitam conservandi, nec in eo statu sit ut de animæ salute desperetur. Hanc sententiam docet Lessius *de just. & jure lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. sed

&

& probabilem censet Marchantius, Trullench, Prado, Velasco, Wigers *de just. tract. 2. c. 2. dub. 18.* Malderus, & Diana *part. 5. tract. 4. resol. 26.* & alibi: Contra plures qui existimant hanc esse directam sui occisionem, quæ nunquam licita est. At contrarium probatur, primò, quia sine directa sui occisione licitum est adhibere ignem pulveri tormentario ad evertendam arcem aut mænia hostilia, etsi quis videat se arcis ruinâ, aut alio modo interimendum, ut admittit Cajetanus, & Sylvester *verbo Bellum 2. qu. 1.* Item in naufragio qui arripuit tabulam, qua possit vitam suam servare, licitè eam concedit viro principi, aut etiam insigni amico, esto videat se fluctibus absorbendum, uti docet Victoria, aliique apud Dianam *part. 5. tract. 4. resol. 24.* Laudat quoque S. Ambrosius *lib. de offic. cap. 40.* factum Eleazari *lib. 1. Machab. c. 9.* qui ut turrim ligneam hostibus refertam & elephanti impositam everteret, elephanti se supposuit, eumque gladio confodit, cujus tamen lapsu ipse quoque obruendus erat. Nec leve pondus huic sententiæ adjicit mandatum Philippi IV. Regis piissimi, quo præcepit Ducibus navium Indicarum, ut si nequeant aliter hostes evadere, naves perforent, ut submergantur, ne præda tàm opulenta in hostium potestatem deveniat, quibus suas vires contra Regem multum roborarent. Hoc verò Rex justissimus haud dubiè non præcepisset, nisi ea de re viros doctos ac sapientes consuluisset.

Undè patet, etsi hæc sententia ob periculum abusus suadenda non sit, non esse tamen omninò damnandos si qui, cum conditionibus initio appositis, eam improbare noluerint.

QUÆSTIO VI.

Quæstio multum agitata est: An, & in qua necessitate teneatur dives ex superfluis sui status proximo subvenire?

RARò locum ullum habebit hæc quæstio, si per superflua cum quibusdam intelligas ea, quæ non requiruntur ad meliorandum statum præsentem, aut acquirendum novum, v. g. ex mercatore fiat nobilis, aut ex Canonico Decanus, ex Decano Episcopus &c. Per superflua igitur hic intelligo ea bona, sine quibus præsens vitæ status, in quo jam constitutus es, sat commodè ducitur.

Respondeo ad quæstionem, primò, quemlibet graviter obligari, ex superfluis status præsentis, succurrere *gravi* necessitati sui proxi-

proximi. Hoc enim ad minimum requirunt Scripturæ, illæ quæ graviter exprobrant divitibus neglectum misericordiæ, in sublevanda fame, siti, & nuditate proximi.

Dico etiam secundò, graviter peccare divitem cui decretum esset ex superfluis suo statui, in *communibus* pauperum necessitatibus nullam eleëmosynam erogare. Hanc quoque assertionem probant eædem Scripturæ, & communior Doctorum consensus.

Sunt tamen probati Authores, qui negant in hoc casu gravem obligationem incumbere. Nec desunt alii qui pro hac subventione nullum præceptum, sed tantum consilium admittunt. Pro hac doctrina adducit Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol* 26. Sylvestrum, Alensem, Armillam, Paludanum, Gabrielem, Navarrum, nec non D. Antoninum, Molfesium, Medinam, Toletum, & Malderum. Huc etiam adduci possunt illi, qui negant incumbere gravem obligationem subveniendi in gravi necessitate, ut est Gabriel & Alensis, eamque doctrinam probabilem vocat Malderus apud Dianam loco citato.

Quæres, An probabile sit, in extrema etiam proximi necessitate præcepto subveniendi satisfacere, eum, qui egenti mutuum concedit, cum obligatione reddendi si ad lautiorem fortunam perveniat? Doctrinam hanc in praxi probabilem absolutè censet, & docet Martinus Navarrus in *Summa cap.* 24. *n.* 5. & fusius *cap.* 17. *n.* 61. Adrianus postea Pontifex illius nominis VI. *in* 4. *de Rest. pag.* 64. *col.* 4. Covarruvias *in Reg. pec. part.* 2. §. 1. *n.* 4 citans Almainum, & Medinam. Denique author recentior Franciscus Bonæ Spei approbat doctrinam illam ut rationi consentaneum, quando dicta necessitas moraliter certo prævidetur non nisi aliquo tempore duratura.

QUÆSTIO VII.

Quid sentiant Authores de opinione quæ docet, Non esse Simoniam, obligare se pacto expresso conferendi spirituale pro temporali ex gratitudine, vel alio titulo non involvente commutationem justitiæ?

Respondeo, varios illam docere: tradit eam disertè Dominicus Sotus *lib.* 9. *de Iust. q.* 6. *a.* 1. Cajetanus 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. Joan. Pontius *disp.* 55. *q.* 3. *concl.* 1. Marcus Vidal. *tit. de Simonia Inq.* 2. Serra 2. 2. *q.* 73. *a.* 2. *dub.* 1. qui pro eadem addunt & explicant D. Thomam, Covarruvias *lib* 1. *variarum. cap. ult. n.* 4. Tannerus, & plures alii, quorum aliquos adducit Diana *part.* 1. *tract.*

tract. 7. resol. 23. Ut si quis sic contrahat: Si mihi contuleris istud Beneficium, non omittam ex gratitudine hunc equum tibi donare. Ubi non intercedit Simonia ex natura rei, cum ex vi promissi gratuiti nullus resultet contractus onerosus, aut obligatio justitiæ commutandi pro pretio temporali rem spiritualem, aut spirituali annexam; neque sciant illi authores aliquod jus positivum quod hunc contractum expresse prohibeat. Quamvis, nisi sincere procedatur, facile possit Simoniæ periculum intervenire, ac proindè hic viri prudentis ac probi consilio utendum, ne ultra æquitatem propria cupiditas impellat.

QUÆSTIO VIII.

An & qui Theologi admittant, excusandum esse ab omni culpa, etiam veniali, qui exercet copulam conjugalem sola causa sedandæ libidinis?

Respondeo, plures id admittere, si culpa illa sit moderata, & alios fines positivè non excludat, ut est procreatio prolis, aut persolutio debiti conjugalis. Quamvis enim videantur aliqui moderni cum Sinnichio hanc doctrinam novæ laxitatis accusare, pridem tamen pro ea Sanchez *de matrim. l. 9. d. 9* adducit plures, & præstantiores Theologos, Cajetanum, Durandum, Richardum, Majorem, Almainum, Nider, Philiarchum, Anglezium, Palacios, Perezium, Navarrum &c. Negari enim non potest quin usus matrimonii institutus sit etiam ad sedandam libidinem, & ad vitandum hoc modo periculum incontinentiæ, ut colligi potest ex verbis Apostoli, *Melius est nubere quam uri.*

Sed *quæres porrò:* An usus conjugii propter solam delectationem sit necessariò peccatum saltem veniale? Sunt qui volunt hoc indubitatum haberi, & ipsam S. Augustini doctrinam esse contendunt.

Respondeo tamen, ex variorum sententia usum illum sic posse adhiberi ad solam delectationem, ut sit ab omni peccato immunis. Si nempè absit nimis immoderatus ardor & affectus in delectationem, ac modus indebitus, nec excludantur positivè alii fines honesti ad quos actus ille ordinatur. Delectatio enim sensibilis moderata non est per se mala, alias nunquam posset appeti. Supponitur autem dari posse actus in individuo indifferentes, quod certum debet esse hoc sensu; quod neque sint meritorii, nec demeritorii. Nec admittitur obligatio positivè referendi singulos

los actus in Deum, & ex motivo charitatis, ut placuit Bajo in Articulo 38. à tribus Pontificibus damnato: *Omnis amor creaturæ „ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, aut lau- „ dabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa „ Deus amatur.*

Tradit autem hanc doctrinam, de usu conjugii ob solam delectationem citra peccatum, cum pluribus Basilius Pontius *de matrim. l.1. c.21. n.7.* Joan. Sanchez. *disp. 23. n. 25.* Major apud eundem. Quorum doctrinam probabilem censet Veracruz *3. p. speculi a. 16. concl 2.* Accedit Machado apud Leandrum *de Sacram. tr. 9. d. 25. q. 17.* ac recenter in Belgio Franciscus Bonæ Spei *de matrim. disp. 8. dub. 1. num. 26.* & Guil. Herinx *de Matrim. d. 7. q. 5. num. 79.* asserens hanc doctrinam satis consonare sententiæ asserenti, dari actus in individuo indifferentes. Quæ cum ita sint, satius videtur pluribus hanc doctrinam sic limitatam, ut probabilem & tutam tradere, quam eam supprimendo occasionem præbere ut actus sic exercitus cum formali semper peccato conjungatur.

QUÆSTIO IX.

An probabile sit, illum qui interpolatis vicibus per furta modica & tantum venialia ad notabilem summam pervenit, non obligari sub mortali ad totius summæ restitutionem?

UT autem illa furta sint tantum venialia requirit Filliucius & Diana inter singula intervallum mensis, aut saltem medii mensis requiritur etiam ut dum minuta quantitas surripitur, non sit intentio progrediendi ad aliam, & aliam, quæ simul sumpta compleat summam notabilem.

Respondeo igitur ad quæstionem, Opinionem illam à multis probabiliter defendi. Docet illam Navarrus in *Summa cap. 17. num. 139.* quando intercessit magnum temporis intervallum, eandem tradit Berarducius in sua *Summa p. 1. c. 1. num. 28.* & Bauni, & Emanuel Sa V. *Furtum num. 8.* & aliqui apud Dianam *part. 1. tr. 6. resol. 34.*

Attamen existimo hanc quoque conditionem apponendam, Ut quantitas sic accepta non extet in se, nec in æquivalenti, quo constet accipientem in eo determinatè fieri ditiorem. Quamvis enim minutæ illæ acceptiones non coalescant in ordine ad grave peccatum, possunt tamen coalescere ratione injustæ detentionis quantitatis notabilis ex minutis conflatæ in ordine ad restitutionem.

Quæres porro, An licitum sit, non tantum in *extrema*, sed etiam in *gravi* necessitate furari, aut potius surripere quantum necesse est ad sublevandum necessitatem?

Respondeo, probabilem esse partem affirmativam etiam pro gravi necessitate, apud Sylvestrum Prieratem, qui fuit Magister Sacri Palatii in Summa verb *Furtum q.* 5. quia censet alium teneri per se proximo in gravi necessitate subvenire. Item apud Navarrum in *Summa cap.* 17. *n.* 5. Angelum verb. *Furtum*, *n.* 37. Petrum à Navarra *de Restit. l.* 3. *c.* 1. *n.* 372. quibus adde Medinam, Barbosam, Vigerum, Malderum, Tamburinum *l.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. *§.* 9. *n.* 8. qui sententiam hanc jam communem appellat.

Censeo tamen illum qui tantum per accidens incidit in gravem necessitatem, & aliunde potens est, vel erit pro re in necessitate ablata facile satisfacere, ad congruam compensationem obligari, si Dominus censeatur eam desiderare.

QUÆSTIO X.

An probabile sit illum excusari à jejunio, qui posuit causam non necessariam v. g. lusum pilæ: aut etiam causam illicitam, ex qua prævidet secuturam gravem corporis defatigationem?

PRobabilem reddit eam doctrinam, saltem ab authoritate, consensus plurium Authorum, qui tradunt sic defatigatum excusari à præcepto jejunii post fatigationem ex tali labore contractam, adeoque posse comedendo vires reparare: quamvis videatur peccasse in causa, assumendo laborem cum jejunio non consistentem. Tradit enim imprimis Pasqualigus *decisione* 230. hanc esse doctrinam communem; idemque colligitur ex iis quæ notat Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 11. & Leander *de* 5. *præceptis tract.* 5. *d.* 8. *q.* 156. denique Sylvester idem docet V. *jejunium n.* 24. *Addit*, inquit, *Petrus de Palude, quod si peregrinatio non est necessaria, peccat illam aggrediens indiscrete ... ea tamen aggressa, licet incompossibile jejunium frangere, sicut infirmo ex sua culpa durante infirmitate.* Quibus in hoc accedit Escobarius, ac Filiucius.

Sed neque peccare contra legem jejunii ponendo causam defatigationis aliundè illicitam, ex qua prævidebatur secuturum impedimentum jejunii disertè docet Bonacina *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 8. *p.* 1. *num.* 16. ac Leander supra, agens etiam de labore quærendi concubinam, citatque pro se Medinam, Dianam, Filiucium, Petrum, de

de Ledesma, & alios. Existimant enim hi nihil fieri contra hujusmodi præcepta positiva, per hoc quod aliquis velit se ponere in eo statu aut circumstantia, ad quam vis præcepti se non extendit; uti licitum est se transferre ad locum ubi jejunium non obligat, etiam eo fine ut quis à jejunio eximatur, & genio liberius indulgeat.

Verum his non consentio, quia existimo hæc præcepta non tantum exigere ut quivis non impeditus ea observet, sed etiam ut quis sine debita causa eorum observationi impedimentum non apponat. Quamvis admittam, impedimento jam illicitè posito, per ipsam comestionem subsequentem nullum peccatum admitti. Et idem est de violatione Festi per omissionem Sacri, quando aliquis labore illicito, aut crapulâ ita se gravaverit, ut tempus sacri somno aut infirmitati insumere debuerit.

Quæres porro: An eximatur à jejunio, qui noctu nequit dormire nisi sumptâ cænâ, & an teneatur is in prandio collationem tantum sumere, si hoc modo possit juvari?

Respondent plures & probati Theologi talem eximi, si magnam noctis partem cum notabili incommodo insomnem ducat: nec teneri in prandio ad solam collationem; quia nemo tenetur invertere ordinem refectionis ab Ecclesia constitutum. Ratio videtur deprompta ex D. Thoma in *4. d. 15. q. 3. a. 2.* ubi docet, *Bonum statum virtutis consistere in conservatione vitæ, & valetudinis, sufficienti ad opera quæ quis facere debet.* Et postea docet generaliter, *Omne id excusare à lege jejunii, cum quo simul & jejunio prædictus status conservari non potest.* Conformis huic doctrinæ est resolutio Navarri in Summa *cap. 21. n. 16.* qui non dubitat præcepto jejunii eos liberari, *qui tam infirma sunt complexione, ut vacuo stomacho capitis dolorem patiantur, aut tota nocte calere, vel dormire nequeant.* Plures & probatos Authores pro eadem resolutione adducit Diana *p. 1. tr. 9. resol. 51.* Non credo proinde censuram Lovaniensem, quæ ab aliquibus objicitur, doctrinam sic traditam proscribere voluisse.

QUÆSTIO XI.

An probabile videatur, ligatum voto simplici Castitatis, si contrahat matrimonium sine dispensatione, peccare mortaliter in prima tantum petitione debiti, non sequentibus.

Ratio dubitandi est, quod consummato matrimonio per primam petitionem debiti, non possit amplius servari castitas,

ac teneatur alteri parti petenti debitum reddere, quod videtur non minus castitati adversari quam debiti petitio; ergò deinceps se habet erga conjugem ac si castitatem non vovisset, cum jam sit in eo statu constitutus, in quo non possit castitatem servare. Atqui hinc non pauci Authores hanc sententiam docent, ac probabilem censent apud Mendo in *statera opin. dissert. 5. q. 21.*

Respondeo tamen, etsi fortè dicta opinio à Doctorum authoritate non sit improbabilis, nihilominus spectata ratione dicendum videtur, obstrictum voto castitatis si matrimonium contrahat non posse aut primâ vice, aut deinceps sine gravi peccato postulare debitum conjugale, nisi prius voti dispensationem obtineat, uti nobiscum docet Card. Toletus *lib. 4. sum cap. 18.* Valentia, Henriquez, Em. Sa Coninch, Reginaldus, Layman. & alii passim Societatis authores apud Thom. Sanchez *lib. 9 de matrim. disp. 33. n. 5.* Et probatur, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cum promittat abstinere ab omni actu venereo; præceptum autem negativum pro omni tempore & statu durare censetur; ergò etsi tali voto adstrictus ratione vinculi fortioris ac juris à comparte per matrimonium acquisiti, teneatur comparti petenti debitum reddere, non poterit tamen illud postulare, cum sit ipsi liberum ab hac postulatione abstinere, nec ad eam per matrimonii vinculum adstringatur. Et confirmatur ex *Cap. Quanto, de jurejurando,* ubi declaratur juramentum observandum esse in quantum potest; cum ergò castitas, ex parte voventis servari possit saltem per abstinentiam à petitione debiti, urget semper obligatio voti ut ab eadem abstineatur. Hinc qui in casu debitum petiit, debet id distinctè in confessione explicare, cum sit circumstantia Sacrilegii, quæ continet malitiam specie diversam.

QUÆSTIO XII.

An apud aliquos Authores probabile sit, licitum esse inebriare aliquem, qui decrevit magnum aliquod malum patrare, si nequeat alio modo impediri?

RESpondet affirmativè cum aliis Lessius *de justitia lib. 4. cap. 3. dub. 4. num. 33.* Idque probat hac ratione: Licitum est suadendo alium inducere ad minus malum, ut impediatur à graviori malo quod admittere decrevit, ut docet communior opinio. Sed in hoc casu nihil aliud fit quam suadere & inducere ad ebrietatem ut gravius malum evitetur: ergò hæc inductio non est illicita.

Favet

Favet huic responso Cajetanus in 2.2.q. 150. *art.2.* & Sylvester *in Summa, verbo Ebrietas,* ubi docent non peccare eum qui per modum medicinæ necessariæ alium inebriaret ad corporis ægritudinem depellendam, quia is non tendit in potum ut delectabilem, ideoque non peccat contra temperantiam. Unde inferendum videtur à fortiori idem licere ne anima in statum multò deteriorem prolabatur. Repugnat verò huic sententiæ Layman *tom.1. lib.3. sect.4. num.6.* negans licere alium inclinare ad minus malum, si non sit pars mali majoris ad quod alius se de facto determinavit. Responderi tamen possit minus malum semper in majori imminenter contineri; ideoque non desunt qui putant sententiam illam posse probabilem judicari.

In praxi, saltem negandum non videtur, ad avertendum malum aliquod gravissimum ab alio designatum, licitum esse illi offerre vinum, aliumve liquorem fortissimum, cujus vim ignorat, atque ita eum inducere ut præter suam intentionem inebrietur. Quia per hoc ille qui potum haurit non inducitur in formale peccatum, neque privatio rationis apparet intrinsecè mala. Illud itaque damnum ebrietatis alteri inferre, ut à malo longè graviori avertatur, non videtur esse à recta ratione alienum, ut supra diximus de ebrietate quæ sanitatis causâ inducitur: neque in hoc ipse Layman dissentit.

QUÆSTIO XIII.

An qui Testamentum aut aliud instrumentum publicum & legitimum amisit v.g. sua nobilitate, patrimonio, &c. possit privatim aliud simile conficere?

ILLUM per hoc non peccare, saltem graviter, cum pluribus docet Mendo in statera *dissert.* 13. *q.* 17. Navarrus *in summa lat. cap* 17. *num.*168. Et favent alii qui admittunt non esse falsarium qui mutat scripturam in aliqua re, dummodò veritati innitatur, ita Jurius Clarus, Alciatus, Menochius *de præsumpt.lib.* 5. *præsum.*20. *num.*53.

Ratio est, quia neque hic intercedit dolus, neque ulli jactura infertur, siquidem aliud instrumentum illi simile & legitimum antecedenter extabat, quod fortuito amissum fuit, ac proinde nullum jus novum ex secundo confertur: ergo novi instrumenti substitutio, cum nulli obsit, & prosit conficienti, non potest ex ea parte esse injuriosa.

Fatendum tamen est; in foro externo illum fore puniendum qui tale instrumentum confecisse deprehenderetur; quia forum externum non præsumit illud instrumentum in locum alterius substitui, sed de novo subornari, ideoque actionem hanc tanquam per leges prohibitam puniret. Hic autem agitur de foro conscientiæ, in quo secluso scandalo, aut alio incommodo extrinseco, asserunt hanc actionem nullam injuriam continere.

Dixi in resolutione, non peccare, *saltem graviter*; Quia non pauci in confectione & usu istius instrumenti admittunt incurri peccatum veniale contra veracitatem, siquidem illud proferens intendit ut falso credatur esse instrumentum quod primò publicè confectum fuit. Alii verò ajunt illam deceptionem sequi tantum per accidens, & præter intentionem conficientis novum instrumentum, quæ per se non tendit ad deceptionem, sed ad conservandum suas fortunas aut famam, aliàs sine sua culpa, sed casu fortuito amittendam, idque cupit fieri per illud instrumentum non tanquam primum, sed tanquam conforme veritati, & æquitati quæ in eo continetur.

QUÆSTIO XIV.

Quid agendum in Missione, ubi rara est præsentia Pastoris, de absolutione Sponsi qui ipso die Nuptiarum deprehenditur vagæ libidini assuetus in Confessione, qua se ad Sacramentum matrimonii suscipiendum disponit?

RESolvere videtur contra alios passim, novus Author in sua *Methodo remittendi & retinendi peccata* p. 115. differendam esse istius Sponsi absolutionem, donec tandem ipso actu constet secutam esse vitæ emendationem; nisi fortè præbeat signa pænitentiæ extraordinaria. Quia in consuetudinariis vix reperitur conversio vitæ repentina. Et quidquid ex illa dilatione sequetur turbarum, aut incommodorum, non poterit Pastori imputari.

Respondeo tamen, hanc dilationem non esse conformem communi praxi, aut sententiæ Doctorum passim receptæ ac probatæ, nisi præter subitaneam istiusmodi conversionem, adsit in pænitente specialis ratio, cur de præsenti illius dispositione prudenter dubitare oporteat. Nam absque hujusmodi ratione imprudens est Confessarii dubitatio, dum pænitens affirmat se ex animo & seriò de peccatis dolere, firmumque habere propositum emendationis, ac paratum esse remedia in hunc finem à Confessario præscribenda

ſcribenda amplecti. Neque præter hæc aliud à Tridentino ad legitimam pœnitentis diſpoſitionem requiritur. Quod ſi aliquid horum in pœnitente minus perfectum appareat, pro idoneo remedio non eſt ſtatim differenda abſolutio, ſed proponenda ſedulò alia motiva, quibus illa diſpoſitio perficiatur. Si verò nihil iſtorum deſideretur, quorſum cum tantis incommodis in tempus futurum & incertum proroganda abſolutio? Prætendis periculum relapſus? An non vides periculum illud dilata abſolutione magis invaleſcere? Sic enim pœnitens advertens ſe in priſtino ſtatu relictum, & nondum gratiæ reſtitutum, multò facilius peccatis ſuis nova peccata accumulabit, ſperans omnia ſimul unicâ abſolutione abolenda: qui ſi ab initio abſolutus fuiſſet, majorem cautelam adhiberet, ne novo flagitio acceptum gratiæ ſtatum amitteret. Quin & ipſa gratia Sacramenti, ad reſiſtendum tentationi, majores ei vires ſuppeditaret. Denique praxis contraria præſertim in caſu propoſito manifeſtè adverſatur conſilio Apoſtoli, qui pro remedio contra relapſum in libidinem hortatur 1. *ad Cor. 7. Si ſe non continent, nubant*; cùm è contrario praxis illa novitia præſcribat, ut prius diſcant ſe continere, quàm nuptiis pro incontinentiæ remedio utantur. Quid verò aliud hoc eſt, quàm velle ægrum prius à morbo integrè convaleſcere, quam ipſi liceat pharmacum ſanando morbo idoneum adhibere?

Huic omninò contraria videtur methodus abſolvendi quæ traditur in Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2.* ubi docet, Chriſtum voluiſſe lapſos in peccata ſe ſiſtere tanquam reos in tribunali pœnitentiæ, *ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties de admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari.* Declarat igitur univerſim, & ſine exceptione, pœnitentes etiam relapſos poſſe toties ritè converti, & toties à Sacerdote abſolvi, quoties de peccatis verè pœnitentes ad ipſum confugerint. De hac autem pœnitentia ſufficienti non poteſt aliundè certus eſſe Confeſſarius, niſi ex verbis, & teſtimonio ipſius confitentis, futuram vitæ emendationem toto animi affectu promittentis. In tribunali enim pœnitentiæ peccator non ſolum agit partes rei, ſed etiam accuſatoris & teſtis: ideoque illi credendum, non tantum quando ſe accuſat ut reus, ſed etiam quando affirmat ut teſtis ſe de peccatis dolere, & emendationem ſeriò proponere, niſi ex ſignis moraliter certis conſtet contrarium.

QUÆSTIO XV.

Quid dicendum in communi de aliis Consuetudinariis, qui more ordinario confitentur se ex pravo habitu in idem peccatum sæpe relapsos fuisse?

RESpondeo. Etsi aliquando possit esse res consilii ut talis benignè differatur, nihil tamen vetat sine dilatione tales absolvi, si sincerè asserant se ex animo de peccatis dolere, ac spondeant emendationem, nec recusent media congrua contra illam peccandi consuetudinem. Quamvis huic praxi nova quorundam Methodus & doctrina reclamet, de qua alibi. Interea advertant illi Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse propter hominem, non autem hominem propter Sacramentum, ac proinde Christum malle aliquali periculo exponi Sacramenti valorem, quam hominis salutem æternam: hæc autem, dilatâ absolutione discrimen incurrit, sive ex morte improvisa in statu peccati, sive ex desperatione pœnitentis non facile ad confessarium redituri, si experiatur post confessionem cum robore & pænitudine institutum, se in eodem statu relinqui, & absolutionis beneficium frustra implorare. Advertant etiam, lucrum ingens ex merito, & fructu bonorum operum, & indulgentiarum, & Eucharistiæ, quibus pœnitens privatur, quamdiu in statu peccati sine absolutione relinquitur. Denique hujusmodi severos animarum Curatores interrogo, An ipsi, aut alii Pastores non sint homines, qui possint subinde pravâ aliquâ peccandi consuetudine laborare? Id nemò inficiabitur. Quid in hoc casu illis fiet? An absolutio deneganda donec tandem forte se emendaverint? Interea remanebunt incapaces licitè baptizandi, celebrandi, absolvendi, & alia Sacramenta conferendi suo populo, cui tenentur inservire Necesse igitur erit, ut vel gregem suum debito animarum subsidio destituant, vel ipsis per alios deserviant, vel certè ut absolutionis beneficium, quod aliis negant, sibi velint sine tali dilatione conferri. Unicum his malis superest remedium, ut deposito errore ac rigore noxio, juxta legem charitatis & justitiæ, alios in tribunali pœnitentiæ eo modo tractent, quo seipsos tractari cupiunt.

Sed quid de Recidivo, qui aliquoties promisit emendationem, v. g. concubinam dimittere, nec tamen promissa ut potuit implevit? Respondeo, Talem dimittendum tanquam indispositum, nisi nova, & extraordinaria seriæ emendationis signa exhibeat.

Cæte-

Cæterum, ut supra dixi, non esse lege ordinariâ differendam Consuetudinariis absolutionem donec actu vitam emendent, docent tanto numero Theologi, ut ex ipsis possim omnino triginta rectè lectos & examinatos ex variis Scholis proferre, inter quos est Suarez *de Religione tom. 2. lib. 3. de Iuram. cap. 8.* Lugo *de pœnit. disp. 14. sect. 10.* Dicastillio *de pœnit. disp. 10. num. 575.* Sylvius celebris Doctor Duacenus 2. 2. *q. 13. art. 2. ad 2.* Bassæus *tom. 1. verbo Iuramentum, n. 2.* Leander à SS. Sacramento *disp. 7. tract. 5. q. 34.* Candidus Disquis. *de pœnit. 24. art 27. dub. 7. &c.* Quibus accedit recens & doctus author *Ioannes Bosco de pœnit. disp. 7. sect. 4.* & ex eadem Recollectorum Schola Lovaniensi *Guilielmus Herincx,* qui præclaris meritis recenter Infulam decoravit.

QUÆSTIO XVI.

An probabile sit Confessarium, qui in Sacramentali confessione novit pœnitentem ad officium vel Prælaturam indignum esse, posse illi in electione gratuita & secreta suum suffragium negare?

PRo parte affirmativa cum non liceat mihi generatim sententiam ferre, ob decretum P. N. Claudii Aquavivæ anno 1590. recensebo tantum Authores externos, qui illam omninò ut probabilem in praxi sustinere non dubitant. Docent eam cum D. Thoma *quod lib. 5. q. 6. art. 13.* Paludanus *dist. 31. quæst. 3.* Sotus *de secreto quæst. 4. post concl. 4.* Petrus de Ledesma *in summa c. 22. dub. 3. post concl. 5.* D. Antoninus, Nugnus, Deza, Medina, Mart. de Ledesma, Tabiena, & Sylvester, apud Thomam Hurtado *tom. 2 tract. 12. c. 1. num. 1369.* Pro eadem sententia ferè quadraginta Authores refert noster Sanchez *de matrim. l. 3. disp. 15. n. 2.* Hos sequitur apud Dianam *3. p. tr. 4. res. 76.* Portel, Navarrus, Gutierez, & alii quos recenset & sequitur Leander à SS. Sacramento *de pœnit. tom. 1. tract. 5. disp. 10. quæst. 84.* Quia, cum suffragium sit occultum, censent neque violari sigillum confessionis, neque Sacerdotem privari suo jure quod habet extra Sacramentum denegandi indigno suum suffragium. Quinimò aliqui apud Sanchez supra docent ad denegandum teneri, si id judicet bono publico expedire.

Verum pro Regularibus universim decrevit Clemens VIII. „ anno 1594. *Ne superiores eâ notitiâ, quam de aliorum pecca-*

„ *tis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utan-*
„ *tur.*

QUÆSTIO XVII.

An probabile sit Regularem approbatum ab Ordinario ad confessiones sæcularium in una diœcesi, validè posse ubique confessiones audire, sine approbatione Ordinarii istius loci in quo versatur.

PRo parte negativa breviter respondeo in *Resol. theol. part.* 3. *c.* 2. pro qua nunc insuper adduco Suarez *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 6. Vasquez *quæst.*93.*art.*3. *dub.* 4. Granadum *disp.* 5. *num* 12. Layman *lib.* 5. *tract.*6. *cap.*11.*num.*8. Lugo *disp.*2.*num.*29. ubi adducit decretum Urbani VIII. Et Diana *part.* 10. *tract.*13. *resol.* 23. ubi recenset breve Innocentii X. in causa Angipolitana novæ Hispaniæ, impressum Romæ anno 1648. in quo ad dubium nonum, negat Regularibus illam potestatem competere sine approbatione Episcopi diœcesani, clausula irritante privilegia in contrarium.

Docent tamen non pauci, Regularem in una diœcesi approbatum posse ubique confessiones excipere, ut Leander de Murcia *in cap.*6. *Regulæ S. Francisci q.* 8. Corduba, Præpositus, Colossus, quos refert Diana *p.*6.*tr.*7.*resol.* 59. Bauni 1.*p.tract.*4. *q.* 4. & Buno Chassiang *de privil. Regularium tract.*5. *c.*11. *prop.*2. Sed ab his plerique jam recedunt.

QUÆSTIO XVIII.

An Sacerdos Regularis manifestè idoneus, cui approbatio ab Ordinario injustè negatur, possit validè in illius diœcesi confessiones excipere.

NEgativè resolvo ut pridem *in resol. mor. p.*3. *c.*2. Quia negatio approbationis non est approbatio, quam Tridentinum expresse requirit. Et ita docet Suarez, Vasquez, Filliucius, Coninck, Mendo, Dicastillo, Lugo, *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 5. & plures apud Dianam *p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 85. Quia Tridentinum *sess.* 23. *c.* 15. videtur derogare cuilibet juri antiquo, & privilegiis Regu-
„ larium, dum asserit, *nullum Regularem absque Episcopi approba-*
„ *tione posse confessiones sæcularium deinceps excipere, non obstantibus*
„ *quibuscunque privilegiis.*

Pro

Pro parte affirmativa stant Theologi non pauci, nec authoritatis exiguæ, quos sequitur Chassaing *de privil. Regul. tract. 5. cap. 11* & in eandem sententiam tam ille, quam alii adducunt Rodericium, Peirinum, Portel, Layman, Fagundez, Villalobos, Zanardum, Finellum, Cochier, Mirandum, Graffis, Angelum, & plures alios citat & sequitur Leander *disp. 11. quæst.* 38. Et hoc privilegium vigere post Tridentinum supra citatum disertè docet Navarrus *in Manuali cap.27. num.264.* & alii moderni, quos refert & sequitur Castropalao *hic punct.* 18. § 3. *num.* 9. Cum his sentit Henriquez asserens hanc sententiam sustineri à Doctoribus Salmanticensibus, & Complutensibus, & in Academia Parisiensi fuisse publicè propugnatam, & à Congregatione Cardinalium declaratam. Pro eadem doctrina refertur etiam Diana cum quindecim Authoribus quos citat Gamachæus in *tom.3 tract de Pœnit. cap. 18.* & eandem fusè tuetur Pellizarius in *Respon Reg. tom. 1. pag.* 492. Fundamentum hujus resolutionis petunt primò, ex clementia *Dudum, de sepulturis.* Ubi decernitur Regularem ad confessiones Ordinario debitè præsentatum admitti debere. *Si*
„ *verò* (inquit) *iidem Prælati Fratribus ad audiendas Confessiones,*
„ *ut præmittitur, electis ejusmodi licentiam exhibere recusaverint;*
„ *Nos ex nunc ipsis ut confessiones, sibi confiteri volentium, liberè,*
„ *licitèque audire valeant, gratiosè concedimus de plenitudine po-*
„ *testatis Apostolica.* Nec admittunt huic decreto derogatum esse per Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.*
„ dum statuit, ut *non possit Regularis audire confessiones sæcula-*
„ *rium.... nisi approbationem obtineat: non obstantibus privilegiis &c.* Quia ut docet Navarrus in *Caput Placuit. de pœnit.* Lex posterior generalis sæpe limitatur per speciale jus antiquum. Lex autem illa Tridentini potest cum dicta Clementina sic conciliari, ut patiatur hanc exceptionem, Nisi Regulari manifestè idoneo, & præsentato approbatio fuerit injustè negata. Nam hoc non est novum in administratione Sacramentorum, ut licentia petita, & non obtenta in certis casibus pro concessa habeatur, ut patet in administratione Eucharistiæ, & Extremæ unctionis in eadem Clementina *Dudum.* Et in Extravag. *Inter cunctas.* Et ex cap. *Licet de Regularibus.* Nec credendum videtur (inquit) mentem Concilii fuisse, frustrare Regulares suo privilegio pridem ab Ecclesia & Jure concesso: aut ita fovere passiones prælatorum, ut pro libitu valeant personas manifestè idoneas à functione tam necessaria impedire, ut loquitur Peirinus *de privil. Minorum.* Pro quibus refert Bruno Cassaing supra *pag.* 224. speciale Indultum in Constitut. Clementis VII.

„ *Vt Confessores Ordinis Minorum semel præsentati alicui Episcopo „ pro confessionibus audiendis, (de more) post unam præsentatio- „ nem non teneantur amplius præsentari, etiamsi ad aliam tran- „ sierint diœcesim.* Ita illi: nostram verò sententiam supra retulimus.

QUÆSTIO XIX.

An sit probabile peccata negativè dubia non esse necessariò in confessione exponenda?

PEccatum dicitur negativè dubium, quando non occurrunt rationes sufficientes ut aliquis judicet se peccatum aliquod lethale commisisse, neque ut judicet se non commisisse: sicut dubitamus, an arenæ maris sint numero pares, an impares. Contra partem negantem obligationem confitendi peccata negativè dubia sæpius disceptavi, propter communem sensum Doctorum, & consuetudinem fidelium talia peccata clavibus subjiciendi. Verùm postquam consului plures Authores qui recentius scripserunt, negandum mihi non videtur partem negativam esse saltem ab authoritate probabilem. Non admittunt hujus sententiæ assertores consuetudinem illam communem confitendi peccata dubia unquam fuisse obligantem, sed tantum piam, & pro majori securitate usurpatam. Negant etiam ex natura rei pro delicto dubio subeundam esse obligationem certam, qualis est confessio peccatorum. Ad Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* respondent tantum requiri confessionem omnium peccatorum, quibus peccator se Dominum & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit. Qui autem dubitat de peccato, non meminit se Deum offendisse, neque potest interrogatus absolutè dicere se peccasse, aut sui peccati meminisse, aut illius veram & propriè dictam conscientiam habere. Reliqua etiam argumenta quæ suadere possint istiusmodi obligationem accuratè dissolvit Moia *Tract. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 1. quæst. 5.* quamvis ipse communiori adhæreat.

Adfertur autem pro parte negante istam obligationem, quandò dubium de peccato commisso & non commisso est æquale; S. Antoninus apud Tabienam *verb. confessio 2. n. 12.* cui ipse Tabiena adhæret, uti & Paludanus, ut videre est apud Henriquez ex eodem

agens de communi opinione obligante ad confitendum peccata „ dubia ante communionem , sic subjungit. *Addunt Paludanus, Antoninus, & Tabiena id verum esse , quando magis declinat id fuisse peccatum mortale, aut non fuisse illius confessionem : aliàs in dubio æquali , ut non tenetur ad votum , & onus præcepti , ita neque ad confessionem illius.* Et hic nonnulli observant, plures antiquiores qui obligationem illam afferunt, per dubium intelligere judicium probabile de mortali admisso , in eo merè sistendo.

Inter Recentiores, qui negant extare præceptum confitendi peccata negativè dubia , recensetur Coninck *de Sacram. tract.* 2. *disp.* 7. *dub.* 8. Josephus de Januario in *Resolutionum moral. tom.* 1. *resol.* 2. Petrus Marchantius in *Tribunali Sacram. tract.* 4. *tit.* 6. *quæst.* 5. Caramuel in *Theol. mor lib.* 2. *disp.* 4. *articul.* 1. & in *Theol. fundam pag.* 671. & *pag.* 691. contendit eam opinionem spectatâ ratione esse probabiliorem. Angelus Bossius censet eam esse probabilem *tom.* 1. *num.* 1754. Eandem in casu æqualis dubii tradit Philibertus Marchinus de *Sacram. Ordinis tract.* 2 *part.* 3. *c.* 1. *num.* 17. Et probabilem judicat Martinus de San Joseph in *Monitis Confessar. tom.* 1. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 1. Nec non Ferrantinus de *Scandalo quæst.* 77. *num.* 31. ubi alios adducit viros doctissimos qui huic sententiæ ut probabili subscripsêre , & inter alios addit Revisores Societatis, qui ab ea doctrina prius alieni, postea censuerunt posse permitti , ut ipse refert. Quibus adjungi potest Leander de *Euchar. tract.* 7. *disp.* 7. *q.* 11. & plures apud Guimenium *pag* 382. & apud Moia *supra* , qui hanc quæstionem fusè tractat. Denique Præpositus in 3. *part. quæst.* 5. asserit hanc sententiam semper sibi visam esse speculativè probabilem cum Lessio, & aliis quibus eam communicavit. Additque Guimenius in Universitate Complutensi in disputationibus publicis illam inoffenso pede quotidie defensari : & pro eadem Theses Lovanii defensas citat Caramuel *supra lib.* 3 *d.* 4. *art.* 1. Non judicio tamen consultum hanc doctrinam indoctis prædicare, qui inter conscientiam dubiam & non dubiam satis discernere nequeunt , & facilè sibi persuaderent se habere dubiam , quandò non habent omninò certam : quinimò si rem consilii spectes , dubitandum non est quin in his & similibus cuivis in praxi consultius sit viam tutiorem capessere.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

Altera Quæstio inter Recentiores, An probabile sit, illum qui post confessionem ritè institutam tendit ad communionẽ, & recordatur peccati lethalis, quod per oblivionem inculpabilem omisit, non teneri illud peccatum confiteri anteaquam communionem percipiat.

COmmunis sententia est illum teneri à communione recedere, donec peccatum sic prætermissum confiteatur, nisi obstet grave scandalum, aut infamia. Docent tamen non pauci ex Recentioribus talem non teneri etiam cum minori suo incommodo à communione recedere, modo peccatum illud post communionem tempore opportuno clavibus subjiciat: Idque ex professo defendit Ferrantinus *disp.* 1. *quæst.* 80. citans etiam Henriquez, & Petrum Cornejo, quamvis, teste Thoma Hurtado *tom.* 1. *fol.* 105. Inquisitio Hispanica illius sententiam expunxerit. Favet tamen Pasqualigus quando per omissionem communionis admittendum esset Jubilæum, citatur etiam Præpositus & Tamburinus, quando quis ad linteum communicaturus expectat, etsi possit sine infamia recedere.

Ratio est, quia talis non tenetur abstinere à communione ob defectum debitæ dispositionis, est enim in statu gratiæ, & peccatum illud est indirectè remissum per priorem confessionem in qua per oblivionem omissum fuit. Ergò non ostenditur ullum præceptum præmittendi novam confessionem præcisè ratione communionis, modò peccatum illud postea suo tempore semel directè clavibus subjiciatur. Et hanc doctrinam probabilem censet Fabri *tom.* 1. *Apologetici pag* 384. Cum eo tamen monendum judico, non esse eam in praxi proponendam, nisi in ordine ad Scrupulosos, qui memoriæ suæ nimium diffidunt, & repetendis peccatis, ac confessionibus supervacaneam operam impendunt.

QUÆSTIO XXI.

An Attritio concepta ex metu gehennæ sufficiat in Sacramento pœnitentiæ, sic ut non requiratur Amor benevolentiæ.

§. I.

Proponitur status & progressus controversiæ.

HÆc controversia, quæ omnes fideles concernit, antiquioribus parum dubia, mirum quantum plures nostro ævo

Scri-

Scriptores fatigat. Postquam enim graviores de gratiâ & libertate quæstiones circa annum 1642. Sedis Apostolicæ authoritas præcidit, non multò post ex eâdem radice hæ, aliæque disputationum reliquiæ pullulare cæperunt. Illis in lucem provehendis primum in Galliâ manum admovit Montaltius, cui operam commodarunt alii parum fortunatam. Apparuerunt brevi tempore in Belgio doctrinæ istius Gallicanæ traduces in levi folio, edito nomine Parochorum Gandensium contra sufficientiam Attritionis ex solo metu gehennæ conceptam in sacramento pœnitentiæ, cui accessit Facultatis Theologicæ Lovaniensis approbatio. In hujus forte gratiam, vel ad robur doctrinæ conciliandum, ad annum 1666. in lucem prodiit Dissertatio dogmatica Eximii P. Christiani Lupi, & quæstio quodlibetica de attritione Exim. P. Francisci Farvacques ex Ordine S. Augustini. Contra libellos illos scripsit accuratè R. P. Maximilianus Le Dent Soc. Jesu S. Theol. Lovanii professor. Ac varias postea Replicas Eximii P. Farvacques prodierunt semper Responsa solidè elaborata ejusdem P. Maximiliani Le Dent & Ægidii Estrix S. Theol. ibidem Professoris, cujus demum libellus sine replica in hac scribendi alternatione postremus fuit.

Status controversiæ maximè versatur circa mentem Concil. Tridentini *sess.* 14. *cap.* 4. ubi ait Attritionem ex metu gehennæ, *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.* Contra verò pro Amoris benevoli necessitate præcipuè opponunt alii ejusdem Tridentini *sess.* 6. *cap.* 6. ubi requirere videtur, ut accedentes ad Sacramentum pœnitentiæ, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*: negantque eam inesse vim attritioni ex metu gehennæ ut possit per se voluntatem peccandi positivè excludere. Sed de amore Dei benevolo, quem hi in Sacramento requirunt non parum laboratur, qualis ille debeat esse. Si velint sufficere amorem imperfectum, quæstio erit, an, & quomodò constet dilectionem illam esse efficacem, si non contineat amorem Dei super omnia: si admittant requiri amorem qui Deum appretiet super omnia, non satis capitur quomodò amor ille non sit perfectus: si concedant esse actum charitatis perfectæ, multò minus intelligetur quo pacto amor ille non justificet per se, & extra Sacramentum: atque ita remissio peccati semper amori prævio, nunquam ipsi Sacramento adscribenda erit.

Postquam hæc quæstio non tantum scribentium utrimque calamos, sed etiam pœnitentium mentes non parum exagitavit, tandem ad Alexandri VII, Supremum tribunal delata fuit.

Vetuit ille in suo decreto 5. Martii anno 1667. in virtute S. Obedientiæ, & sub anathemate Sedi Apostolicæ reservato, ne quisquam auderet ulli parti censuram theologicam inurere: nondum tamen de rei summa lata est decretoria sententia. Hic singulas controversiæ partes, & rationum utrimque militantium momenta, pro commodo Missionariorum, in lucem proferemus, & quantum licet brevi methodo resolvemus.

§. 2.

An Attritio quæ concipitur ex solo timore gehennæ possit excludere voluntatem peccandi, & esse actus bonus, ac supernaturalis?

Item, *quod eodem spectat, An detur præceptum referendi omnia opera in Deum ex puro motivo Charitatis benevolæ.*

DOcent nonnulli metum illum gehennæ non posse animum cohibere à pravo affectu, quamvis illum retrahere possit ne in peccatum externum prorumpat. Sic sentit Lutherus in disputatione Lipsica Eckio respondens; nec non scribens adversus Leonis X. articulum 6. *Sentio*, inquit, *perniciosum esse genus docendi, quo intuitu pœnarum, præmiorum, peccatorum docentur pœnitere; his enim doctrinis coercentur quidem ab opere &c.* Nec dissentit Jansenius *tom. 3. lib. 5. cap. 35.* enumerans inter fructus timoris gehennæ, *quod quamvis à peccato animum non contineat, manum tamen cæteraque coercet membra ne in facta prosiliant.* Existimat quoque Exim. P. Lupus dissertatione dogmatica pag. 61. timorem servilem à S. Augustino distingui *penes fœdum animum, quo quis à concupiscentiis peccati ob annexi illis mali pœnalis metum abstinet.* Nec minus sentire videtur Author Tyrocinii *tr. 1. cap. 6. &c.* Verum etsi doctrina hæc locum habeat plerumque in timore servili pœnæ à judice humano constitutæ, qui solum actus externos cognoscit & punit, non potest sine errore transferri ad timorem gehennæ à Deo pro peccatis etiam internis infligendæ.

Respondeo igitur ad quæstionem, & dico primò, Necesse non esse ut detestatio peccati ex metu gehennæ annexam habeat voluntatem peccandi, sive inefficacem, sive conditionatè efficacem, si nempe abesset pœna gehennæ.

Probatur primò: Non ignorat pœnitens hunc actum, Peccarem si pœna abesset, à Deo prohibitum, æternoque supplicio plectendum esse. Ergo potest ex metu istius pœnæ excludere istum

istum affectum interius conditionatè peccandi, sicut admittunt adversarii ex timore gehennæ cohiberi posse peccatum externum, quod sæpe arduum ac difficile est.

Et verò quis audeat affirmare, quemlibet adversantem furtum ex metu patibuli sic esse constitutum, ut actu velit furari, si sola infamia, aut alia levior mulcta incurrenda foret? Neque satis alii ostendent cur detestanti peccatum ex metu gehennæ potius debeat adesse voluntas peccandi si pœnam non timeret, quam illi qui aversatur delictum ex Dei amore, debeat inesse affectus admittendi flagitium, si actu Deum non amaret, vel si Deus nullus existeret.

Probatur secundò: Quia si dolor conceptus ex timore gehennæ sibi necessariò adjunctum haberet pravum affectum admittendi peccatum, perperam verbi divini præcones, perperam ipse Christus futura gehennæ supplicia peccatoribus intentaret, & ad eorum timorem incitaret Matthæi 1.v.28. *Dico vobis, timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Quid enim aliud hoc esset quàm homines ad peccatum invitare, dum impelluntur ad timorem, quo non possunt sine adjuncto flagitio commoveri?

At, inquis, necessarium est ut metus causet involuntarium saltem secundum quid, circa illud quod ex metu agitur, vel omittitur.

Respondeo, metum efficere secundum quid involuntarium hoc sensu, quod voluntas minùs propensè feratur in id quod actu amat & operatur, quam si metus mali per opus incurrendi non adesset. Ut dum quis metu mortis à tempestate imminentis, merces quibus navis gravatur projicit in mare; metus damni eventuri ex mercium jactura facit, ut voluntarium in earum ejectione minuatur. Eodem modo fit in actu quo quis peccat, dum pœna ex peccato secutura animo obversatur: tunc enim actum peccaminosum elicit minori voluntatis propensione, & majori cum lucta, quam si animus esset liber à timore pœnæ ex delicto incurrendæ. At verò ad peccatum fugiendum & detestandum, metus gehennæ potius impellit & invitat, instar concupiscentiæ quæ auget voluntarium; facit enim metus ille ut animus tanto propensius se resolvat ad fugam & detestationem peccati, quam novit necessariam ad pœnam evitandam. Multum ergò abest ut metus barathri imminuat voluntatem aversandi peccatum, aut ut annexum habeat affectum peccandi si pœna abesset, cum homo fidelis non ignoret per hunc pravum affectum ipsam pœnam quam metuit, incurrendam esse.

Unde ulterius patet, illam velleitatem peccandi si possit impunè, (quam supponit Author Tyrocinii in casu permanere) non majorem habere connexionem cum odio peccati ex timore gehennæ, quam habeat voluntas furandi cum pœna patibuli à Judice intentata: tantum autem abest ut patibulum ad furta invitet, ut fassuri sint ipsi latrones, nunquam se magis sentire affectum à scelere alienum, quam dum patibulum oculis observatur.

Quod si illa vis insit timori, ut possit esse à pravo affectu sejunctus, quinimò voluntatem ab eo immunem reddere, sine fundamento solido statuit idem Author *tr. 1. c. 6.* ea quæ ex solo metu fiunt non bene fieri. Nec juvat quod existimet pravum hujusmodi affectum non oriri ex ipso timore, sed ex concupiscentia illi adjuncta, quæ nequeat sine charitate superari; ostendi enim non potest, cur timor ille non possit esse adeo intensus & efficax, ut voluntatem per se cohibeat, quo minus concupiscentiæ obsecundet, ut magis ex sequentibus patescet.

Dico igitur secundò, dari potest fuga aut metus gehennæ tam perfectus, ut per se, & positivè omnem peccandi voluntatem excludat.

Probatur ex Tridentino *sess. 14. cap. 4. Illam vero Attritionem, „ quoniam ex gehennæ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat &c.* declarat donum esse Dei, & ad gratiam disponere. Dum asserit Concilium, attritionem illam, si voluntatem peccandi excludat, ad gratiam in Sacramento percipiendam disponere, apertè supponit dari posse attritionem quæ istam voluntatem excludat; aliàs pro dispositione ad gratiam ridiculè nobis assignaret attritionem quandam, quæ in rerum natura non reperitur. Nec minus ridiculè damnaret Lutheri de attritione sententiam, quæ tantum falsa fuisset in casu impossibili. Quin & eâdem ratione dicam, veram esse hanc sententiam Scripturæ; si volueris servare mandata servabunt te, etsi simul sustineam impossibile esse homini servare aliquod mandatum sine statu gratiæ.

Mentem suam rursus exponit Concilium *sess. 6. can. 8.* cum ait, per Gehennæ metum nos à peccando abstinere. Neque dicas intelligi metum amori adjunctum: agitur enim de metu qui dilectionem antecedit; nam illum eundem metum *cap. 6.* docet sternere viam ad spem, & charitatem. Multò minus verba illa detorqueas ad abstinentiam *à peccatis internis*, nisi velis eâdem licentiâ, *propositum non peccandi de cætero*, ad peccata tantum externa non admittenda restringere, quod nullus sanæ doctrinæ cultor admittet.

Eadem

Eadem est Sancti Augustini (quem Adversarii sibi patronum frustra vendicant) de hoc puncto mens & sententia, tum alibi sæpe, tum disertè *in psalmum* 127. ubi agens de verme qui non moritur, & igne qui non extinguitur, subdit: *Audiunt hæc „ homines, & quia vera futura sunt impiis, timent & continent „ se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à „ peccato. Timent quidem sed non amant justitiam: cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ.* Hic aliud effugium non invênit Lutherus, quàm ut rursus ad peccata externa recurrat. Idem sentit & Theologus recentior. At dissensit ipse Augustinus, qui per peccatum verum & pœnâ dignum, non externum, sed internum intelligi cupit Sermone 19. de verbis Apostoli: *Deus cor interrogat, non manum.* Externum igitur & peregrinum est sensui Sancti Doctoris, quod existimaverit Timorem à peccatis tantum externis, non verò ab internis coercere.

Ex his quæ hactenus diximus de Timore pœnæ à Deo infligendæ, simul constat, Non dari præceptum referendi omnia opera in Deum ex motivo Charitatis. Eadem enim est ratio de actibus aliarum virtutum, quæ ex solo motivo propriæ honestatis exercentur, ut Spei, justitiæ, misericordiæ &c. quos actus etiam per se honestos esse sequens assertio docebit.

Dico ulterius tertiò. Timor gehennæ, & inde conceptus dolor peccati, est actus per se honestus, & supernaturalis. Negavit hanc assertionem Lutherus; tum quia sensit omnem actum liberi arbitrii sine charitate peccatum esse, tum quia de dolore ex solo metu gehennæ expresse docuit, illum facere hominem hypocritam & magis peccatorem. Docet etiam Jansenius timorem illum, culpæ obnoxium esse, si voluntas in eo sistat. Quamvis enim *Tom.* 3. *lib.* 5. *cap* 21. in titulo dicat timorem gehennæ secundum se bonum esse, sic tamen se explicat ut velit malum esse si in Deum actu per amo- „ rem non referatur. *Si quis*, inquit, *in pœna fugienda velut in ter- „ mino hæreat, per quam tanquam viam transire debuisset, non illa „ timoris, sed timentis culpa est.* Hujus sensum & verba transscripsisse videtur Author Tyrocinii *tract.* 1. *pag.* 179. ubi tradit timorem quidem bonum, sed eum qui serviliter timet malum es- „ se. *Quia*, inquit, *non ideo ille malus est quia vehementer timet „ pœnam, sed quia non vehementius timet culpam; quod autem non ve- „ hementius timeat culpam, non oritur ex timore pœnæ, sed ex defe- „ ctu charitatis, qui defectus non timori, sed timenti imputandus est.* Quid aliud volunt hæc verba quàm timorem, sine charitate,

tanquam socium individuum secum trahere peccatum ? aut quâ ratione timorem illum bonum nuncupabis, qui talis est, ut nunquam possit per se sumptus benè & honestè elici, aut se solo hominem rectè agentem denominare ?

Contra hos probatur thesis primò, ex Tridentino *sess.* 6. *can.* 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam DEI de peccatis dolendum confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit.* Hunc autem *Verum & utilem esse dolorem* sess. 14. can. 5. disertè definit. *Quid autem est actum aliquem esse bonum & honestum, quam quod verus sit & utilis ad salutem.* Unde & ulterius conficies dolorem ex metu gehennæ, dum voluntatem peccandi excludit, actum esse supernaturalem, cum à Trid *sess.* 14. *c.* 4. dicatur etiam esse *donum Dei, & Spiritus sancti impulsus.*

Probatur secundò, ex mente S. Augustini dilucidè expressa Enar-
,, rat. in psalmum 127. *Timore facit quidquid boni facit, non timore*
,, *admittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet*
,, *ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in ge-*
,, *hennam, bonus est & iste timor, utilis est.*

Et verò argumentum ab ipso rationis lumine petitum demonstrat, maximè consentaneum esse naturæ rationali, à se amoliri æternum ac summum malum, quod per solam Dei offensam incurritur; & ad illud evitandum Dei offensam aversari, etsi actus ille hic & nunc abstrahat ab alio motivo perfectiori.

Nec obstat quod talis peccati fuga pro fine habeat amorem & commodum proprium; dari enim potest amor sui bonus & ordinatus, ad quem Deus ipse nos hortatur *Eccl.* 30. *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Monet quoque frequenter ut intuitu præmii cœlestis operemur. quamvis & hoc ad amorem & bonum proprium referatur: ut *Matthæi 6. Primum quærite regnum DEI, & justitiam ejus.* Et 1. *ad Corinth* 9. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Atque ad hunc finem in observanda Dei lege se respexisse profitetur regius Propheta. *Psalmo* 118. *inclinavi cor meum ad faciendum justificationes tuas, propter retributionem.* Nec refert quod Scriptura sæpe moneat, ut omnia opera ad Dei gloriam referamus; hortando enim ut connitamur ad motivum perfectissimum, non negat dari alium finem in suo gradu laudabilem & perfectum.

Hæc haud dubiè facile perspiciunt adversarii. Sed unum est quod

quod speciosè obtendunt ; unum quod perpetuò ingeminant: Tutiora semper esse sequenda ; tutissimam verò esse doctrinam, quæ statuit, vi præcepti omnia opera ex pura Charitate in Deum referenda.

Respondeo ego, Multò tutiùs esse non errare, & doctrinam erroneam aliis non prædicare , persuadendo toties admitti novum peccatum, quoties opera in Deum non referuntur ex puro charitatis motivo, plerisque hominum maximè arduo ac difficili : Suadenda omninò est charitas , sed minimè suadendus est error, ex quo cum pernicie animarum toties peccetur , quoties in operando charitas omittitur. Quærò enim , si prædicandum quod tutissimum, cur ad singula opera actum Charitatis perfectissimæ non requirunt adversarii ? Hæc certè charitas operis bonitatem multò reddit securiorem. Ajo igitur Theologo inquirendum non quid tutius, sed quid verius. Retinenda est firmiter hæc responsio in plerisque horum temporum controversiis, de attritione in Sacramento, de absolutione differenda, de usu probabilitatis, & aliis, in quibus pro vulgari argumento fallax securitatis species assumitur. Sic in simili respondet doctissimus Navarrus *verbo Confessio num. 3. quæst. 2. Licet sit tutius statim (habitâ oportunitate) confiteri, quam differre, non tamen est tutius tenere quod sic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi.* Sic quoque S. Ambrosius in psalmum 118. *octon. v. 6. sunt*, inquit, *etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere.*

Denique maximè tutum & necessarium est necessitatem charitatis non extendere ultra limites Apostolicæ authoritatis: damnavit autem Apostolico diplomate Pius V. & Greg. XIII. inter Articulos Michaelis Bay hunc *art.* 16. *Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate.* Et *art.* 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur , aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Hic autem Bajum non intellexisse solam charitatem perfectam, satis apertum est ipsum legenti *lib. 2. de peccat. meritis c. 1.* Neque effugium quæras , existimando aliquas Baji propositiones sustineri posse in proprio verborum sensu ab authore intento. Hanc enim futilem & inanem esse Bullæ Pontificiæ interpretationem , pridem commonstravit Urbanus VIII. per illius exemplar commate controverso distinctè notatum , & Deputatis Lovaniensium Romæ in manus consignatum anno 1644.

§. 3.

Ostenditur Attritionem ex timore gehennæ, cum proposito de cetero non peccandi, & Spe veniæ, dispositionem esse sufficientem in Sacramento pœnitentiæ ad peccatoris justificationem.

ILlis qui hanc doctrinam impugnant nuper accessit D. Laurentius Neesen in sua *Theol. Christiana pag.* 104. & D. Macarius Havermans in *Tyrocinio Theol. pag.* 168. *num* 120. quia existimat in pœnitentia qua peccator detestatur peccatum ex solo metu gehennæ, sine amore Dei sive justitiæ, intervenire (ut loquitur) involuntareitatem saltem habitualem. Quantum momenti habeant horum aut aliorum rationes, & responsa ad argumenta quæ proferemus, breviter expendendum erit.

Primum itaque argumentum pro sufficientia hujus attritionis in Sacramento pœnitentiæ, desumitur ex Conc. Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi declarat *attritionem illam, quæ vel ex turpitudine peccati, „ vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ ... donum esse Dei, & impulsum „ Spiritus sancti. Et quamvis,* inquit, *sine Sacramento pœnitentiæ per se „ ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei „ gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hic Concilium apertè dicit attritionem ex metu gehennæ tanquam partem Sacramenti disponere ad gratiam in eo percipiendam, nec ullam facit mentionem charitatis aut alterius motivi, cum tamen profiteatur se velle hic tradere exactam & perspicuam doctrinam de requisitis ad Sacramentum pœnitentiæ. Ergò manifestum facit alium dolorem non requiri.

At, inquies, Concilium tantum asserit attritionem illam, disponere ad gratiam. Atqui dispositio sonat aliquid prævium, & extrinsecum, non verò partem intrinsecam Sacramenti. Respondeo, Concilium non dicere attritionem esse dispositionem in ordine ad constituendum Sacramentum, sed tantum in ordine ad impetrandam gratiam; huic gratiæ attritio est extrinseca, etsi sit intrinseca Sacramento. In eadem forma retorqueo suum in Adversarios argumentum, Dolor ex motivo charitatis disponit peccatorem ad gratiam in Sacramento impetrandam. Ergò etiam ille dolor non est pars, sed dispositio Sacramento extranea.

Instabis primò. Non asserit Concilium attritionem proximè disponere ad gratiam. Ergò supponit insuper intervenire

actum

actum charitatis tanquam dispositionem proximi requisitam. *Respondeo*, frivolum esse, Concilium hic velle tradere accuratam de Sacramento pœnitentiæ doctrinam, & tamen prætermissa parte illius necessaria & proxima, scilicet charitate, dispositionis tantum remotæ meminisse; quinimò contrarium apertè prædicat, dum hic de charitate altum silet.

Instabis secundò. Satis meminit charitatis, dum vult excludi voluntatem peccandi, quam attritio formidolosa per se sumpta nunquam eliminat.

Respondeo, hoc effugium à nobis supra satis præclusum esse in §. 2. nisi velis contra communem sensum tueri, ex sola consideratione ardentis rogi aut patibuli nunquam vinci affectum furandi. Maluit D. Neesen *pag.* 107. hoc paradoxum admittere, quam dimittere doctrinam ex qua consequitur.

Instabis tertiò. Tridentinum loco citato statim subdit, *eodem timore concussos Ninivitas plenam terroribus pœnitentiam egisse, & misericordiam à Domino impetrasse.* Atqui non impetrarunt misericordiam per solum timorem gehennæ absque actu charitatis, quæ justificat extra Sacramentum. Ergò Tridentinum loco citato agit de timore charitati conjuncto.

Respondeo hoc argumentum, quod visum est alicui Recentiori invictum, plus habere boni coloris, quam solidi roboris, & in singulis enim membris fatiscit. Ad Majorem, dicuntur Ninivitæ eodem timore concussi, tantum genericè; non enim narrantur concepisse timorem ex metu gehennæ, sed ex eversione suæ civitatis intra 40. dies quam Jonas prædicavit. Neque docet Concilium illos ex vi istius timoris ac pœnitentiæ misericordiam illam obtinuisse quæ in justificatione consistit, sed eam potius quæ sita est in suspensione sententiæ de urbis eversione, quæ poterat per dolorem & emendationem vitæ, ex solo temporalis pœnæ à Deo infligendæ terrore conceptam, impetrari: & ex hoc responso vel unico tota vis concidit argumenti. Ad minorem, ipsi æque adversario incumbit solutio. Non enim poterant Ninivitæ obtinere gratiam justificationis nisi per actum charitatis perfectæ, quæ justificat etiam extra Sacramentum, quo tunc Ninivitæ carebant. Ergo contra tuam sententiam, cui sufficit in Sacramento charitas imperfecta, necessaria jam erit charitas adulta & perfecta, qualis est ea, quæ justificat extra usum Sacramenti. Atque ita non magis argumentaris contra attritionem ex solo metu gehennæ, quam adversus attritionem quam ipse requiris ex amore DEI benevolo, sed non ita perfecto, ut per se & absque Sacramento peccatorem justificet, qualis etiam cum

metu gehennæ non sufficeret ut Ninivitas ad justitiam perduceret. En quam levi negotio evertuntur machinæ illæ quæ attritioni fatales credebantur.

Instabis quartò. Mentem Tridentini oportet colligere ex Sessionis 6. c.6. ubi ad pœnitentiam ab adultis ante Baptismum peragendam requirit, ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant, & eadem est pœnitentia quæ Baptismo & absolutioni Sacramentali præmitti debet. Actus autem pœnitentis his verbis proponit. *Disponuntur ad justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes .... & divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum propitium fore: illumq; tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt : ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet.*

Respondeo, Nihil hic dici determinatè de amore benevolentiæ, eâque imperfectâ, quam adversarii in Sacramento requirunt. Dico itaque Concilium dum ait, omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, loqui indeterminatè sive de amore concupiscentiæ, qui in spe veniæ continetur, & Deum ut sibi bonum desiderat; sive de quovis alio amore qui peccati commissi detestationem contineat. Et quidem pro amore concupiscentiæ determinatè facit, quod Concilium dicat peccatorem incipere Deum diligere, non alio modo, quam tanquam fontem justitiæ, sive justificationis nostræ quæ in nobis bona est, & ut talis amore concupiscentiæ diligitur & desideratur. Nihil ergò hic determinativè exprimitur de amore DEI propter se dilecti, quod possit parti adversæ favere. Deinde dilectio loco citato expressa æquè commodè intelligi potest de ea quæ disponit peccatorem ad justificationem extra Sacramentum. Neque huic obstat quod addatur, *hoc est per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet :* nam ante Baptismum necesse est tantum disjunctivè præcedere vel contritionem perfectam, quæ extra Sacramentum per se justificat; vel attritionem, quæ non confert justitiam nisi cum actuali Sacramenti susceptione. Porrò cum hæc attritio ex metu gehennæ debeat esse conjuncta cum spe veniæ à Dei clementia obtinendæ, facilè admitto semper intervenire amorem concupiscentiæ, quo peccator Deum ut sibi clementem & propitium diligit; imò existimo vix fieri posse quin erga ipsam Dei clementiam & bonitatem, veniam pœnitenti ultro offerentem, complacentiam aliquam habeat; sed nego hanc ad valorem & fructum Sacramenti

menti esse absolutè necessariam, aut per se semper efficacem, aut sufficientem.

His ita dissolutis, Mens Tridentini pro attritionis formidolosæ sufficientia novo, ac validissimo argumento roboratur. Synodus Tridentina illum contritionis modum defendit quem oppugnabat Lutherus, contra quem Tridentini patres hos canones condidere. Atqui Lutherus impugnabat illam attritionem quæ non erat ex charitate, sed ex timore gehennæ. Ergò hanc attritionem astruit & defendit Tridentinum, dum tradit attritionem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponere, idque proximè, cum hoc ipsum Lutherus negaret & proximam dispositionem ad gratiam in Sacramento obtinendam soli charitati attribueret. Sic enim de dolore peccati ex spe præmii aut timore pœnæ, „ quem fusè describit, tandem pronunciat *Sermone 2. de pœnit.* „ Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem, „ quia solum Timore præcepti, & dolore damni id facit. Et ta- „ les omnes indignè absolvuntur & communicantur. Et si li- „ berè deberent, remoto præcepto, & minis pœnarum, confiteri, „ certè dicerent sibi non displicere eam vitam præteritam, „ quam sic coguntur displicere confiteri; imò quo magis ti- „ more pœnæ, & dolore damni sic conteruntur, eo magis pec- „ cant, & afficiuntu suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt „ odisse. Et hæc est illa Contritio quam ipsi vocant extra charita- „ tem non meritoriam, alii vocant attritionem proximè dispo- „ nentem ad Contritionem, sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego judico: ita ille. Ex quibus manifestum est, Lutherum damnasse illam Attritionem quæ concipitur ex solo timore præcepti, & dolore damni & pœnæ secuturæ, ac docuisse peccatores cum hujusmodi attritione absque charitate in Deum indignè absolvi. Unde certum evadit Tridentinum agens contra dogmata Lutheri voluisse tradere doctrinam illis è diametro oppositam, ac proinde definivisse attritionem ex solo metu gehennæ honestam esse, & dispositionem per se sufficientem ut peccator dignè absolvi possit. Idque facile elucescet conferenti hæc Lutheri verba cum decreto Tridentini quod in probatione prima adduxi ex *sessionis 14. cap. 4.*

His rationibus convicti agnovere Authores plerique qui post Tridentinum scripserunt, hunc fuisse Concilii sensum & sententiam, dum pro attritionis sufficientia communi sensu suffragium tulerunt, quod minimè fecissent, si vel in speciem existimassent Concilii mentem huic sententiæ refragari. Ex his sunt plures etiam ex Academia Lovaniensi cum Tappero, Mercero,

Mercero, Cunero Petri, Stapletono, Lindano, Latomo, & aliis, quorum nonnulli, etiam rebus in Tridentina Synodo gestis interfuerunt.

Agnoscit & ipse Alexander VII. in suo Decreto, ea de re dato 5. Maji Anno 1667. hanc esse nostro tempore communiorem inter Scholasticos sententiam, eamque Apostolica authoritate sic communivit, ut sub gravibus pœnis vetuerit ullam ei theologicæ censuræ notam inuri. Atqui Pontifex & Ecclesia non satis saluti fidelium consuluissent tantum authoritatis hactenus attribuendo huic doctrinæ, undè valor Sacramenti & justificatio peccatoris maximè dependet, nisi hoc ipso agnovisset eam esse certam & in praxi securam. Neque refert quod nolit etiam Pontifex censurâ notari sententiam, quæ adstruit necessitatem charitatis, quia per se satis constat dolorem efficacem ex motivo charitatis non posse in praxi obesse valori Sacramenti, & justificationi peccatoris.

Nihilominus contra hæc rationum momenta maxime ex Tridentino deprompta, & communem Theologorum consensum ad Antiquitatis præsidium appellat pars adversa, dum fidenter pronunciat. Antiquitus nullum pro hac doctrina de attritione formidolosa sententiam tulisse. An igitur illis qui ita sentiunt, nullus erit Joannes Fisserus Episcopus Roffensis, qui pluribus annis ante coactam Trident. Synodum mortuus, contra errorem de attritione ex metu sic scribit *Art. 5. col. 308. Verum si dixero, sine dolore qui ex charitate nascitur neminem ad suscipiendam absolutionem idoneum esse, quis jam de Sacramenti fructu securus esse potest cum nemini certum sit dolorem ex charitate proficisci? Tutius est igitur ut dicamus fidem cum nonnullo dolore sufficere, ut quis per Sacramenti susceptionem confidat se prorsus ab omni peccatorum reatu jam liberum esse factum. Ubi dolorem nonnullum* apertè opponit dolori qui *nascitur ex charitate.*

Nullus etiam erit Joannes à Daventria, qui ante decreta Tridentini Anno 1537. in Exegesi contra confessionem Augustanam ad Art. 5. prolatis Lutheri verbis, quibus tradit pœnitentes ex timore præcepti, & dolore damni indignè absolvi, post multa tandem contra Lutheri assectas concludit pag. 30. *Sic absolvere non est irretire: quod ubique fere nobis objiciunt adversarii.* Nullo etiam loco erit Gabriel Biel Tridentino antiquior, qui ex sua & aliorum sententia sic loquitur in 4 *dist. 12. q. 2. art. 1. opin. 3. Quandoque dispositio illa prævia non est sufficiens, sed dispositio quasi à remotis, & hanc vocant Attritionem seu pœnitentiam informem, & illa non sufficit ad*

ad peccati remissionem : sed superveniens Sacramentum supplet imperfectionem illius Attritionis, & confert peccatorum remissionem & gratiam. Explicat autem illius Attritionis insufficientiam sine Sacramento, per hoc, quod non fiat propter Deum tanquam finem ultimum, sed propter amorem sui, quia peccata sunt inductiva pœnæ, aut impeditiva gloriæ.

Ignotus esse potuit Ruardus Tapperus nobilis Doctor Academiæ Lovaniensis ? qui suum opus absolvisse debuit ante Tridentinum, licet postea vulgaverit, cum Tridentini mentionem non faciat, sed solum Florentini. Is autem *Art.* 4. Attritionem quam definivit displicentiam peccati ex timore pœnarum, *pag.* 111. apertè tradit idoneam esse dispositionem ad Sacramentum Baptismi & pœnitentiæ, ac si doctrina esset satis eo tempore communis. Et ne hic prolixior sim, videri potest in eandem sententiam Altissiodorensis *in* 4. *tract. de Sacram. pœnit. p.* 265. Hervæus *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. Et ante annos circiter trecentos Guido de Monte Rocherii *tr.* 2. *de Contrit. cap.* 1. Denique non est cur Lutherum illam doctrinam coævis sibi Theologis sine causa exprobrasse dicamus, si ante illum vix unus alterve extiterit famosus istius sententiæ patronus, uti aliqui nobis persuasum cupiunt.

Quinimò ex ista paucitate Scriptorum, quæ prætenditur fuisse pro hac doctrina ante Tridentinum, breviter enervo omnem vim, quam illi Moderni prolixè reponunt in ejusdem Concilii interpretatione ex historia Cardinalis Palavicini, contra sufficientiam attritionis formidolosæ. Nam si tam pauci ante Tridentinum pro illa sententia suffragium tulerunt, & tamen post cognita Concilii decreta teste Alexandro VII. cœpit illa esse communior inter Theologos, quorum aliqui etiam Synodo interfuerunt, necessarium profectò est illos ex actis Concilii omninò collegisse, pro Attritionis formidolosæ sufficientia in eo absolutè pronunciatum fuisse.

Si quæras quam sit certa & evidens ista collectio ? Dico Scriptoribus non paucis visam esse adeo evidentem, ut non dubitaverint (ante decretum Alexandri VII.) articulis definitis illam annumerare. Alii enim apertè pronunciant doctrinam hanc pro attritione formidolosa à Tridentino declaratam esse *sess.* 14. *c.* 4. Alii etiam scripserunt sine temeritate negari non posse. Alii à Tridentino expresse definitam. Alii oppositam videri Tridentino apertissimè repugnare. Denique ipsa Generalis inquisitio Hispaniæ hanc propositionem, *Confessio ex solo pœnarum*

metu

metu facta, & non etiam ex amore Dei, nulla est adeóque iteranda, graviter reprobavit, non sine interminatione censuræ. Ego censuras minimè attingo, & aliud non addo, quàm doctrinam pro sufficientia attritionis formidolosæ ex dictis videri adeo securam, ut amplius de ea prudenter dubitari non possit. Optandum est ut advertant sedulò pauci Recentiores, qui ab isto communi sensu & semita recedunt, quot, qualesque Doctores deserant, & quos viæ suæ duces sequantur.

Sed nolim me, & alios qui id optant propterea dici aut haberi *Hostes Charitatis*, ut aliqui non benevolè exprobrant. Hortamur assiduò, consulimus, suademus, tota laterum contentione ubique prædicamus, ut quisque in quovis opere, & multo magis in Sacramento pœnitentiæ totis animi viribus ad Charitatem connitatur. Nec tantum ad illam dilectionem dilutam, tenuem, & imperfectam quam adversarii requirunt, sed etiam ut Charitatem perfectam, imo perfectissimam, ac Seraphicam habere contendant. Quorsum ergo nos *Hostes Charitatis?* Quia nolumus illos ad tartarum damnare, qui cum solo timore ac tremore justitiæ divinæ, aut cælestis gloriæ amittendæ, aut gehennæ à Deo infligendæ cum spe veniæ, & sincero emendationis proposito ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt. Hostes, inquam, sumus Charitatis, quia censemus non recedendum à veritate doctrinæ quam ipse Christi Vicarius Alexander VII. disertè pronunciat esse nunc inter Theologos communiorem, & non accedendum ad paucos, qui hoc tempore viam aliam, & minimè tritam ingrediuntur. Hanc viam dum recusamus, etiamsi tradiderimus DEI & proximi obsequio nos ipsos & labores, & vigilias, & studia, & facultates omnes animi & corporis, necesse erit nos proclamari, Hostes pessimos & inimicos Charitatis. Hæc saltem opprobria ut æquo animo pro veritate sustineamus, spero nobis non defuturam illam, *quæ omnia suffert*, Charitatem.

QUÆSTIO XXII.

An teneantur ullo præcepto Parochiani diebus Dominicis & festis interesse Concioni in propria parœcia, sic ut non satisfaciat qui solas Regularium Ecclesias frequentat.

HÆc controversia nostro tempore magnâ partium contentione disceptatur, aras enim & focos verè concernit, & omnes Reipublicæ Christianæ partes involvit. Agitur imprimis de

de Cleri ſæcularis templis, & emolumentis; litigatur de Regularium præcipuis muniis, ac privilegiis. Diſceptatur denique de totius populi Chriſtiani immunitate à vinculo præcepti, quo ædes parochiales verbi DEI prædicationem frequentare cogantur.

Hinc eſt quod hæc quæſtio ſæpius excitata, ſæpius ſopita, nuper Lovanii, ex tenui ſcintilla, in novum derepente litterariæ contentionis incendium eruperit. Fomitem huic contentioni ſubjecit Concionator in templo D. Jacobi, qui Auditores ſuos admonuit de reatu peccati, quem omnes incurrunt, qui in templo propriæ paræciæ verbum Dei audire omittunt. Non leviter offendit ea denunciatio pleraſque Regularium familias, atque exemplo contra hanc doctrinam excuſa Pontificum diplomata ac decreta valvis affixerunt, ſuaque jura ac privilegia populo præ roſtris exponere cæperunt. Contra hos prodiit ſine mora libellus inſcriptus, obligatio audiendi verbum DEI in parochiis, clarè demonſtrata. Huic demonſtratori oppoſuit vir eximius ex ordine S. Auguſtini Exhibitionem canonum, quibus obligationem illam doctiſſimè oppugnat. Non multo poſt tempore idem Demonſtrator ſub nomine Chriſtophori Philalethis repoſuit libellum quem inſcribit, Juſtam defenſionem contra illam Canonum exhibitionem. Sed contra hunc Philalethem apertâ fronte ſuam Canonum Exhibitionem novo Reſponſo ſtabilivit idem Exim. P. Chriſtianus Lupus ex ordine S. Auguſtini, edito menſe Decembri Anno 1674. Verum ne pedem è campo retulit Philalethes, qui pro ſua cauſa poſtea vulgavit, Deductionem Juris Parochialis &c. Anno 1675. Atque ita hactenus mutuus partium & argumentorum conflictus, ad hujus cauſæ cognitionem omnium pænè animos ac ſtudia concitavit. Hic præcipua tantum utriusque partis argumenta breviter proponens, cauſæ judicium, prout debeo, aliis integrum relinquo

Aſſertores obligationis confluendi ad concionem propriæ paræciæ præcipuum cauſæ ſuæ momentum petunt ex verbis Concilii Tridentini Seſſione 24. cap. 4 de Reformatione. *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poteſt ad audiendum verbum Dei.* Contendunt enim Concilium dum pronunciat, unumquemque teneri, præcepti vinculum imponere voluiſſe, unde inferunt nemini licere ſic aliena templa frequentare, ubi abſit à concione ſuæ paræciæ.

Reſpondent ex adverſo Regulares, per illa verba nullam im-

portari

portari obligationem conscientiæ, sed tantum aliquam decentiam & honestatem, ut aliquandò ad verbum Dei audiendum quisque in propria parochia compareat, præceptum verò incumbere ne quis ex contemptu eam adire negligat. Idque confirmat primò, quia nulla veritatis specie dici potest, quod voluerit Concilium generaliter unumquemque fidelium stricto præcepto adstringere, ut verbo Dei audiendo intersit, multò minus ut debeant omnes in unum parœciæ suæ templum compingi, quod plerumque nec mediam gregis sui partem simul intra sua repagula complecti potest.

Confirmant secundò, quia Concilium disertè addit, *ubi id commodè fieri potest*, quod declarat fidelium oportunitati ac devotioni relictum esse, sive Regularium, sive aliorum conciones frequentare. His autem neque commodum, neque oportunum est, relicto templo viciniori, aut concionatore aliquandò præstantiori, aut magis forsan ad animæ suæ profectum accommodato, ad unicum in tota urbe præconem, & templum adstringi. Neque refert si dicas, liberum esse, ubi suæ obligationi in parochiali satisfecerint, alia etiam templa frequentare; nam hoc ipsum, cum plerisque nec commodum, nec integrum esse soleat, satis demonstrat illam obligationem neque verbis, neque menti Concilii consentaneam videri.

Confirmant tertiò, ex declaratione summi Pontificis Pii V. in Bulla, *Etsi mendicantium*, data post Tridentinum Anno 1567. 17. „ Kal Junii, quæ sic habet Fratres Mendicantes Missas, & divina „ officia hujusmodi, etiam in diebus Dominicis vel festivis, etiam „ antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit, celebrare „ & facere; & quandò eis videbitur, etiamsi tunc in Ecclesia „ Cathedrali prædicatur, prædicare, ac etiam quoscunque u„ triusque sexus fideles totius anni tempore illas, & illa in Ec„ clesiis Fratrum hujusmodi audire possint; ipsique Christi fi„ deles ullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum „ Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios „ quoscunque ullo pacto, causa vel occasione non valeant, seu de„ beant: sed præfati Christi fideles audiendo Missas, & alia divi„ na in officia Ecclesiis Fratrum, hujusmodi diebus Dominicis „ aut festis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse „ censeantur.

Declarationi adeò manifestæ nihil videbatur posse opponi. Non dubitant tamen aliqui contendere ipsum Pium V. in Constitutione sua: *Romani Pontificis*, diploma illud revocasse. Respondent Regulares, id nullam habere veri speciem. Siquidem

in

in ea aliud non decernit quam, *Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendi confessiones sæcularium præpositorum facienda, observari debere in omnibus Regularium quorumvis Ordinum etiam mendicantium non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis prædictis &c.* Hic revocat Pontifex suam Constitutionem, quoad Confessiones sæcularium non audiendas sine Ordinarii examine, & approbatione. Nihil hoc habet commune cum præsenti quæstione, quæ est de Concione, & Missa in Parochiali templo audienda. Adducunt tamen adversarii aliam istius diplomatis revocationem per Pii V. successorem Greg. XIII, quæ incipit: *In tanta.* Sed hanc fuisse publicatam negat Author Analectorum *cap.* 13. affirmat fusè Philalethes in Obligatione Audiendi &c *cap.* 5. *pag.* 33.

Constitutioni Pianæ addunt Regulares in eandem sententiam alia Pontificum diplomata: & illud Pauli III *Licet debitum* Anno 1549. concessum Societati Jesu, ubi decernitur, ut omnes Christi fideles in Sociorum Ecclesiis conciones, Missas, & alia divina officia audire, & Ecclesiastica Sacramenta recipere liberè & licitè valeant: *nec ad id, ad proprias Parochiales Ecclesias accedere teneantur.* Huic verò constitutioni ne dicas derogatum esse per Concil. Tridentinum, obstat Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, data Anno 1584 ubi de Apostolicæ potestatis plenitudine dictæ Societatis quæcunq; privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædecessoribus (inter quos disertè Paulum III. nominat) concessa approbantur ac confirmantur.

Accedit denique communis Doctorum, qui post Tridentinum scripserunt, sensus & interpretatio, ut Hesselii *in decalogum cap* 14. Molani *ad decal. cap.* 9. Bonacinæ *disp.* 5. *punct.* 2. *n.* 27. Suar. *lib.* 2. *de Rel. cap.* 16. *num.* 6. Azorii, Trullench. Molfesii, Leandri *part.* 3. *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 73. apud quem alios longo ordine citatos invenies. Quibus addo Theses in ipsa Academia Lovaniensi præsente Doctore Bajo, qui interfuit Tridentino, publicè defensas anno 1580. & 1569. 24. Martii his verbis: Etsi melius sit „ audire sacrificium Missæ in Parochia propria, quam aliena, ad has „ tamen conditiones Ecclesiæ præcepto non adstringimur: & „ quanquam de Concione sacra audienda *non habeamus expressum* „ *Ecclesiæ mandatum*, videndum tamen esse ne piæ consuetudini, „ vel legi naturæ contraveniatur. Ad extremum adverte Authorem exhibitionis Canonum sic Trident. interpretari, ut *Parochiam propriam* intelligat, prout opponitur alienæ Parochiæ; atque ita contra Ecclesias Regularium nihil omninò actum, aut cogitatum fuisse contendit.

Ex his aliisque concludit ille pro Regularibus, communem fidelium praxim ac consuetudinem tàm validis argumentis innixam, & ubique locorum tàm diuturno usu roboratam, omnem oppositæ probabilitatis aut dubitationis umbram dissipare; nec aliam de verbo Dei in Parochia audiendo relinquere stricti juris obligationem, quam illam quæ est legis naturalis, quando alicui in fide, aut moribus necessaria est instructio, quam alibi commodius adipisci nequit. De his judicare alterius fori est: hæc nobis expositionis, non defensionis causâ in his & sequentibus adduxisse sufficiat.

QUÆSTIO XXIII.

An fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ, audientes Missam Dominicis & Festis diebus extra templa Parochialia, in solis Ecclesiis Regularium?

DE hac quoque quæstione novam litem suscitarunt, ac partem negativam recenter sustinuerunt quidam Pastores, præsertim in urbe Lovaniensi. Contra hos Analecta Privilegiorum pro Regularibus edidit vir eximius ex ordine Prædicatorum in eadem Academia.

Argumenta pro parte negativa congerunt Domini Pastores ex jure tàm antiquo, quàm novo, & præsertim ex authoritate Concilii Tridentini Sessione 22. in decreto de celebratione Missæ: *Moneant* (Ordinarii) *etiam eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant.* Quod referendum volunt ad Missæ auditionem, cum in maxima parte illius Capitis de Missa agatur.

Idem volunt pridem constitutum à Sixto IV. in Extravag. *Vices illius.* De Treuga & pace *Quod,* nempe, *Fratres Mendicantes non prædicent, populos paracianos non teneri audire Missam in eorum paraciis diebus festis & Dominicis, cum jure sit cautum illis diebus paracianos teneri audire Missam in Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.*

Respondent Regulares, semper honestam causam esse, majorem devotionem, aut commoditatem audiendi Missam in aliis Ecclesiis: adeoque per hanc clausulam fidelium libertati relictum esse, ut eligant sibi locum oportuniorem. Neque alia de causa prohibitum esse hoc prædicari, quam ut lites & discordiæ, quæ tali prædicatione

tione suscitatæ fuerunt, deinceps sopirentur. Sæpe enim ipsâ doctrinâ integrâ & intactâ permanente concordiæ causâ, prohibetur eam publicè docere, aut prædicare.

Quod si quis pugnaciter urgeat verbis allegatis vim aliquam inesse majorem, quæ parochianis præcepti vinculum imponat: Reponunt facile Regulares, etsi talis obligatio verbis illis intenta fuisset, dudum illi derogatum esse per contrariam consuetudinem toto orbe receptam; & per declarationem Clementis VIII. aliorumque Pontificum decreta, quæ mox in medium proferentur. Atque ita de præcepto Missæ audiendæ tractantes docent Barbosa, Portel, Navarrus citans S. Antoninum, ac Sylvestrum, & in eandem sententiam plures adducit Card. Lugo, & passim alii.

Jam verò contra obligationem frequentandi Missam in templo Parochiali proferunt Regulares aperta Pontificum diplomata: Omissis antiquioribus, manifestam ajunt esse declarationem Leonis X. Sancitam 13. Novembris Anno 1517. *Nos authoritate Apostolica*
„ *tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles utriusque*
„ *sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis*
„ *Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & Festis diebus Missam*
„ *audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquâ*
„ *labem mortalis peccati, pœnamvè incurrere. In contrarium facienti-*
„ *bus non obstantibus quibuscunque &c.*

At opponunt Adversarii, hanc Constitutionem Leonis revocatam esse per locum ex Tridentino suprà citatum, aut Bullam subsequentem Gregorii XII. Verum suprà ostensum est, ipsa Tridentini verba pro Missa parochiali nullum præceptum importare, quo possit declarationi Leonis adversari. Ad constitutionem Gregorianam quod attinet, neque meminit illa decreti Leonis, neque ullam continet clausulam quâ illi derogatur.

Quin & hanc esse mentem sensumque Ecclesiæ, declaratur ex posteriori decreto Clementis VIII. edito 22. Decembris Anno 1592. ad terminandam litem, quam Parochi Duaceni Regularibus intendebant, & ibidem hoc tenore publicata fuit. *Præsenti*
„ *nostro decreto Sancimus, licere Sæcularibus Christi fidelibus uni-*
„ *versis, libere Missas diebus Dominicis, & aliis Festis audire in Eccle-*
„ *siis tam fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium nec non*
„ *Collegii Societatis IESV juxta illorum privilegia & antiquas con-*
„ *suetudines.*

At, inquiunt, in decreto Clementis nulla extat mentio Tri-

dentini, requiritur autem expressa mentio ut derogetur decreto Concilii generalis. Sed contra primò, verba decreti satis declarant Tridentinum nihil statuisse, quod in hac parte aboleret Regularium privilegia, sed potius ea post Concilium in suo vigore permansisse, dum in eo disertè declaratur licere diebus Dominicis & Festis missas audire in templis Regularium, *juxta illorum privilegia, & antiquas consuetudines.* Secundò, Valida esse Pontificum indulta etiam sine mentione aut clausula expresse derogatoria concilii, declaravit Sacra Congregatio in quæstione mota contra valorem Privilegii cujusdam, concessi congregationi Oratorii S. Mariæ in Vallicella à Sixto V. Anno 1586. defectu clausulæ qua derogatur Tridentino, cui privile„ gium illud erat contrarium. *Congregatio Concilii censuit, si hu„ jusmodi privilegium fuit, ut proponitur, à Sede Apostolica conces„ sum, utique esse omnino observandum, quamvis nullam deroga„ tionem, aut mentionem Concilii Tridentini contineat.* Refertur autem hæc declaratio in Compendio privil. Fuliens. V. *absolutio quo ad sæculares §. 9.* Idemque ex professo docet Portel. in *Addit. V. Trid.* & Rodrig. *tom. 3. q. Regul. q.* 46 *a.* 1. citans Archidiaconum, ac Innocentium. Neque volunt de hoc dubium moveri Universitates, & Capitula, dum de suis Privilegiis agitur, quorum aliàs non pauca vacillarent.

Aliâ etiam viâ Clementinam hanc Constitutionem labefactare conantur, dum volunt eam agere de Missa libera, sive non præcepta, sic ut insuper aliam ex præcepto fideles in suis Parochiis audire teneantur.

Sed reponunt Regulares istam expositionem ab omni veri specie abhorrere. Nullis enim opus erat privilegiis Apostolicis, ut fidelibus præter Missam præceptam, alias pro arbitrio ubivis locorum audire liceret: neque Pastores pro re tàm frivola litem moverunt. Omnem denique in hac parte, totaque controversia dubitationem tollit Constitutio Leonis X. & Pii V. definiens omnes Christi fideles in Ecclesiis mendicantium Missam audientes, per hanc Ecclesiæ præcepto satisfacere, ut supra retulimus.

At contra graviori tono assurgunt aliqui, ac contendunt, ipsam absentiam à Sacro Parochiali conjunctam esse cum contemptu propriorum Sacerdotum, & Parochialium Ecclesiarum, quod in Bulla Leonis expresse prohibetur.

Hoc si ita esset, fateri oporteret, peccare non tantum populum, sed etiam Pontifices, qui venerandos Pastores, & de suo grege

grege bene meritos per Regularium privilegia contemptui, aut ludibrio exponerent. At videant illi, ne se nimis facile læsos putent. Non illico contemnitur qui alteri in omnibus non præponitur. Placent Regularium templa, mores, & modestia, nec ideo displicent Pastorum Ecclesiæ ritus, & officia. Habent hi suam gratiam, habent Regulares suam. Non sine causa in domo Dei mansiones multæ sunt, ut ea multorum pietati se latius expandat. Si populi pietas, ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto, Parochialium templorum angustiis coercenda fuerit, mirum pluribus videtur, quorsum pro Regularibus omni ævo, tot populorum ac Principum impensis, tam amplæ ædes toto orbe extructæ, totque altaribus, ac paramentis exornatæ? An ut chorus tantum saxis caneret, & melius in vacuo templo psalmus resonaret? Adeò denique plerisque apparet illa obligatio tàm à populorum consuetudine, quam doctorum sententia abhorrere, ut præter plures quos contra eum adducit Card. Lugo, Barbosa, Pasquilinus, etiam novissimè Leander *tract.* 11. *de præcept. Eccles. disp.* 20. plus quàm triginta Authores classicos enumeret, qui æquo rerum æstimatori abundè satisfacient.

QUÆSTIO XXIV.

An satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, qui quovis tempore, etiam Paschali, Regulari approbato confitetur?

NEgavit olim Joannes de Poliaco, sed à Joanne XXII. citatus, tàm hunc, quam alios errores revocavit, uti patet ex Pontificis ejusdem Extravagante inserta corpori Juris Canonici, *vas electionis. De Hæreticis.* Ut verò Regulares contra tales insultus deinceps tutos redderet, Ordinem Prædicatorum, ac Minorum, & eos qui cum illis in privilegiis communicant, ipsis Parochis, quoad potestatem omni tempore confessiones audiendi, æquiparavit. Eandemque Extravagantem insurgentibus de novo dissidiis Eugenius IV. Nicolaus V. & Sixtus IV. innovavit.

Instauratæ nihilominus sunt nostro sæculo antiquæ lites quibus pridem opposita est nova Constitutio in Concilio Lateranensi sub Leone X. quæ incipit, *Dum intra.* In qua postea sic decernit:
„ *Possunt illi* (Regulares) *per Episcopos & Prælatos super sufficienti*
„ *literatura examinari: talibusque præsentatis, admissis, vel*
„ *etiam indebite recusatis confitentes, constitutioni quæ incipit,*

„ Omnis utriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat, satisfecisse* „ *censeantur*.

At lapsu temporis perrupit hos obices novus aliquorum impetus, & in urbe primum Duacena Belgium invasit. Sed illum validè repressit Clemens VIII. in Brevi superiori capite citato, quo decernit Sæculares Christi fideles, *Privilegiatis idoneis approbatis & ab Ordinario peccata sua etiam quadragesimali, & paschali, & quovis alio tempore confiteri licite posse*.

Instant tamen alii, acriterque contendunt hæc ita intelligenda esse, ut juxta caput, *Omnis utriusque sexus*, omnis sæcularium confessio, & maximè annua, possit fieri Regularibus, tantummodò de licentia proprii Sacerdotis, alioqui ut Ecclesiæ præcepto satisfiat denuò iterandam; idque juxta decisionem quandam Martini V. quam refert Major *dist*. 17.

Opponunt Regulares Bullam contrariam Alexandri IV. *Non sine multa*: quam refert Bzovius ad *annum* 1257. *num*. 5. ubi expressè additur id fieri posse, *Sacerdotum Parochialium assensu minimè requisito*. Diploma verò Martini V. quo hæc licentia requiritur, receptum fuisse negat Sylvius in *Supplemento* q. 8. a. 4. q. 3. Quidquid de eo sit, respondent Regulares limitationem illam ab aliis Pontificibus Martini Successoribus, & à generali Concilio Lateranensi sub Leone X. penitus ablatam esse, & privilegia cum clausulis derogatoriis plenum robur accepisse.

Idque confirmant ex eo, quod quoties deinceps hæc controversia mota est, sacra Congregatio Interpretum Tridentini pro Regularibus sententiam tulerit. Inter alias extat illa quæ lata est pro Patribus Societatis diœcesis Lingonensis, ab Episcopo ejus promul-
„ gata 22. Septembris 1624. *Oratores semel approbati ad confessio-*
„ *nes sæcularium audiendas, possunt omnium confessiones audire, etiam*
„ *infirmorum, quolibet anni tempore, etiam paschali, absque eo quod pa-*
„ *rochi, & Canonicorum licentia habeatur*.

Postea Anno 1644 cum turbæ fuissent concitatæ à Burdegalensibus adversus Regulares, de Confessione ac communione paschali, & ab utriusque administratione tempore quindenæ paschali illos omninò prohiberi contendissent; Congr. sine dubitatione Regularibus causam adjudicavit in hac forma: *Instantibus Regularibus*
„ *civitatis Burdegalensis die 9. Iulii Anno 1644. Sacra Congregatio*
„ *Em. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, post maturam*
„ *discussionem censuit Archiepiscopum Burdegalensem non posse prohi-*
„ *bere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica pal-*
„ *marum usque ad Dominicam in Albis inclusive administrare non va-*
leant

leant personis Sacularibus Sacramentum Confessionis. Et ne quid porrò contra hanc sententiam attentari possit, eam ad verbum suæ Sanctioni quæ incipit, *Exponi nobis fecerunt* Anni 1645. 7. Februarii inseruit Innocentius X. subdens: *Decretum præinsertum Apostolica authoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus &c.* Similem decisionem Sacræ Congregationis in lite à Salernitanis de eadem quæstione mota, refert Fagnanus ad Cap. *utriusque sexus.* Jam verò, inquiunt Regulares, quid videri potest magis à ratione alienum, quam quod possit Episcopus aut ipse Parochus cuivis approbato potestatem dare, excipiendi annuam Confessionem quã præcepto satisfiat, & interea controversiam moveri, an ad eundem effectum sufficiat à summo Christi Vicario facultatem Regularibus concedi, & vices proprias illis delegari? Nam ut docet S. Thomas „ Opusc. contra impug. Relig. cap. 4. *Sacerdos proprius, non solum „ est Parochialis, sed etiam Episcopus, vel Papa, ad quos etiam magis „ pertinet cura ejus quam ad Sacerdotem .... Vnde qui confessus est E- „ piscopo, vel habenti vices ejus, confessus est proprio Sacerdoti.*

Colligunt igitur ex Angelico Doctore non debere Pastores, sibi tantum *Proprii Sacerdotis* nomen vindicare, sed per hoc intelligi etiam quemlibet, cui supremus in terris Pastor suas vices delegavit. De hoc si quis fusius edoceri velit, adeat Rebuffum in cap. *Omnis utriusque sexus.* Calderinum *Concil.* 37. Majorem, Gabrielem, Almainum, Vivaldam, Gamachæum, Ysambertum, & inter recentiores consulat Chassiang *tract.* 5. *cap. prop.* 3. *&* 4. qui plures adducit authores qui in eo quem tradidit sensu *Proprii Sacerdotis* nomen usurpandum docent.

Sed ut hi silerent universi, pro sua reverentia audiendus esset solus Clemens X. qui in Decreto quod incipit: *Superna*, edito Anno 1670. litem omnem apertè diremit, dum decernit, Religiosos ad Confessiones sæcularium semel simpliciter approbatos, posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. Et eos qui dictis Religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos.

QUÆSTIO XXV.

An validè, aut licitè poſſit Epiſcopus Regulares ad ſæcularium Confeſſiones abſolutè approbatos, propria authoritate pro libitu ad novum examen ſub pœna ſuſpenſionis adigere, aut approbationes à Prædeceſſore legitime conceſſas revocare?

NOn deſunt pauci ex multis Prælati, qui hanc ſibi poteſtatem vindicarunt, & indè non modicas in ſua diœceſi turbas concitarunt. Nituntur hi clauſulâ Bullæ Pii V. quæ incipit *Romani* „ *Pontifices*, ubi ita decernit. *Volumus eos* (Regulares Men„ dicantes) *qui ſemel ab Epiſcopis ſuis prævio examine approbati* „ *fuerint*, *ab eodem Epiſcopo iterum examinari ab Epiſcopo autem* „ *ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo po-* „ *terunt*. Eſt quoque ejusdem tenoris conſtitutio Urbani VIII. *Aliàs à nobis*, quæ legitur apud Barboſam *lib. 1. Iur. Eccleſ. cap. 43*. Ex his, & aliis ejusdem formæ Pontificum decretis conficiunt dictam poteſtatem Epiſcopo ſaltem Succeſſori, ſuo jure competere.

Verum ex adverſo demonſtrant Regulares, per has Conſtitutiones, ad inſtituendum novum examen, aut approbationem pro arbitrio ſucceſſoris revocandam, nihil omninò poteſtatis acquiri. Id enim juris allegati Canones tunc tantum Epiſcopo concedunt, quando conſtat examen *pro majori conſcientiæ quiete* illi neceſſarium eſſe. Requirunt igitur juſtam cauſam & defectum aliquem ſatis exploratum ex parte perſonæ approbatæ, qui Epiſcopi conſcientiam meritò extimulet, non ſolam ejus voluntatem, aut cauſam merè imaginariam. Quodſi aliunde conſtare poſſit, perſonam antè approbatam, ad confeſſiones excipiendas ſatis idoneam eſſe, non eſt juſta Epiſcopi inquietudo, nec ſubeſt cauſa legitima ut poſſit confeſſarius ad Examen revocari. Cum enim habeat Sacerdos Regularis ad Sacramentum pœnitentiæ jurisdictionem à Sede Apoſtolica conceſſam, & approbationem Ordinarii à Tridentino requiſitam, jam ipſi acquiſitum eſt jus omni ex parte abſolutum ad exercendum poteſtatem legitimè poſſeſſam: ac proinde ab illius exercitio absq; legitima cauſa, ſolo prætextu pacandæ conſcientiæ, ſine injuria deturbari non poteſt. Non enim habet ſe approbatio per modum gratiæ arbitrariæ, ſed eſt legitima judicis ſententia, quam non poteſt is qui eam tulit, aut alius, ſine nova cauſa revocare,

re. Hinc non tantum injustam, sed etiam invalidam esse in casu nostro hanc approbationis ritè concessæ retractationem, docet Card. Lugo *de Pœnit. disp.* 21. *sect.* 3. *n.*64. Bossius *de Iubil. sect.* 3. *cap.*2.§ 4. Portel V.*Confess.præsent.* Bordonus *tom.*1.*Resol.*36.*num.*8. Leander *de pœnit.tract.*5.*d.*11.*quæst.*85. Lezana *Consult.*40.*n.*1. ubi in eandem sententiam adducit Peyrinum, Suarez, Pasqualigum, Palaum, & plures ex antiquioribus.

Roboratur hæc doctrina ex pluribus Summorum Pontificum declarationibus ac decretis, quæ vetant imprimis Episcopo Conventum aliquem integrum propriâ authoritate à confessionibus sæcularium audiendis suspendere, aut ad aliud examen absque nova causa compellere: imò etiam ullum Regularium in particulari à se absolutè approbatum ad hoc adigere, nisi nova causa, & ad confessiones spectans postea intervenerit. Nec alia est ratio de Episcopo successore, nisi quod hic facilius possit dubitare, an approbatio, non à se, sed à suo prædecessore concessa, fuerit legitima & persona ad confessiones excipiendas satis idonea. Constant verò ea quæ disserui de Episcopo approbante ex Bulla Pii V. *Etsi mendicantium num.* 41. & Bulla *Romani Pontificis*, cum adjuncta Sacræ Congregationis declaratione; nec non ex alio ejusdem Congregationis decreto, expedito 20. *Novembris anno* 1615. quo statuitur Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos Confessores approbandi jus spectat, Confessarios Regulares aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minimè licere, nisi ex nova causa, eâque ad Confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum Interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Ejusdem tenoris est Bulla Innocentii X. *Cum sicut accepimus*, data 16. Maji anno 1648. quæ decernit, Regulares alias liberè ab Episcopo, prævio examine, approbatos ad audiendas confessiones personarum sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eâque ad Confessiones ipsas pertinente.

Quinimò, quoad Episcopum successorem, Gonzales *ad Regulam* 8. *Cancellariæ*, refert Declarationem Cardinalium in hæc verba: *Episcopus non potest examinare approbatos à suo Antecessore, nisi post promotionem aliqua nova causa superveniat: quod si data sit causa Successori dubitandi de capacitate antea approbati, non potest eum de quo dubitat, suspendere ante examen cum sit in possessione, sed debet illum ad examen revocare.* Prætereo plura alia decreta & decisiones, quas hæc controversia, mirum quam sæpe renovata, pro Regularibus extorsit. Qualis fuit pridem

illa contestatio inter Episcopum Brugensem & Regulares suæ diœcesis; quos à Prædecessore simpliciter approbatos, cum ad novum examen adigere vellet, præcepit illi authoritate Apostolica Illustrissimus tunc in Belgio Pronuncius, ut Regulares à suorum privilegiorum usu non impediret, ac tergiversantem ad gravem mulctam condemnavit, per sententiam datam 16. Augusti anno 1590. Donec tandem Episcopus destitit, & Regularium privilegia agnovit, per transactionem Concilii Regii diplomate Bruxellis expedito confirmatam.

Hanc litem è Belgio tunc proscriptam, Tornacum nuper revexit Episcopus ex Gallia illi diœcesi impositus, qui suo edicto 24. Aprilis anno 1671. citavit omnes Regulares ad confessiones sæcularium approbatos, ad subeundum novum examen à die 20. mensis Maji, revocans eo elapso omnes approbationes administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, sive per suos prædecessores, sive per Vicarios generales concessas: sed conatus ille novus majorem molestiam quam progressum habuit. Nec alibi hujusmodi procellæ pacatiorem exitum retulêre.

Declaratur generaliter quas Pœnas incurrant, qui concessa Regularibus privilegia impugnant: aut qui violant debitam Episcopis reverentiam.

AD demonstrandum Pœnas in hac parte ab Ecclesia constitutas, pauca tantum ex multis Conciliorum ac Pontificum decretis in medium proferenda. Satis disertè eas pœnas ac censuras exprimit Bulla aurea quæ incipit, *Sacro Prædicatorum*, edita à Sixto IV. Kalendis Augusti anno 1479. quæ sic pergit, Inhibentes districtius ipsis locorum Ordinariis sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscunque, sub Excommunicationis latæ sententiæ, & privatione earundem Ecclesiarum Parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quæ obtinent; nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Pœnis, eo ipso qui contra fecerint incurrendis, ne personis quibuslibet Ecclesiasticis vel sæcularibus, in genere vel in specie, directè vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel statuant, quo minus Ordines prædicti, illorum domus, & professores prædictis gratiis eis concessis liberè uti possint: Gratias illas prius recensuit, scilicet, Concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, privile-

privilegia, & indulta ſpiritualia & temporalia, qualiacunque ſint, à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prædictis, & à nobis aut aliis authoritatem habentibus conceſſa.

Pænas easdem renovat, & alias adjungit Leo X. in ſolemni diplomate quod incipit, *Exponi nobis fecerunt*; cujus authenticum apud Recollectos Burdigalæ ſervatur. In quo poſtquam recitantur moleſtiæ modernis non diſſimiles Regularibus, ac præſertim Recollectis illatæ, mandat Pontifex diſtrictè Eccleſiæ Prælatis, aliisque, ut ipſis ſua privilegia integra, & inviolata conſervent; atque ita pergit: Conſtitutiones prædictas, & dictorum Fratrum privilegia eis inviolabiliter obſervanda, ſub pœnis & cenſuris in dicti SIXTI Prædeceſſoris inhibitione contentis, moneatis, & præcipiatis. Inobedientes vero legitimis ſuper hoc habendis proceſſibus, cenſuras & pœnas prædictos incurriſſe declaretis, & declaratos publicè nuncietis, aut nunciari faciatis, ut tales ab omnibus arctius evitari mandetis, & alia faciatis quæ in præmiſſis fuerint quomodolibet oportuna, invocato etiam ad hoc quando opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. Reliquas verò perſonas tam Eccleſiaſticas quàm ſæculares, cujuscunque ſtatus aut conditionis exiſtant, qui Rectoribus Parochialium Eccleſiarum in præmiſſis contra fratres prædictos favorem, auxilium, aut conſilium præbere præſumpſerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris oportuna remedia, monitione præmiſsâ, diſtrictius coërceatis, & ut à talibus in futurum caveant, prohibeatis.

Qui hæc cupit fuſius deducta, innovata, extenſa, legat diploma Pauli III. *Cum inter cunctas*, anni 1545. Et, *Licet debitum*, anni 1549. Adeat Bullam Pauli IV. *Ex clementi*, anni 1557. Conſulat Conſtitutionem Pii V. *Dum indefeſſæ*, anni 1571. Expendat Sanctionem graviſſimam Gregorii XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, anni 1584. ubi contra impugnatores Inſtituti, & privilegiorum Societatis Jeſu ſtatuuntur plures pœnæ, ac cenſuræ Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatæ.

Nec eſt quod aliquis exiſtimet ſe ab his cenſuris, & pœnis immunem eſſe, eo quod ipſe interpretetur Apoſtolica privilegia ſuo facto non adverſari. Advertat ille per Canones Eccleſiæ legitimam privilegiorum interpretationem ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervatam eſſe. Id ſtatuit pridem inter alios Clemens IV. in diplomate quod incipit, *Ordinis veſtri*, quod alii poſtea Pontifices Paulus III. Urbanus VIII. ac Clemens X. eodem tenore ſanxerunt. Decernit autem Clemens IV. in his terminis,

Ne

Ne Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati alii indulgentias, seu privilegia vobis ab Apostolica Sede concessa, sive clara quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, de cetero interpretari præsumant, authoritate præsentium districtius inhibemus, volentes, ut cum ejus sit interpretari cujus est concedere, super hujusmodi dubiis, & obscuris, dictæ Sedis judicium requirat. Eandemque legem, ac legis rationem exhibent sacri Canones, ut illud Innocentii III. Cap. *Cum venissent, de Iudic. Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ causa versatur, nolumus de ipsis per alios judicari.* Rationem subdit Glossa 25. q. 1. *Ipsi namque soli valent Canones interpretari, qui jus condendi eos habent.* Denique postremus Pontifex Clemens X. prædecessorum suorum vestigiis insistens, in Bulla, *Superna magni*, anni 1670. decernit fore, *irritum & inane quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Norunt scilicet universæ Ecclesiæ Moderatores supremi (quod forte alii non æquè advertunt) quàm gravibus ex causis Religiosos Ordines Apostolicis indultis, ac privilegiis muniendos esse censuerint. Non ignorant quanto labore ac zelo in omni orbis parte Ecclesiam excoluerint, quanto Martyrum Sanguine, quam copioso Apostolicorum virorum sudore eam irrigaverint; quantis studiis, ac vigiliis pro Ecclesiæ propagatione, hæresum extirpatione, & animarum salute, non tantum in Europa, sed in remotissimis orbis regionibus omni ævo se totos impenderint, hodieque impendant. Illi sanè haud satis benè de Deo, & Ecclesia mererentur, qui horum privilegia enervare, functiones opprimere, animos infringere, sibi decorum esse existimarent.

Neque minus improbandi forent Regulares illi, qui religiosæ summissionis immemores, non dubitarent ultra facultatum suarum limites cum Pastoribus, & Prælatis Ecclesiæ quasi ex æquo contendere. Pauci hujusmodi, Spiritu non Sancto impulsi, sæpius improvidè destruunt, quod alii multo labore ædificant, dum ausu temerario utriusque Cleri pacem perturbant. Degenerant certè illi à præclaro majorum suorum exemplo, quibus nihil antiquius erat, quàm inter omnia Ecclesiæ membra institutam à Christo pacem, ac harmoniam conservare.

Quàm verò graviter universim delinquant, qui debitam Episcopis observantiam violare præsumunt, constat apertè ex Constitutione 26. Leonis X. quæ incipit, *Dum intra:* & sic pergit: *Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita &*

nostra,

nostra, & Apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & convenienti observantia venerentur. Ex quibus verbis gravis delicti pœnam colligit Peyrinus in dictam Constitutionem §.24. *n.*44.

Horum verò Episcoporum potestatem, & facultates amplissimas, præsertim in Missionibus, recensemus inferius *tract.*2. *cap.*5. ubi de variis Missionariorum Facultatibus tractamus.

RESOLUTIONES PARTICULARES AD PASTORALE MUNUS, PERSONAM, ET PRIVILEGIA SPECIATIM PERTINENTES.

PRiusquam accedamus ad functiones particulares Ordinis ac Jurisdictionis in singulis Sacramentis, quædam singularia ipsam Ministri personam præcipuè concernentia, hic breviter resolvemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An una Ecclesia Parochialis possit duos simul Parochos habere?

REspondeo negativè. Quia etsi contingeret plures ad munia unius Ecclesiæ peragenda præfici, ille tantum esset Parochus qui suo nomine & independenter ab aliis curam illius Ecclesiæ administrat, Et constet ex Jure canonico, *cap.*1. *de sponsa duorum:* & Rotæ *decisione* 489. *n* 3. *part.*1.

Sed quæres? An Episcopus non possit unam Ecclesiam Parochialem habenti alteram conferre?

Respondeo, id posse quidem, sed post pacificam possessionem secundæ Ecclesiæ, statim vacat prima. Sic declaravit Sacra Congreg. Concilii, & tradit Barbosa *in summa Apostolic.*2. *Decis. verbo, Parochialis Ecclesia collect.* 55. *n.*54.

Sed Excipe apud eundem *num.*12. Nisi per consuetudinem, quæ 40. annis viguerit, Ecclesiæ duæ tanquam unitæ, semper uni, sine dispensatione collatæ fuerint: ita enim censuit S. Congreg. apud Zerolam *declar.* 50.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

An censeatur Parochialis Ecclesia vacare, si promoveatur illius Parochus ad Episcopatum titularem in partibus Infidelium, & in alicujus Episcopi Suffraganeum?

Respondeo negativè. Sic enim resolvit S. congregatio Concilii, die 14. Decembris 1601. quam refert Barbosa *collect.* 552. his verbis. *Parochialis obtenta ab eo qui à Sede Apostolica ad Episcopatum in partibus Infidelium existentem promotus est, ac eodem tempore alicui Episcopo in Suffraganeum deputatus fuerit, non intelligitur vacare.*

QUÆSTIO TERTIA.

An possit Episcopus dispensare, ut quis ante annum 25. inceptum, obtineat Parochialem Ecclesiam?

Respondeo negativè cum communi. Quia Concilium generale Lateranense Cap. *Cum in cunctis.* §. *Inferiora*, requirit annum 25. saltem inchoatum: Episcopus autem contra Concilii generalis decreta dispensare non potest. Ita etiam Azor *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *q.* 9. Navarrus, Barbosa, aliique. Totidem anni requiri solent in Adjutore qui Parocho datur: item in eo qui ad concursum Parochialis admitti possit.

QUÆSTIO QUARTA.

Si ad Concursum, qui fieri debet pro conferenda Ecclesia Parochiali, unus solus accedat tempore statuto, an debeat ille examinari, & si reperiatur idoneus Parochia illi conferri?

Respondet affirmativè ad utrumque membrum Sacra Congregatio Concilii apud Nicolaum Garciam *de Beneficiis part.* 9. *cap.* 2. *num.* 214.

Notat tamen idem Garcia *supra num.* 220. quando Beneficium Parochiale esset valde tenue, illud absque concursu conferri posse, ex eadem Congreg. Concilii. *Vide de hoc praxin beneficiariam Pyrrhi Corradi utilia ex Cancellaria Apost. suggerentem.*

QUÆSTIO QUINTA.

An in Parochialibus beneficiis, quæ Regularibus conferuntur concursus institui debeat?

Respondeo negativè, Quia de his non loquitur Tridentinum ubi

ubi ad beneficia curata concursum requirit. Et ita concludit S. Congregatio his verbis: Hoc decretum de concursu, non habet locum in Beneficiis Regularibus, quæ Regularibus conferri consueverunt. Et de hoc Breve Sixti V. adducit Rodriguez *in Privil. Regul. Bulla 25.*

QUÆSTIO SEXTA.

An in Parochialibus jurispatronatus Laicorum requiratur examen per concursum, unius aut plurium qui præsentantur?

Respondeo negativè, dum tantum unus præsentatur, sed tantum examinandus est ab Ordinario, & si fuerit capax admittendus. Patet ex Tridentino *sess.24. cap.18.* his verbis. *Quod si jus patronatus Laicorum fuerit, debet qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti.* Ubi de requirendo concursu non fit mentio.

Quod si plures fuerint præsentati, tunc requiritur examen per concursum inter solos præsentatos. Sic expresse censuit Congreg. Concilii, apud Garciam, *de benef. part. 9. cap. 2. n.* 256. affert etiam decisionem Rotæ 30. *Iunii* 1587.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Parochus tenetur de more facere Professionem fidei coram Episcopo aut saltem ejus Vicario intra duos menses à die adeptæ possessionis. Quæritur, an si professionem illam omittat, incurrat pœnam amissionis fructuum?

Respondeo affirmativè, ex præscripto Conc. Tridentini *sess.14. de reform. cap.* 12.

Quæritur 2. an Ordinarius possit illi condonare fructus sic amissos?

Resp. negativè, Quia Ordinarius non potest dispensare in decretis Concilii, nisi in casibus sibi expresse permissis.

QUÆSTIO OCTAVA.

Parochi tenentur ad Residentiam juxta Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.* Quæritur, an qui tenuem habet Parochiam, aut si in ea habitent tres, quatuor, aut paucissimæ personæ, teneatur etiam ad Residentiam?

Respondeo in utroque casu affirmativè. Quia tenuitas aut perso-

personarum paucitas non tollit curam officio annexam, idque de secundo casu declaravit Congreg. Cardinalium apud Garciam *de Benef. part. 3. cap. 2. n. 179.*

QUÆSTIO NONA.

Si Parochus habeat duas Ecclesias unitas, *quæritur*, una erit in qua debeat residere?

Respondeo, teneri residere in Ecclesia digniori: quod si dubitetur quæ sit dignior, residendum est in ea, quæ populum habet frequentiorem: si autem una sit Ecclesia intra, & altera extra urbem, oportet residere in ea quæ intra urbem continetur. Ita casum hunc sæpius controversum resolvit Castropalaus *tom. 2. tr. 13. d. 5. puncto 2.* cum Garcia *declar. 14.* & Barbosa *de officio Parochi part. 1. cap. 8. num. 9. & 10.* qui referunt sic etiam decisum esse à Sac. Congreg. Concilii Tridentini.

Insuper addunt ex eadem Congregatione, si contingat duas Ecclesias ita videri pares, ut una præ alia neque sit dignior, neque frequentior, liberum esse Parocho pro sua residentia quam velit eligere.

QUÆSTIO DECIMA.

Quænam causæ Parochum à residendo excusent?

Respondeo cum communi, Illas causas excusare Parochum, quæ Episcopos à residentia pro tempore excusant, quæ tamen debent à proprio Episcopo in scripto approbari, ut disponitur in Tridentino *sess. 23. de reform. cap. 1.* Sic tamen ut ovibus suis ita provideat, ut quantum fieri potest ex illius absentia nullum detrimentum accipiant.

Quatuor verò sunt causæ quæ solent excusare. 1. Christiana charitas, ut est juvare aliam privatam Ecclesiam, lites dirimere, odia componere &c. 2. urgens necessitas, ut est curatio suæ ægritudinis, fuga hostium, aut alterius gravis injuriæ inferendæ. 3. Debita obedientia, ut si ipsi aliquod justum obsequium imperet Pontifex, ejus Legatus, aut Episcopus. 4. Utilitas evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ, ut si pro necessaria reformatione conferat se ad superiorem, vel Synodum &c. de quibus fusius Azor *p. 2. l. 7. c. 4.* & Barbosa *supra cap. 8.*

Extra causas prædictas Tridentinum *sess. 23. cap. 1.* indulget Parochis, ut per duos sive continuos, sive interruptos menses possint abesse, etiam ad honestam animi relaxationem, modò id fiat absque ullo gregis detrimento.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An attento novo Jure Tridentini, possint abesse Parochi studiorum causa, ut olim licebat per quinquennium ex cap. *fin. de Magistris &c*

Affirmat Navarrus, Toletus. Valentia & quidam alii. Sed probabiliter apparet responsio negativa; nec Episcopum posse illam facultatem concedere. Quia absentia ex causa studiorum, non videtur esse hoc tempore causa gravis, cum Parochi assumantur per concursum, adeoque censeantur satis habere doctrinæ pro suo officio. Et in hanc sententiam plures Concilii declarationes adducit Garcia *num.* 81, inter quas hæc est quarta. *Congregatio die* 22. *Februarii* 1590. *censuit Parocho causâ studiorum non esse dandam licentiam, cum hodie per Concilium non admittantur, nisi per concursum magis idonei fuerint judicati.* Et ita docet Riccius, Gonzales, Sanctarel, Alzedo, Candidus & Barbosa *de offic. par. part.* 1. *cap.* 8 *num.* 17. *&c.* Admittunt tamen plerique licere abesse ad docendum publicè Theologiam aut jus Canonicum in aliqua celebri Universitate.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An Episcopus possit obligare Parochos sub pœna Excommunicationis aut suspensionis ut doceant suos subditos doctrinam Christianam?

Respondeo, posse ut doceant per se, vel saltem per alios: idque tam ex jure divino, quam ex Tridentino colligit Rodig. *tom.* 1. *sum. c* 18. Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 3. Castropalaus, Barbosa, Riccius *in decis. Curiæ Archiep. Neapol. part* 1. *decis.* 22. ubi ait, de facto quendam Parochum suspensum fuisse ab officio suæ curæ per sex menses, eo quod suos rudimenta fidei non docebat.

Addunt non pauci, posse etiam Episcopum per censuras & pœnas compellere pueros & rudes capaces, ut ad rudimenta fidei capescenda accedant. Ita fusius Fagundez, Perez, Sanchez, Rodrig, Palaus, Barbosa *de offic. Par part.* 1. *cap.* 15. *num.* 6. contra Zerolam 1. *p. praxis Episcop. verb. doctrina Christiana.*

QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

Quid potestatis & privilegii habeant Parochi circa dispensationem in Festis, & jejuniis, & de aliis eorum Prærogativis.

Primò, Parochus potest concedere suis Parochianis licentiam laborandi in diebus Festis ad tempus, & ex causa legitima, quandò Episcopum, vel Ordinarium facilè adire nequeunt. Hæc est communis Doctorum sententia, quàm tradit Suarez, Azor, Fagundez, Palaus, Machado, & Barbosa *de offic. Par. part.* 1. *c.* 16. *n.* 6. Qui addit *num.* 7. quandò causa laborandi dubia est, Parochum posse mutare hoc opus servile in aliam largitionem, quæ cedat in opus pium.

Secundò, Parochus habet potestatem, ex justa causa, & absente Episcopo & ejus Vicario, dispensandi in lege jejunii; uti admittunt passim Authores, contra Tabienam, Butrium, & Hostiensem.

Tertiò, Probabile etiam est Parochum posse, præsente Episcopo, justa de causa, cum aliquibus in jejunio dispensare: sic contra plures docet Cajetanus, Durandus, Richardus, aliique, quos citat & sequitur Leander *part.* 3. *tract.* 5. *de jejunio disp.* 10. *qu.* 10.

Quartò, Docet idem *quæst.* 12. cum Thoma Sanchez, Pasqualigo, Joanne Sancio, aliisque, non solum Parochus, sed etiam eorum Vicarios posse ex legitima causa in jejunio dispensare, nisi à Parochis id ipsis prohibeatur.

Quintò, possunt Parochi etiam extra suam diœcesim audire confessiones suorum subditorum. Quia hæc jurisdictio non est contentiosa, adeoque non terminatur locis; sed personis, uti docet Barbosa cum pluribus quos citat *de offic. Parochi cap.* 29. *num.* 5.

Sextò, Parochi habent præcedentiam ante Ordines Regulares in Processione, Funeribus, & actibus hujusmodi publicis, ut fusius ostendit Barbosa *in sum. Apost. decisi. collect.* 557. ex Constit. Clementis VIII. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*; & ex pluribus aliis Pontificum decretis. Addit idem Barbosa Parochos certo modo gerere vices Episcoporum in cura animarum, quod tamen de jurisdictione fori externi, & pluribus aliis non intelligitur.

Alia huc pertinentia inferius traduntur, ubi agimus de varia jurisdictione in absolutione, & singulorum Sacramentorum administratione.



RESO-

RESOLUTIONES SINGULARES AD HÆRESIM,

& Partes Hæreticorum, & curatores animarum ubique pertinentes.

QUoniam in hoc genere pro omni materia, & casu occurrere solito Resolutiones plurimas studiosè, & practicè deduximus, illas infra ad hujus tertiæ Partis finem commodius retulimus, ut ad Tractatus magis communes de Sacramentis, Peccatis, præceptis &c. minus interruptè procedamus, & Resolutiones istæ singulares ad unam classem redactæ, facilius in tractatu 6. simul ad manum habeantur.

TRACTATUS SECUNDUS DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI,

Cum variis tam Missionum, quam Aliorum Facultatibus, Privilegiis, & casibus reservatis.

POtestatem Ordinis, & Absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ à Christo institutam esse, & penes Sacerdotes in Ecclesia Romana inviolabili successione permanere probavimus suprâ in polemicis *part 1. tract. 2.*

Hic autem scientiam ad illius muneris usum proximè requisitam tradere intendimus ante alia Sacramenta, quoniam, præ cæteris, Sacramenti Pœnitentiæ assiduus est in Ecclesia usus, & plurima ad praxim necessaria huc opportunè reducenda occurrunt.

CAPUT PRIMUM.

De Iurisdictione requisita ad Absolutionem Sacramentalem.

Disputant Theologi argumentis utrimque probabilibus, an Episcopis competat sua Jurisdictio jure divino, an Ecclesiastico. Nos hic in ordine ad praxim statuimus primò, Pontificem Romanum immediatè à Christo accipere Jurisdictionem sive potestatem ligandi ac solvendi in omnes Christi fideles, etiam in hæreticos per Baptismum Ecclesiæ mancipatos. Secundò, Episcopos, & quoslibet alios Præsules, ac Sacerdotes, omnem quam habent jurisdictionem mediatè à Christo, immediatè à Pontifice derivare, qui potest illam conferre, auferre, limitare: his positis.

Dico primò; Ut Sacerdos legitimè consecratus possit validè à peccatis absolvere, præter potestatem Ordinis, requiritur etiam potestas Jurisdictionis, & in plerisque Approbatio Ordinarii. Nam sine his Ordo tantum confert Sacerdoti potestatem absolvendi remotam, absque determinatione ad certas personas, quas possit tanquam suos subditos absolvere. *Iurisdictio* enim Confessarii est potestas, quæ in foro conscientiæ in alterum tanquam subditum obtinetur.

2. In tribus tamen casibus quivis Sacerdos jurisdictionem obtinet, ut à peccatis absolvat, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine. Primò, in articulo mortis ab omnibus peccatis validè absolvit. Secundò, Si Confessio sit de mortalibus à quibus anteà pœnitens absolutus fuerat. Tertiò, Si Confessio de solis venialibus instituatur. Cum hoc tamen discrimine, quòd secundam, & tertiam facultatem Ecclesia auferat Sacerdoti excommunicato, denunciato, & notorio percussori Clerici; primam autem omnibus relinquat, ne quis in extremo articulo hujus Sacramenti beneficio destituatur.

3. Dico secundò. Jurisdictio in foro pœnitentiæ, alia est *Ordinaria*, quæ ratione officii, quo fungitur, alicui competit. Alia est *Delegata*, quæ non vi officii, sed ex Ordinarii concessione alicui communicatur. Jurisdictionem Ordinariam habet Summus Pontifex in omnes Christi fideles: Episcopus & ejus Vicarius in omnes ad suam Diœcesim pertinentes: Prælati regulares exempti in suos subditos: Parochi in omnes, qui in sua paræcia habent domicilium, vel quasi domicilium.

Ad

Ad constituendum in aliquo loco domicilium, vel quasi domicilium; & animus & factum requiritur. Animus consistit in proposito permanendi in loco ad tempus anni non exiguum; factum in actuali habitatione.

Qui in duobus locis domicilium habet, censetur habere duas Parochias; ideoque potest in alterutra pro libitu Sacramenta suscipere. Si tamen habeat quasi domicilium in Diœcesi à loco propriæ habitationis diversa, non poterit Ordines sacros suscipere ab alio quàm Episcopo proprii domicilii.

4. Vagabundi, qui nullibi versantur cum animo magnâ anni parte permanendi, ubique forum sortiuntur; ac proinde possunt cuivis Parocho, & Exposito confiteri.

Peregrini autem, qui suum alibi habent domicilium, dum absunt à sua Parochia, possunt alteri Sacerdoti exposito confiteri & Eucharistiam suscipere, etiam tempore Paschali: idque ex tacita Ordinariorum voluntate, communi consuetudine confirmata, uti hic testatur *Layman*, aliique. Tenentur tamen testimonium annuæ confessionis, & Communionis suo Parocho id postulanti exhibere.

5. Dico tertiò. Qui habet ordinariam jurisdictionem à peccatis absolvendi, potest eam alteri Sacerdoti delegare. Delegatus autem non potest alterum subdelegare. Ratio hujus est, quia delegato tantùm conceditur facultas exercendi jurisdictionem quoad suam personam; ergò si alteri eam committat, suam facultatem excedit: Sicut usuarius jus habet utendi re ad usum concessâ, sed non alteri ejus usum concedendi: hoc enim jus ad proprietarium pertinet.

Excipe primò, nisi specialiter delegato concedatur ut possit subdelegare, uti communiter fit in delegato Pontificis, accedente partium consensu. Nisi fortè personæ delegatæ specialis industria electa esse videatur, uti fieri solet in causis gravioribus v. g. matrimonialibus, quas Curia Romana ferè solis Episcopis vel eorum Officialibus committere solet.

Excipe secundò, nisi alicui demandata sit universitas causarum, ita ut quasi ordinario munere fungatur in causis omnibus certi generis, aut certo loco judicandis. Hinc resolvit *Henriquez*, aliique, si Episcopus Parocho, vel Provincialis suo Guardiano deleget facultatem absolvendi subditos à casibus reservatis, illos posse hanc facultatem alteri delegare ad certum casum reservatum, vel ad certam personam absolvendam.

6. Si alicui committatur vicarium Officium, cui jurisdictio annexa est, v. g. officium Parochi absentis, vel nondum in Sa-

cerdotem consecrati, potest ille Vicarius unam vel alteram causam alteri subdelegare, sed non integram officii executionem. Nisi fortè alicubi consuetudo, & consensus Parochi delegantis permittat id non minus à delegato quam ipso Parocho præstari.

7. Dico quartò. Ad jurisdictionem alteri conferendam non sufficit ratihabitio in futurum sperata: Neque consensus pro præsenti rationabiliter præsumptus, si dum absolveret reipsâ non adfuit. Ratio horum est, quia ad valorem Absolutionis requiritur ut Sacerdos eam conferens habeat actualem jurisdictionem in pœnitentem; in utroque autem casu, tempore absolutionis deest actualis jurisdictio, quæ non habetur sine alterius consensu per signum externum cognito & declarato. Ac proinde Sacramentum Pœnitentiæ, cum fuerit semel invalidum, non potest per subsequentem consensum convalescere. Aliud est in cæteris Sacramentis, ad quorum validam administrationem consensus Ordinarii non requiritur excepto Sacramento Matrimonii.

8. Confessarii Ordinum mendicantium accipiunt jurisdictionem in foro conscientiæ, non ab Episcopo, sed à Summo Pontifice, accedente Prælatorum suorum consensu, ad absolvendum omnes Christi fideles sæculares intra limites sibi præscriptos. Ille autem consensus in Missionibus, & itineribus ordinariè pro concesso supponitur, ubi non obstat alia aliquorum Ordinum consuetudo.

9. Dico quintò. Facultas audiendi Confessiones, aut absolvendi à casibus reservatis, per mortem concedentis non exspirat. Ratio, quia facultas illa est gratia, & beneficium actu concessum; gratiam autem & beneficium Principis decet esse mansurum *Reg* 16. *in* 6. Unde in praxi videmus Sacerdotem in cooperatorem à Parocho assumptum eo defuncto pergere in administratione Officii, quamdiu à novo Parocho non removetur.

10. Facultas autem delegata ad jurisdictionem contentiosam in foro justitiæ, morte delegantis extinguitur, si delegatus eâ jurisdictione nondum uti inceperit. Ratio, quia jurisdictio delegata ad justitiam, habet rationem mandati, non autem gratiæ & beneficii; mandatum autem expirat morte mandantis, quandò non involvit gratiam in favorem alicujus tertii absolutè concessam.

11. Sacerdos cum jurisdictione tantùm dubiâ illicitè absolvit, nisi urgente necessitate: adjectâ tunc conditione, *in quantum possum*, & admonito pœnitente ut iterum confiteatur alicui certam jurisdictionem habenti. Expedit autem, ut tali casu pœnitens

tens veniale aliquod adjiciat, in quod absolutio certò cadat validè & directè, in cætera saltem indirectè.

12. Si tamen ex ratione verè probabili resolvat se jurisdictionem in peccata pœnitentis habere, licitè absolvit. Ratio: Quia sic est practicè certus de actione licita: & plerumque Pontifex pro eo casu facultatem & jurisdictionem impertit. Id enim præstat Pontifex primò, quandò error communis conjunctus est cum titulo colorato sive præsumpto; verbi causa, dum aliquis passim putatur esse Pastor, qui verè talis non est ob censuram vel alium defectum: vel si Parochus exponat Sacerdotem non approbatum, qui publicè approbatus existimatur. 2. Quandò aliquis ex consuetudine, præscriptione, aut bona fide absolvit, & nescit potestatem suam esse revocatam, uti cum plerisque docet *Sylvius, Navarr. Vasq. Sanch. Malder. Diana. p.* 1. *t.* 13, *r.* 1. 3. Quandò pro jurisdictione Confessarii satis aliis constat stare *Doctorum* sententiam verè probabilem. Nam in his casibus propter communem pœnitentium utilitatem Ecclesia confert jurisdictionem, & supplet occultum ejus defectum, si aliquis fortè subesset, uti rectè docet *Suar. Card. Lugo, Diana part.* 3. *t.* 4. *r.* 22.

Quæres, An in partibus hæreticorum Missionarii etiam Regulares habeant jurisdictionem aut facultatem administrandi Pastoralia, ut est Baptismus, Extrema Unctio, Matrimonium?

De hac quæstione quia facilè non est aliquid breviter & universaliter pronunciare, Ex multis quæ ad manum sunt Pontificum Decretis tantùm profero Bullam Urbani VIII. quæ incipit, *Salvatoris*, missam ad Clerum, & religiosos missionarios in Provinciis confœderatis. Quam etiam Alexander VII. recentius confirmavit per Breve datum die 20. Septemb. 1656. In prædicta Bulla §. 1. concedit Regularibus ut simul cum Sacerdotibus sæcularibus Sacramenta Pastoralia administrare possint, sine aliqua restrictione ad casus necessitatis, vel dependentia ab illis, sed æqualiter.

Et §. 2. ut nullus ex sæcularibus Sacerdotibus aliquem Regularium, neque aliquis Regularium aliquem Sacerdotem sæcularium in obeundis muniis Ecclesiasticis vel administrandis sacramentis impediat, sed pariter mutuo amore concurrant in salutem animarum procurandam *apud Vejuiis f.* 47.

Sic enim Pastores annuent Regularibus tanquam sociis, ut mutuâ ope trahant secum Apostolicum rete ad salutem animarum in procelloso Missionum mari expansum; sed sedulò cavendum ne hoc rete ullibi per trahentium discordiam rumpatur.

CAPUT II.

De Approbatione Confessarii.

1. Constat ex Trid. *Sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Approbationem Ordinarii requiri in Sacerdote, ut validè possit audire Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, non tamen Regularium: possunt enim hi confiteri cuivis Sacerdoti, etiam non approbato, quem Prælatus illis secundum leges sui Ordinis constituit. Quia cum Tridentinum de solis Sæcularibus mentionem faciat, non censetur in hoc circa Regulares aliquid innovasse.

2. Qui constituitur Parochus, aut obtinet beneficium, cui animarum cura annexa est, non indiget aliâ Approbatione. Si tamen Parochus Officium illud aut beneficium reliquit, non poterit sine nova Approbatione Confessiones excipere.

3. Non licet Episcopo Sacerdoti idoneo sine justa causa Approbationem denegare, *Vasq. Bonac. Sanc. Lugo.* Ratio est, quia *Approbatio* non est gratia arbitraria, sed est testificatio authentica de aptitudine personæ, ut illi ad Confessiones audiendas jurisdictio conferatur; ergò cum Sacerdotes ad illud munus sint ordinati, non possunt sine injuria ab eo repelli, si debitâ doctrinâ, & prudentiâ instructi inveniantur.

4. Si tamen Sacerdos idoneus etiam injustè reprobatus fuerit, non potest validè à peccatis absolvere. Quia negatio injusta Approbationis non est Approbatio; Tridentinum autem ad validam à mortalibus absolutionem Ordinarii Approbationem requirit, *non obstantibus*, inquit *Privilegiis*.

5. Docent tamen Theologi non pauci, ut *Navar. Laym. Diana &c.* Si Regulares manifestè idonei repellantur, posse nihilominus ex vi Clementinæ §. *Statuimus*, ad Confessiones audiendas exponi. Quia clausulâ derogatoriâ generali (qualis est illa Tridentini) non tollitur privilegium speciale clausum in corpore juris, si ob specialem rationem exceptum videri possit, de quo fusius *Diana tom* 2. *t.* 2. *r.* 24. Derogationem Urbani VIII. in oppositum annotat Lugo *de pœn. disp.* 22. *n.* 29. Et quoad confessionem Paschalem id reprobat Alex. VII in *prop.* 13.

6. Potest Episcopus, si clara & justa subsit causa, Approbationem semel à se concessam revocare, aut si res id postulat novum Sacerdotis approbati examen instituere. Quia jus habet, ut animarum sibi commissarum saluti securiùs consulat. *Suar. Lugo &c.* de quo supra *tr.* 1. *q.* 17.

7. Regulares debent approbari abEpiſcopo loci,in quo degunt. Quia quoad hunc actum illius ſubditi cenſentur.

8. Cum Approbatio non ſit actus Ordinis, Epiſcopus poteſt illam conferre per Vicarium vel alium quemvis deputatum.

9. Examen in ordine ad Approbationem non eſt abſolutè neceſſarium, modò aliundè de Sacerdotis aptitudine ad Confeſſiones audiendas prudens judicium formari poſſit.

10. Approbatio concedi poteſt cum reſtrictione ad certum genus perſonarum, certum locum, & tempus quandò juſta cauſa occurrit, etſi id neget *Vega*.

11. Non videtur modò probabile ab unoEpiſcopo approbatum, in quavis alia Diœceſi ſine nova Approbatione validè abſolvere. Decretum Urbani VIII. in oppoſitum extat apud *Card. Lugo de pœnit. diſp. 21. ſect. 2. num. 29* Non enim tenetur Epiſcopus ſtare judicio cujuſvis alterius Ordinarii pro ſua Diœceſi, in qua poſſunt eſſe difficultates aliis non communes Si tamen Epiſcopus tantum oſtendat ſe eſſe contentum aliorum Approbatione, Sacerdos alià non indigebit; ſin minus, invalidè abſolvet. De hoc plura ſupra *part. 3. tr. 1. q. 17.*

Quæritur porrò pro Miſſionariis: An Parochus, aut alius, ob magnum populi ad ſe concurſum, poſſit ad audiendas Confeſſiones ſibi adſciſcere alium Sacerdotem non approbatum?

Reſpondeo negativè, ut docet *Sancius*, *Fagund aliique* ex declaratione Card. Quamvis contrarium tradant nonnulli cum *Ledeſma*, apud *Dianam p. 3. tr. 4. reſol. 146.* Poſſunt tamen alios Parochos in cooperatores advocare.

Formula Approbationis quando in ſcriptis conceditur hæc ferè eſſe ſolet. N. Dei Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Diœceſis N. Dilecto nobis in Chriſto (*nominatur approbandus*) ſalutem in Domino. Ut per Diœceſim noſtram de conſenſu eorum quorum intereſt, Verbum Dei prædicare, ac Chriſti fidelium Confeſſiones excipere, eoſque mediante ſalutari pœnitentia in foro conſcientiæ à peccatis ſuis (*additur aliquando*) etiam à caſibus nobis reſervatis, abſolvere liberè ac licitè poſſis, & valeas, Tibi facultatem & licentiam per præſentes (*additur aliquando*) ad revocationem noſtram duraturas, concedimus & elargimur.

Datum &c. addito ſigillo,nomine Ordinarii, & Secretarii.

CAPUT III.

De impedimentis Abſolutionis per Reſervationem, Cenſuram &c.

1. SCire debet quivis Sacerdos tam ſæcularis quàm regularis, etſi ſit approbatus, & ad audiendas Confeſſiones legitimè expoſitus, varia eſſe peccata mortalia, à quibus non poſſit abſolvere ratione cenſuræ, aut reſervationis annexæ. Tenetur proindè Sacerdos antequam Confeſſarii munus exerceat, ſibi comparare notitiam talium peccatorum, cenſurarum aut reſervationum: & in promptu habere praxim in illis pœnitentem dirigendi, & alium pro Abſolutione remittendi: quæ omnia in ejus commodum pro inſtituta brevitate hic exponemus.

2. Peccata mortalia (quæ ſola reſervantur) alia ſunt reſervata Summo Pontifici, alia Epiſcopis, alia variorum Ordinum Prælatis reſpectu ſuorum ſubditorum, quæ ipſi, præcipuè ex ſuis conſtitutionibus ſcire debent.

3. Quando in Confeſſione occurrit peccatum, quod ſcitur eſſe reſervatum, debet Confeſſarius monere pœnitentem ut recurrat ad ſuum Superiorem, vel alium, qui noſcitur habere poteſtatem à tali peccato abſolvendi: ſuadet tamen charitas ut ipſe potius Confeſſarius Superiorem accedat, & veniam abſolvendi ab eo obtineat, tacitâ tamen perſonâ, & peccato quod in Confeſſione audivit.

4. Si Superior adiri non poſſit, & in præſenti ſit cauſa urgens v. g. periculum infamiæ aut ſcandali ex omiſſione Confeſſionis, aut Communionis, poterit inferior à reſervatis abſolvere, admonito pœnitente de onere ſe poſtea Superiori ſiſtendi. Quod etiam fieri poteſt etiamſi illud peccatum cenſuram reſervatam annexam haberet. *Reginal. Angel. V. Confeſſio. num.* 10. *aliique.*

5. Peccat Superior, qui abſque legitima cauſa difficilem ſe præbet Confeſſario petenti facultatem abſolvendi ab aliquo caſu reſervato: quia reſervationem reddit magis gravem & odioſam quam Eccleſia velit.

6. De Confeſſario ad Regularium Confeſſiones deputato conſtat, ſi Superior ei facultatem neget, poſſe illum pro iſta vice pœnitentem abſolvere, ſi ipſe judicet facultatem illam concedi debere: de quo adfertur declaratio Clem. VIII. & Bulla Urbani VIII. apud C. *Lugo de pœn. diſp.* 20. *ſect.* 4. Idem licere ſi facultas negetur viro Religioſo pio, docto, ac prudenti, etſi non

non sit ex designatis Regularium Confessariis, ut probabile tradunt 7. Authores apud *Quinta tract. 3. sing. nadv.* 11. Notat etiam ex *Suar. Diana p. 3. t. resol. 26.* Regulares posse pro una vice à reservatis absolvi sine suorum Superiorum facultate.

7. Certum tamen est quandò ex casu reservato, grave malum communitatis, aut aliorum scandalum timetur, posse Superiorem negare Absolutionem, donec pœnitens per se, vel Confessarium præbeat Superiori sufficientem notitiam ad illud malum evitandum; quod si nec hoc modo, nec aliter velit remedium adhibere, ob hanc culpam, tanquam ad absolutionem indispositus, repelli debet.

8. Qui ignorat peccatum suum esse reservatum, aut Sacerdotem carere potestate absolvendi, si interim bona fide confitetur, validam suscipit Absolutionem: tenetur tamen errore cognito comparere coram alio, cui peccatum illud non est reservatum. *Reginal. Busen. Prapositus* aliique.

9. Si Confessario verè sit probabile peccatum pœnitentis non esse reservatum, valebit Absolutio, etsi à parte rei reservatum fuisset, uti patet ex *Diana p. 9. t. 9. r. 29.*

10. Qui confitetur Sacerdoti habenti potestatem ordinariam, aut etiam delegatam ad absolvendum à reservatis, & sine sua culpa oblitus est exponere peccatum aliquod reservatum, potest postea illud confiteri Sacerdoti inferiori, & ab eo validè absolvi. Quia in priori Absolutione sublata est reservatio per Sacerdotem, qui potuit illam auferre. *Prap. Marat. Busen. Diana p. 4. t. 4. resol. 124.*

11. Si post debitum examen Confessarius positivè dubitet, an pœnitens lapsus sit in mortale reservatum, cum probabile sit peccatum, de quo sic dubitatur non habendum pro reservato, poterit pœnitentem ab eo absolvere. Idem dicendum etsi dubium sit negativum, id est, in quo pro neutra parte rationes occurrunt, probabiliter docet. *Suar. Hurt. Henriq. Filliuc. Bonac. Card. Lugo de pœnit. disp. 20. sect. 2.*

12. Quoad censuram *Suspensionis*, illa non impedit à *percipienda* Absolutione Sacramentali. Suspensio enim est censura quâ Clericus prohibetur ab usu Ecclesiastici Officii, vel beneficii, vel ab utroque simul; perceptio autem Absolutionis non est usus Officii, aut beneficii. Invalidè tamen confertur Absolutio à suspenso non tolerato tam quoad Ordinem, quam quoad jurisdictionem; & ipse conferendo contrahit insuper irregularitatem. Si autem sit suspensus toleratus, probabile est ei licitum esse absolvere, si se non ingerat, sed ab aliis ob utilitatem propriam ad

hoc

hoc requiratur. *Henriq. Laym. hic. cap. 4. num. 17. Bonac. d. 3. p. 4. num. 4.*

13. *Interdictum* quoque Absolutionem Sacramentalem non impedit in foro interno, imò neque administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, Baptismi, & confirmationis: Exceptis iis, qui Interdicto causam dederunt, etiam consilio, auxilio, aut favore. Cum enim omnes Clerici soleant in eodem loco subesse Interdicto, non poterunt ob communem utilitatem ea Sacramenta omnibus prohiberi.

14. *Irregularitas* non est censura, nec obicem ponit in ordine ad suscipiendam Absolutionem Sacramentalem; Sed est tantum impedimentum Canonicum in ordine ad susceptionem sacrorum Ordinum, aut usum susceptorum: quod aliquandò ex delicto v. g. ex homicidio, aliquandò tantum ex defectu naturali v. g. ex carentia sinistri oculi, vel ex defectu natalium provenire potest. Tollitur autem ab habente potestatem non per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel simili formâ: *Dipenso tecum irregularitate, quam ob hanc N. causam incurristi.*

15. *Excommunicatio* verò cum sit censura, per quam quis privatur Communione Ecclesiæ, impedit valorem Absolutionis, & licitum usum aliorum Sacramentorum tàm passivum, quàm etiam activum. Nisi aliquandò excuset ignorantia invincibilis, vel metus mortis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum &c. Nam censura, cum sit quasi Lex Ecclesiastica, non obligat cum tanto rigore & incommodo.

16. Quandò autem Confessarius facultatem habet absolvendi à peccato reservato, quod annexam habet excommunicationem, debet pœnitentem primò eximere à vinculo excommunicationis, & postea à peccato absolvere. Quia cum peccatum soleat esse Pontifici reservatum ratione tantum excommunicationis annexæ, debet hæc prius esse sublata, ut Absolutio à peccatis validè conferatur.

Formula Absolutionis à Censura in foro Conscientiæ hæc communiter usurpari solet: *Ego te absolvo à vinculo v. g. excommunicationis, suspensionis &c. quam incurristi propter hanc causam N.* (si sit excommunicatus additur) *& restituo Te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium.* (si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Amen.

Quæres, A quo possit fieri Censura, & quis modus requiratur?

Resp. Censuram ferre potest solus Superior Ecclesiasticus, habens

habens in foro externo jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam. Ut censura lata sit *valida*, præter legitimam ferentis jurisdictionem, debet servari substantialis ordo judicii, quandò non à jure, sed ab homine fertur censura per sententiam particularem. Primò itaque requiritur ut citetur Reus, & moneatur sub comminatione censuræ; quia aliàs non est contumax, nisi recuset obtemperare. 2. Necessaria est à parte rei justa causa de qua reus sit convictus: vel causa quæ etsi non subsistat, à parte rei tamen satis probata fuit secundum allegationes fori externi: & in hoc casu etiam innocens debet censuram observare in foro externo ad scandalum evitandum.

Ut autem Censura sit *licita*, monitio Canonica debet esse triplex vel ob justam causam una tribus æquivalens. 2. Debet ex scripto recitari. 3. Exprimi debet causa censuræ. 4. Reo petenti exemplum Scripturæ intra mensem tradi debet; alioqui ipse Judex à divinis Officiis suspenditur.

Sed quia Confessarius nihil horum in praxi scire, aut exequi poterit; nisi in particulari cognoscat qui casus, aut peccata sint reservata, & qualem ex jure censuram habent annexam, ea hic ad brevem, & distinctam ordinem contrahemus.

Quinam casus censeantur Episcopis reservati.

QUinque Casûs enumerat Lezana, verbo, *Casus reservati n. 2.* qui communiter dicuntur Episcopales. Nempe, peccatum habens de jure annexam pœnitentiam publicam, aut excommunicationem majorem, aut irregularitatem, nec non peccatum incendiarii, & publica blasphemia. Docet tamen cum aliis ibidem Lezana ex solo jure communi nullum esse casum Episcopis reservatum. Casus igitur Episcopales potius e[r]unt illi, qui vel ex consuetudine, vel expressâ eorum voluntate illis reservantur.

In Belgio ab Archiepiscopo Mechliniensi expresse reservantur casus sequentes. Raptus Virginum, Homicidium, Incendium deliberatâ voluntate procuratum. Simonia. Sodomia. Hæresis. Apostasia. Incestus cum consanguineis, aut Sanctimonialibus. Injectio manuum violenta deliberato proposito, cum læsione in Parentes. Sortilegium. Adulterium notorium. Et omnia delicta habentia excommunicationem majorem annexam; ac quæ sunt prædictis graviora. Casus hi omnes reservantur etiam ab Episcopis Antverpiensi, Gandensi, Brugensi, Iprensi, & Ruremundano. Nam pastorali ad usum totius illius

Pro-

Provinciæ edito inseruntur. Iprensis insuper reservat sibi casum Sacrilegii; & Mechliniensis peccatum carnis complicis opere completum, sic ut confessarius complex non possit ab eo absolvere: quod inter alia memoriæ causâ Theologus Lovanii sic breviter & nitidè expressit, *Sacrilegus servatur Ipra, complexque Malina.*

In his, ubi actu reservantur, pro absolutione recurrendum est ad Episcopos, aut alios quos ipsi ad Casus etiam Episcopales approbant, aut designant. An verò Ordines Mendicantes vi suorum privilegiorum possint hodie in Belgio à casibus Ordinario reservatis absolvere, disputat cum quibusdam aliis Franciscus Bonæ Spei de Pœnit. *disp.* 10. *num.* 48. ubi pro parte affirmativa citat novem Recentiores qui illam probant, tum quia, inquiunt, prohibitiones factæ ante Urbanum VIII. Anno 1628. sunt tantum pro Italia: tum quia hæc Urbani VIII. prohibitio, tantum est, ne Regulares absolvant in vim privilegiorum illis ante Tridentinum concessorum; vel pòst confirmatorum; est autem, inquiunt, privilegium Pauli III. & Pauli V. uni Ordini, cum quo alii Mendicantes communicant, concessum de novo, & non solum in confirmationem, post Tridentinum, absolvendi ab illis casibus: tum denique ajunt, quia Bulla Cœnæ, & decreta S. Congregationis, Mendicantium privilegia desuper revocantia, non sunt in Belgio promulgata. Verum ipse Bonæ Spei *supra*, negativam sententiam sustinet, maximè ob specialem Urbani VIII. declarationem, quam citat, & Alexandri VII. censurantis oppositum inter Propositiones sibi à Regularibus diœcesis Andegavensis propositas 30. Januarii 1659.

CAPUT IV.

Casus & Excommunicationes Pontifici reservatæ.

§. 1. *Reservata Bulla Cœna Domini.*

PRima est, Excommunicatio in Hæreticos cujuscunque Sectæ; eorundem fautores, libros ipsorum legentes, tenentes, aut imprimentes; atque in schismaticos.

Secunda in appellantes ad futurum concilium, aut eorum fautores.

Tertia, in Piratas, & eorum receptatores, atque fautores.

Quarta, in eos, qui naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in litoribus inventa surripiunt.

Quinta, in imponentes nova pedagia & gebellas, vel augentes.

Sexta, in falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes à quocumque authoritatem habente signatas, aut falso fabricantes literas Apostolicas.

Septima, in deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Thurcas, aut alios Christiani nominis inimicos: vel ad Christianæ reipub. statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum annuntiantes.

Octava, in impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria ad Romanam Curiam convehunt.

Nona in eos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, suâ, vel aliorum operâ, & sine jurisdictione vexant in Curia commorantes.

Decima, in eos, qui lædunt Romipetas ac Peregrinos in urbe morantes, vel abeuntes.

Undecima, in offendentes S. R. E. Cardinales & alios Prælatos.

Duodecima, in lædentes eos, qui per se, vel per alios recurrunt ad Romanam Curiam pro suis negotiis.

Decimatertia, in eos, qui à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum appellant ad potestatem laicam.

Decimaquarta, in eos, qui impediunt & prohibent expeditiones litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum ad gratias impetrandas.

Decimaquinta, in Judices sæculares, qui Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

Decimasexta, in eos, qui impediunt Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, quique illorum, vel Delegatorum judicia eludentes ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt atque in his præstantes auxilium.

Decimaseptima, in usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

Decimaoctava, in imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

Decimanona, in Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

Vigesima, in occupantes terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

§. 2. In

§. 2. *In Decreto & Decretalibus Papæ reservata.*

PRima est excommunicatio, in percussorem clerici, vel Monachi, lata in Cap. *Si quis suadente Diabolo* 17. *q.* 4.

Secunda est, lata à Delegato Papæ in eum, qui rei judicatæ parere contemnit: illa enim post annum transactum manet reservata Papæ, cap. *Quærenti. de officio Delegati.*

Tertia est, excommunicatio promulgata ab Episcopo in eos, qui literas Apostolicas falsas habentes, non destruunt eas, aut non resignant intra viginti dies; postquam enim contracta fuerit, recurrendum est ad summum Pontificem pro absolutione. *Dura. de crimine falsi cap.* §. *Adjicientes.*

Quarta est, lata in sacrilegos, qui violenter Ecclesiam confregerint, eamque spoliare non dubitaverint. Cap. *Conquesti, de sentent. excommunit.*

Quinta est, quâ Papa excommunicat Clericos, qui cum excommunicatis à se communicant in divinis, illorumque Absolutionem sibi reservat: Cap. *Significavit. de sentent. excommunic.*

Sexta est, lata in incendiarios, qui postquam sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro Absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam sunt mittendi. Cap. *Tua nos. de sentent. excommunic. in sexto.*

Septima est, lata in eos, qui in personis, aut bonis suis gravant illos, qui sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti in aliquem tulerit: ab eo enim per Sedem tantum Apostolicam tales absolvi posse, si in ea sententia spatio duorum mensium perseveraverint, habetur ex Cap. *Quicunque. eodem tit. & libro.*

Octava est, lata ibidem Cap. *Eos qui*, in illos qui post Absolutionem à priore excommunicatione reservata Papæ obtentam sub conditione comparendi coram ipso Papa, vel satisfaciendi parti læsæ, talem conditionem negligunt implere tempore debito.

Nonam omitto, contra inferentes violentiam S. R. E. Cardinalibus, item Episcopis in Clement. *Si quis, de pœn.* Quia continetur etiam in Bulla cænæ.

§. 3. *In Clementinis & extravagantibus Excommunicationes reservatæ.*

PRima habetur in Clementina I. *de Hæreticis*, §. *Verum*, contra Inquisitores, vel eos, qui ipsorum vices gerunt, seu

seu loco ipsorum, ad illud officium gerendum deputantur; si in usu ejusdem officii ita deliquerint, ut odii, & cæterorum ibi positorum obtentu, contra justitiam & conscientiam suam omiserint contra aliquem procedere, ubi fuerit procedendum super hujuscemodi pravitate; aut obtentu eodem, pravitatem ipsam, aut impedimentum officii imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare.

Secunda est, in Clementina, *Religiosi*, *de Privilegiis*: lata contra Religiosos, qui præsumpserit Sacramenta Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ ministrare, vel Matrimonia solennizare, sine parochialis Presbyteri licentia speciali; vel excommunicatos à Canone præterquam in casibus, ipsis à Pontifice concessis, absolvunt &c.

Tertia est, lata in Clement. *Cupientes*. § *sanè de pœnis*, in Religiosos ac in Clericos sæculares violantes Constitutionem Bonifacii, Cap. 1. *de sepulturis*, *in sexto*, ne aliquis Clericus sæcularis, aut Religiosus inducat quempiam ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligat, vel jam electam ulterius non mutet.

Quarta habetur in Clement. *Gravis*, *de sentent. excomm.* lata in violantes interdictum per unam ex quatuor actionibus ibi positis.

Quinta excommunicatio est in Extravag. *Prima inter communes*, *de sepulturis*, lata in lacerantes & exenterantes corpora defunctorum hominum, ut conserventur, velut decoquantur, ut ossa possint in alia loca transferri.

Sexta, in Extravag. 1. *Commun. de Simonia*, contra eos lata; qui dant vel recipiunt aliquid ob ingressum Religionis per modum pacti & conventionis.

Septima, in Extravag. 1. *de Regularibus*, in qua Martinus IV. prohibebat, ne Religiosi mendicantes ad aliam Religionem transeant, excepta Carthusiensi, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.

Octava, lata in Extravag. *commun. de simonia*, quam ii incurrunt, qui simoniæ peccatum committunt; intellige autem de simonia reali consummata, id est, in qua de facto datum & acceptum est temporale pro spirituali.

Nona est in Extravag. *communi*, *Grave nimis*, *de Reliquiis & venerat. Sanct.* lata à Sixto IV. in præsumentes affirmare, illos qui credunt, aut tenent, beatissimam Virginem, ab originali peccato fuisse præservatam, propterea alicujus heresis labe pollutos fore, vel moraliter peccare, vel etiam eos, qui Conceptionis officium celebrant; vel conciones audiunt eorum, qui ipsam sine macula peccati

conceptam esse prædicant, vel libros talem doctrinam continentes pro veris legunt, tenent, vel habent: vel alicujus peccati reatum incurrere. Ubi idem similiter excommunicat eos, qui affirmant hæresim esse, vel peccare mortaliter eum, qui docuerit, aut asseruerit beatam. Virginem in peccato originali conceptam esse.

§. IV. *Aliæ Excomm. reservatæ, extra Corpus Juris & Bullam Cœnæ.*

PRima est, à Leone X. in Concilio Lateranensi lata in Prædicatores, qui contravenerint iis, qui ibidem prohibentur; quorum primum est, ut Evangelicam veritatem & sacram Scripturam, juxta Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent; nihilque adjiciant contrarium, aut dissonum sacræ Scripturæ: Secundum est, ut tempus præfixum futurorum malorum, vel adventus Antichristi, aut certum judicii diem prædicere non præsumant. Tertium, ne illa futura quasi specialiter revelata dicant, aut alienas inanesque divinationes asseverent. Quartum, ut à Prælatorum, aliorumque Superiorum detractione abstineant.

Secunda excommunicatio habetur ex quodam proprio motu Pii V. qui incipit, *Regularium Personarum*, lata in fœminas, quæ ingrediuntur in Monasteria Carthusiensium, & aliorum virorum vitam regularem agentium.

Tertia, ex ejusdem Pontificis Constitutione, quæ incipit, *Intolerabilis*, lata in eos, qui committunt crimen Simoniæ, confidentiæ beneficialis; ut censentur tam illi, quorum ibidem mentio est, tum ii, qui beneficium recipiunt ab aliquo, sub confidentia, quod illud postea eidem restituent, vel alteri dabunt, vel fructus ejus, aut eorum partem aut pensionem eidem, vel alteri solvent.

Quarta est, quam Concilium Tridentinum *Seff. 22. cap. 11. de Reform.* fert in quoscunque, sive Clericos, sive laicos, qui præsumunt usurpare quácumque arte, aut modo, bona, res, jura, fructus reditus, aut jurisdictiones alicujus Ecclesiæ, vel beneficii sæcularis, montium pietatis, vel aliorum piorum locorum, vel impedientes, ne percipiantur ab eis, ad quos jure pertinent. Has omnes, earumque explicationem fusius tradit *Suarez Tomo 5. in part. 3. disp. 21. & 22. Bonac. d. 2. q. 5. p. 3. Layman. l 3. tr. 5. p. 2 c. 5.*

Sunt & aliæ Censuræ in posteriorum Pontificum Bullis reservatæ, ut in Bulla Urbani VIII. contra eos, qui de gratia & libero arbitrio sine speciali Sedis Apostolicæ licentia tractatus edunt. Et in Bulla Alexandri VII. contra eos, qui quovis modo contra piam sententiam de Immaculata B. V. Conceptione, ejusque Festum seu cultum aliquid publicè vel privatim, voce vel scripto loqui, tractare, dispu-

diſputare auſi fuerint, vel argumenta contra illa adferre & inſoluta relinquere. Et quædam his ſimiles cenſuræ, quæ in aliis controverſiis emanarunt.

CAPUT V.

Pro Facultate abſolvendi à reſervatis, cenſuris, aliisq; caſibus, ad quos poſſit Confeſſarius recurrere?

AMpliorem cæteris in hoc genere facultatem, quantum eſt ex vi officii, habent Epiſcopi in ſua Diœceſi, ſed quia multa ſunt ad quæ facultas eorum ordinaria ſe non extendit, Privilegia ſibi ampliora à Sede Apoſtolica aliquando procurant.

Idem dicendum eſt de Vicariis generalibus. Idem de variorum Ordinum Prælatis, & aliis perſonis, quibus Sedes Apoſtolica particulares facultates conceſſit.

At ſciendum eſt, facultates omnes Ordinis non neceſſariò cuivis ejus membro competere, ſed tantùm eas obtinere, quas eorum Prælati ſingulis reſpectivè permittunt aut communicant: quâ in re graviter offendunt ſubditi, ſi ſuas facultates aut ignorent, aut excedant.

Cavendum inſuper, ne Sacerdos aut laicus ſine ulteriori examine, ſtatim exiſtimet ſubſiſtere quaslibet facultates, aut privilegia, quæ in quovis authore aut libro notata, aut olim conceſſa reperiuntur. Sicut enim quibuſdam aliqua dantur de novo privilegia, ita etiam quædam antiqua in poſteriorum Pontificum Decretis non rarò revocantur aut reſtringuntur: quorum ſingula non niſi à viris prudentiâ & doctrinâ probè inſtructis ſatis diſcerni valent: ideoque in ſequentibus pro communi uſu ac ſcientia viam recurrendi commodiſſimam ac tutiſſimam aperiemus.

Ut igitur Confeſſarii, præſertim in Miſſionibus, cognoſcant Facultates in iis concedi ſolitas, & ſciant pro quibus caſibus, & indultis & ad quos recurrere poſſint, hic ſubjiciam ſeriem variarum Facultatum, & indultorum, quæ Sedes Apoſtolica quibuſd m perſonis in variis regnis, ac provinciis elargiri ſolet: prout inveniuntur à ſacra Congregatione de propaganda fide ex Regulis à ſua Sanctitate approbatis digeſta, & apud probatos Authores recenſita. Non quod aſſeram ſingulas quas recenſeo Facultates talibus perſonis, aut officiis ſemper aut neceſſariò annexas eſſe, ſed quod illis potiſſimum ab Apoſtolica Sede pro rerum exigentia liberè concedi aut annecti ſoleant.

§. 1.

Facultates Missionum.

Pro Episcopis in Hibernia & alibi concedi solitæ, & quibusdam aliis infra exponendis.

PRimò, Absolvendi ab hæresi & apostasia à Fide, & à schismate quoscumq; etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quam Regulares. Non tamen eos, qui ex locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint: nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi, in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum.

Secundò, Tenendi, & legendi libros prohibitos Hæreticorum, ad effectum eos impugnandi; & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, & libros de Astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliter quovis modo de ea tractantes, ita tamen ut libri ex ipsis Provinciis non efferantur.

Tertiò, Dispensandi in tertio, & quarto simplici, & mixto in contrahendis, in contractis verò cum hæreticis conversis, etiam in secundo simplici, & mixto, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

Quartò, Dispensandi super impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus proveniente.

Quintò, Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, & restituendi jus petendi debitum amissum.

Sextò, Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum.

Septimò, Hæ verò dispensationes matrimoniales, videlicet, tertia, quarta, quinta & sexta, non concedantur, nisi cum clausula dummodò mulier rapta non fuerit, &, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat; & in dispensationibus tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ.

Octavò, Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, exceptâ eâ, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

Nonò, Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis, & Religionis.

Decimò, Absolvendi, & dispensandi in quacumque simonia, & in reali dimissis beneficiis, & super fructibus malè perceptis, injunctâ aliquâ eleemosynâ, vel pœnitentia salutari, arbitrio dispensantis, vel

vel etiam retentis beneficiis, si fuerint Parochialia, & non sint, qui Parochiis præfici possint.

Undecimò, Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ.

Duodecimò, Dispensandi cum Catholicis super fructibus bonorum Ecclesiasticorum malè perceptis.

Decimotertio, Dispensandi cum eisdem Catholicis, ut possint retinere bona Ecclesiastica, & fructus ex illis percipere, acceptâ ab illis promissione, de stando judicio Ecclesiæ circa eorum restitutionem cum fieri poterit, illis interim admonitis, ut de dictis fructibus faciant eleemosynam judicio confessarii in usum Religionis, cujus ante hæresim, & schisma erant bona, si adsit illa Religio; sin ibi minus in pauperes catholicos, & memores sint, bona illa esse revera Ecclesiæ.

Decimoquarto, Dispensandi quando expedire videbitur super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore Quadragesimæ.

Decimoquinto, celebrandi Missam quocumque loco decenti, etiam sub dio, sub terra, unâ horâ ante Auroram, & aliâ post meridiem, bis in die, si necessitas urgeat, si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem, & super Altari portatili, etiam fracto, aut læso, & sine Sanctorum Reliquiis, & præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit, & non sit periculum sacrilegii, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

Decimosexto, Concedendi Indulgentiam plenariam primò conversis ab hæresi, atque etiam fidelibus quibuscumq; in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterint.

Decimoseptimo, Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione quadraginta horarum ter in anno indicenda, diebus benevisis, contritis, & confessis, ac sacra Communione refectis; si tamen ex concursu populi, & expositione sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab hæreticis, & infidelibus, aut Magistratum offensum iri.

Decimo-octavò, Concedendi singulis Dominicis, & aliis diebus festis decem Annorum Indulgentiam iis, qui prævia sacramentali peccatorum suorum confessione Eucharistiam sacram sument, in Festis Natalis Domini, Paschatis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis.

Decimonono, Lucrandi easdem Indulgentias.

Vigesimo, Singulis secundis feriis, non impeditis Officio novem Lectionum, vel eis impeditis die immediatè sequenti, celebrando Missam de requie, in quocumque Altari etiam portatili, libe-

randi animam secundùm eorum intentionem à purgatorii pœnis per modum suffragii.

Vigesimo-primò, Deferendi sanctissimum Sacramentum occultè ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis, aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

Vigesimo-secundò, Induendi vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

Vigesimo tertiò, Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

Vigesimo-quartò, Communicandi prædictas facultates duobus Sacerdotibus tantum in qualibet civitate, & oppido insigni, vel Conventu Regularium Theologis tantùm, aut in aliquo Collegio bene instructis, & præsertim tempore sui obitus ut Sede vacante sint, qui possint supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quàm primum per delegatos, aut unum ex eis fieri debebit, alio modo provideat.

Vigesimo-quintò, Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aquâ ab Episcopo benedictâ, & in casu necessitatis, etiam aquâ non benedicta ab Episcopo.

Vigesimo-sextò. Conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, usque ad Sacerdotium inclusivè

Vigesimo septimò, Dispensandi super defectu ætatis unius Anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si aliàs idonei fuerint.

Vigesimo-octavò, Consecrandi Olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Cœnæ Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

Vigesimo-nonò, Et prædictæ facultates gratias, & sine ulla mercede exerceantur, & pro eorum Diœcesibus tantùm concessæ intelligantur ad septennium. Sic etiam habent variæ Formulæ sæpiùs pro Pontificis arbitrio concessæ, & à probatis Authoribus relatæ, uti & sequentes.

§ 2. *Pro Vicariis Apostolicis Hiberniæ.*

ACcommodari his solent à Sede Apostolica eædem facultates & gratiæ, quæ Episcopis in prædicta formula attribuuntur, pro locorum consuetudine, omissa facultate 25.26.27.28. uti habet praxis Congr. *de propag. fide.*

§. 3.

§. 3. *Pro Superioribus Regularium ibidem.*

COncedi postulantibus solent etiam Facultates supradictæ: sed omissa 14. item 25.26.27.28.& 24. ex parte mutata, hoc modo: *Communicandi prædictas facultates duobus Sacerdotibus suæ Religionis in quolibet Conventu. aut Monasterio existente in Civitate aut oppido insigni, Theologis tamen, aut in aliquo Collegio bene instructis. &c.*

§. 4. *Pro aliis quibusdam Missionariis.*

EXtant & aliæ facultates his minores quas aliquando idonei quidam Missionarii à sacra Congregatione, aut Apostolico Nuncio impetrare solent. Tales sunt ex facultatibus supra recensitis 1. 2. 5. in foro tantùm interno. & 10. absolvendi & dispensandi in simonia, sed cum varia instructione. Item 16.17. 19.20.21.22. 23. Quibus additur potestas dispensandi, cum pauperibus tantùm, in 3. & 4. gradu consanguinitatis, & affinitatis simplici & mixto, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo quoad matrimonia futura. Item in impedimento publicæ honestatis, & cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum; & modò in prædictis mulier non fuerit rapta, aut saltem in potestate raptoris non existat. Insuper benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ, ubi non intervenit Unctio: quibus & alia subindè adduntur.

§. 5. *Pro Regno Angliæ.*

CUm in eo Regno non sint Episcopi, aliis Prælatis. & idoneis quibusdam Missionariis concedi solent omnes facultates quas supra recensuimus pro Superioribus Regularium, & pro quibusdam Missionariis in Hibernia; immutato nonnihil articulo de communicatione facultatum, & ablata restrictione ad art. 19. hoc modo: Administrandi omnia Sacramenta etiam parochialia, Ordine & Confirmatione exceptis. Sic enim ea facultas pro Anglia à S. Congr. exprimi solet.

§. 6. *Pro Provinciis Hollandiæ, & Confœderatis.*

EX Ordinatione sacræ Congregationis pro Episcopis titularibus Hollandiæ easdem facultates concessas reperio quas suprà adduxi in formula pro Episcopis Hiberniæ. Nisi quod tertia facultas in illis Provinciis, ad pauperes restringatur: & decima ex parte mutetur, & in 24. potestas communicandi has facultates relinquatur huic Episcopo exercenda in Sacerdotes idoneos, sine restrictione, prout secundùm conscientiam opus esse judicaverit.

Alii in Hollandia Missionaria impetrare so'ent facultates similes iis, quas Missionariis quibusdam Angliæ, & Hiberniæ concedi declaravimus.

N O T A.

PRo Missionariis Regularium quædam singularia Pontificum Diplomata, ex quibus ampliora in hoc genere Privilegia depromuntur.

Innocentius IV. in Bulla 20. quæ incipit *Cum hora undecima*, Missionariis Regularibus per universum mundum majora quædam Privilegia adjecit. Quæ etiam Nicolaus III. in Bulla sua 2. confirmavit, excipiens dispensationem aut commutationem in Votis ultramarinis, continentiæ, & castitatis, quæ Innocentius saltem expresse non excepit.

Sixtus IV. in Bulla quæ incipit, *Apostolicæ servitutis*: Et Pius II. in Bulla, *Dum levamus*, pro Missionariis Ordinis Prædicatorum varia privilegia concedit.

Leo X. in Bulla 3. *Alias felicis*, prædictis adjecit Facultates Innocentii IV. alias que, restringendo Confirmationis administrationem ad Episcopos, si in Provincia reperiri commodè possint.

Adrianus IV. in Bulla, *Exponi nobis* Missionariis Ordinis Minorum ad instantiam Caroli V. varias facultates indulsit.

Paulus III. in Bulla, *Licet debitum*, & in aliis, varia elargitur pro Missionariis Societatis Jesu.

Clemens VIII. in Bulla, *Dominici gregis* anno 1604. Missionariis Ordinis Carmelitarum Facultates admodum amplas concessit.

Hæc diplomata integrè recensita reperiuntur in Bullario, & apud Rodericium *de privilegiis Regularium*. & citantur in Compendio Privilegiorum, variorum Ordinum.

Ubi adverte, propter Communicationem Privilegiorum inter Ordines Religiosos, posse Missionarios unius Ordinis ex alterius Facultatibus juvari, prout traditur in Mari magno Minorum Sixti V. & in B. Aurea. & in B. *Dudum* Leonis X. ac recentius in Bulla 19. Clementis VIII. In quibus omnibus quid pro singulis valeat, & vigeat, ipsis notum esse solet.

§. VIII.

Facultates Ordinariæ quæ quibusdam Regularibus aliquando conceduntur, etiam extra missiones breviter explicatæ.

1. ABsolvendi quoslibet, *à quibusvis peccatis etiam Sedi Apostolicæ reservatis*. Intellige quoslibet, non prohibitos per sua Privilegia confiteri extra suum Ordinem, absque suorum superiorum facul-

facultate. Intellige etiam ex parte Absolventis approbationem Ordinarii & cætera requisita; nisi quando peregrinatur, veniam concedente Ordinario, si adsit, & Curato non repugnante in sua Ecclesia.

2. *Et specialiter, absolventi ab omnibus casibus, peccatis, & censuris etiam reservatis in Bulla Cœnæ Domini.* Hanc habes integrè expressam supra *cap.* 4 §. 1. Quando censura fertur in eos, qui præsumunt aliquid facere vel attentare, non comprehendi eos, qui ex metu & absque notitia sat libera id fecerunt, docent passim Theologi. 2 Si excommunicatio lata sit in patrantes, docent etiam non extendi ad mandantes, nisi id alio modo exprimatur. De his & seq. pluribus agit Lezana, verbo, *Bulla Cænæ*, & ex parte Diana, & recentius Chassaing.

3. *Dispensandi super Irregularitatibus Casus dictæ Bullæ consequentes, modò pœniteat, & de cætero velit abstinere. Exceptis tamen Censuris & Irregularitatibus quæ continentur in Constitutione Sixti V. de promoventibus & simoniacè promotis ad Ordines.*

4. *Absolvendi relapsos qui communiter habentur Catholici quoties in hæresim inciderint: Nisi essent notorii, & communiter pro talibus haberentur, & agnoscerentur; pro quibus tantum semel absolvendis privilegium concedi solet.*

Nota, Hæc omnia tantum valere in foro conscientiæ, & monendos esse pœnitentes, hanc absolutionem ipsis non prodesse in foro externo. Hinc caveri solet, ubi censura est publica, ut Confessarius non absolvat nisi consulto suo superiore.

5. *Concedendi usum Librorum prohibitorum, qui tamen non sunt editi ad stabiliendа dogmata hæreticorum.* Hoc est, qui ex professo id non agunt ut hæresim aliquam probent vel introducant, quales censentur libri Erasmi, exceptis aliquibus ejus Colloquiis. item Ludovici Vivis, Bodini, & Wesenbecii. Quales porro, & sub quibus pœnis libri prohibeantur tradimus infra *tract.* 5. *quæ.* 12.

6. *Dispensandi cum illis qui contraxerunt cum impedimento Criminis, &c. Et cum adultero conjuge ad petendum debitum, qui consanguineam carnaliter cognovit.* Ubi notat Castropalao, illum qui sic cognovisset consanguineam conjugis, sed cum ignorantia juris, aut pœnæ, hoc est, non sciens id ab Ecclesia ita specialiter prohibitum esse, aut sub pœna tam gravi, eam pœnam non incurrere, & posse sine dispensatione debitum petere. Scienter verò sic delinquentem, statim incurrere hanc pœnam privationis nullâ expectatâ juris sententiâ, aut declaratione criminis, docet hic Sanchez, aliique communiter.

7. *Commutandi omnia vota, etiam jurata, in alia pia opera, dum adest causa rationalis, sine qua commutatio nulla esset.* Debet hæc

commutatio fieri in aliquid æquale, vel quasi æquale : nam si fieret aliquid notabiliter minus, esset ex ea parte dispensatio, non commutatio. Exempla operum in quæ aptè fieri possit votorum commutatio habet varia Sanchez, Medina, Leander *de votis* infra aliique.

Excipiuntur tamen vota ultramarina, Sanctorum Petri & Pauli in Vrbe, S. Iacobi in Compostella, perpetuæ Castitatis & Religionis.

Dixi *perpetua*, quia communis sententia docet votum Castitatis temporale non esse reservatum: nec votum de non nubendo, de non polluendo, vel de statu Ecclesiastico assumendo. Quia hoc ultimum non est votum Castitatis promissæ, sed postea promittendæ in isto statu: reliqua autem non sunt Vota Castitatis perfectæ & completæ, qualia debent stricte intelligi nomine voti in reservatione. Inter hæc quinque vota reservata, non censentur comprehendi vota conditionalia, vel pœnalia; exempli gratia votum Castitatis, aut Religionis sub hac conditione, si ab hoc morbo convaluero; aut in pœnam, si fornicatus fuero: adeoque talia vota, etiam post impletam conditionem possunt commutari, quia neque absolutè, neque ex virtute Religionis sunt emissa, uti docet Toletus, Sanchez, & passim alii. Reservatum non esse votum fœminæ assumendi habitum sive vitam earum quas vocant Devotas aut Beatas, quia non est status Religionis aut Castitatis perpetuæ, disertè docet Sanchez, Henriquez, Fagundez, & alii apud Leandrum *de voto tract.* 1. *disp.* 7 §. 3. *quæst* 47.

In his cavetur, *ne commutatio voti fiat in præjudicium tertii.* Quod si promissio non illi tertio specialiter facta, & ab eo acceptata, non censetur illi jus acquisitum, adeoque tale votum potest commutari. Plura de voti commutatione fusius tractat Layman *de voto cap.* 8. Suar. *de Rel.* aliique. Hæc de facultate magis ordinaria, nec omnia hic proferenda.

Sunt etiam nonnunquam Regulares, qui ex privilegio Pontificio magis speciali possunt ex causa in votis dispensare, non injungendo aliud opus, ut fit in commutatione. Absolvere etiam eos qui ignorantes perpetratâ simoniâ, beneficia Ecclesiastica possident: & dispensare in fructibus male perceptis, modò illa beneficia relinquant. Ac dispensare cum iis in foro conscientiæ, qui post simplex votum castitatis matrimonium contraxerunt, quoad petendum debitum, monito tamen pœnitente, ut si conjugi supervivat, votum servet. Sunt & alia altioris potestatis privilegia. Verum hæc ad communem usum recensere sufficiat, ut qui pro hujusmodi casibus remedium quærunt, facilius sciant ad quos possint pro auxilio recurrere.

Porrò, Modum in his procedendi, & absolvendi, & Pœnitentiam idoneam injungendi colliges ex praxi Litterarum Pœnitentiariæ Romanæ quarum normam integram damus & explicamus infra *tract.* 4. §. *in fine.*

TRA-



TRACTATUS TERTIUS DE CONFESSIONE ET SATISFACTIONE SACRAMENTALI,

Cum Indulgentiis, etiam missionum, & praxi Hæreticos reconciliandi.

CAPUT PRIMUM.

De Præcepto Confessionis.

Confessio Sacramentalis, est peccatoris accusatio secreta de suis peccatis, coram Sacerdote proprio, ut ab eo Christi nomine absolvatur.

2. Quæstio hic est, An Confessio Sacramentalis præcepta sit jure divino, an Ecclesiastico, quinam, & quo tempore ad eam obligentur.

3. Dico primò, Confessio peccatorum præcepta est jure divino. Probatur ex verbis Christi *Ioh.20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* ex quibus confitendi præceptum colligit Trident. *Sess.* 14. *Can.* 5.

Dices, verba Christi tantum conferunt potestatem absolvendi, nullam verò memorant aut imponunt obligationem confitendi. Respondeo, hoc ipso quo tribuunt Sacerdoti tanquam Judici in foro conscientiæ potestatem non tantùm absolvendi, sed etiam retinendi peccata, imponere simul præceptum Confessionis, sine qua ea potestas exerceri non possit, cùm nequeat Judex ferre sententiam sine causæ cognitione

4. Hoc præceptum non obligat lapsum in mortale ut primâ opportunitate confiteatur. Ratio, quia præceptum confitendi est affirmativum, quod pro omni tempore non obligat, uti fit in præcepto negativo.

5. Incumbit tamen peccati Præceptum divinum Confessionis Sacramentalis in articulo mortis: imò in gravi ejus periculo v. g. in difficili partu, in periculoso morbo, prælio, &c. Ratio est, Quia peccator in tali casu exponeret se probabili periculo nunquam explendi præceptum confitendi, quòd lapsis in peccatum mortale à Christo impositum est.

6. Dico

6. Dico secundò, Ex præcepto Ecclesiæ omnes Christi fideles postquam ad annos discretionis pervenerunt, tenentur omnia mortalia saltem semel in anno confiteri. Probatur ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III. ubi disertè præcipitur annua Confessio quam Christus per se ad certum temporis spatium non determinaverat.

Ab hoc præcepto non excusantur impuberes, id est, qui septimum annum nondum attigerunt, si verè advertant se mortale peccatum admisisse: nam illa adversio per se satis indicat ipsos ad annos discretionis pervenisse. Hujus rei exemplum extat apud S. Gregorium de puero quinquenni, qui in blasphemiis mortuus, ac propterea damnatus fuit.

7. Quod si Confessarius advertat puerum nondum satis assecutum usum rationis ad discernendam peccati malitiam, datâ tantùm Crucis benedictione eum dimittat. Si tamen de ejus capacitate dubitet, poterit eum sub conditione absolvere; imò id facere debet, si eum in articulo mortis constitutum inveniat. *Diana, Layman. Lugo d. 15. Sect. 7.* Quia tunc pro salute æterna irreparabili viam tutiorem eligere oportet in administratione Sacramenti.

8. Dico tertiò, Tempus annuæ Confessionis instituendæ computari solet ordinariè à Paschate ad proximum Pascha, propter Communionem paschalem tunc occurentem: ita ut lapsus in mortale post paschalem Confessionem non teneatur saltem ex præcepto Ecclesiæ ante sequens Pascha confiteri. Constat hoc ex praxi Ecclesiæ, quæ non solet à fidelibus amplius exigere, apud *Suar. Vasq. Coninc. d. 5. du. 6.*

9. Verùm, qui intra annum v. g. in ultimo Paschate confessus non fuit, tenetur posteà proximâ opportunitate confiteri, uti probabilius docet *Suar. Vasq. Lugo. Contra Sylv. Layman. Dian.* Ratio. Quia tempus paschale non constituitur tanquam terminus ad obligationem finiendam, sed ad eam magis urgendam, uti fit in termino statuto pro solutione debiti, aut censûs annui.

10. Hinc qui prævidet sibi in proximo Paschate impedimentum confitendi obventurum, tenetur Confessionem anticipare; cùm præceptum illud extra Pascha absolutè possit impleri. *Layman. Busem. Lugo disp. 15. § 6. n. 182.*

11. Si is, qui tantum post Pascha confitetur, sola venialia exposuerit, & posteà in decursu anni incidat in mortale, ad aliam Confessionem ex præcepto obligabitur. Quia Ecclesia percipit ut fideles quolibet anno peccata mortalia semel confiteantur, si in ea inciderint, quod in dicto casu sine nova Confessione factum non fuisset.

Unde etiam patet hoc Confessionis annuæ præcepto non comprehendi eum, qui toto anno sola venialia admisit: uti agnoscit *Scotus*

tus apud P. *Terillum de consc. prop. quæst. 22. pag.* 360. Cum tamen is præceptum Communionis paschalis explere teneatur, consultum est ut ante illam se Sacerdoti de more sistat.

12. Non satisfacit huic præcepto, qui novit se invalidè absque debita dispositione Confessionem instituisse: Ecclesia enim præcipit susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ; talis autem Confessio & Absolutio cùm sit invalida, non est Sacramentum. *Suar. Laym. Lugo.* Contrarium tamen probabile putat *Fagund. Diana p. 3. t. 4. res.* 120.

Quæritur primò, pro Missionariis inter hæreticos, An illi qui ab hæresi convertuntur, in prima Confessione exprimere debeant, quod non expleverint præceptum annuæ Confessionis paschalis! Certum enim est hæreticos, cùm sint baptizati, Ecclesiæ præceptis subjacere.

Respondeo negativè. Quia dum confitentur se, eousq; vixisse in hæresi, sufficienter exponunt se illa Ecclesiæ præcepta tanto tempore non observasse. Sicut qui confitetur se v.g. duobus annis vixisse in continua fornicatione, non debet exprimere tactus venereos, & alia, quæ solent communiter fornicationem comitari.

Sed *Quæritur secundo*, Quid si singulari contemptu, & ludibrio hæc Sacramenta, aut Ecclesiæ præcepta insectati fuerint, & alios ab iis explendis abstraxerint.

Respondeo, hæc peccata distinctè confitenda, quantum fieri potest. Quia illa non sunt omnibus hæreticis communia, adeoque in hæresi ut sic non ita involvuntur, ut hac exposita, illa etiam intelligantur in confessione explicari.

CAPUT II.

De Integritate Confessionis.

§. 1. *Qualis, & quando requiratur.*

1. INtegritatem Confessionis requirit, & describit Trid. *Sess. 14. Cap. 5.* sitam in eo, *Ut postquam diligenter te excusseris & conscientiæ tuæ sinus & latebras exploraveris, confitearis omnia mortalia memoria occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum, & circumstantias saltem quæ speciem mutant.* Ratio additur, *Quia sine distincta peccatorum cognitione non potest Confessarius judicium Sacramentale debitè exercere, neque pro mensura delictorum pœnitentiam idoneam imponere.*

2. Integritas Confessionis alia est *Materialis*, quando pœnitens omnia mortalia secundum numerum & speciem confitetur: & hæc integritas non est ita necessaria, quin pœnitens aliquo casu ab ea

possit

possit excusari. Integritas alia est, *Formalis*, quando pœnitens omnia mortalia quantum hic, & nunc potest ac tenetur, in confessione exponit, etsi contingat aliqua esse omissa: & ab hac integritate formali pœnitens nunquam excusatur.

3 Qui ob justum impedimentum aut oblivionem peccatum aliquod in confessione prætermisit, tenetur cessante impedimento illud explicare. Quia hujus Sacramenti institutio requirit ut in eo omnia mortalia semel *directè* clavibus subjiciantur.

4. Qui aliquo casu, vel morbo linguæ usu destituitur, absolvi debet, si nutu, aliove signo absolutionem postulavit, aut dolorem de peccatis ostendit. Quia tale signũ est confessio peccatorum saltem in genere, à præcepto autem confessionis integræ ac distinctæ necessitas excusat. Quod etiam verum est, etiamsi signum illud absente Sacerdote editum fuisset, & postea præsenti ab aliis renunciatum.

5. Sed quid si moribundus, superveniente confessario, nullum signum dederit, aut dare possit? Respondeo, etsi communior opinio asserat absolvi non posse: probabilem tamen, adeoque hic in praxi sequendam esse sententiam, quæ docet talem sub conditione absolvendum esse, dummodò solitus fuerit alias Christiano more vivere & Sacramenta frequentare. Ratio est, quia per tales actus vitæ Christianæ sufficienter indicat se etiam in mortis articulo pœnitentiæ Sacramentum postulare, hæc autem postulatio externa quædam confessio est: Et hanc tenet sententiam *Homob. Molf. sius Tambur. Phil. Sevius*, Et modò plurimi passim Theologi recentiores.

6. Diligens conscientiæ examen ante Confessionem requiritur: diligentiæ autem quantitas moraliter æstimanda est pro variis circumstantiis. Unde minorem adhibere potest ille, qui frequenter confitetur, quam qui rariùs. Si quis verò post talem diligentiam adhibitam, memoriam non habet commissi peccati mortalis, ritè confitetur, modo scienter nullum ex reliquis reticeat.

7. Qui non in specie, sed solum in genere recordatur, se mortaliter peccasse, hoc ipsum in confessione explicare debet, cùm hæc sit sufficiens imò necessaria materia Sacramenti.

Sed *Quæstio* est, An qui sic tantum in genere confessus est, teneatur postea, si recordetur, declarare distinctum numerum & speciem peccatorum mortalium, quam in aliis confessionibus determinatè non expressit, sed tantum confusè & genericè? Respondet Leander *part.* 1. de Sacramentis *pag.* 148. probabiliter pœnitentem illum ad hoc non teneri, & in eandem sententiam adducit Card. de Lugo *de pœnit. disp.* 16. *num.* 577. & ante illum Fabium in suo *Serutinio Sacerd. tract.* 4. *pag.* 499. Rustici, inquit, qui bonâ fide confessi sunt Curato non debitè interroganti, satisfecerunt præcepto confessionis,

nec

nec tenentur iterum confiteri ipsa peccata. Ratio eorum est. Quia peccata illa jam prius, saltem confusè, fuerunt directè subjecta clavibus, adeoque directè remissa: ergo non est obligatio ea postea magis distinctè confitendi. Sed contrarium videtur tenendum cum Navarro & communi aliorum sententia; Quia etsi peccata illa directè remissa fuêre, nondum tamen expletum est præceptum exponendi distinctè speciem & numerum cognitum peccatorum mortalium: quod Navarrus ait scriptum esse non solum lege humana in Cap. *Omnis de pœnit. & remiss.* sed etiam divinâ & evangelicâ, confirmatâ à S. Thoma & aliis, & declarata in Concil. Tridentino. *Sess. 14. de pœnit. can. 7.*

8. Extra mortis periculum nunquam absolvi debet qui de nullo peccato in specie se accusat: si quis autem tam sit rudis, ut ab eo Confessarius ne veniale quidem in specie extorquere possit, dimittendus est sine absolutione donec instruatur juxta praxim bonorum Confessariorum.

9. Si pœnitens inchoatam Confessionem eorum Sacerdote perficere non possit, interdum absolvi debet, V. C. si propter ignotum idioma non omnia possit explicare, aut si in phrenêsim incidat. Tenetur tamen postea si possit omissa mortalia exponere.

10. Tempore pestis, naufragii, periculosi prælii &c. si Confessarius multorum integras confessiones excipere non possit, licitum est omnes simul voce, vel signo confitentes audire, & absolvere.

11. Non tenetur aliquis peccatum confiteri, cum gravi periculo animæ, famæ, corporis &c. Ratio, quia tunc positiva lex de confessionis integritate meritò cedit juri naturali charitatis propriæ. Intellige, si alius Confessarius adire non possit, vel confessio sine gravi incommodo differri.

12. Si fama Complicis graviter lædenda sit apud Confessarium, nec facile possit alius accedi, reticeri debet peccatum, vel saltem circumstantia, aut executio peccati, quatenus necessè est, ut complicis peccatum tegatur, cum onere alteri postea confitēdi quod omissum est. Quia præceptum naturale non infamandi alium prævalet præcepto positivo integræ confessionis. Ita *Valent. Bannes. Prap. Navarr. c. 7.* Quamvis contrariam sententiam sequi liceat, quæ communior est cum *Suar. Vasq. Lugo*, &c.

13. Qui duos Confessarios habet, quorum uni prius mortalia, alteri postea solùm venialia confitetur, non peccat contra debitam Confessionis integritatem. Imò quandoq; id rectè fit, quo pœnitens majori libertate uti possit, si ordinario Confessario, apud quem hactenus bonam opinionem servavit, confiteri nimia verecundia impe-

impediatur. Ita *Navarrus in Man. cap. 21. Bonac. Leander, &c.*

Per accidens tamen fieri potest, ut talis etiam mortaliter peccet, si ea ratione exponat se periculo facile labendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi: quod ejusmodi hominibus accidere solet, qui de industria Confessarios imperitos, vel quibus ignoti sunt, adire solent, & alios à quibus juvari possint tantum cùm levioribus accedunt.

14. Mentiri ex proposito circa materiam mortalem, & confessioni necessariam, est peccatum mortale: Ratio, quia vel negas te peccatum mortale commisisse, quod hic & nunc fateri deberes, & tunc Confessio non integra est, sed sacrilega: vel affirmas te mortale peccatum fecisse, quod non fecisti, & tunc graviter decipis Confessarium, non sine gravi irreverentia Sacramenti.

Quod si mentiatur circa peccatum veniale, vel aliam materiam, quam hic & nunc confiteri non tenetur, peccat solùm venialiter.

§. II. *Quomodo Species & Circumstantiæ exponendæ?*

15. Quoad peccatorum distinctionem, illa censentur esse *specie diversa*, adeoque necessariò distinctè exponenda, quæ sunt contra distinctas virtutes, v.g. fornicatio quæ peccatum est contra castitatem, differt specie ab adulterio, quia hoc est etiam contra justitiam, propter jus, quod maritus habet in corpus uxoris, ac proinde pœnitens debet dicere habui copulam cum persona conjugata: & si ipse sit conjugatus, id exponere tenetur. Item, si peccavit cum persona religiosa, aut habente votum castitatis, aut ipse sit Sacerdos aut religiosus id exponere debet: quia peccatum hoc habet distinctam specie malitiam contra virtutem castitatis, & religionis.

Eodem modo si furatus est rem sacram, aut alium occidit in templo, singula distinctè exponenda sunt: quia præter peccatum injustitiæ, involvunt malitiam sacrilegii specie distinctam.

Et eâdem ratione aliorum peccatorum diversa specie malitia distinguenda, & exponenda erit.

16. Circumstantias non mutantes speciem, sed tantum peccatum *notabiliter aggravantes* intra eandem speciem, non esse plerumque necessariò committẽdas, satis probabilis & tuta sententia est apud *Sylvest. Navar. Vasq. Reginal. Bonac. Lugo de pœn. Disp. 16 Sect. 3* Ratio colligitur ex Trid. *Sess. 14. c. 5.* ubi declarans necessitatem confitendi omnia mortalia, *& eorum circumstantias*, expressè addit, *quæ speciem mutant*, ergo satis insinuat circumstantias non esse confitendas quæ speciem non mutant. Imò hoc ipso quo dubitatur, an Christus talem confitendi legem voluerit inducere, pœnitens deobligatur; ex illo principio, lex in dubio legis latæ non obligat, ut ostendimus supra *part 3. princ. 5.*

Hinc

Hinc qui furatus est simul centum florenos, satisfacit dicendo commisi furtum mortale: qui simul pluribus detraxit, commisi gravem detractionem, &c. Quia furtum v. g. decem, aut centum florenorum manet instar eandem speciem furti mortalis, etsi unum sit multò gravius altero. Si tamen Confessarius interroget de quantitate peccati, pœnitens debet eam explicare, imò consultius est, ut id semper sponte sua faciat.

§. III. *Quomodo distingui debeat Numerus peccatorum?*

17. Pro distinguendo peccatorum *Numero* dicendum Actiones peccaminosas per se consummatas, & completas debere in confessione distinctè enumerari: ut si quis cum eâdem plures copulas consequenter habuit; vel si Sacerdos in statu peccati mortalis continenter plures confessiones audivit, debet earum actionum numerus exponi. Secus si actiones non sint per se consummatæ, sed tantùm referantur tanquam pars, aut disposit:o ad aliud peccatum consummandum. Hinc verba inhonesta, oscula, & tactus libidinosi qui præcedunt fornicationem, & ad eam complendam referuntur, non debent seorsim exprimi. Idem dicendum de pluribus vulneribus quæ alicui infliguntur antequam occidatur.

18. Actus peccaminosi *merè interni* censentur numero distingui quoties fuerunt moraliter interrupti, id est, notabili tempore cessarunt, vel retractati sunt, & iterum inchoari cœperunt. Exempli gratia, Si quis per unam vel duas horas inhæsit turpi cogitationi sine interruptione, est tantum unum numero peccatum; si autem durante illo tempore v. g. tertio cessavit integrè ab illa cogitatione, & iterum tertiò resumpsit, censetur tria peccata commisisse in confessione distinctè explicanda. Item si quis habuit toto die voluntatem rem notabilem furandi, quam vesperi retractavit, & iterum eodem die vel sequenti eandem voluntatem resumpsit, tenetur se accusare, quod bis voluerit furari.

19. Quando contingit de mortalium certo numero non constare, exprimendus est ille, quem judicas probabiliorem, addendo v. g. repejerasse decies plus minùs. Quod si postea deprehendas numerum fuisse majorem, non teneris iterum confiteri, nisi numerum à te expositum notabiliter excesseris. *Fagundez, Hurt, Sanchez.*

Quod si nec probabilem numerum assequi valeas, exponenda est duratio consuetudinis peccandi, & frequentia lapsuum per diem, septimanam, mensem, aut annum, quantum potes probabili conjectura eam in mentem revocare. *Diana, Filliuc. Hurt. Lugo, &c.*

Quæritur ulterius primò.

AN in confessione necessariò exponenda sint peccata commissa, de quibus pœnitens positivè dubitat an sint mortalia?

Respondeo affirmativè, exponendo dubia tanquam dubia, hoc modo, dubito an plenè consenserim delectationi morosæ: dubito an comedendo semel violaverim jejunium &c. Et hæc est, communis Theologorum sententia, contra paucos qui pasſim rejiciuntur. Et probatur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5 docente confitenda esse peccata omnia quorum conſcientiam habemus; de peccatis autem dubiis conſcientiam dubiam habemus: ergo ut dubia sunt confitenda; estque hæc quædam quasi traditio & praxis communis fidelium.

Eodem modo si quis sciat se quidem mortale peccatum admisisse, sed tamen dubitet an illud confessus fuerit, remanet obligatio peccatum illud in confeſsione manifestandi. Quia cum constet de lege confitendi mortalia, & tantum dubitetur an illi satisfactum fuerit, penes legem manet possessio, juxta *princ.* 9. *initio* 3. *partis* explicatum. Sed magis disputatur, an eadẽ sit obligatio confitendi, quando peccata sunt tantùm negativè dubia, quam à pluribus negari supra fusius ostendimus inter Controversias particulares *quæst.* 19.

Sed *quæres*: Quid si aliquis habeat *probabile judicium* se non peccasse mortaliter, aut peccatum admissum à se in Confeſsione manifestatum fuisse, etiamsi de opposito formidinem aliquam experiatur.

Respondeo, in tali casu nullam esse confitendi obligationem. Quia cum judicium probabile nitatur motivis non levibus, potest illi prudenter acquiescere, juxta *princ.* 15. *tr.* 1. traditum. Si enim talis à Confessario interrogaretur, an tale peccatum admiserit, rectè responderet, se illud non commisisse, etiamsi de eo formidaret: nam de iis quæ homines prudenter affirmant rarò judicium certum habere possunt.

Hinc si quis habeat prudens & probabile judicium, se de more ante Confessionem conſcientiam diligenter examinasse, etiamsi postea oriatur formido de aliquo peccato prætermisso, potest probabiliter judicare se peccatum illud cum cæteris exposuisse, ac proinde ad illius Confeſsionem non amplius obligabitur.

Quæritur Secundò.

AN in Miſsionibus ubi est unicus Confessarius, & maximus populi concursus in die solemni v. g. Paschatis, liceat audito uno vel altero peccato pœnitentem absolvere, uti fit in naufragio, si alias nequeat populo satisfacere?

Resp.

Resp. Negativè, etiamsi foret in die Jubilæi, aut Indulgentiæ Plenariæ. Quia in dicto casu non est sufficiens necessitas dimidiandæ Confessionis, & maximi inde abusus sequerentur.

Quæritur Tertio.

AN qui ob metum Hæreticorum non potest ad Confessarium accedere, vel qui in carcere & custodia clausus detinetur, possit saltem per litteras, vel fidum internuntium Sacerdoti absenti peccata sua Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere?

Respondeo negativè, quamvis aliqui Theologi id rectè fieri aliquando docuerint. Nam Clemens VIII. eam doctrinam ad minus falsam temerariam, & scandalosam damnavit, & sub pœna excommunicationis eam doceri, aut in praxim deduci vetuit anno 1602. Neque juvat si dicas illum tantùm declarasse id fieri illicitè, non autem invalidè: non enim rectè prohiberetur talis absolutio tanquam omni casu etiam in morte illicita, si foret probabile illam aliquo casu validam esse.

Eodem modo invalida esset absolutio etiamsi Confessarius præsentis Confessionem audivisset, & postea absentem per litteras absolveret.

Sed, *quæres*, Quid si aliquis per litteras, vel nuntium Sacerdoti absenti confessus fuisset, & postea ad illum in periculo mortis Sacerdos accederet, & præsentem absolveret.

Respondeo validè absolvi. Non enim simpliciter absentis Confessionem, sed simul ejusdem absolutionem Pontifex damnavit. Quod confirmatur ex eo quod si alii testentur, absente Sacerdote, aliquem moribundum dedisse signa contritionis, aut Confessionem petiisse, possit Sacerdos superveniens illum jam sensibus destitutum absolvere. Quamvis autem hoc ipsum aliqui negent; non repugnare tamen cum decreto Clementis rectè docent *Lugo, Aversa* & plures alii. Idem habemus ex testimonio Petri Lombardi olim Primatis Hiberniæ, qui tradit consultum à se de hoc casu Clementem VIII. respondisse, sibi propositum non fuisse damnare seu prohibere ne incidente simili casu Sacramentalis absolutio impediatur. Et hoc Lombardi testimonium ejus manu subscriptum & sigillo munitum in nostro Archivio Lovanii servatur.

Quæritur denique, An valida, & licita esset Confessio illius, qui ob verecundiam valdè magnam, in scripto traderet suam Confessionem Sacerdoti præsenti tacitè legendam, & antea, aut postquam legatur cum debito dolore diceret, Accuso me de peccatis ibi descriptis? Communior sententia admittit validam, negat licitam esse. Docet tamen *Leander de Pœnit. tract. 5. pag. 156*, citans *Benzonium*

aliosque, probabilius isto casu confessionem talem & validam, & licitam esse. Quia pœnitens sic implet præceptum confessionis etiã vocalis, siquidem ore, & voce fatetur peccata ibi integrè & distinctè scripta esse sua, & de illis cum dolore & proposito emendationis se accusat, quod ad confessionis integritatem solum requiritur. Probat etiam id Benzonius *q. 5.* ex facto D. Basilii, & D. Joannis Eleemosynarii qui, inquit, mulieribus, de peccato verbo manifestando valdè erubescentibus, mandarunt peccata scribi in charta, quâ lectâ remissionem peccatorum eis misericorditer contulerunt.

CAPUT III.

De Confessione invalida, & quomodo iteranda.

1. CONfessio invalida est ob defectum confitentis, Primò, si requisito dolore careat. 2. Si inter confitendum peccet; puta, quia temerè, vel per crassam ignorantiam omittit peccatum mortale, aut de quo rationabiliter dubitat, num sit mortale, nisi in hoc casu bonâ fide arbitretur se à confitendi obligatione immunem esse. 3. Si exiguam valdè conscientiæ discussionem instituens, conjiciat se in probabile periculum omittendi mortale. Undè cum talis Confessio formaliter integra non sit, tota est repetenda.

2. Contritio, sive attritio ex supernaturali motivo, quæ requiritur in Sacramento ad justificationem, debet se extendere ad omnia mortalia, saltem virtualiter. Nisi enim hoc dicatur, consequens erit nihil repugnare, quominus vera contritio, aut attritio consistat cum actuali affectu ad peccatum mortale; quod ne probabiliter quidem dici potest.

3. Qui ob ignorantiam non mortaliter culpabilem, peccatum confiteri omisit, non tenetur posteà integram Confessionem repetere, sed tantum exponere mortalia omissa: totam verò repetere tenetur, si ignorantia fuit mortalis. Ratio prioris est, quia in Confessione illa fuit validè absolutus. In posteriori autem à nullo peccato absolutus fuit, quia Confessio erat invalida.

4. Confessio fit invalida, ideoque repetenda, ob defectum aliquem Confessarii: Primo, si jurisdictione omninò caruit, vel impeditam habuit per suspensionem ab officio, excommunicationem denuntiatam, aut contractam ob Clerici notoriam percussionem. Secundò, si verba absolutionis substantialiter vitiavit. Tertio, si absolvendi intentionem, nec actualem, nec virtualem habuerit.

5. Si Confessarius ob surditatem, distractionem, vel somnum, aliquod peccatum mortale non intellexit, videtur nihilominus valida

lida esse absolutio: dummodò pœnitens bonâ fide egerit, & culpa in solo Confessario resederit. *Henriq. Laym. Diana &c. contra Navar. Sylvest.* Ratio: quia essentia & effectus hujus Sacramenti consistere potest sine integra & specifica peccatorum explicatione, si ea sine culpa pœnitentis intermittatur. Nihilominus si pœnitens id postea rescíat, debet iterum peccatum illud clavibus subjicere; quia semper manet obligatio omnia mortalia Sacerdoti indicandi secundum speciem, & numerum, ut in omnia directè absolutio feratur.

6. Addo contra scrupulos, tametsi contingat absolutionem Sacerdotis, ob aliquem ejus occultum defectum invalidam esse, rarò id graviter obfuturum pœnitenti inculpatè defectum ignoranti; in proxima enim confessione ab illis peccatis indirectè absolvetur.

7. Pro faciliori praxi Confessionis repetendæ: Si Confessio, quæ ob defectum pœnitentis, vel Confessarii invalida fuit, denuò instituatur apud eundem Sacerdotem: non est necessarium, peccata omnia secundùm speciem & numerum repetere, modò Confessarius statum pœnitentis adhuc recordetur saltem, confusè, ut convenientem illi pœnitentiam imponere possit. *Vasq. Sa. Laym. Dian. p. 1. t. 4.* Probatur ex praxi; si enim Sacerdos auditâ confessione advertat, pœnitentem non satis dispositum esse, & attritum, interdum differe absolutionem in alterum diem: si eum contingat interea speciei peccatorum oblivisci, non ideò exigere solet, ut confessio tota repetatur, sed tantum ut de peccatis verus dolor cum emendationis proposito eliciatur. Ratio, quia antea præcepto divino de integritate Confessionis satisfecit, ideoque solum defectum v. g. contritionis supplere tenetur.

8. Denique, tametsi Confessarius nec statum peccatoris generatim recordetur, sed id tantùm, quod sibi confessus fuerit, eumque jam rectè dispositum absolvat, peccat quidem Confessarius, cum non rectè munere suo fungi possit in imponenda congrua pœnitentia &c. nihilominus absolutio erit valida, & pœnitenti fructuosa.

9. *Quæstio* est, Quid agendum cum pœnitente, qui confitetur omnia peccata; sed non vult deserere occasionem proximam peccandi v. g. dimittere suam ancillam, cum qua experitur se continuò relabi in peccata carnis? 2. cum eo, qui pergit præbere publica scandala 3. cum eo, qui non intendit restituere bona aut jura inique possessa.

Respondeo, neminem horum posse absolvi, nisi hortatu Confessarii eo adducatur ut seriò proponat, ac fideliter promittat se satisfacturum suæ obligationi.

Quod si pœnitens non possit implere suas obligationes, v. g. restituere pecuniam, aut resarcire alterius famam, aut inire gratiam

cum inimico, nisi post aliquot menses, aut fortè post unum annum, non ideo tam diu differenda est absolutio, si pœnitens omninò spondeat quantum est ex parte sua se satisfacturum obligationi quamprimum id erit in ipsius potestate. Quia cum talis pœnitens sit ritè dispositus ad absolutionem, jus habet ut ea tam diu non differatur, in tanta incertitudine vitæ humanæ, & damnationis æternæ periculo: Ut cum *Suarc. disp. 32. Sect. 2.* fusiùs ostendit *Reimakers, & Franciscus Jacops* in sua defensione contra aliquos modernos.

An ergo semper illicitum est differre absolutionem pœnitentis sufficientis dispositi?

Respondeo, Sæpe licitum esse eam differre, imò aliquando expedire saltem ad tempus non diuturnum, quando Confessarius prudenter judicat illam dilationem præ cæteris remediis multum pænitenti profuturam. Ut si videatur non satis perfectè se examinasse pro confessione plurium annorum, in quibus gravia peccata, & varias satisfaciendi obligationes contraxit. Vel si teneatur deserere occasiones peccandi, restituere rem alienam, aut inimico reconciliari, & Confessarius probabilius credat pœnitentem acceptâ absolutione promissa non præstiturum, maximè si prius eadem promisit, nec tamen explevit. Vel si semper reincidat in eadem mortalia sine ulla emendatione post priores confessiones secutâ. Deniq; si ipse pœnitens, etsi ritè dispositus, pro suo profectu spirituali prudenter petat aut consentiat, ut absolutio ad breve tempus differatur. Ita in his habet praxis peritorum Confessariorum, estque ea conformis Rituali Romano, quam etiam fusius tradit *Dicastillo tom. 2. de Sacramentis*, & alii communiter.

De cetero, quo modo non sit differenda passim absolutio, Relapsis, consuetudinariis, & quibusdam aliis, contra novam quorundam doctrinam, ostendi supra *part. 2. in cont. al. §. 7. punct. 6.*

Quæritur porro, Quid agendum cum Rudibus quando in magno confitentium concursu deprehenduntur ignorare mysteria fidei, ut eorum confessio non sit invalida?

Respondeo, si ignorent necessaria necessitate *medii*, puta, Deum esse unum in natura, trinum in personis, hominum Creatorem, & Redemptorem; de his, & absolutionis Sacramentalis virtute breviter instrui debent, antequam absolvantur. Si verò ignorent tantùm ea quæ sunt necessaria necessitate *præcepti*, ut sunt reliqua, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, modò de sua negligentia doleant, & proponant emendationem, poterit Confessarius eos absolvere, sed obligando ut postea sedulam curam adhibeant, ut in necessariis fidei mysteriis instruantur.

Quæritur secundo, Quando ex defectu mortaliter culpabili pec-

peccatum aliquod lethale, vel numerus mortalium, vel alia circumstantia ad valorem necessaria in confessione prætermissa fuit an præter illam confessionem, repeti debeant aliæ etiam confessiones intermediæ, quæ postea bonâ fide institutæ fuerunt; sed sine mentione prioris defectus.

Respondeo Negativè. Quia cum ex naturali & inculpabili oblivione defectus ille in confessionibus sequentibus expositus non fuerit, manent semper validæ, & peccata in illis declarata legitimè remissa fuerunt. *Navar. Sylvest. Vasq. Reginal. Io. Sancius apud Dianam Part.* 3. *Tractat* 4. *resol.* 108. qui innuit hanc resolutionem à Confessariis benè notandam, quia multis molestiis eos liberat.

CAPUT IV.

De Sigillo Confessionis.

SIgillum Sacramentale est obligatio juris divini ad servandum secretum quovis casu in iis omnibus, quæ in ordine ad absolutionem Sacramentalem exponuntur.

Quæritur hic primò, quæ, & quanta sit obligatio hujus secreti. Secundò; ad quos se extendat. Tertiò, quando, & quomodo singulos obstringat.

1. Dico primò, secretum hujus sigilli graviter obligat ex jure naturali, divino, & humano: habetque malitiam injustitiæ, & sacrilegii.

Probatur primum; quia jure naturali tenemur præstare fidelitatem, tueri famam proximi, & alteri non facere, quod nobis fieri nolumus. Probatur secundum: quia confessio est juris divini, ergo & secretum confessionis sine quo hæc redderetur odiosa & inutilis: qui enim præcipit finem, censetur præcipere media, sine quibus finis obtineri, & conservari nequit. Tertium patet ex cap. *omnis utriusque*, ubi de hoc secreto perpetuum in Ecclesia fuisse præceptum declaratur, & ejus transgressori pœna perpetuæ inclusionis decernitur. Gravitas præcepti patet ex eo, quod in ejus violatione dari parvitatem materiæ cum plerisque neget *Malderus, Baldellus, Diana part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 8.

Dices, peccatum veniale est materia levis: ergo ejus revelatio non potest esse grave peccatum, cùm non possit ea pœnitenti graviter nocere.

Respond. neg. consequentiam. Quia etsi non multum lædat pœnitentem, nocet tamen graviter Sacramento, cujus usus redderetur odiosus, si universim liceret levia etiam delicta ex confessione manifestare.

2. Dico secundò, Confessarius non obstante confessione, potest eâ notitiâ uti, quam habet aliundè, dummodò hanc altera non adjuvet, & scandalum absit. Exempli causâ si Confessariùs ob indicia extra confessionem habita potuerit Cajum furti accusare, & Cajus furtum postea illi confiteatur, potest nihilominus illum accusare. Ratio est, quia sic non utitur cognitione sacramentali, sed tantum indiciis ante vel post confessionem aliundè acceptis.

3. Hinc etiamsi aliquis extra confessionem dicat, hoc tibi committo sub sigillo confessionis, & confessarius acceptet, non oritur hinc obligatio sigilli sacramentalis, sed tantum secreti naturalis, quod ad avertendum gravius malum aliquando revelari potest.

4. Dico tertiò, sub sigillum non tantum cadunt peccata confitentis, sed etiam complicis; item circumstantiæ peccati, quas taceri pœnitentis interest; E. C. si quis dicat, se illegitime natum sacros Ordines malè suscepisse &c. Ratio, quia etiam per hujusmodi notitiam pœnitentibus odiosa redderetur confessio.

5. Confessarius violat sigillum confessionis, si generatim dicat, Titium sibi confessum esse peccatum mortale, casum reservatum, aut peccatum aliquod veniale in specie. Sin verò in genere dicat, Titium sibi confessum esse venialia, aut benè confessum esse, non referat secretum sigilli Sacramentalis.

6. Violati sigilli reus est Parochus, qui sine consensu pœnitentis litteras ei dedit deferendas ad Vicarium Episcopi, vel alium privilegiatum, quibus significet se latorem harum à peccato reservato absolvere non potuisse.

7. Si pœnitens ob indispositionem non absolutus, cum aliis petat schedulam in testimonium factæ confessionis, tenetur Confessarius eam illi tradere. Nam aliis concedendo, & huic negando indirectè revelaret eum fuisse indispositum ad absolutionem.

8. Si quis merè fictè ad confessionem accedat, quia v. g. aliàs pœnam, aut infamiam incurret, certumque illi sit ad sacram Communionem accedere, illi neganda est à Confessario schedula, ne ejus simulatio ad Communionem sacrilegam cooperetur.

9. Licitum non est cum ipso pœnitente extra confessionem loqui de peccatis solùm in confessione auditis. Quia res illa pudorem injicit, & exprobrationem continere solet: nisi tamen ipse pœnitens licentiam tribuat, quam tribuere censendus est, si ipse prior de peccatis illis sermonem inducat.

10. Si quæras, quomodò ergò Confessarius de peccato interrogatus respondere debeat?

Respondeò, Confessarium interrogatum, an sciat vel audierit peccatum pœnitentis, non debere tergiversari, sic ut pœnitentē reddat

sus-

suspectum: sed respondere debet, etiam cum juramento si opus sit, se nihil scire de peccato illo; scilicet, ut hominem privatum, cui id revelare liceat. Quia id circumstantiæ Confessarii consignificant, & verba eum interrogantis cum tali circumstantia, & sensu accipi debent.

11. Si contingat Confessarium proprium peccatum confiteri non posse, nisi revelet alterius peccatum in confessione auditum, suum reticere tenetur. Quia præceptum sigilli Sacramentalis strictius obligat, quam præceptum confitendi omnia mortalia; hoc enim solùm est affirmativum.

12. Cessat obligatio sigilli Sacramentalis, si pœnitens veniam dederit loquendi alteri de peccato extra confessionem: per hoc enim confessio non redditur odiosa. Debet tamen licentia illa esse expressè declarata, neque sufficit venia præsumpta; talis enim præsumptio pœnitenti periculosa, & odiosa esse posset.

13. Si gravis error in foro Pœnitentiæ admissus fuerit à Confessario, qui postea corrigendus est, debet pœnitens facere ei potestatē agendi secum de peccato; si eam facere detractet, probabile est posse Confessarium ea non obtentâ de peccato loqui; & sic errorem corrigere. Quia tunc propriè non loquitur extra Confessionem, sed perficit eam, quæ prius inchoata & imperfecta erat, ut loquitur *Suarez, Laym, aliique contra Sanchez, Regin. Bonac.*

14. Præter Confessarium etiam aliæ personæ obligantur sigillo, ad quas vel immediatè vel mediatè peccati cognitio ex sacramento pervenit: ut Laicus, qui adstans confitentis peccatum audivit, vel Interpres, vel alii quibus Confessarius malitiosè peccatum revelavit.

15. Si Confessarius cum licentia pœnitentis alteri peccatum revelarit, non videtur hic teneri sigillo Sacramentali: nisi tamen peccatum reveletur ob causam spectantem ad absolutionem Sacramentalem, ut docet *Vasq. Hurt. Laym. de Conf. c. 14. n. 18. contra plures*; quia hujus scientia non oritur ex confessione, sed ex licentia ab ipso pœnitente facta.

16. Pœnitens non tenetur sigillo Sacramenti; teneri tamen potest interdum lege secreti naturalis, ne quid ex confessione manifestet, quo vel suæ, sine causa, vel Confessarii rectæ famæ detrahat.

17. Si plures conspirârunt in necem Confessarii, & Titius unus ex conspiratoribus propositum hoc confiteatur, licitum est Confessario sibi consulere declinando insidias, licet sciat socios cōspirationis inde suspicaturos, Titium peccatum suum confessum esse. Ratio est apud *Laym. hic n. 21.* quia fuga hæc per se nullum peccatū manifestat, sed solam peccati confessionē, peccatum enim socii, illi anteà cogni-

gnitum habuerunt: Ita *Sylv. Henriq. Laym. Coninc. D. 9. dub. 4. contra Suar. Dian. &c.*

18. Confessarius nullo modo violat sigillum, si hominem ob publica, & manifesta latrocinia supplicio affectum commendet, quod de commissis peccatis ritè confessus fuerit: Quia, inquit, *Laym.* peccatum non revelat, quod supponitur omnibus esse notissimum, sed solam confessionem peccati.

19. Confessarius notitiâ, quam habet ex sola Confessione, uti non potest in externa gubernatione, administratione Sacramentorum, &c. v. g. Parochus Sacramentum Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, Matrimonii assistentiam, iis negare non potest, quorum impedimentũ anteà ex sola Confessione intellexerat. Quia sigillum hoc obligat, ne ipsi etiam Pœnitenti peccatum à Sacerdote extra Confessionem exprobretur, aut in memoriam revocetur. *Coninc. Dian &c.* An unquam in suffragio occulto liceat eâ notitiâ uti, vide supra *tr.* 1. *q.* 16.

20. Si Confessarius non ex Confessione complicis, sed extra Confessionem ex fideli relatione peccatum Pœnitentis intellexerit, non tantum illum speciatim examinare potest, sed etiam debet; si tamen peccatum neget, absolvere eum tenetur. Cogitare enim debet eum alteri confessum esse; vel ob periculum jam confiteri non posse; vel alios mentitos fuisse: siquidem *in Pœnitentiæ foro credendum est confitenti, sicuti contra se, ita pro se.*

21. Quòd si Confessarius extra Confessionem certissimè cognoverit, Pœnitentem alicujus criminis reum, quod nondum expiavit, puta, quia oculis suis vidit furantem, audivit blasphemantem, adeoque ex omnibus circumstantiis colligat, eum ritè dispositum non esse, absolutionem illi negare debet, ob honorẽ Sacramenti. *Laym. aliiq;.*

22. Posset etiam Confessarius violare sigillum Confessionis, exponendo Pœnitentiam alteri impositam, v. g. Coronam D. virginis, vel aliam, quæ solet pro peccato mortali imponi, *Diana pars 5. Tr. 11. R. 31.* Sic enim indirectè revelat peccatum.

23. Notandum denique est, posse casum intervenire, in quo Confessarius possit, & debeat obligare Pœnitentem ad manifestandum complicem extra confessionem, si ob grave damnum pœnitens ad hoc aliundè obligetur. *Lugo D. 16. n. 436.*

Quæres porro. Quid agendum, si quis confiteretur peccatum occultæ conspirationis in grave damnum & injuriã alicujus personæ, aut reipublicæ, etiam hæreticæ? Respondeo, negandam illi esse absolutionem, nisi præstet promissionem firmissimam ab illa conspiratione penitus abstinendi, eamque pro viribus impediendi. Undè patet Confessionem Sacramentalem non tantum reipub. non esse noxiam ut aliqui calumniantur, sed etiam maximè utilem ac salutarem.

CA-

CAP. V.

De Satisfactione.

SAtisfactio Sacramentalis, est aliqua compensatio injuriæ Deo illatæ, à Confessario injuncta. Ut autem hujus satisfactionis essentia & necessitas intelligatur.

1. Dico primò; Satisfactio hæc est pars Pœnitentiæ, quæ ad eam requiritur, non necessitate Sacramenti, sed tantùm præcepti Probatur, quia Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. docet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem esse quasi materiam hujus Sacramenti. Et quamvis satisfactio sit pars tantùm integralis, non potest ad Sacramenti complementum sine peccato omitti.

Dices, Antequam ponatur satisfactio sive impleatur pœnitentia totum pœnitentiæ Sacramentum existit; ergo satisfactio non est pars Sacramenti pœnitentiæ.

Resp. neg. consequentiam; quia indè tantùm sequitur non esse partem essentialem, sicut est anima aut corpus respectu hominis, cum quo consistit esse partem Sacramenti integralem, sicut est pes, aut brachium, sine quibus tota hominis essentia subsistere potest.

2. Dico secundò; Ad satisfactionem necessaria est in satisfaciente, post remissionem culpæ, opus aliquo modo pœnale, & actus liber ac supernaturalis; quamvis *Vasq.* pœnalitatem non requirat.

Probatur autem prima pars, quia Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. docet nos satisfaciendo pati pro peccatis, & ipsas satisfactiones vocat, pœnas satisfactorias. Probatur secunda, quia satisfactio debet moraliter procedere à satisfaciente, quod solùm fit per actum voluntatis liberum, aliàs non distingueretur à satispassione, quam merè aliundè inflictam sustinemus.

3. Peccat Confessarius mortaliter, si absq; causa pro peccato mortali pœnitentiam nullam injungat. *Suar. Regin. Tom.* 1. *l.* 7. *n.* 12. Venialiter tantùm, si ob peccata venialia levis pœnitentia esset injungenda, *Lugo, Diana. p.* 5. *Tr.* 6. *r.* 44.

4. Sacerdos, quatenus commodè fieri potest, debet pro qualitate peccatorum convenientes satisfactiones imponere: tepidis orationem, injustis eleëmosynam, intemperantibus jejunium, aliamve corporis afflictationem.

5. Pœnitens non potest non admittere pœnitentiam si justa sit. Sacerdotes enim vi clavium non solùm absolvere, verùm etiam ligare possunt. Quare, cùm Sacerdos habeat potestatem obligandi pœnitentem, ut opus pœnitentiæ impleat, pœnitens illi obedire tenetur. Contrarium sensit *Cajet. Navar. & alii.* si velit v. g. in Purgatorio satisfacere.

6. Obli-

6. Obligatio implendi pœnitentiam ex genere suo gravis est: à gravi peccato excusat materiæ levitas; ut si quis exiguam pœnitentiam, aut pœnitentiæ partem sine contemptu non impleat. Addit *Suarez*, eum qui pœnitentiam gravem ob sola venialia peccata impositam omittit, non peccare nisi leviter; durum enim videtur, obligationem satisfaciendi pro culpa levi posse per se gravem fieri & pœnæ æternæ reatum inducere.

7. Quamvis in Tridentino moneantur Confessarii, ut pœnitentiam peccatis proportionatam injungant: casus tamen aliqui sunt, in quibus leviorem, quàm peccata merentur, imponere possint. 1. Infirma pœnitentis dispositio, vel corporis, vel animi; ob quam timetur eum impleturum non esse majorem pœnitentiam. 2. Magnitudo contritionis. 3. Tempus Jubilæi, vel alterius Indulgentiæ Plenariæ. Cum enim per illam pœnitens satisfaciat pœnæ debitæ, non restat alia obligatio, quàm ut acceptet pœnitentiam leviorem, quæ se habeat per modum medicinæ contra reliquias peccatorum.

8. Plus valet modica pœnitentia à Sacerdote imposita, quàm magna sponte suscepta. Quia illa, non hæc, vim habet Sacramentalem.

9. Satisfacit præcepto Confessarii pœnitens, etsi opus pœnitentiæ impleat in statu peccati mortalis: fructum tamen satisfactionis non consequitur, quam diu priorem statum non dimittit. Deus enim ejus pœnitentiam ad satisfactionem non acceptat: Obice tamen remoto acceptari docet *Navar. Suar. Tol. Dian. P.3. Tr.3. r.85*

10. Si pœnitens oblitus sit, qualis pœnitentia sibi imposita fuerit, non obligatur ullam implere; confitendum tamen erit, si mortalis negligentia intervenerit. Quod si fiat impotens implendi pœnitentiam injunctam v. g. jejunium ob supervenientem infirmitatem, non tenetur ejus loco aliam persolvere.

11. Non potest pœnitens suam pœnitentiam commutare in aliud opus etiam evidenter melius, ut docet *Sanch. Con. Lugo*, qui contrariam opinionem, quam *Diana* dicit probabilem, judicat esse temerariam.

12. Pœnitentia imperata, & acceptata, ob causam mutari potest ab eodem Confessario, vel ab altero audita eadem Confessione, modò peccata non fuerint reservata: Ratio est, quia omnes Sacerdotes, utì Vicarii Christi, in ordine ad eas personas, & peccata, in quæ jurisdictionem habent, æqualiter judicant, ac proinde pœnitens potest utriuslibet judicium ac sententiã amplecti. Imò probabile est, apud plurimos id fieri posse, tametsi priora peccata non repetantur in Confessione quæ alteri de novo instituitur, juxta *Navar. & Dianam*, qui pro ea opinione 14. Doctores adducit. Spectatâ tamen ratione, in hoc casu peccata repetenda existimo, cùm Confessarius incogni-

incognitâ causâ & statu pœnitentis, in commutanda pœnitentia idoneus judex esse nequeat.

Quares primò: Quanta pœnitentia videatur esse proportionata pro uno mortali ordinario? Respondeo justam satis pœnitentiam esse v. g. coronam 5. decadum, vel aliam huic æquivalentem: vel quæ adæquet unam ex parvis horis Canonicis v. g. tertiam, sextam aut nonam, ut est communis opinio. Non debet tamen hæc quantitas pœnitentiæ crescere æqualiter crescente numero peccatorum, quasi necessè foret injungere pro 10. mortalibus 10. coronas, sed hoc relinquitur determinandum judicio prudentis Confessarii.

Quæres secundò: Quomodo possit hæc proportio servari cum Hæretico recenter converso, vel maximo peccatore, qui totâ vitâ gravissima peccata accumularunt. Respõdeo optimam esse praxim, ut illis prospiciatur de Indulgentia Plenaria, qualem plerique Missionarii Hæreticis primò conversis ex privilegio possunt elargiri Secundò, in partem pœnitentiæ injungendo illis opera aliàs præcepta v. g. sacra quæ audire tenentur diebus Dominicis & Festis, ac quædam jejunia quæ in Ecclesia occurrunt: hæc enim aliquando in pœnitentiam posse injungi docet *Suar. Vasq. & alii cum Laym. lib. 5. tom. 6. cap. 15.* 4.

CAPUT VI.

De Indulgentiis.

INdulgentia est remissio pœnæ temporalis extra Sacramentum per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum. Alia est plenaria, alia partialis tantum, ut est unius anni, carena, aut quadragena. Dum autem conceditur Indulgentia v. g. unius anni, aut septem annorum, sensus est, tantam remitti pœnam peccatorum, quanta deleretur per pœnitentiam unius aut septem annorum secundum Canones pro certo tempore in pane & aqua.

Pro fundamento sequentium resolutionum, Quæritur primò, in quo sita sit vis Indulgentiarum: Secundò, quis habeat potestatem eas concedendi, & quid ad earum valorem, & fructum requiratur, &c.

2. Dico primò: Extat in Ecclesia Thesaurus infinitus satisfactionum ex passionibus Christi & Sanctorum, qui potest per Indulgentias fidelibus applicari. Probatur ex Clem. VI. Extravag. *Unigenitus*, ubi id disertè declaratur. Ratio hujus petitur ex infinito pretio & valore

valore Passionis Christi quæ nunquam potest exhauriri; ergo semper restat nova satisfactio, quæ possit per Indulgentias Christi nomine concessas in homines dispensari.

Dices si Passio Christi infiniti valoris possit ad indulgentias per se sufficere, ergo irrogatur illi injuria addēdo satisfactiones Sanctorū.

Respondeo, volenti non fieri injuriam, Christo autem gloriosum est passiones superfluas Martyrum aliorumq; Sanctorum suâ causâ toleratas ad pœnæ remissionem aliis prodesse, cum etiam illæ ex virtute Passionis Christi suum valorem derivent.

2. Dico secundò, Habet Ecclesia Christi potestatem ex hoc Thesauro Indulgentias fidelibus elargiendi ad tollendum reatum, non culpæ, sed pœnæ temporalis.

Probatur hæc potestas ex promissione generali Christi Matth. 16, v. 19. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Atqui unum ex vinculis quæ possunt remorari hominem à consecutione gloriæ cœlestis est reatus pœnæ temporalis in hac, vel in altera vita persolvendæ etiam post susceptaSacramenta, uti fusius ostendi supra in Cont. *par. 2. de purgatorio.* Ergo Ecclesia potest per Indulgentias illa pœnæ temporalis vincula lelaxare.

Dices, Verba Christi ad summum concedunt potestatem remittendi illam pœnam viventibus *super terram.* Ergò Ecclesia excedit suam potestatem concedendo Indulgentias pro defunctis in purgatorio.

Resp. neg. antecedens: quia illis verbis non significatur eum qui absolvitur debere esse *super terram*, sed tantum illum qui actu absolvit, qualis est Christi in terris Vicarius, & alii quibus ille in concedendis Indulgentiis facultatem aliquam communicat.

3. Ad Indulgentiæ valorem requiritur causa rationabilis & proportionata quantitati Indulgentiæ, juxta prudentem concedentis æstimationem, quæ peti non debet ex sola operis difficultate, sed etiam ex bonitate finis, qui per opus illud intenditur. *Ita Suar. Con. Fil. Bonac. disp. 6. q. 1. p. 1.* Ratio est, quia Pontifex hujus Thesauri non est Dominus, sed Dispensator.

4. Cùm Indulgentiæ sint gratiæ, non expirant morte concedentis: nec ante notitiam revocationis, ut notat *Sà*: & si concedantur sine temporis limitatione, censendæ esse perpetuæ.

5. Possunt moribundi plures Indulgentias Plenarias ob plures titulos concessas simul lucrari, v. g. quia habent plura rosaria, vel grana, cruces &c. quibus sunt applicatæ; vel titulo Religionis, Confraternitatis &c. modò non requirant, ut certa opera pro speciali necessitate applicentur. Idque fieri etiamsi aliquarum non recordentur docet *Lugo, Diana, & alii* contra *Rodriq. Trull. &c.*

6. Si

6. Si quis ſepius repetat opera præcepta v. g. eodem die ſepius legat Roſarium, vel viſitet Eccleſiam, probabile eſt toties lucrari Indulgentias conceſſas pro iſto opere; niſi addita ſit reſtrictio: quia favores ſunt ampliandi, ita *Henriq.* & *Rodriq.* ſed probabilius docet *Lugo*, non poſſe rectè præſumi illam eſſe concedentis voluntatem.

7. Poteſt quis plures Indulgentias ad diverſos fines conceſſas, uno & eodem opere lucrari, ſi opus ſit æquè utile ad finem utriuſq; Indulgentiæ, nec intra idem tempus poſſit iterari v. g. hodiernum jejunium, vel communio. Ita *Prep. Laym.*

8. Non lucratur Indulgentiam, qui omittit aliquid, quod ſecundum probabilem ſententiam non eſt neceſſarium ad eam obtinendam, ſi à parte rei id quod omittitur ad valorem ſit neceſſarium. Ratio, quia bona fides aut communis error non ſupplet hic defectum, aut valorem. *Suar. Sanch. Bonacina* aliique: quamvis contrarium velit eſſe probabile *Diana part.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 34.

9. Non impeditur effectus Indulgentiæ primò, ſi modicum tantum omittas v. g. ex oratione, eleëmoſyna, aut jejunio requiſito. 2. etſi in opere præſtito defuerit intentio lucrandi Indulgentias, uti probabiliter docet *Bonac. Salas, aliique* contra *Suarem.* 3. etſi opera, quæ perſolviſti v. g. jejunium, aut ſacrum fuerint aliunde ex Eccleſiæ præcepto debita, uti docet *Laym.* Sed in his quando potes tutius ſequeris oppoſitum, ne fortè Indulgentiæ valor impediatur, quamvis alias non parvi momenti ſit ſpem habere probabilem obtinendæ Indulgentiæ.

10. Quando conceduntur Indulgentiæ v. g. centum aut mille dierum, aut annorum, per hoc non deſignatur totidem dies aut annos auferri ex pœnis Purgatorii, ſed æquivalet totidem diebus aut annis pœnitentiæ peragendæ ex præſcripto ſacrorum Canonum, qualis erat pœnitentia 40. dierum in pane & aqua pro eo qui perjurium ſciens admiſerat, ut patet ex cap. *Quicunque* 6. *q.* 1. Indulgentia igitur v. g. 40. dierum tantum tollit durationis Purgatorii quantum talis pœnitentia 40. dierum in pane & aqua; quanta verò ſit illa duratio nulli, nec Pontifici notum eſt.

11. Epiſcopi ex jure communi concedere poſſunt unius anni Indulgentias pro die univerſario Dedicationis templi, alio tempore ob juſtas cauſas 40. dierum, poſſuntque hanc poteſtatem alteri delegare.

12. Non poſſunt tamen pro defunctis Indulgentias concedere. Quia eorum poteſtas in hoc reſtricta eſt ad ſuos ſubditos. *C. Quod autem de pœnit. & remiſ.* Ita *Laym. de Indulg. c.* 4.

Quæ-

Quæres, An Indulgentiæ datæ alicui Templo expirent, si fabrica sit diruta: aut si templo ab Hæreticis occupato aliud Sacellum sub eodem titulo alibi erigatur, vel assumatur.

Respondeo ad primum, Indulgentias non expirare, si in loco fabricæ dirutæ aliud templum ædificetur. Quia moraliter censetur eadem Ecclesia, ita *Suar. Bonac. Laym. hic l. 5. tr. 7. c. 3. n. 5.* Quod si templo Superioris authoritate destructo, alio loco novum ædificetur sub eodem titulo ac patrono, probabile etiam est Indulgentias pariter cum templo alio transferri, nisi præcisè ratione loci Indulgentiæ ab initio concessæ fuissent, ita *Suar. Bonac. Laym. supra, S. Antoninus 1. p. tit. 19. c. 1. apud Dicastillum de purg. num.* 118.

Respondeo ad secundum, quando loco templi ab hæreticis occupati Sacellum alibi sub eodem titulo assumitur, probabile esse Indulgentias templo concessas in Sacello perseverare. Eadem enim videtur esse ratio de Sacello vicariè assumpto, & templo alibi ædificato. Quia tamen res hæc dependet ab eo, an intentio Pontificis fuerit Indulgentias illas uni loco alligare, vel etiam ad alium locum extendere, consultissimum est à sua Sanctitate pro novo loco novas Indulgentias postulare.

De Jubilæo.

QUæ de Jubilæo dubia sunt breviter resolvam juxta probabiliorem Theologorum sententiam. Habet autem Jubilæum, ultra quamlibet Indulgentiam Plenariam, annexas multas facultates quoad absolutionem à Censuris, casibus reservatis, commutandi vota, item effectum certiorem, ob causam magis universalem, longiorem durationem ad duas saltem septimanas, &c.

Probabilius videtur idem Jubilæum posse bis obtineri, si quis opera præscripta bis perficiat, ut semel in prima, & semel in secunda septimana qua durat Jubilæum, ut docet Lezana, Reginaldus, Diana, & novissimè Gobat *de Iubilæo c.* 15. contra Card. Lugo & Layman.

Non potest aliquis authoritate propriâ unum ex operibus pro Jubilæo præscriptis commutare in aliud apertè melius; id potest Confessarius tantum quando adest impedimentum impotentiæ ut carcer, morbus, iter, navigatio &c, nam Bullæ communiter dicunt. *Qui nequeunt.*

Quæstio singularis est: Quando aliquis neglexit omnia opera pro Jubilæo præscripta primâ, & secundâ hebdomadâ, sed tandem ipso ultimo die novâ pietate & pœnitudine ductus accedit ad Confessionem & Communionem pro lucrando Jubilæo: an possit tunc Confessarius omnia opera quorū, jam tempus effluxit v. g. jejunia commutare in alias pias actiones, cumque reddere participem Jubilæi & omnium

omnium eò pertinentium. Respondeo probabile esse id posse fieri, ut docet Filliucius *tract.* 8 *n.* 268. Sanctarellus *c.* 7. *dub.* 1 Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 26, & post illos Gobat *tract.* 3. *cap.* 17. quia ille sic constitutus habet veram impotentiam intra illud tempus opera præscripta peragendi.

Hinc etiam probabiliter resolves, pro eo qui omnibus peractis, ultimâ Dominicâ Jubilæi non potest communicare, quia manè inadvertenter solvit jejunium naturale, posse per Confessarium communionem in aliud opus commutari: quamvis id neget Lugo *hic num.* 119.

Jejunium quod pro tribus diebus requiritur ad Jubilæum debet observari intra eandem septimanam, sic ut probabilius sit non sufficere primâ septimanâ semel, & secunda bis jejunare: imò nec intra eandem septimanam v. g. pro die Mercurii jejunare die Jovis sine necessitate & authoritate Confessarii. Nam bullæ expressis verbis requirunt *Feriam quartam, sextam, & Sabbathum alterius ex duabus hebdomadis.* Contrariam opinionem quam tenet Bonacina, Naldus, Palaus apud Dianam, vocat falsam Lugo *hic disp.* 22. *n.* 205.

Qui nullam potest dare eleemosynam, non tenetur ejus loco aliud peragere. Sufficit eleemosyna etiam valdè modica, juxta bullas recentiores, quæ sic habent, *Qui eleemosynas pro arbitrio suo fecerint.* Qui exercet gratis aliquod opus misericordiæ corporalis, ut visitare & solari ægros aut captivos, videtur satisfacere conditioni eleemosynæ erogandæ: nam illa opera esse propriè eleemosynam docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 3. Videtur etiam perinde esse quo tempore intra duas septimanas detur eleemosyna; & quamvis plerumque in Bulla Jubilæi eleemosyna ponatur ultimo loco, ille ordo non est curandus, ut docet hic Gobat *cap.* 30. *in fin.*

Per Bullas Jubilæi ordinarias; primò, datur facultas eligendi quemlibet Confessarium: sed debet is esse approbatus ab Ordinario loci; & liber à Censura Ecclesiastica. 2. Tali Confessario datur potestas absolvendi à quibuscunque censuris: sed tantum pro foro interno. Et hæc absolutio probabiliter potest dari à Sacerdote approbato cui non confiteris. Potest etiam conferri post elapsum tempus Jubilæi, quando intra Jubilæum alia opera perfecisti, sed ex oblivione, vel ex justa causa eo tempore non petiisti absolutionem à censuris: vel quando ipsa absolutio ex justa causa debuit differri. Et idem valet de absolutione à casu reservato post tempus Jubilæi elapsum. Ita Filliucius, Palaus, Cardin. Lugo *de Pœnit. disp.* 20. *num.* 99.

Tertiò, datur facultas absolvendi à Casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ: nec excipitur hæresis nisi id exprimatur, Quartò, po-

testas commutandi omnia vota in alia pia opera, votis castitatis & Religionis duntaxat exceptis; sic enim verba Bullæ sonare solent, Non præbent tamen potestatem in votis dispensandi. Nec commutandi vota in præjudicium alicujus tertii, quando jam sunt acceptata, *Suarez, aliique.* Per votum castitatis supra exceptum intelligitur votum absolutum castitatis perpetuæ & perfectæ, juxta ea quæ dixi supra *p. 3. tract.* 1. in fine de facultatibus ordinariis quorundam Regularium.

Qui omisit lucrari Jubilæum in sua diæcesi, aut patria durante tempore in ea constituto, potest illud lucrari alio loco, in quo tempus præscriptum nondum effluxit: imò probabiliter in sua Patria, si ante ignoravit Jubilæum ibi publicatum fuisse, uti tradit cum aliis *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 151.

Quando durante Romæ Jubilæo Anni Sancti singulis 25. annis, suspendi solent extra Urbem aliæ Indulgentiæ Plenariæ, non intelligitur illa suspensio de constitutis in mortis articulo, quo minus possint lucrari alias Indulgentias plenarias: ita contra Layman & alios, docet cum aliis Lezana & Bonacina ex Declaratione Urbani VIII. Anno 1625. Neque suspenduntur Indulgentiæ aliæ pro defunctis, etiam in Communione generali, ut docet Card. Lugo aliique. Neque Indulgentiæ concessæ particularibus personis v. g. personæ Regis, aut alicujus Religiosi, ut habet Sanchez, Filliucius, Diana, Bonacina & Lugo, adducens declarationem Urbani VIII. Neque concessæ ab Episcopo, aut alio quàm à Pontifice, Sanchez, Diana, Bonacina, Lugo *disp* 20. *sect.* 8. Neque cessant aliæ Indulgentiæ non plenariæ, ut docet Navarrus apud Zerolam, pro qua sententia refert Pellizarius declarationem Urbani VIII. Quia, inquiunt, etsi postremæ Bullæ dicant, *Durante Iubilæo omnes & singulas Indulgentias suspendimus*, alii tamen Pontifices ante Clementem VIII. addiderunt, *plenarias*, & sequentes dicunt se procedere, *exemplo Prædecessorum.*

Propter similem causam disputatum est, an per postremum Jubilæum Anni Sancti concessa fuerit potestas, aut suspensa ea quæ datur Regularibus privilegiatis, absolvendi à casibus Pontifici reservatis? Quam quæstionem ex professo recenter tractat P. Georgius Gobat *de Iubilæo cap.* 48. qui omnes particulares Indulgentias, earumque vim, aut revocationem, præ cæteris accuratissimè prosequitur.

CAPUT VII.

Indulgentiæ quædam Missionibus propriæ.

NOta, Ut aliquis gaudeat privilegiis Missionarii, requiritur ut à legitimo Superiori Missionis titulo destinetur ad terras infidelium

lium vel hæreticorum: non sufficit autem ut quovis modo in terris illis, Pastoris autSacerdotis munus exerceat. Hinc praxis habet ut Sacerdotes idonei, qui è Belgio v.g. in Hiberniam transeunt, pro quibusdam Missionariorum facultatibus ad Internuntium recurrant.

Primò itaque Messionarii Regulares profecturi non tantum ad infideles, sed etiam ad partes hæreticorum v g inHiberniam, Angliã aut Hollandiam, lucrantur Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, quando per celebrationem Missæ, aut sacram Synaxim itineri primò se accingunt: & iterum quando ad missionis suæ locum pervenerunt. Concessit Paulus V. in Bulla edita *Anno* 1606 § 12.

2 Possunt iidem Missionarii post Concionem suis auditoribus concedere Indulgentias 18. annorum & dierum 221. Item per Quadragesimam feria 2. 4. & 6. largiri Indulgentias 156. annorum; uti patet ex Bullis Gregor. IX. Alexandri IV. Nicolai IV quæ citantur in Comp. Minorum de *indulg. f.* 242.

3 Habent etiam plurimi Indulgentiam Altaris privilegiati, id est, ut quoties legunt Missam pro defunctis, toties liberent unam animam è purgatorio: uti concessit Urban. VIII & pro suis sæpè obtinuit, & nunc obtinet Præpositus Generalis Societatis.

4. Possunt concedere singulis quos ad fidem converterunt, præmissa Sacramentali confessione Indulgentiam plenariam. Idem Urbanus VIII.

5. Regulares in Missionibus possunt fidelibus communicare, & publicare easdem Indulgentias quas habent in partibus Catholicorum. Ita expresse declaravit Urban. VIII in Bulla, *Salvatoris*, datâ pro Clero & Religiosis Missionariis in fœderatis Belgii provinciis die 5. Maii 1626 Et posteà confirmata ab Alex. VII. per suum Breve 20. Sept. 1656 ubi sic habetur §. 17. *Quoad publicationem Indulgentiarum, poterunt Regulares & Patres Societatis illas publicare, quas Ordines & Societas habet, & hactenus habuit ubique terrarum &c.*

6. Possunt etiam concedere Indulgentias Confraternitatum, & easdem in Missionibus instituere; uti in eadem Bulla declaratur §. 18. his verbis: *Quoad institutionem Confraternitatum & Sodalitatum permittat Vicarius Regularibus, & Patribus Societatis, illas quæ à Sede Apostolica approbatæ, & ab Ordinibus assignatæ sunt: ita tamen ut nemo astringatur & teneatur ad particulares Confessarios, vel ad Sacramenta ab illo Ordine solùm percipienda.*

7. Refertur concessio Urb. VIII an. 1626. facta Missionariis Ordinis Minorum, ut possint per Hiberniam concedere omnibus existentibus in gratia plenariam Indulgentiam in omnibus Festis primæ, & secundæ Classis, & in mortis articulo, modò semel in anno plena-

riam vitæ suæ confessionem instituant: Hanc si durat participant Prædicatores & alii quibus competit privilegiorum communicatio, nisi specialis restrictio accesserit.

8. Concessum est insuper Missionariis Societatis in Anglia, Hibernia, & Scotia anno 1580. 3. Aprilis, ut omnes Catholici pro prima vice quâ sacram Eucharistiam de eorum manibus acceperint, lucrentur Indulgentiam plenariam.

Item, semel singulis mensibus in Templo, aut Sacello Patrum Societatis die Dominicâ ab ipsis designandâ communicando, omnibus Christi fidelibus conceduntur Indulgentiæ plenariæ pro vivis, aut defunctis, sic ut possint animam à purgatorio liberare, vel sibi plenariam Indulgentiam lucrari. Et hæc Indulgentia singulis septenniis à Sede Apostolica renovatur. Quando Societas habet duas Ecclesias intra eandem Urbem posse hanc Indulgentiam utrobique obtineri, cum *Hautino* & *Quintanadvenna*, docet Gobat *cap.* 27. *num.* 198. allegans etiam pro hac re declarationem P. N. Mutii Vitellesci.

9. Omnes Christi fideles verè pœnitentes, & confessi, aut propositum habentes confitendi temporibus à Jure constitutis, qui visitaverint Ecclesias, & alia pia loca Societatis in diebus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Corporis Christi, nec non diebus Veneris & Dominicis totius anni, ac Quadragesimalibus usque ad octavam Paschæ, & inibi semel Pater & Ave recitaverint, & Verbum Dei: si in illis prædicetur, devotè audierint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis consequentur. Paul. III. 1. *comp. Priv. Soc.* §. 24.

In Festo autem Circumcisionis quemcumque locum ad hoc designatum, ubi aliqui Societatis habitaverint, visitantibus, & quinquies Pater & Ave recitantibus pro Ecclesiæ exaltatione &c. conceditur Indulgentia plenaria in forma Jubilæi à Gregor. XIII. *ibid. pag.* 188. & à Paulo III. *pag.* 49.

Gregorius XV. in Bulla quæ incipit, *Pietatis*, concedit Societati ubivis locorum pro docentibus, discentibus; & promoventibus in Catechismis doctrinam christianam, plenariam Indulgentiam semel in anno die festo ab Ordinario designando, in loco ubi doctrina Christiana traditur, ritè confessis & S. Eucharistia refectis. Item Indulgentiam plenariam in mortis articulo, corde contrito saltem nomen Jesu invocando. Item sumentibus SS. Eucharistiam singulis mensibus Indulgentiam 7. annorum & totidem quadragenas. Qui verò curabunt ut alii pueri, famuli &c. ad Cathechesim accedant, ducentos dies indulg. lucrantur. Et qui in diebus stationum Urbis Catechesin docuerint, aut discent, lucrantur Indulgentias stationum; quibus & aliæ in citata Bulla adjiciuntur.

Pau-

Paucas pro notitia Fidelium Indulgentias, easque ex certioribus recensui, de cetero Curatores animarum tam sæculares, quam Regulares in Missionibus plures habent Indulgentias suo vel Ordini, vel Ecclesiæ attributas prout eas à Sede Apostolica obtinuerunt.

CAPUT VIII.

Praxis & forma Hæreticos Ecclesiæ Catholicæ reconciliandi.

PRimò, Si hæreticus, qui cupit reconciliari Ecclesiæ habeat justam causam dubitandi an fuerit inter hæreticos validè baptizatus, debet ante omnia Baptismus illi sub conditione conferri, cum hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c.*

Secundò, Si Sacerdos, qui hæreticum reducit, non habeat facultatem extraordinariam, quæ requiritur ad absolvendum ab hæresi, debet eum remittere ad Episcopum, vel alium qui tale privilegium habet, ut ab hæresi, & excommunicatione illi adjuncta absolvatur.

Tertiò, Debet instrui in punctis Fidei, præsertim contentis in symbolo Apostolorum, & in præcipuis articulis, in quibus antea dissidebat ab Ecclesia Romana: quos invenies explicatos supra in *part.* 2. controversiarum fidei.

Quartò, Ante Confessionem Sacramentalem debet ab eo exigi Hæresis abjuratio, nuncupando professionem Catholicæ fidei juxta formulam in Tridentino præscriptam, quam pro Confessarii commodo in hujus cap. fine subjiciemus.

Si is qui reconciliatur, fuerit tantum occultè hæreticus, sufficit dictam fidei professionem aut æquivalentem occultè præstare, cum vera contritione de sua hæresi, & firmo proposito non relabendi, ita Thom. à Jesu *de Convers. gent. lib.* 8 *part.* 2. Quod si fuerit publicè hæreticus requiritur abjuratio publica, v. g. præsenti aliquo populi cœtu in Sacro, aut Concione: nisi tamen gravis damni periculum a publica abjuratione excuset.

Quintò, Debet instrui de modo examinandi conscientiam in ordine ad Confessionem generalem suorum peccatorum, quod commodè fiet proponendo ipsi præcepta Decalogi, ut à nobis inferius explicata, aut in alia forma breviori. Ut verò exponat admissa contra præcepta Ecclesiæ, ut est, omissio Sacri, jejunii &c. sufficit explicare spatium temporis, quo in hæresi versatus fuit, ex hoc enim illa satis intelliguntur. Hæc autem Confessio fieri debet, & pœnitentia idonea injungi, antequam ad sacram Communionem admittatur.

Sextò, Priùs absolvi debet à vinculo excommunicationis, quam per Hæresim incurrit, quàm ipsi conferatur absolutio peccatorum, Excommunicatio enim impedimentum est absolutionis Sacramentalis ab hæresi, & cæteris peccatis.

Postremò, Post absolutionem ab excommunicatione, hæresi, & peccatis, admonendus est (nisi prudentia aliud dictet) manere irregularitatem, & incapacem esse ad Ordines sacros, & beneficia Ecclesiastica, nisi accedat dispensatio Pontificis, vel alterius, cui ille dispensandi potestatem commisit.

Potest denique Confessarius, si habeat Missionarii privilegium, hæretico sic converso in prima Communione pro majori animæ solatio Plenariam peccatorum Indulgentiam largiri.

Forma Professionis Fidei ex Trid. & Bulla Pii. IV.

EGo N. N. firmâ Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem &c. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ Legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supra dictorum omnium Sacramentorum administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem unà cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem:

quam

quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos, atq; invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas: Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro: cætera item à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Praxis disponendi ad actus in Contritione perfecta requisitos.

1. CONsidera N. seriò, & cum intimo animi sensu, Te graviter offendisse, & toties offendisse infinitam Dei Majestatem, tuum Creatorem, & Redemptorem, & Judicem supremum, qui eodem momento quo peccabas, poterat, Te detrudere ad æterna inferorum supplicia, in quibus hac ipsa hora, & per infinita annorum millia sine spe veniæ ardere debuisses, ut alii innumeri, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.*

2. Ex altera parte expende, Paternam Dei Misericordiam, Bonitatem, & Benignitatem infinitam, qui Te tanquã Filium prodigum, expansis in Cruce brachiis, ad pœnitentiam adducit, & inclinato Capite ad osculum æternæ pacis & amoris admittit, dicens, *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur* & vivat. Quis Rex aut Princeps subditum & mancipium suum læsæ majestatis reum tam

 benignè

benignè absolveret, & ad suam aulam & gratiam admitteret; O Pater misericordiarum! O Deus totius consolationis meæ.

Actus brevis Contritionis perfectæ cum spe veniæ & proposito emendationis &c.

DOmine Jesu Christe, Creator & Salvator meus. 1. Doleo medullitus ex toto corde, & ex tota anima mea, quod ego ingratus toties offenderim, & tam graviter offenderim infinitam majestatem, & amabilissimam bonitatem tuam; & ideò doleo vel maximè, quia Tibi Deus meus peccando displicui, quem propter teipsum & tuam infinitam bonitatem & excellentiam super omnia diligo & amo, & amplius amare desidero in æternum. 2. Proinde firmiter statuo ac propono me non amplius Te offensurum, sed omnes peccandi occasiones pro viribus devitaturum: me insuper de noxis meis ritè confessurum, & pœnitentiam, quæcunque injuncta fuerit, expleturum. 3. Ut verò nunc animo contrito & humili peccatorum meorum veniam suppliciter efflagito, ita firmiter spero ac confido, ab infinita bonitate tua per merita sanctissimæ Passionis, Sanguinis, ac mortis tuæ, ea mihi remittenda: præstandam etiam gratiam quâ vitam meam emendem, & in sanctissimo servitio tuo usque in finem perseverem, Amen.

Forma integra Absolutionis, ut est in Rituali Romano expressa.

MIsereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis perducat te ad vitam æternam, Amen. *Deinde elevatâ manu pergit,* Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus, Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & Ego authoritate ipsius, Te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, *hæc vox circa laicos omittitur,* & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remedium peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium æternæ vitæ, Amen.

Nota; *In absolutione Hæretici in foro interno addi solet*: Ab omni vinculo excommunicationis, quam per Hæresim incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni fidelium.

Remedia & Documenta, à Confessario Pœnitenti suggerenda contra singulas Peccatorum species, traduntur infra *Tractatu 5. in fine.*

TRAC-

TRACTATUS QUARTUS DE SACRAMENTIS

Reliquis in genere & ſpecie.

CAPUT PRIMUM.

De pertinentibus ad Sacramentum in communi.

SAcramentum in genere eſt ſignum ſenſibile gratiæ juſtificantis, à Deo inſtitutum, ut ſanctitatem cauſet. Numerum Sacramentorum eſſe ſeptenarium &c. probavimus ſuprà in controver. *part.* 1. *tr.* 2. *cap.* 6 11.

Ad eſſentiam Sacramenti Pertinet materia, & forma, & debita utriuſque coëxiſtentia. Eſſentialis etiam eſt inſtitutio Chriſti, & intentio Miniſtri, & in adultis plerumque intentio quædam, & diſpoſitio ſuſcipientis. Quæ omnia cum aliis huc pertinentibus per paucas aſſertiones elucidanda erunt.

§. I. *Quæ, & qualis eſſe debeat materia & forma Sacramentorum.*

DIco primò, Sacramenta novæ legis (quæ in uſu conſiſtunt) conſtant rebus ut materiâ, verbis ut formâ: præter Matrimonium, quod perfici poteſt nutu, ſcripto, aut aliis ſignis, quæ verbis æquivalent.

Ratio eſt, quia materia Sacramenti, v. g. ablutio infantis in Baptiſmo, eſt res ex ſe indeterminata ut ſit ſignum, & cauſa gratiæ ſanctificantis: ergò debet ea in ratione talis ſigni determinari per verba, quæ ex ſua inſtitutione vim habent aliquid determinatè ſignificandi, & quæ à Chriſto aſſumpta ſunt ut ſimul cum certa materia intrinſecè conſtituant ſignum cauſativum gratiæ ſanctificantis. Dixi, hoc intelligendum de Sacramentis, *quæ in uſu conſiſtunt*, propter Euchariſtiam, quæ poſt Conſecrationem ſervatur, & permanet Sacramentum, etſi verba Conſecrationis pridem deſierint.

Contra hanc assertionem objicit *Scotus in 4. dist. 16. quæst. 1.* In Sacramento Pœnitentiæ sola absolutio Sacerdotis significat gratiam, & remissionem peccatorum, non autem pœnitentis Confessio; ergò Confessio non est pars hujus Sacramenti, sed tantùm conditio extrinseca ad absolutionem præ-requisita.

Respondeo negando antecedens: Quia voluit Christus ad constituendum Sacramentum Pœnitentiæ assumere totam formam externam in Judicio requisitam, ad hanc autem formam non tantum spectat sententia Judicis, sed etiam declaratio delicti, quæ sita est in Confessione pœnitentis. Idque probatur ex Tridentino sess. 14. ca. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex divina institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.*

Dico secundo: Materiæ & formæ conjunctio, & coëxistentia physica non est necessaria ad valorem Sacramenti, sed tantùm moralis, ita scilicet ut communi judicio censeatur forma cadere supra materiam. Hinc validus est Baptismus, etsi paulò ante vel post ablutionem infantis pronuncietur forma, Ego te Baptizo. Valet etiam absolutio, etsi uno vel altero die post Cōfessionē proferatur. Forma autem Consecrationis requirit ut hostia sit præsens, & sensu perceptibilis à Sacerdote pro eo tempore, quo proferuntur verba Consecrationis. Ratio hujus diversitatis petitur ex eo, quod in uno Sacramento præ alio faciliùs, in majori temporis aut loci distantia, intelligatur forma materiam determinare, & cum ea constituere unum signum sacramentale, quod ex diversa signi natura, & morali æstimatione judicari debet.

Dico tertiò: Sacramentorum omnium materia, & forma à Christo determinata est, quæ salvo Sacramenti valore, quoad substantiam mutari nequeunt.

Probatur conclusio ex Trident *sess. 21. cap. 2.* ubi dum declarat in Ecclesia fuisse perpetuò potestatem, ut in Sacramentorum dispositione ea statueret & mutaret, quæ magis expedire judicaret, expressè addit, *salvâ eorum substantiâ*: Ergò non habet Ecclesia potestatem aliquid immutandi in materia & forma, cum hæc ad Sacramentorum substantiam pertineant; undè colligitur ipsius Christi potestate sublimiori ea constitui debuisse.

Contrà objicies: Ante Tridentinum materia Matrimoni erat, consensus contrahentium signis utrimque expressus, absque Parochi, & testium præsentia: Atqui post Tridentinum talis consensus sine præsentia Parochi non est materia sufficiens in Sacramento Matrimonii: ergò Ecclesia potuit alicujus Sacramenti materiam immutare.

Respon-

Respondeo, admisso aut negando consequentiam: Ecclesia enim isto casu non immutavit formaliter materiam in Sacramento Matrimonii à Christo institutam, quæ fuit traditio potestatis in mutua corpora per contractum validum & legitimum: Ecclesia autem tantùm statuit, ut traditio illa clandestina non esset ampliùs valida in ratione contractus, atq; ita deesset conditio requisita, comprehenderetur sub materia à Christo instituta, qui pro materia matrimonij non quemlibet contractum, sed omninò validum sufficere voluit.

Porrò quanta materiæ aut formæ mutatio Sacramentum invalidet, de singulis infra dicetur.

Hâc thesi sic constitutâ, corruit gemina hæresis, una Lutheri negantis certam verborum formam à Christo in Baptismo, aliisve Sacramentis constitutam: altera Calvini asserentis verbum in Sacramentis debere esse non consecratorium, sed concionatorium, sic nempè prolatum, ut possit fidem in audientibus excitare, cujus unius actu, & exercitio vult omnes etiam baptizatos justitiam adipisci. At Calvinum erroris hic arguent ipsi infantes baptizandi, quibus necesse erit Calvinistam per septem annos Baptismi verba inclamare, antequam iis, rationis usu carentibus, unum fidei actum extundat.

§. 2. *De intentione Ministri, ac suscipientis, & qualis ad valorem Sacramenti requiratur.*

DIco primò, Intentio Ministri essentiam Sacramenti necessariò ingreditur.

Probatur ex principio generali. Illud est de rei essentia, quo sublato, cæteris permanentibus, tollitur rei essentia; Sed sublatâ Ministri intentione, manentibus rebus & verbis, perit essentia Sacramēti: ergò illa Sacramenti essentiam ingreditur. Minor patet ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 6, ubi de Sacramento Pœnitentiæ docet, etsi reliqua adsint, nihil fieri, si Sacerdoti desit animus verè absolvendi. Hinc etiamsi Sacerdos super hostiam aut calicem formam Consecrationis debitè pronunciet, si careat intentione consecrandi, nihil efficiet: & sic de cæteris.

Objicies primò: Nihil intrinsecè requiritur ad constituendum quodvis compositum præter materiam, formam, & unionem, quâ inter se copulantur. Ergò nec ad Sacramentum aliud desideratur quam materia, & forma, & debita utriusque coëxistentia.

Respondeo, Intentionem Ministri se tenere ex parte formæ: nam ad formam Sacramenti non instituit Christus verba quocumque modo prolata, sed simul cum debita intentione conficiendi Sacramentum.

Obji-

Objicies secundò : Intentio Ministri aliquando est peccaminosa ergò non potest esse pars Sacramenti, quæ gratiam causare debet.

Respondeo neg. consequentiam : Quia Sacramentum non causat gratiam aut Deum movet, ut est actio Ministri, sed ut est actio à Christo instituta, etsi per malum Ministrum malè exerceatur. Sicut Deus inclinatur ad præstandam gratiam propter eleëmosynam jussu Domini concessam, etsi famulus ex mala intentione illam distribuat.

Objicies tertiò : Ergò valor Sacramenti erit incertus, si pendeat ab intentione in Ministri pectore recondita, & hominibus ignota.

Respondeo negando sequelam: Habebit enim certitudinem moralem quam Christus voluit sufficere in Sacramentis, non ab Angelis, sed ab hominibus humano more administrandis, quibus nihil est faciliùs quàm actioni externæ intentionē internam adjungere, nisi eam ex sacrilego animi decreto ultrò cohibeant, quod vix de aliquo, nisi bipedum nequissimo, præsumi potest.

Dico secundò, Intentio suscipientis est etiam de intrinseca essentia Sacramenti, quod confertur adulto, præter Eucharistiam, ita *Lugo hic disp.* 2 *n.* 141. cum communi Doctorum sententia. Hujus ratio fundatur in argumento quo superiorem thesin stabilivimus.

Dixi, *Sacramenti quod confertur adulto*, quia in parvulis, cum sint rationis expertes, intentio nulla requiritur. Addidi, *præter Eucharistiam*, quia ad ejus essentiam, & valorem sola requiritur intentio Ministri conficientis Sacramentum, non verò suscipientis.

Sed hic ulteriùs quæritur, Qualis debeat esse illa intentio Ministri ad Sacramenti valorem requisita? Pro resolutione.

Dico tertiò : Requiritur in Ministro intentio saltem faciendi id quod facit Ecclesia, id est, ut intendat saltem confusè actionem externam Sacramenti ponere ob illum finem aut effectum, quem Christiani communiter per eam actionem obtineri volunt.

Probatur ex Trid. *Sess.*7. *Can.*11. requirente in terminis intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, contra Lutherum, Calvinum, aliosque Sectarios, qui volunt solâ actione externa perfici Sacramentum, etsi minister ostendat se tantùm joco verba proferre. Verum qui sic operatur non agit more Ecclesiæ, quæ effectum Sacramenti seriò intendit, sed more Lutheri aut Calvini, quibus per tales jocos gratia tantum jocosa debetur.

Quia verò inter Theologos considerari solet triplex intentio, primò, *actualis*, quæ actu existit quando conficitur Sacramentum ; Secundò, *habitualis*, quæ est voluntas præterita, & nondum retractata : Tertiò *virtualis*, quæ est quidem præterita, sed persistens in ali-

qua

quo effectu à se posito: Quæritur; Utra harum ad conficiendum validè Sacramentum sufficiat?

Dico quarto: Non sufficit in Ministro intentio habitualis, sed requiritur saltem virtualis.

Prima pars probatur: Ideò requiritur aliqua intentio, ut actio Sacramentalis sit voluntaria, & humano modo à Ministro exerceatur: Sed intentio habitualis, quæ neque in se, neque in suo effectu amplius existit, non potest actionem præsentem reddere voluntariam, cum nequeat ullo modo eam causare, & efficere ut à voluntate dependeat. Ergò nullo modo sufficit ad Sacramentum.

Hinc, etsi heri volueris infantem baptizare, & hodie contingat te inadvertenter aquam illi inspergere, & formam pronunciare, ullo modo validum erit Sacramentum.

Dices, sufficit in Sacerdote intentio habitualis, ut alteri applicetur fructus sacrificii: ergò eadem sufficiens erit ut conficiatur Sacramentum.

Respondeo neg. consequentiam: quia intentio habitualis, quæ nullo modo amplius existit, potest esse causa objectiva movens Deum, ut alteri applicet fructum sacrificii, sed non potest esse causa physica, à qua in præsenti profluat actio sacramentalis.

Secunda pars pro intentione virtuali sic probatur. Quia per intentionem virtualem actio sacramentalis dependet à voluntate Ministri, hæc enim est causa cur actio illa exerceatur.

Si quæras, quomodo possit intentio virtualis causare actionem præsentem, cum ipsa actu præterierit?

Respondeo non omnino præteriisse, vel enim relinquit aliquem effectum, ex quo præsens actio procedit, vel certè (quod veriùs puto) post illam perseverat volitio quædam actualis tam tenuis ac remissa, ut agens per actum reflexum non possit illam in se percipere, mentis præsertim acie in res alias distractâ. Neque enim necesse est, ut actus omnes quos elicimus reflexè advertamus: alioquin & ipsos actus reflexos percipere oporteret, & in hos iterum per alios actus intendere, continuâ serie in infinitum progrediendo, quod dici nequit. Hujus inadvertentiæ experimentum habemus in illis, qui ex arte fides pulsant, aut qui aliquid describunt, aut legunt, quibus existimo inesse actum voluntatis tenuem, ac remissum, quo in singulos fidium tactus, & scriptionis apices actu feruntur, etsi ad singulos quos eliciunt actus ipsi non reflectant. Constat enim illas actiones à voluntate dependere, cum possint pro ejus arbitrio cohiberi, aut continuari.

Simili igitur modo dicetur Sacerdos habere intentionem virtualem consecrandi hostiam, qui cum voluntate celebrandi perrexi ad

tem-

templum, accessit ad altare, & Sacrum legit: etsi neque in his actionibus, neque dum actu consecraret ullam adverterit se consecrandi intentionem habere.

Dico quintò, In suscipienta sufficit intentio habitualis declarata ad valorem Sacramenti. Dixi, *ad valorem*, quia hic non agitur de dispositione requisita ad fructum Sacramenti percipiendum, de illa in singulis Sacramentis agetur.

Colligitur assertio ex Cap. *Majores*, & ex Concil. Arausicano 1. *Can.* 11. ubi dicitur: *obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Atqui in eo, qui sic obmutuit, sola est intentio habitualis, quia tantum est voluntas præterita non retractata, ergò &c.

Ratio hujus est, quod intentio suscipientis non debeat activè causare actionem Sacramentalem, sed sola intentio Ministri; suscipiens autem ad confectionem Sacramenti tantùm passivè se habere solet. Hinc, si aliquis delirans, antea petiit v. g. Baptismum aut Eucharistiam, debet ei in vitæ periculo conferri, quamvis in isto statu nullam videatur habere suscipiendi Sacramenti intentionem actualem, aut virtualem.

Quæres, An fides, & probitas Ministri requiratur ad valorem aut fructum Sacramenti?

Respondeo negativè, Ac proinde validum, & fructuosum est Sacramentum collatum à Sacerdote impio, aut etiam in hæresin prolapso, si suscipiens ex parte sua sit ritè dispositus.

Probatur ex Trid. *Sess.* 7. *c.* 6. *&* 7. ubi declarat Sacramenta semper conferre gratiam non ponentibus obicem. Collata autem ab hæreticis Sacramenta esse valida & non iteranda definivit Ecclesia contra S. Cyprianum, qui olim contrarium errorem tuebatur.

Neque refert quod hæretici non sint vera Membra Ecclesiæ; quia ministrando Sacramenta non agunt tanquam membra, sed tanquam instrumenta externa, quorum ministerium placuit Ecclesiæ usurpare, ut subveniret fidelium necessitati.

§. 3. *De effectibus Sacramentorum, & modo quo causantur.*

DIco primò: Omnia Sacramenta novæ legis causant gratiam ex opere operato. Dicitur gratia, aut alius effectus, causari ex *opere operato*, quando confertur ex vi operis externi procedentis ab alio quam à suscipiente Sacramentum, sicut fit in Baptismo infantium. Dicitur autem gratia causari ex *opere operantis*, quando datur ex vi actus interni meritorii, qui elicitur ab ipso operante.

Thesis hæc asseritur à Triden. *Sess.* 7. *Can.* 8. Et patet ex eo, quod Sacramenta agant non tantum ut opus Ministri, sed multo magis

ut

ut opus Christi, qui voluit suo nomine per Ministros Sacramenta conferri, ut ex suis meritis actu positis operentur. Unde sicut eleemosyna collata à famulo dicitur opus operatum Domini, sic Sacramentum rectè nuncupatur opus Christi volentis illud suo nomine administrari.

Ubi adverte, præter gratiam sanctificantem annexas esse singulis Sacramentis gratias actuales ordinatas ad finem Sacramenti suo tempore obtinendum, v. g. Baptismus præstat auxilia ad alia Sacramenta postea dignè suscipienda; Confirmatio ad constantem fidei Professionem, & sic de cæteris.

Dico secundò. Sacramenta conferunt æqualem gratiam æqualiter dispositis, & majorem pro majori suscipiendis dispositione.

Probatur ex Trid. *sess.* 6. *Can.* 7. ubi cùm dixisset Baptismum esse causam instrumentalem justificationis, adjungit, quod justitiam accipimus unusquisque secundùm propriam cujusque dispositionem.

Dices, ex illa assertione sequeretur illum, qui in susceptione Sacramenti omittit majorem dispositionem graviter peccare; quia liberè opponit obicem majori augmento gratiæ.

Respondeo negando sequelam: Quia suscipienti non est præceptum, ut ad illud majoris gratiæ incrementum se disponat, cum Trid. ad susceptionem Eucharistiæ statum gratiæ tantum requirat. Est tamen hæc res consilii, & magno hominibus solatio, quod pro mensura devotionis, cum qua ad hos gratiæ fontes accesserint, certò sciant se uberiorem meritorum copiam relaturos.

Quæstio celebris est; An Sacramenta gratiam causent physicè, an tantùm moraliter? Pro causalitate physica stat firmiter Schola Thomistica, *Suarez, aliique* Partem his oppositam sustinet *Vasquetz*, *Lugo*. ac plerique recentiores, pro brevi resolutione.

Dico tertiò. Sacramenta causare gratiam tantum moraliter, id est movendo tantum objectivè Deum ut ipse in anima gratiā operetur.

Et probatur primò, Quia nihil cogit asserere gratiam in Sacramentis aliter produci quam extra sacramenta: At extra sacramenta producitur gratia physicè à solo Deo, ergo etiam in sacramentis: gratiæ enim natura, & excellentia exigere videtur, ut à solo Deo physicè procedat.

Probatur secundò; Quando contingit sublato obice sacramentum præteritum reviviscere, tum demum animæ gratia infunditur: atqui illa gratia non potest à sacramento physicè produci, cum amplius non existat dum in animam gratia recipitur: ergo uti in illo sacramentum ad efficientiam gratiæ moraliter tantum concurrit, ita in cæteris fieri merito concludes.

Objicies cum Thomistis: Perfectior est modus causandi physicus

cus quàm moralis; ergo dignitas Sacramentorum illum sibi vindicare debet.

Respondeo neg. consequentiam: Eximia enim perfectio est, quod Sacramento exhibito, tanquam Christi syngrapho, debeat Deus per se gratiam causare, sicut quantumvis magna sit excellentia Matris Dei, illa tamen non requirebat ut Deipara Christi animam per se crearet, uti omnes admittunt.

Instabis cum *Suare*, Patres frequenter dicunt Sacramenta operari, producere, efficere in nobis gratiam, quod propriè dici nequit de causa morali.

Respondeo, Patres eodem loquendi modo asserere Passionem, & Sanguinem Christi in nobis gratiam operari, ad quam constat, ea tantùm moraliter concurrere, movendo Deum, ut suam nobis gratiam largiatur.

§. 4. *Quid sit Character Sacramentalis?*

RESpondeo, Characterem sacramentalem esse signum quoddam spirituale in anima indelebile, & ab aliis distinctivum; quod in eadem persona non iteratur. Tria sunt Sacramenta, quæ Characterem sacramentalem imprimunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

Constant hæc ex Conc. Florentino, & Tridentino *Sess. 7. Can. 9.* contra Wicleffum & Calvinum. Et de hoc Charactere videtur esse
„ illud Augustini, *tract. 5. & 6. in Ioannem. Si baptizatus charita-*
„ *tem non habet, Characterem quidem impositum habet, sed desertor*
„ *vagatur.*

Ratio, cur illa Sacramenta Characterem imprimant, est tantùm voluntas Christi; cujus motivum fuisse videtur, tradere signum perpetuò distinctivum personæ ad certum statum à se cooptatæ. Per Baptismum enim assumitur homo in Christi familiam, per Confirmationem in militiam, per Ordinem in ministerium: quod in aliis Sacramentis locum non habet, quæ ad succurrendum necessitatibus in vita occurrentibus instituta sunt, ideoque possunt sæpius iterari. Illa autem tria cum significent statum aut potestatem permanentem, nequeunt iterari, aut eorum Character in hac vita deleri. Imò, ex communi Theologorum sententia, manet etiam post mortem character ille in Beatis ad Christi gloriam, & in damnatis ad eorum confusionem sempiternam.

Opponunt quidam Novatorum, Characterem hunc præsertim in Ordine ac Confirmatione superfluum & fictitium esse, ex eo quod illius antiqui Patres non meminerint.

Sed ut paucis respondeam, Etsi illius mentio apud Patres non extaret (quod minimè admitto) satis tamen constat eam doctrinam

tam

tam ex Conciliis, quam ex communi Theologorum consensu recipiendam esse. Neque enim omnia illico repudianda sunt, quæ disertè in Patrum Scriptis non exhibentur.

Annotatio de Sanctis Patribus.

ATque hic in ordine ad alias hoc tempore quæstiones obiter notandum, Inanem esse hodie strepitum quorundam Scriptorum, ac si actum esset de *Sanctorum Patrum* authoritate, si quis asserat, Aliqua magis esse Theologis recentioribus, quam priscis Patribus cognita & explorata. Quæro ego, An non potuit D Thomas, longo post Patres sæculorum intervallo, legere & intelligere eas dem Scripturas, eadem Concilia, aliaque veterum monumenta, ex quibus, exempli gratiâ S. Augustinus aut S. Ambrosius suam scientiam hauserunt? An non potuit idem exhaurire ipsius Augustini volumina, & alia plurima quæ postea per sex septemvè integra secula illis accessere. Non potuit tamen è converso S. Augustinus, aut ullus Patrum novisse omnia, quæ post suum obitum decem & amplius secula hactenus in lucem protulerunt: qualia sunt quæ sancita fuêre in Concilio Florentino, & in Lateranensi, & in Tridentino circa varias quæstiones tot sæculis exortas, circa reservationes, concessiones, ritus, facultates, reformationes, novarum legum institutiones, & antiquarum declarationes; præter innumera Pontificum Diplomata; & decreta tanto temporum intervallo constituta. Neque enim vasti tot Conciliorum Tomi qui nunc extant, neque integra Bullarum Apostolicarum volumina, neque totum Corpus Juris Canonici ac Civilis, neque amplissima Scholasticorum Operum Bibliotheca, Doctoris etiam Angelici, Subtilis, Seraphici studio totque seculorum præclaris elucubrationibus locupletata, ad S. Augustini, aut primorum Patrum conspectum unquam pervenerunt. Hæc tamen haud dubiè universa Theologis modernis ad varias resolutiones subsidium præbent amplissimũ. Cur ergo piaculum erit tam grande tamque invidiosum si quis dicat, Recentiores Theologos ex his aliqua posse certius deducere quam ex antiquorum scriptis resolvi possint? Ac si post elucubrata veterum Scriptorum volumina omnes scientiarum fontes exaruissent. Hoccine est, *Hæreticorum more Patres aspernari? aut modernos Scriptores ipsis præferre?* Fuerunt sanè sine controversia antiqui Patres; & S. Augustinus imprimis prima & suprema Ecclesiæ luminaria, sic tamen secuturis sæculis suam lucem communicarunt, ut propriam illis non abstulerint Horum Patrum splendori si quis detraheret, meritò ipse obscurus, & nullo nomine dignus reputandus esset. Verùm longè aliud est S. Augustino aliquid detrahere, aliud illis modernis non assentiri, qui conantur

omnibus ejus Scriptis authoritatem definitivam vindicare, aut ea Pontificum decretis opponere, aut in damnatæ ab illis doctrinæ patrocinium adsciscere. Hisce conatibus si quis obsistat, illum quilibet æquus judex & ipse S. Augustinus suæ authoritatis & doctrinæ sincerum asseclam & defensorem merito agnoscet.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

§. I. *De ejus materia, forma, & unitate.*

1. BAptismus definitur in Catechismo Tridentini *par. 2. cap. 2.* *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Proprium enim Baptismi est homini primam gratiam, & vitam spiritalem conferre, ut qui nascitur filius iræ & mortis per peccatum originale, incipiat per Baptismi gratiam renasci in sortem, & adoptionem filiorum Dei, juxta illam Christi sententiam *Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Præceptum tamen Baptismi suscipiendi omnibus commune non nisi post resurrectionem suam vulgavit *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti*: ita cum communi D. Thom. *quæst. 66. art. 2.*

2. Ex his colligit Ecclesia materiam Baptismi remotam à Christo constitutam esse aquam elementarem, prout usibus humanis inservire solet: materiam verò proximam esse ablutionem corporis, quæ per aquam exercetur. Quod si contingat aliquid horum deficere, ut vel aqua non sit naturalis, vel non idonea ad corporis ablutionem, Baptismus erit invalidus, defectu materiæ à Christo requisitæ, quam supra *c. 1. §. 1.* ostendimus pertinere ad essentiam Sacramenti, & à nullo posse immutari.

3. Hinc in ordine ad praxim, Dicendum primò, Aquam per mixtionem alterius corporis desinere esse materiam Baptismi, quando in toto mixto plus extraneæ substantiæ quam aquæ continetur: quod colligi debet ex odore, sapore, densitate, aliisque accidentibus, quæ sensuum experimento percipiuntur, uti habet sententia communis cum D. Thom. *quæst. 66. art. 4.* Et probatur ex eo, quod inter homines tale mixtum non soleat pro aqua usuali haberi aut usurpari; quando autem mixtio non est adeò notabilis, non desinit aquæ nomen, & usum retinere.

Unde inferes primò etsi non sufficit lutum, validè tamen per aquam lutosam Baptismum conferri: Secundò, non sufficere aquam

arti-

artificialem, qualis est aqua rosacea, aut alia, quæ ex floribus aut herbis distillatur, quia magis habet floris, quam aquæ substantiam: tertiò idem dicendum de sale resoluto, de saliva, sudore, aut lachrymis: non autem de tenui cerevisia, quam probabilius est aquæ naturam non amittere. Nihil proindè horum adhibendum est, nisi infantis sine Baptismo morientis necessitas cogat.

4. Dicendum secundò; Aquam accidentaliter transmutatam non esse materiam *Baptismi*; quamdiu non est idonea ad abluendum, secùs quandò potest ablutioni servire. Hinc aqua in glaciem, aut nivem concreta tunc tantùm potest esse idonea materia Baptismi, quandò aliqua ex parte resoluta corpus humectare, & abluere potest. Quòd autem aqua sit calida, colorata, aut turbida, nihil obstat valori hujus Sacramenti, quamdiu manet vera aqua, & corpori abluendo accommodata.

5. Dicendum tertiò; Quoad partem corporis abluendam, Baptismum certò validum esse, si caput, pectus, vel scapulæ abluantur, cum hæ sint præcipuæ partes corporis. Verùm si tantum manus aut pes abluatur, dubius est baptismus, ac propterea extra necessitatem illicitè sic confertur. Quòd si collatus sit, postea debet sub conditione repeti. Idem sentiendum de infante pelle adhuc secundinâ circumdatò; vel si soli capilli abluantur, ita ut corporis pars non tangatur *Coninc, Laym. Diana p. 5. tr. 3. resol. 1. 2 3.*

6. Sed quæstio est, quæ quantitas aquæ possit ad baptismi valorem sufficere. Respondeo, qualibet sufficere quæ serviat ad ablutionem sensu humano perceptibilem, ut docet hic *Hurtado disp. 1. diffic. 6.* contra *Suarem. Valenc. &c.*

Dices; Qui manè se aspersit aquâ benedictâ verè dicit se hodie non lavisse; ergo ad moralem ablutionem non sufficit quævis aquæ sensibilis aspersio aut ablutio.

Respondeo neg. consequentiam: quia affirmans in casu se non lavisse, id non intelligit de quavis morali ablutione, sed de illa in qua solent homines aqua liberalius affusâ manus ac faciem abluere, uti ipsæ circumstantiæ significant.

7. Forma baptismi in occidentalibus Ecclesiis hæc usurpatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Sumitur ex Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Ratio hujus institutionis est; quod cum baptismus sit introitus in Ecclesiam Christi, oporteat in ejus susceptione expressam fidei Christianæ professionem facere per Dei unius & trini invocationem.

8. Debet in forma baptismi persona altera à baptizante exprimi, ut appareat distinctio personarum baptizantis, & baptizandi; cum nemo à se ipso baptizari possit. cap. *debitum, de Baptismo.* Obesset

etiam valori omissio vocum, *In nomine Patris &c.* Ratio hujus, est Christi institutio.

9. Accidentales mutationes formæ Baptismi, etsi valorem non impediant, administrationem illicitam reddunt, excepto necessitatis casu, v. g. si omittas, *ego*, aut transpositio fiat, *te ego baptizo*. Item, si aliqua persona transponatur, v. g. nominando Filium ante Patrem: si modica verborum interruptio fiat, aut si superflua addantur, v. g. Ego Joannes te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti.

10. Si dubium rationabile sit de valore collati Baptismi, repeti debet sub conditione, hâc formâ, *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine &c.* Idque locum habet, tàm in dubio *juris*, v. g. si Doctores discrepent, an valeat Baptismus tali modo collatus; quàm in dubio *facti*, si absolutè incertum sit, utrùm fuerit collatus Baptismus. v. g. si infans expositus sit nullâ Ipsi adjectâ schedulâ, aut signo quod baptismus ei collatus fuerit.

11. Faciliùs sub conditione repetitur Baptismus in infante quàm adulto, eo quod adultus per fidem, & actum contritionis salvari possit, etiamsi Sacramentum Baptismi acceperit.

QUÆRES *primò*. An moderni hæretici dum convertuntur, debeant sub conditione baptizari?

Respondeo negativè regulariter. Si tamen dubium sit, v. g. an adhibita fuerit aqua rosacea, vel an alius aquam applicuerit, alius formam protulerit, sub conditione baptizari debent.

QUÆRES *secundò*: An licitum sit Sacerdoti occultè baptizare filium hæretici de vita periclitantem, si dubitet an validè baptizatus fuerit, vel ad Baptismum posteà suscipiendum supervicturus?

Respondeo affirmativè, imò, rectè faciet, si sub specie alicujus solatii aut medicinæ præbendæ ad tale ministerium sibi aditum procuret, quantumvis parentes invitos esse cognoscat.

Quod si talis puer vel adolescens sit filius Anabaptistæ, absolutè baptizandus erit, cum illa Secta non soleat suos ante annum ætatis trigesimum baptizare; nisi aliundè constet puerum aliâ viâ ad Baptismum pervenisse.

§. 2. *De dispositione suscipientis Baptismum.*

AD valorem Baptismi non requiritur fides, aut alia bona dispositio suscipientis, sed sufficit libera voluntas, quamvis habita ob perversum finem. Quia conveniens fuit Sacramentum hoc ita à Christo institui, ut quantum moraliter fieri posset, sciretur utrum homo suscepisset Sacramentum, quod non fieret, si multùm dependeret ab interna dispositione.

2. Ad

2. Ad obtinendam tamen gratiam ſanctificantem in Baptiſimo requiritur bona ſuſcipientis adulti diſpoſitio, conveniens ſanctitati Sacramenti quod ſuſcipitur, quia ſancta ſanctè tractari debent. Et quidem ad Baptiſmum in adultis requiritur fides ſupernaturalis, tanquam fundamentum juſtitiæ Chriſtianæ: deinde pœnitentia, ut colligitur Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum.* Et Marc. ultimo. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

3. Veruntamen opus non eſt ut contritio hominis baptizandi perfecta ſit, ſed ſufficit attritio ex ſupernaturali motivo concepta. Eſt enim hocSacramentum per ſe inſtitutum ut hominem juſtificet.

4. Peccata ante Baptiſmum commiſſa non ſunt materia abſolutionis poſt Baptiſmum conferendæ. Quia poteſtas clavium non extendit ſe niſi ad ſubjectos jurisdictioni Eccleſiaſticæ, & reſpectu eorum actuum, qui tempore jurisdictionis committuntur: ſoli autem baptizati ſunt ſubditi Eccleſiæ. Ac proinde ab adulto baptizando nulla peccatorum Confeſſio ſacramentalis exigi debet.

5. Extra caſum neceſſitatis non debet Baptiſmus ſine ſolemnitatibus conferri, etiamſi per unum aut alterum menſem expectandum ſit, v. g. dum Patrini adveniant: habenda interim eſt cura, ne infans ſine Baptiſmo decedat. Quòd ſi infans, ob periculum mortis, ſine ſolemnitatibus & ceremoniis baptizatus fuerit, ſolent illæ poſteà ſuppleri.

§. 3. *De Miniſtro Baptiſmi.*

1. Quivis homo ratione præditus validè baptizat. Nititur hæc aſſertio inſtitutione Chriſti, quam uſus Eccleſiæ, & traditio oſtendit. Ratio verò inſtitutionis eſt ſumma Baptiſmi neceſſitas.

2. Peccat graviter extra neceſſitatem baptizans, cui id de jure & ex officio non competit. Peccat itidem ille, cui jure & ex officio competit baptizare, ſi extra neceſſitatem non ſolemniter baptizet; nam Canones ob honorem Sacramenti ſeverè præcipiunt, ut Sacerdos ſolemniter in Eccleſia baptizet; niſi tamen obſtet alicujus perſonæ infamia, aut damnum notabile inde ſecuturum.

3. Parentes graviter peccant, qui offerunt prolem baptizandam alieno Parocho, ſine licentia proprii. Quia Eccleſiæ ordinationi, cum violatione alieni juris adverſantur. Niſi conſtet ſpeciale privilegium intervenire.

4. In caſu neceſſitatis hic ordo obſervandus eſt; ut præſente Sacerdote aut Epiſcopo non baptizet Diaconus: præſente Diacono non baptizet Clericus inferior; præſente Clerico non Laicus; præ-

sente viro non fœminâ, denique præsente fideli non hæreticus aut infidelis. Et si hic ordo pervertatur, ita ut præsente Sacerdote alius seu Clericus, seu Laicus baptizare præsumat, erit peccatum sacrilegii mortale, similiter si infidelis baptizet præsente fideli. Circa Clericos verò Sacerdote inferiores, marem item & fœminam, non videtur esse culpa plusquam venialis: imò nulla erit, si causa subsit.

5. Minister Baptismi debet esse unicus; quare si alius materiam apponat, alius formam proferat, nihil efficitur. Quia tali casu forma, ego te baptizo est falsa, cùm illam proferens non baptizet aquam applicando. Quod si simul plures Ministri materiam & formam super uno homine baptizando absolutâ intentione simul absolvant, singuli verè conficiunt Sacramentum tanquam causæ totales. Ratio est, quia unius actio alterius actionem non impedit, & uterque verè baptizat.

6. Requiritur etiam in Ministro intentio baptizandi saltem confusa more Ecclesiæ, ut *c. 1. §. 2.* probatum est.

Si contingat Ministrum baptizare marem quem putat esse fœmellam, nihil oberit valori Baptismi. Quia intendit baptizare infantem sibi præsentem. *Bonac. p. 4. n. 26 &c.*

7. In homine apud hæreticos baptizato possunt suppleri ceremoniæ; sed non est moris, ne fortassè rudis populus existimet nos hæreticorum baptisma debitâ formâ collatum tanquam minus validum improbare.

QUÆRES *primò*: An Parochus baptizare debeat infantem quem obstetrix affirmat se, apparente mortis periculo, ritè baptizasse? Negat *Sotus, Victoria, de Castro & plures alii*, asserentes solummodò supplendas esse ceremonias, quæ solent in publico Baptismo adhiberi.

Respondeo tamen, in tali casu infantem iterùm à Parocho sub conditione baptizandum esse, si præter obstetricis testimonium aliam certitudinem non habeat de Baptismo validè administrato. Confirmatur hæc responsio authoritate Pastoralis Mechliniensis, in quo universaliter id fieri præscribitur, his verbis; *Conditionalis baptizatio facienda est circa infantes, qui ab obstetricibus baptizati esse referuntur.* Idemque diserte docet *Molanus, & Sylvius in 3. part. q. 66. art. 9. dub. 2.*

Et favet ratio: quia etsi obstetrix postea interrogata, ostendat se callere formam, & ritum baptizandi; potest tamen prudenter dubitari an ex acceleratione, aut turbatione animi inter strepitus, & clamores parentum, & domesticorum, in ipso baptizandi actu errorem aliquem admiserit, quales aliquando intervenisse historiæ non paucæ testantur.

Et

Et idem ordinariè dicendum videtur, quando infantes ab aliis laicis sive viris, sive fœminis in simili casu domi baptizantur; cùm res tanti momenti magnam exigat cautelam ac securitatem. Dixi, *ordinariè*, quia non assentior illis qui id universaliter requirunt. Inveniuntur enim viri Laici in hoc non minùs docti ac periti, quàm sint aliqui Clerici, & Sacerdotes.

QUÆRES *secundò*: An infans, qui ante partum videtur moriturus, possit in matris utero ab obstetrice vel alio quopiam baptizari?

Respondeo affirmativè, si v. g. obstetrix adeò perita sit, ut manu in matris utrum insertâ infantis corpus aliquâ ex parte aquâ perfundere possit, adjectâ verborum formâ consuetâ: ita docet *Suar. & 6. alii apud Dianam par. 1. tr. 15.*

Idem dicendum est, quando matre prægnante subitò extinctâ, possit in ejus corpore aditus aperiri, & per illum in prolem adhuc viventem aqua infundi.

§. 4. *De Patrinis.*

1. AD munus patrini tria requiruntur: 1. usus rationis (non certa ætas) 2. ut Patrinus in Baptismo sit ipse baptizatus, & Patrinus in Confirmatione sit confirmatus, alioqui invalidè suscipiet munus Patrini, & non contrahet cognitionem spiritualem. 3. Requiritur intentio formalis gerendi munus spiritualis Patris secundum consuetudinem Ecclesiæ nec sufficit infantem materialiter tantùm tenere.

2. Religiosi Patrini esse non debent; ne ob spiritualem cognationem nimia familiaritas cum secularibus, præsertim fœminis, contrahatur. Excipe tamen, si Religiosus sit Episcopus, aut si contraria consuetudo Prælatis non contradicentibus id alicubi permitteret.

3. Parens non debet propriam prolem suscipere, ne contracta cognatione spirituali cum conjuge debitum petere non possit. Nec decet ut duo conjuges alienam prolem suscipiant, potest tamen consuetudine honestari. Unde *Coninck* monet duos conjuges suscipientes alienam prolem non contrahere cognationem spiritualem, alioquin talis susceptio ipsis graviter prohibita esset.

4. Patrinus unus esse debet, sive mas, sive mulier, vel ad summum duo, mas, & fœmina. Constat ex Trid. *sess. 24. cap. 4. de reform.* Ubi Parochus obligatur ut nomen baptizati, ac patrinorum in librum diligenter referat, eosq; moneat de cognatione spirituali contracta inter ipsos, & baptizatum, & illius patrem ac matrem: necnon inter baptizantem ac baptizatum, & hujus patrem, ac matrem tantùm.

5. In privato Baptismo non est opus patrino; non enim videtur Ecclesia parentes voluisse ad hoc obligare, cùm in necessitate vix idoneus eligi potest. Si tamen adhibeatur, contrahet cognationem spiritualem, eò quod patrinus non adhibeatur tantùm ob majorem solemnitatem, sed etiam propter obligationem instruendi puerum.

Alii tamen negant à patrinis in privato Baptismo cognationem spiritualem contrahi. *Sotus, Sanchez. Maratius, &c.*

6. Solent in quibusdam Germaniæ locis Catholici esse patrini filiis hæreticorum, baptizante illos ministro hæretico in debita forma, in nomine SS. Trinitatis. Neque consuetudo videtur improbanda, quia patrini officium est ut externâ susceptione profiteatur, quod hominem modò spiritualiter genitum suscipiat in curam suam tanquam spiritualis ejus nutritius & Pædagogus; id autem præstare potest Catholicus etiamsi infans ab hæretico baptizetur.

Quæres: An etiam ad Baptismum infantis Catholici apud Sacerdotem Catholicum liceat admittere patrinum hæreticum?

Respondeo negativè, cum communi Doctorum. Si tamen timeretur gravis indignatio amicorum, etiam hæreticorum, aut aliud gravius incommodum, probabile est talem patrinum sine crimine posse admitti, qui etiam contrahet cognationem spiritualem, ita docet Castrop. Laym. *l. 5. tract. 2. cap. 9.* Diana *p. 9. tr. 7. resol. 51.*

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

CONfirmationem verum esse Sacramentum, à Christo institutum, & in primitiva Ecclesia usurpatum, probatum est supra in controv. *part 1. cap. ult.*

1. Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, atque ab Episcopo benedictum. Colligitur ex Conc Florent in Decreto Eugenii, ex perpetuo Ecclesiæ usu, & traditione, quæ testatur Chrismatis confectionem semper Episcopo reservatam fuisse.

2. Forma hujus Sacramenti est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

3. Effectus Confirmationis est augmentum gratiæ sanctificantis; insuper actualis gratiæ auxilium ac robur tempore opportuno conferendum, ad fidem constanter profitendam.

4. Convenit ut adulti peccati mortalis sibi conscii, ante Confirmationis susceptionem sacramentaliter confiteantur. Licet enim nul-

nullum præceptum extet, adeòque contritio sufficiat, tutiùs est tamen confiteri ad removendum obicem gratiæ, quæ à Sacramento confertur.

5. Subjectum capax hujus Sacramenti est omnis, & solus homo baptizatus. Ratio congrua est, quia sicut natura quos generavit conatur perficere, ita Deus & Ecclesia, quos generavit per Baptismum, ad perfectiorem gratiæ statum adducit per Confirmationis Sacramentum.

6. Olim infantibus statim post Baptismum Confirmationis Sacramentum conferebatur. Verum hodie in plerisque Ecclesiis consuetudo est, ut non nisi rationis compotes confirmentur. Partim ut Sacramentum majori cum utilitate suscipiatur, utpote concurrente actuali fide & reliquâ dispositione suscipientis, partim ut absit periculum repetendi.

7. Perpetuò amentes, ut & infantes in mortis periculo utiliter & rectè confirmantur, ubi id est in usu. Quia hujusmodi cum fructu spirituali, & sine irreverentia Sacramentum Confirmationis suscipiunt, sicut & Baptismum. Est enim tantùm per accidens quod nunquam sint spiritualiter militaturi.

8. Hodie non exstat præceptum suscipiendi Sacramentum Confirmationis, secluso contemptu. Est tamen peccatum veniale satis grave sine causa aliquem ordinare qui confirmatus non est, cum Ecclesiarum consuetudo repugnet.

9. Minister ordinarius hujus Sacramenti solus Episcopus est, Colligitur ex *Act.* 8. *&* 10. & traditur in Conc. Florent. Potest tamen Pontifex ex plenitudine potestatis suæ committere simplici Sacerdoti potestatem ministrandi hoc Sacramentum.

Quæstionem hinc movet Card. Lugo *resp. moral. lib.* 1. *dub.* 7. An Abbas, cui conceduntur functiones Episcopales, exceptâ duntaxat collatione Ordinum, consecratione Ecclesiæ, & Altarium, possit conferre Sacramentum Confirmationis? quod aliquando in Sacra Congreg. controversum fuit.

Respondet, auditâ sententiâ sacræ Congregationis Gregorium XIII. die 13. Martii anno 1574 respondisse, non comprehendi in ea concessione collationem hujus Sacramenti: Quia in generali concessione non intelliguntur ea quæ sunt specialiter reservata, & de quibus facienda est specialis mentio: non solet autem concedi hæc facultas soli Sacerdoti sine causa urgenti, ut colligitur ex *Cap. pervenit, dist.* 95. & ex decreto Eugenii in Conc. Florentino, & fusiùs ostendit *Suar. part.* 3. *tom.* 3. *disp.* 36. *sect.* 2.

10. Ad ceremonias pertinet 1. Benedictio Chrismatis, 2. adesse debet patrinus ex præcepto obligante sub mortali, nisi adsit gra-

vis causa: debet is esse diversus à patrino Baptismi nisi necessitas aliud postulet. 3. Recitantur orationes cum impositione manus super caput. 4. Frons Chrismate uncta vittâ ligatur, quæ circumfertur donec Unctio sit siccata: ubi non est consuetudo, præsertim inter hæreticos, statim post collatum Sacramentum frontem abluendi (si fieri possit) in fonte Baptismatis: postquam frons lota & vitta deposita est, ea comburi solet, saltem non debet ad Profanum usum adhiberi. 5. Episcopus confirmato levem alapam infligit. 6. in c. *ut jejuni dist. 5. de consec.* monentur Episcopi ut jejuni hoc Sacramentum ministrent, & non nisi jejunis; Ex rationabili tamen causa aliter fieri posse monent D. D. communiter.

Quæres. Quanta sit obligatio Episcoporum ut conferant suis subditis Sacramentum Confirmationis?

Respondeo, gravem illis incumbere obligationem ut ex parte sua præbeant subditis oportunitatem ut hoc Sacramentum suscipiatur, uti docet *Suar. in 3. p. q. 72. disp. 38 Sect. 2. Sylvester v. Confirmatio &c.* Quia cum sint Pastores, tenentur gregem suum pascere, non tantùm in rebus ad salutem absolutè necessariis, sed etiam in iis, quæ conducunt ad singularem ejus utilitatem, maximè inter hæreticos, ubi necesse est ad constantem fidei confessionem hoc Sacramento roborari. Hinc etiam Parochis incumbit pueros in catechesi de hujus Sacramenti virtute edocere, & suo tempore Episcopis confirmandos offerre.

CAPUT IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

Realem Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ, transmutationem panis & vini, communionem laicorum sub una specie &c. contra Sectarios accurratè probata invenies supra in *Controv. p. 2. c. 3. 4 & 5.*

Porrò ad quæstiones alias, & principia hic præmittenda,

Dico breviter primò, In Consecratione ex vi verborum sub speciebus panis constituitur Corpus Christi, & per concomitantiam etiam Sanguis, anima, divinitas, aliaque ipsis unita: uti & in Calice constituitur solus Sanguis ex vi verborum, & reliqua per concomitantiam. Constat ex Trid. *sess. 13. cap 3.*

Dico secundo, Christus existit totus in tota, & totus in singulis partibus hostiæ consecratæ: sic nempe ut nulla pars sensibilis hostiæ sive divisæ, sive conjunctæ sit tam exigua quin totum Christum contineat. Probatur ex Trident. *sess. 13. cap. 3.* ubi id negantibus de partibus divisis anathema dicit *Can. 3.*

Dico tertio: Statuitur Christus sub speciebus Eucharisticis non per

per novam productionem, ut aliqui Theologi volunt, sed per adductionem, id est, per novam tantum præsentiam, quâ corpus ejus existens in cœlo simul in altari sub speciebus sacramentalibus collocatur. Nihil enim aliud ad hoc videtur esse necessarium.

Dico quartò: Accidentia sive species panis & vini remanent in Eucharistia extra subjectum, sic ut color, & sapor, & alia quæ in hoc Sacramento sensu percipimus, in Corpus Christi tanquam subjectum non recipiantur. Ita colligitur ex Concilio Constantiensi *sess.* 38. contra Wicleffum id negantem, Non enim sunt illa in substantia panis jam destructa, neque in Corpore Christi, quod in Eucharistia est gloriosum, & passionis expers. Probabilius etiam est, contra Thomistas, reliqua accidentia non recipi in quantitatem, quæ fortè à substantia non distinguitur.

Dico quintò; Desinit Christus esse sub speciebus consecratis, quando species sic immutantur ut desineret forma panis & vini, si illic loco Christi adessent. Hinc in stomacho speciebus Eucharisticis per calorem naturalem destructis præsentia Christi evanescit. His ita constitutis ad resolutiones practicas propius accedamus.

§. 1. *De Materia & forma Sacram. Eucharistiæ.*

MAteria hujus Sacramenti est panis, & vinum: ut patet ex institutione Christi *Matth.* 26 *& Mar* 14. Panis ille necessitate Sacramenti debet esse triticeus, ex praxi, & sensu Ecclesiæ, & Conc. Florentino, quod eodem modo panem triticeum assignat, quo vinum pro calice, quod constat requiri ad valorem Sacramenti. Huic tamen non officit immixta fuisse tritico pauca grana salterius frumenti, quia per hoc non desinit esse panis triticeus usualis, ita *D. Thom. aliique.*

2. Oriza, avena, milium, hordeum, non sunt materia hujus Sacramenti; cum ex iis non soleat panis confici pro hominis victu, nisi ob defectum tritici, quare nec simpliciter panis vocabulum meretur.

3. Ut panis azymus sit, non est de necessitate Sacramenti, quamvis id congruentius sit, cum etiam Christus in azymo consecraverit. Observanda tamen est consuetudo utriusque Ecclesiæ, ita ut non solum Latinus peccet, si in fermentato consecret, sed etiam Græcus si in azymo, quamdiu intra terminos Ecclesiæ suæ commoratur; quod etiam observandum est in casu necessitatis, etiamsi ægrotus absque viatico decedere deberet. Ratio est, quod Ecclesiæ utilitatem, majestatem, tantique mysterii reverentiam valdè intersit, universales in eo ritus observari. Quare cum Sacramentum hoc non sit abso-

lutæ

lutæ necessitatis, merito ratio publica privato commodo spirituali præfertur.

4. Acetum non est materia Consecrationis, cùm sit vinum corruptum; potest tamen validè Sacramentum confici ex vino acido vel acescente, sicut ex pane mucido nondum corrupto, sed ad corruptionem disposito. Denique neque agressa validè consecrari potest, cum agresta ex uvis immaturis expressa nondum ad naturam vini pervenerit.

5. Admixtio aquæ ad vinum non est de essentia Sacramenti, sed præcepti tantùm Ecclesiastici sub peccato mortali obligantis. Non est tamen improbabilis opinio Alphonsi à Castro, ex Christi præcepto ab Apostolis nobis tradito vinum aquâ miscendum esse.

6. Ad essentiam formæ pertinent tantùm hæc verba, *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Reliqua tamen verba, *Novi & Æterni Testamenti* &c. sine gravi peccato omitti non possunt.

7. Ad valorem Consecrationis requiritur ut Sacerdos materiam consecrandam determinatè cognoscat & intẽdat. Quia omnis actio transiens versatur circa singularia determinata, idque in casu nostro ad veritatem demonstrativi *Hoc*, & *Hic*, necessariò requiritur.

8. Sacerdos censetur habere intentionem Ecclesiasticæ consuetudini conformem, nisi eam contrario actu excludat. Unde etsi existimet quinque tantum hostias adesse, cum sint sex, omnes consecrat, Quia speculativus ille error non obstat practicæ intentioni consecrandi omnes hostias ante se constitutas, *Suar. Sylv. Henriq.*

9. Si quis inscio seu non advertente Sacerdote hostias minores in altari ponat, non consecrabuntur. Quia nec actualis nec virtualis intentio in illas fertur. Si vero Sacerdos antequã egrediatur sacristiã de consecrandis hostiis in altari positis, vel ponendis admonitus eas consecrare proponat, etiamsi postea obliviscatur, censeri debent consecratæ. Quia in tali casu adest intentio virtualis, hoc est, prior intentio continuatur in actibus, qui postea sequuntur in ordine ad consecrationem, ita *Reginal. Laym. l. 5. t. 4 c. 2. Bonac. t. 1. d. 4. q. 2. p. 2.* & alii qui judicant id in praxi tutum esse.

10. Si formulæ, id est, parvæ hostiæ adferantur Sacerdoti paulò post oblationem, vel (ut addit Ave sa q 11. § 12.) ante inceptam præfationem, licitè eas consecrat, oblationem solâ mente supplendo, ita *Possevin. Gavantus., Tambur. Diana p. 2. tr. 14. resol. 71.*

§. 2. *De Ministro Eucharistiæ.*

1. Eucharistiam ministrare solus potest ex officio Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, aut sibi delegatam: peccat proindè graviter, qui sine omni jurisdictione Eucharistiam dispẽsare præ-

præsumeret. Et si sit inferior Sacerdote v. g. Diaconus irregularitatem incurrit.

2. Si tamen Sacerdos carens jurisdictione præsumat ob rationabilem causam, factum suum à Parocho approbatum, licitè Eucharistiam administrat, *Bonac. Regin. hic. n. 19. aliique.*

3. Si periculum sit ne infirmus sine sacro viatico moriatur, & proprius Pastor sit absens, vel impeditus, vel malignè neget, poterit viaticum conferre quivis Sacerdos tam secularis quàm regularis, & in horum defectu etiam Diaconus. Quia in hoc casu censetur ea potestas collata ab Episcopo aut Pontifice, ita *Suar. Bonac. Lugo, Laym. l. 5. tr. 4. c. 7.*

4. Etsi Regulares ex suis privilegiis possint in propriis templis communicare quoscunque fideles, sive per se, sive per alios Sacerdotes: illa tamen potestas, lege ordinaria, non extendit se ad communionem præbendam ratione viatici in articulo mortis, aut in festo Paschatis, per quam scilicet satisfiat præcepto annuæ communionis, cui si communicans alio tempore satisfaciat, illa communio ei libera manet, uti docet *Sa, Filliuc. & usus communis.*

5. Non licet tamen Religiosis ad quamvis communionem, sine facultate Episcopi, aut Parochi, Eucharistiam publicè per plateas deferre, nisi fortè ad milites, aut alios apud quos ipsi Pastoris munus obeunt. Quia id juri Parochorum per consuetudinem obtento derogaret. Proindè quando de licentia Ordinarii ægris communionem præbent, id debet privatim fieri.

6. In Missionibus autem, ubi in privatorum domibus passim celebratur, facultas in sacro præbendi communionem cuivis legitimè accedenti concessa censetur cuivis Sacerdoti, nisi hoc alicui peculiari præcepto esset inhibitum.

Quando Sacerdos non conficit, sed solum administrat aliis Eucharistiam in statu peccati, probabile est illum non peccare mortaliter, quamvis non desint graves authores, qui communius docent oppositum; ideòque curandum, ut Sanctum non nisi sanctè tractetur.

7. Quamvis teneatur Minister Eucharistiam manu porrigere: non est tamen improbabile ex gravi causa licere mediante instrumento idoneo eam communicantis ori inserere, apud *Dian. par. 4. t. 4. ref.* 114. Quod confirmatur ex eo, quod in magna oris siccitate licitum esse hostiæ particulam in cochleari cum vino trajicere docent *Prep. Escob Diana. p. 4. tr. 4. r* 104.

8. Graviter peccat Minister præbens Eucharistiam sub utraque specie, secluso Pontificis indulto.

9. A mortali Ministrum excusari, qui solas species vini daret

ægro

ægro impotenti hostiam deglutire, sentit *Amicus apud Dian. par. 8. t. 1 r. 24.*

Quærit Card. Lugo in *resp. moral. l. 1. dub. 11.* An liceat Eucharistiam deferre infirmo adorandam aut deosculandam, quando eam sumere non valet?

Respondet autem negativè, quia si sic adhiberetur instar reliquiarum, minueretur reverentia debita tantæ majestati, & alia sequerentur incommoda: propter quæ ea praxis à Pontifice prohibita est, ut refertur in declar. Concilii Tridentini in *sess.* 13. *Can.* 7. apud *Lugo* loco citato.

10. Tenetur Sacerdos negare Communionem personis ad illam indispositis, v. g. publico peccatori, usurario, meretrici, concubinario. Quia illis ministrando eorum peccato cooperaretur, & Sacramentum gravi irreverentiâ afficeret.

11. Si occultè tantùm constet suscipientem esse indispositum, illi occulte petenti negari debet, non tamen petenti publicè, ne per hoc infamiam incurrat. Quòd si indispositio occulta solùm ex Confessione cognita fuerit, ne quidem licebit eam negare occultè postulanti. Quia illa esset quædam peccati admonitio, quæ Confessionis sigillo adversatur. *Bonac. Laym. Lugo &c.*

Quæstio est, An si Reus confugiat ad Sacerdotem Eucharistiam publicè portantem gaudeat immunitate, sicut confugiens ad Ecclesiam?

Respondetur affirmativè cum *Navar. cap. 4. n. 18.* qui hanc sententiam dicit communem cum Hostiensi, Angelo, Claro &c.

Sed *Quæritur ulteriùs*, An idem dicendum sit, si Reus qui v. g. ducitur ad supplicium confugiat ad complexum Sacerdotis qui Eucharistiam in pyxide occultè portat?

Respondet ad hunc casum affirmativè *Quintanadvennas tract. 4. sing. ult.* qui testatur illum casum actu contigisse. Quia ratio cur Eucharistia publicè portata, & templa gaudeant hoc privilegio, est reverentia & veneratio hujus Sacramenti, quæ non minùs exhibenda est dum occultè defertur. Si enim liberatur reus, teste *Bartolo, Claro, Baldo*; aliisque, qui ductus ad supplicium occurrit Cardinali, si hic suum pileum purpureum istius capiti imponat aut imponi faciat; quanto magis in casu præsenti. *ibid. n. 5.*

§. III. *Dispositio requisita in suscipiente Eucharistiam.*

1. Quoad animæ dispositionem, Certum est, illum, qui est in statu peccati mortalis, gravi præcepto obligari ad confitendum ante sumptionem Eucharistiæ; nisi adsit necessitas celebrandi, aut communicandi, & desit copia Confessarii, *ex Trid. Sess. 13. c. 7.*

2. Idem

2. Idem dicendum est de eo, qui dubitat, an admiserit peccatum mortale, aut an fuerit illud ritè confessus, *Suar. Sanch. Bonac. d. 4. q. 6. cap. 7.*

3 Si autem gravis urgeat celebrandi, aut communicandi necessitas, tenetur præmittere actum contritionis: & si fuerit Sacerdos, præcipit Tridentinum, ut non differat posteà quam primum confiteri. Quia aliàs omittendo contritionem poneret obicem gratiæ, & gravem committeret irreverentiam, & sacrilegium.

4. Necessitas autem gravis excusans à Confessione est primò: Periculum mortis. 2. Hostia pro moribundi viatico consecranda. *Suar. Con. Lugo.* 3. Si sacrificium vel Communio non possit omitti, absque gravi infamia, vel scandalo. 4. Si Parochus, ex officio celebrare debeat, ut populus audiat sacrum: ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, id licere sentit *Diana cum aliis* 11. *p. 9. t. 3. resol. 9.* 5. Si quis in scamno communicantium recordetur peccati mortalis, quod oblitus est confiteri, nec sine nota, aut scandalo gravi recedere possit.

5. Censetur autem deesse copia Confessarii, quando sine magna molestia non potes absentem adire, aut præsenti sine gravi incommodo Confessioni extrinseco, sive tuo, sive alieno, peccatum aperire.

6. Quoad dispositionem corporis: Communicandi, aut celebrandi impedimentum per se non est pollutio involuntaria, aut etiam voluntaria per pœnitentiam expiata, nisi mentem relinquat turpi recordatione infestatam. Idem dicendum est de actu conjugali, etsi consilii sit, nocte Communionem antecedente abstinere, præsertim si sint conjuges, qui raro communicant *Sanch. Filluc. Escob. &c.*

7. Ex præcepto Ecclesiæ regulariter non licet cuiquam communicare, nisi jejuno, jejuno naturali, id est, ut à medio noctis nihil omninò aut per modum cibi, aut potus, aut medicinæ sumpserit. Ita communiter Doctores.

8 Non censetur hoc jejunium violari, per aliquid, quod per modum salivæ, aut respirationis in stomachum trajicitur, *Fag. &c.* Idem est de fumo tabaci, aut folio ore tantùm masticato: quamvis hæc, nisi valetudinis ratio excuset, videri possint aliquam habere indecentiam *Prap. Lugo, Gran.*

9. Si dubium sit, an aliquid deglutiveris, aut sumpseris post duodecimam noctis, non impediri à Communione, aut à Missæ celebratione, probabiliter docet *Layn. l. 1. tract. 1. cap. 1.* apud *Dian.* hic *Resol.* 29.

10. Non est per se peccatum statim à Communione cibum sumere, etsi

10. Non est per se peccatum statim à Communione cibum sumere etsi consultum sit abstinere, donec species sint consumptæ: illas autem in Laico intra medium quadrantem, in Sacerdote intra quadrantem consumi in stomacho rectè disposito; ut certum censet *Card. Lugo* ex judicio Medicorum a se consultorum, *Disp.* 12 *Sect.* 3. *num.* 54.

11. Casus autem sunt in quibus non jejunus possit communicare: Primò, quoties est mortis periculum: & quidem à non jejuno posse repeti viaticum, quoties recurrit idem periculum etiam in eodem morbo post intervallum unius, aut alterius diei; si magna ægri urgeat devotio, aut utilitas, docet probabiliter *Laym. l. 5. t. 4. c. 6. aliique*, in quo spectandam esse loci consuetudinem monet *Card. Lugo de Euch. d 15. Sect 3.*

Non videtur tamen multis licitum Sacerdoti non jejuno consecrare ad dandum alteri viaticum. Quia præceptum viatici non obligat, quando ritè haberi non potest, *Suar Vasq. Hurt aliique*. Contrarium tamen non est improbabile, præsertim in casu, quo aliud Sacramentum haberi non potest, uti docet *Laym. l. 5 t. 4 c. 6. nu. 21. Filliuc. Lugo, Fernand. Major.*

2. Potest Sacerdos celebrare non jejunus, si aquam pro vino calici infusam hauserit, tunc enim ad servandam Sacrificii integritatem debet denuò vinum offerre, consecrare, & statim sumere sine novæ hostiæ Consecratione, ita Doctores communiter.

3. Quando post haustam ablutionem videt in patena vel corporali reliquias hostiæ consecratæ, potest eas absumere. *Henriq. & 5. alii.*

4. Quando post Consecrationem Sacerdos ex deliquio, morte, aut languore non potest Sacrificium perficere, debet alius Sacerdos, etiam non jejunus in defectum jejunii, succedere, & Sacram absolvere. *Con. & 3. alii.*

5. Quando Sacerdos post Consecrationem recordatur, se non esse jejunum, potest nihilominus species consecratas sumere. *Vasq. & 3. alii.* Quòd si ante Consecrationem id recordaretur, recedere tenetur ab Altari; si tamen sine gravi nota, & incommodo id fieri possit. *Præposit. & Diana.*

Idem probabiliter in praxi dicendum, si finito sacro in Sacristia Sacerdos inveniat in patena, Calice, aut corporali fragmentum aliquod hostiæ consecratæ, si nullus post eum Sacerdos ibi celebraturus sit, nec adsit pixis, in qua Eucharistia asservatur. *Suar. Diana & 5. alii.*

Imò addit non improbabiliter *Suar. & Diana, &c.* posse Sacerdotem post distributam populo Communionem vasa sacra purificare, & par-

& particulas in eadem vel etiam in alia Missa consecratas absumere si nequeant decenter servari: quia illa est tantùm unica, saltem in priori casu, consummatio ejusdem Sacrificii

Quæres *primò*, An in missione, dum ingruit periculum ab irruentibus Hæreticis, qui putantur sacram hostiam male tractaturi, possit Eucharistia sumi à non jejunis etiam laicis, si alius desit? Item, an possit Sacerdos hostiam laico tradere, ut cum ea aufugiat?

Respondeo ad utrumque casum affirmativè. Quia præcepto divino de cavenda irreverentia Christo inferenda cedere videtur præceptum Ecclesiæ de prævio jejunio, & Eucharistia à Laicis non tractanda & consentire videtur *Suar. & Lugo hic num.* 87.

Quæres *secundo*, An si Laicus in mortis articulo alium Ministrum non habeat possit Eucharistiam sibi ministrare, aut eam ab alio Laico suscipere?

Respondeo affirmativè, idemque docet *Suar. Con. & alii* 12. cujus exemplum habemus in Maria Stuarta Scotiæ Regina, dum ab hæreticis castro inclusa teneretur: etsi sint qui existiment, eam ad hoc à Pontifice Privilegium accepisse.

§. 4. *Præceptum sumendi Eucharistiam.*

1. Certum est dari præceptum divinum graviter obligans fideles adultos ad sumendum Eucharistiam tam in articulo mortis, quàm aliquoties in vitæ decursu, ita ex Scripturis, & praxi Ecclesiæ declarat *Trid. sess.* 13. *c.* 6.

2. Per articulum mortis, hic intelligitur gravis morbus, periculosus conflictus, difficile puerperium, quale solet esse primum &c. *Suar. Vasque. aliique.* nisi quis paucis ante illud periculum diebus communicasset.

3. Non esse tamen mortale, in tali mortis periculo Communionem omittere, dummodò in Paschate eam sumpserit, docet *Sylvester, Sa, Fumus. Cajet, v. Communio.*

4. Probabilius est, in mortis articulo dandam esse Communionem Pueris, quando sciunt Eucharistiam ab alio cibo distinguere. *Laym. Suar. Lugo, D.* 13. *S.* 4. *n.* 18. Damnatis ad mortem non licet judici sine gravi causa tempus ad communicandum denegare, *Suar. Bonac. aliique communiter.*

5. Etsi Christus tempus Communionis, extra periculum mortis non præscripserit, Ecclesia tamen pro eo determinavit tempus Paschale, quod communiter numeratur à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè: Aliquibus tamen locis totam Quadragesimam comprehendit, & aliter extendi potest ex legitima loci consuetudine vel indulto; poteftque Confessarius ex ju-

sta causa tempus prorogare, ut docet *Sa & alii*, de quo fusius *Bonac. D. 4. q. 7. p. 2.*

6. Probabilius est eum, qui non communicavit in Paschate, teneri postea supplere. *Suar. Bonac. Con. Lugo.* Non tenetur tamen prævenire, qui prævidet se tempore Paschali impediendum, ut probabiliter docet *Suar. Azor. &c.*

7. Tenetur quis Communionem Paschalem sumere in Parochia à Pastore suo, nisi hujus licentiâ, privilegio, aut consuetudine eximatur. *Navar. & Suar. hic D. 72. Sect. 2.*

8. Sacerdos ubivis celebrando satisfacit præcepto communionis paschalis. *Bonac. D. 4. q. 7. p. 2.*

9. Eximuntur peregrini & vagi qui parochiam non habent, aut ab ea absunt.

10. Privilegium, quod aliqui allegant pro Communione Paschali datum Mendicantibus alii communius negant apud Dian. *p. 2. t. 14. r. 73.* neque consultum videtur cum Pastorum offensione illud in praxim reducere, quibus proprium est illo præsertim tempore pecoris sui vultum cognoscere.

Praxim disponendi ægrum, aut moribundum ad viaticum devotè suscipiendum vide infra in fine hujus operis.

§. 5. De Sacrificio Missæ.

CHristum in ultima Cœna non tantùm Eucharistiæ Sacramentum instituisse, sed etiam Sacrificium Missæ ordinasse per Sacerdotes in Ecclesia perpetuò offerendum probatum est supra in *Controv. p. 1 tr. 2. cap 5.* Hic resolutiones ad praxim spectantes breviter trademus.

1. Tenetur quivis Sacerdos legitimè non impeditus saltem bis terve in festis solemnioribus per annum celebrare, ut docet *Suar. cum communi* contra *Lugo, Tamb. Dianam.* Imò ubi receptum est Tridentinum, inquit *Busen* graviter obligantur mandante Episcopo celebrare singulis Dominicis & Festis.

Non posse tamen Episcopos Laicis præcipere, ut diebus Dominicis aut Festis Sacrum, aut Concionem in sua Parochia audiant, ubi possunt id alibi præstare, docet declaratio Clementis VIII. anno 1592. die 2. Decemb. & Diana *par. 10. tract. 13. resp. 25.* de quo fusius supra *par. 2. quæst. 23.*

2. Sacerdos, qui habet Facultatem bis de die celebrandi, v. g. ob duplicem Parochiam, poterit hoc facere diebus feriatis, si valdè frequens sit populus, ut in concursu peregrinantium. *Suar. & 8 alii* In prima tamen Missa non potest sumere ablutionem, ut maneat jejunus. Potest autem necessitas permittere ut etiam sæpius à jeju-

no

no celebretur. *Suar. Diana p.* 10. *tr.* 16. *r.* 13. Displicere visa est hæc doctrina cuidam Prælato quem ego plurimum veneror, Et in illius gratiam adduco insuper pro hac resolutione Thomam Hurtadum in *resol. mor tract.* 2, *cap.* 7. *num.* 430. Quia, inquit, in cap. *Consuluisti*, & cap. *sufficit*. Pontifices Alexand. & Innoc. III. concedunt Privilegium, & declarant, *ex justa causa & suadente necessitate*, Sacerdotem posse celebrare plusquam semel de die: ergo, inquit, cum hoc privilegium non concedatur cum limitatione, aut uni Sacerdoti in particulari, sed in communi, manet in suo vigore quando causa est legitima, & urget necessitas: ut si ob angustias loci die solemni magna populi multitudo non possit nisi ad unum augustum locum successivè convenire. Et huic sententiæ novissimè subscribit etiam Leander *de Sacram. part* 2. *tract.* 8. *de sacrif. Missa, disp.* 6. *quæst.* 41. quam judicat esse longè probabiliorem, & pro ea insuper citat Card. Lugo, P. Hurtado, Petrum de Ledesma Marcum de los Huertos, Naldum, & Philarchum, Quia, inquit, *in jure non determinatur pluralitas Missarum: nec in textu citato est sermo de duplici aut tripli-ci, aut multiplic: Missa celebranda, ut advertit Cardinalis Lugo num.* 41. ita ille. Cui ego addo, hæc locum habere, ubi non obstat Superioris prohibitio, aut consuetudo contraria de qua spectat ad Prælatum in sua diœcesi judicare.

3. Sacerdos ob infirmam valetudinem non potest celebrare operto capite etiam extra Canonem sine licentia Pontificis, Id enim expresſè statuit Urbanus VIII. & pridem declaravit S. Congr. Rituum 13. Julii 1626 *apud Gavantum.* Ubi verò ad Pontificem non datur recursus, dispensare potest Episcopus, aut prælatus pro suis Regularibus. *Henri, aliique.* Et in polonia eam licentiam pro tempore hyemali consuetudo obtinuit. Qui autem id faceret absque dispensatione in gravi necessitate celebrandi, secluso scandalo & contemptu, non peccaret docet *Ledesma, Diana &c.*

4. In casu necessitatis licitum est celebrare cum stola manipulo, aut cingulo non benedictis, aut etiam sine aliquo ex iis, *Suarez & 4. alii.* Imò etsi aliquis citra necessitatem sine aliquo horum celebraret, non peccaret mortaliter, ob levitatem materiæ, *Suarez, Henriq. cum 6. aliis.*

5. In gravi necessitate sine Ministro licet celebrare, v. g. ad dandum viaticum infirmo. *Lessius & 7.* vel ne populus aut ipse Sacerdos Misſâ careat die Festo. *Prap. &c.* Non licet tamen in casu fœminam ad ministrandum admittere: nisi forte, ut ex loco remoto respondeat, sed non ut accedat ad altare urceolos ministrando, qui possunt in cornu altaris collocari. *Lugo & 3. alii.*

6. Non est mortale, si in Missa defunctorum omittantur Sequentia, *Dies iræ* &c. *Bordonus*, *& alii.* Imo in anniversario, & Missis quotidianis defunctorum legitur id tantum pro arbitrio Sacerdotis.

Sacerdos Regularis, si in Canone pro nomine Episcopi ponat nomen sui Generalis, peccat mortaliter; quia Missale est ad unguem observandum, ex Declarat. Cardinalium.

7. Sacerdos non potest hostiam à se consecratam deponere in sacrarium, & sumere aliquam hostiam ex hostiis anteà consecratis; quia ad integritatem Sacrificii spectat sumptio hostiæ tunc consecratæ, *Lugo & 5.* Posset tamen ex justa causa celebrare cum hostia minori, qualis solet dari Laicis, quando non posset haberi major. *Marchant. Diana.*

Quærit hic *Bosco disp. 4. Sect. 12. concl. 9* An Sacerdos Laico communicare volenti possit ex causa præbere partem hostiæ quâ ipse celebrat?

Et rectè respondet affirmativè, quia id non obest integritati Sacrificii, nec peculiarem involvit indecentiam: docetque sufficientem causam esse magnam petentis devotionem, aut moram expectationis, donec in Sacro sequenti minor hostia consecretur, si prudenti judicio mora censeatur incommoda, idemque resolvit *Dicastil. d. 11. num. 117.*

Quæres porrò, An Sacerdos possit ex suo Calice communem ablutionem dare Laico communicanti?

Respondeo, etsi id per se non sit illicitum occurrente ratione peculiari, v. g. personæ valdè honoratæ, non licet tamen illum morem frequenter usurpare: quia induceret in populo rudiori suspicionem Communionis Laico datæ sub utraque specie, quam Ecclesiæ consuetudo non permittit.

8. Altare pro Sacrificio insterni debet mappâ triplici: non requiri ut mappæ sint benedictæ, docet *Suar. cum pluribus.*

Si quis mappam unam adhiberet præter corporale, non esset mortale: sicut esset, si nullam poneret. In necessitate autem celebrandi, v. g. die festo, &c. nullum erit peccatum, si una sit cum corporali. *Leand. & 3.* Sicut etiam posse tunc adhiberi mappam non benedictam v. g. sudarium, si mundum est, & posteà rursus applicare ad usus consuetos docet. *Fagund.* & 11. *alii*

9. Sine lumine sacrificare nunquam licet, adeò ut si extingueretur ante Consecrationem, nec aliud haberi posset, pergere Sacerdoti non liceret, etiamsi aliàs moribundus sine viatico esset moriturus, *Fagund. Lugo &c.*

10. Ut viaticum moribundo detur, licet etiam â mediâ nocte Sa-

Sacrum facere. *Lugo & alii 7.* vel etiam horâ tert. â post meridiem, *Hurtado & Leand.* Neque ad hæc opus est licentia Episcopi, *Præposit.* aliique. Imò hæc Regularibus permittuntur per Privilegium Eugenii IV. saltem ex justa causa, v. g. itineris faciendi, *Dicastillo, & alii* apud Tambur & Lugo hic *sect.* 1. *num.* 41. De lege autem communi licitum est cuivis Sacerdoti inchoare Sacrum duabus horis ante ortum Solis; & media hora post meridiem. *Laym.* Aut etiam integra hora, si v. g. concursus populi, Principis viri expectatio aut necessarium iter Sacerdotis id requirat.

Ad quem autem Missionarius, aut Parochus, qui Privilegium non habet, possit recurrere pro dispensatione quoad horam locum, aut facultatem celebrandi sæpiùs de die, aut coram excommunicatis; deferendi Eucharistiam sine lumine, videre est supra in *part.* 2. *cap.* 5. §. 1. *de facult. Missionum.*

Quæres primo, An Sacerdos teneatur sumere Calicem consecratum, si in eum incidat araneus, aut aliud venenatum; & quid eo casu agere debeat?

Respondeo, Sumendum non esse, sed speciebus in alio loco decenter repositis, aliud vinum cum aqua Calici infundendum, quod statim consecrari, & in eodem Sacrificio sumi debet. Species autem vini infectæ servari possunt donec exhalentur, aut corrumpantur, & residuum in piscinam mittatur. Vel certè, quod commodius est, efficiatur ut intincto panno lineo imbibantur; quo siccato, & postea combusto cineres piscinæ committantur, ita Lessius *de Sacram. quæst* 83. *art.* 2. *num.* 70.

Quæres secundò. An licitum sit Sacerdoti, si sciat hæreticum adesse, Missæ Sacrificium inchoare, aut inchoatum perficere?

Respondeo affirmativè, secluso scandalo aliove abusu, uti contra *Pontium* docet *Card. Lugo*, qui refert se vidisse ita fieri pluribus Cardinalium assistentibus, & scientibus simul hæreticos interesse.

§. 6. *De Stipendio pro celebratione Missæ.*

1. ADverte, licitum non esse stipendium ullum accipere pro ipso Missæ Sacrificio: quia cum sit res sacra, peccatum simoniæ committeret, qui pro eo pretium admitteret. Sacerdos igitur solùm intendere debet suam in celebrando operam, ac prævium studium pro pretio concedere, justum enim est eum, qui servit altari, de altari vivere.

2. Si is, qui Missam procurat, non præbet justum stipendium ab Episcopo, vel consuetudine taxatum, non ideò potest Sacerdos accipere à diversis plura modica, quæ justo stipendio æquivaleant, & pro illis unicam Missam celebrare. Nam etsi *Suar. aliique* id ali-

quando docuerint, post decretum Congregationis Cardinalium nunc omninò prohibitum est.

3. De iis qui justum Missarum numerum procurant, sed parte eleëmosynæ sibi retenta, authoritate Urbani VIII. sic statuit eadem Congregatio §. 4. *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens; prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

Circa hoc decretum proposita est Congregationi dubitatio, si detur eleëmosyna solitâ major, an satis non sit dare saltem stipendium justum, & consuetum? Respondet Congregatio claris terminis, debere absolutè integram eleëmosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse, uti videre est *Bullarii p. 4. fol.* 319.

4. Qui tamen ab amico pro Missa stipendium solito majus accepit, idque intuitu solius amicitiæ, potest per alium dato illi tantùm justo stipendio satisfacere. Quia solam amici gratiam, nihil de stipendio sibi reservat.

5. Sed quid si Sacerdos jure suo ad majus stipendium ultrò cedat? Respondeo, id non posse rectè præsumi, plerumque enim id facit ex metu, ne sibi Sacra alio tempore subtrahantur, non autem ex liberali & expressâ donatione, uti hic *C. Lugo* rectè advertit.

6. Probabile est Sacerdotem, qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare, v. g. pro populi commoditate absque obligatione applicandi Sacrificium, posse pro illius applicatione aliud stipendium accipere. Huic enim resolutioni non obstare Congregationem Cardinalium apud Gavantum & alios docet *Card. Lugo, & alii* 8. *hic apud Dianam.*

7. Sacerdos, qui pro hodierna Missa nullum accipit stipendium non potest illam applicare pro eo, qui daturus est illi proximum stipendium, quamvis id affirmet *Henriq. cum aliis* 6 Sed contra communem Ecclesiæ consuetudinem, & decretum Cardinalium ex mandato Clementis VIII. Missas tamen hebdomadarias alicujus Capellæ potest Sacerdos ex causa anticipare.

8. Sacerdos, qui absolutè omittit Sacra, pro quibus accepit stipendium, quod constituit materiam gravem in genere justitiæ, tenetur sub mortali stipendium restituere, nisi Sacra per alium velit procurare. Quia ex contractu, saltem implicito, illud officium pro istiusmodi beneficio debetur.

9. Peccat etiam graviter, qui differt ad tempus absolutè longum celebrationem Missarum, pro quibus stipendium accepit. (Non censetur dilatio absolutè longa, si Sacerdos simul accipiat 50. vel 60.

Sa-

Sacra per totidem dies à se solo legenda. Differre etiam ad tres menses non esse tempus absolutè longum ex mente Sacræ Congregationis probabiliter existimat *Villalobos & alii 3. apud Dianam p. 2. tr. 14. resol. 25.*

Quares, An magis prosint, & plus valoris habeant Sacra quæ dato stipendio celebrantur à Sacerdote piæ, ac probatæ vitæ, quam ab alio qui est minus pius, probus, ac devotus.

Respondeo affirmativè ordinariè loquendo. Quià etsi ex opere operato valor Sacrificii sit æqualis, ex opere tamen operantis, celebrantis probitas, pietas, & actualis devotio, uti deo est acceptior & gratior, ita majorem vim habet impetrandi pro aliis novas gratias ac beneficia, & satisfaciendi pro reatu pœnæ debitæ. Adde quod talis meritò prçsumatur magis fidelis in numero Sacrorum integrè, & tempestivè persolvendo. Poterit vel inde Sacerdotibus magis dissolutis stimulus accedere, ut sanctius vivant, ac devotius celebrent, nisi velint aliis meritò postponi.

APPENDIX.

De Horis Canonicis.

1. CLericus incipit obligari ad Horas Canonicas à puncto temporis, quo Subdiaconatum suscepit, non ante; & quidem ad Horas respondentes illi horæ, quâ ordinatur, ex consuetudine, & præcepto Ecclesiæ. Qui autem habet beneficium Ecclesiasticum obligatur etiam titulo justitiæ, adeò ut ad restitutionem teneatur juxta proportionem officii prætermissi, & in Confessione explicare, se beneficium habere, si id Confessarius ignoret. Patet ista obligari, ex Concil Lateran. sub Leone X. & Bulla Pii V. *apud. Dianam.*

2. Ad Horas non tenentur Novitii, Conversi, Religiosi aliqui ad Chorum non destinati, ut sunt Militares, Hospitalarii &c. Moniales verò obligantur; has tamen si officium tantùm semel iterumque omittant mortalis peccati damnare non audet *Cajet. Armilla, Medina, Lessius in Posthumis, Diana de Horis Can. tr. 12. r. 17.*

3. Habentes onus Horarum peccant mortaliter, si notabilem earum partem sine justa causa omittant. Non censetur pars notabilis, aut grave peccatum, si quis omittat unum Psalmum, lectionem, aut aliam partem his æquivalentem, v. g. tertiam partem parvæ horæ. Docet autem *Palao l. 1. p 5* partem notabilem esse in Matutino, quod est æquale uni parvæ Horæ. Sanchez in sum. *Tom. 1. lib. 1. c. 18. num. 8.* censet tres lectiones cum responsoriis, in feriali officio, esse materiam parvam, id est, non sufficientem ad peccatum mortale.

4. Causa excusans à recitatione Horarum est infirmitas gravis, v.g dolor capitis aut oculorum, languor virium notabilis, aut quælibet febris, si sit assidua: nam tertiana, aut quartana non excusat pro illis diebus, in quibus hominem omnino liberum, & viribus non multum debilitatis relinquit, *Bonac.d.1.q.6.n. 1.Navar.Laym.&c.*

5. Excusat etiam carentia Breviarii, nisi tamen scias totum officiū, vel aliqua horas integras de memoria recitare. Dixi, integras, quia etsi scias varios officii Psalmos, probabile est ad hos recitandos non obligari. Quia Psalmi non sunt horæ, aut officium Canonicum; *Escob. Mald. Io. Sancius, Garsias &c. hic apud Dianam.*

6. Inter hæreticos justum aliquando impedimentum est metus proditionis; Item, gravis aut repentina occupatio, vel opera Charitatis majoris momenti, quam horæ, quæ sine scandalo, vel gravi incommodo tuo, vel alterius omitti non possunt. Quo modo etsi Concionatores, vel Confessarii aliquando excusari possint, idque ex benigna Ecclesiæ intentione, ut docet *Sylvester, & Laym.* tenentur tamen anticipare, si possint, v.g. si mane prævideant se totâ die Confessionibus occupandos, quæ differri non possint.

7. Denique excusat dispensatio, quam solus Pontifex potest concedere sine causa, cum causa sufficienti id potest Episcopus.

8. Unum officium pro alio recitare non est mortale, nisi illud quod omittis valdè multum excedat. Quod si contingat in aliquibus horis te errasse legendo v. g. de feria, quando erat de festo, vel contra, non teneris lectas repetere, neque debes in eodem officio pergere, sed in horis eo die currentibus procedendum est: præstat enim in parte, quam in toto officio errare. *Leosius, Lugo.*

9. De substantia præcepti est pronunciatio vocalis exterior: ad quam requirit. *Suar. & Reginal.* ut saltem quis seipsum audire possit, cùm solus legit: sed probabile est pronuntiationem tam expressam non requiri, cum Ecclesia eam nuspiam præcipiat, uti docet *Azor, Bonac. Diana &c.*

10. Continuatio lectionis Horarum ita requiritur, ut interruptio unius horæ notabili tempore sine causa facta sit veniale: cum justa causa nullum est peccatum. Singuli enim Psalmi sensum habent perfectum & completum, *Lessius, Layman, &c.* Nocturnum unum ab alio per duas horas separare quavis ex causa licitum videtur, imò antiquitus dividi solebant, *Bonac. Escob. Fil. &c.* Matutinum à laudibus integrâ nocte dividere, nullum omninò peccatum est. *Escob. Fil. Sanch. Diana p.5. tr. 14 resol. 48.*

11. Tempus à jure, aut consuetudine præfixum nunc obtinuit, ut Matutinum & Laudes diei sequentis vesperi horâ quartâ, aut etiam tertiâ licitè recitentur. *Bonac. & plures alii.* Et hyeme mediâ horâ ante

ante solis occasum dici posse citra privilegium extra dubium esse docet *Filliucius aliique.*

12. Veniale est Matutinum sine ulla causa ad vesperum differre, vel ante prandium Vesperas. & Completorium absolvere. Quia hæc est aliqua inordinata officii inversio. Quod si Missionarium iter, aut alios alia urgeat occasio, licitum erit mane omnes horas absolvere usque ad vesperas inclusivè.

13. Requiritur etiam devotio, sive attentio interna, saltem virtualis & confusa, sive ad sola verba, quam sufficere docet *Cajetanus*, & consentit *Lessius*, modo adsit animus orandi, & vacandi Deo. Nimis autem laxa videtur opinio *Navarri*, *&* *Sylvestri*, quibus sufficit sine ulla attentione interna excludi omnem actionem aliam, cum qua attentio nequeat consistere, ut scriptionem, studium, aut lectionem.

14. Qui voluntariè distractus in magna officii parte ullam omninò attentionem adhibuit, mortaliter peccavit, & tenetur ex sententia communi Horas sic lectas repetere, & fructus illi officio respondentes non facit suos. Ratio, Quia qui tenetur ad officium ex præcepto, ad orationem obligatur, lectio autem sine omni attentione interna non est oratio. *Ita Navar. Suar. Regin. Bonac. aliique communiter.*

15. Si quis ob evagationem mentis dubitet, an aliquid in officio omiserit, modo habeat probabilem conjecturam, se id recitasse, quia v g. cœpit ab initio eum attentione legere, præsumere potest, se satisfecisse. *Laym. Binsfeld. &c.*

Quares, An Beneficiarii teneantur semper ratione Beneficii Horas Canonicas recitare?

Respondeo aliquando non teneri: Primò non tenentur ante acceptam possessionem beneficii: vel quando sine sua culpa nullos fructus percipiunt, nec postea percipient. Quia tales non habent beneficium completè, & quoad omnes illius effectus. Et ita cum aliis docet *Layman. hic lib 4. tract. 2. cap. 5. num. 1.* Secundò, Probabile est idem dicendum de eo qui habet quidem possessionem beneficii, sed ex licẽtia aut dispensatione non residet, & interea fructus non percipit. Quia obligatio illa est propter sustentationem, quæ hic non est conjuncta cum beneficio, ita docet hic *Sanchez, Trullenc. l. 1. cap. 7. aliique.*

Tenentur tamen probabilius illi, qui primo, aut etiam secundo anno fructus non percipiunt ex eo tanto titulo, quod fructus assignentur fabricæ aut prædecessori defuncto pro funere &c. Quia illi per hoc satisfaciunt fabricæ pro reliqua vita quã fructus accipiẽt: & post mortem fruentur eodem privilegio pro expensis funeris quod

prædecessoribus præstiterunt; *Suarez. Reginalibus. Bonacina, Layman, hic cap. 5.* Negat tamen cum quibusdam *Cajetanus & Lessius* quia tales possint vel mori, vel resignare beneficium, & sic prædicto privilegio carere.

Quando in Missionibus periculosum videtur Breviarium circumferre, aut aliud impedimentum occurrit, à quibus peti possit dispensatio, officium in Rosarium, aut alias preces commutandi, invenies supra *p. 2. in facult. mission. num. 23. pag. 390.*

Quando autem aliquis habens simplex beneficium propter omissionem Horarum tenetur ad restitutionem fructuum quos non fecit suos, datur praxis obtinendi condonationē recurrendo ad Pœnitentiariam Apostolicam, juxta normam quam tradit Marcus Leone in *praxi Litter. Pœnit. pag. 522.*

CAPUT. V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DE hoc Sacramento pleraque tradidimus supra *tract. 2. & 3. per tot.* ubi actum est de Absolutione, & Confessione Sacramentali. Nunc de virtute pœnitentiæ prout se habet tàm extra, quam intra Sacramentum.

Dico primò: Pœnitentia est animi dolor, ac detestatio, de peccato commisso, cum spe veniæ, & proposito non peccandi de cætero, Colligitur ex Trid. *sess. 14. c. 4.* & est contra Lutherum & plerosque hujus temporis Sectarios, qui pœnitentiam nolunt consistere in dolore de peccatis præteritis, sed in solo amore justitiæ, ac vitæ novæ, usque adeo omne quod dolorem sonat à se procul amovere nituntur, parum memores Ninivitas in cilicio & cinere Pœnitentiam egisse *Matth. 11.* præter alia quæ in Scripturis memorantur asperioris pœnitentiæ exempla.

Pœnitentia sive detestatio peccati, alia est charitate perfecta, quæ scilicet ex Dei amore procedit, & contritio vòcatur; alia est imperfecta, sive attritio, quæ concipitur ex inferiori motivo, v. g. ex timore gehennæ, aut alterius pœnæ propter peccatum à Deo infligendæ.

Dico secundò: Dolor sive contritio de peccatis ex motivo amoris Dei super omnia peccatorem justificat etiam extra Sacramentum. Probatur primò ex Prover. cap. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo* 2. ex Trid. *sess. 14. cap. 4* ubi asserit, *Contritionem aliquando Charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare.* Ubi *aliquando* non ad reconciliationem, sed ad Charitatis perfectionem refertur. Favet denique praxis fidelium, per quam peccator contritus omnia

Sa-

Sacramenta vivorum, præter Eucharistiam, accipere potest. Et inter Bajanas reprobata est prop. 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

Dico tertiò: Ut illa Contritio extra Sacramentum justificet, debet tendere in Deum propter se, sive ut est in se amabilis, non propter bonum nostrum: & illum appretiare super omnia mortalia non remissa.

Prima pars probatur; Quia ad justificationem extra Sacramentum requiritur perfecta aversio hominis à creaturis, & perfecta conversio ad Deum, sicut illum *ex toto corde* quæramus, uti passim loquitur Scriptura: homo autem non habet perfectam conversionem à creaturis ad Deum nisi per affectum, quo Deus propter se diligitur. Nam per actum Spei homo se ipsum amat, quia sibi optat & sperat aliquod bonum aut beatitudinem: per actus aliarum virtutum amat tantùm honestatem aliquam creatam illis virtutibus propriam, aut fugit inhonestatem, aut turpitudinem, aut pœnam peccati; ergo per tales actus sine benevolo Dei amore extra Sacramentum non justificatur.

Declaratur secunda pars, quod debeat Deum appretiare super omnia. &c. Quia si cum illo amore consistat affectus ad aliquod mortale, homo non est adhuc perfecte sive ex toto corde ad Deum conversus; cum autem alia mortalia, quæ detestatur non possint sine isto peccato remitti, peccator ex vi amoris tam imperfecti ad Dei gratiam & amicitiam non admittitur.

Ut autem illa Contritio censeatur se extendere ad omnia mortalia, necesse non est singula in ea distinctè recogitari, sed sufficit cognosci confusè: & peccatorem sic esse animo comparatum, ut ad destruendum peccata commissa nullum velit medium recusare, etsi media ad hoc necessaria distincte non revolvat.

Et quamvis in assertione dixerim, hominem non justificari per amorem quo diligimus Deum *propter bonum nostrum*, sive quia nobis bonus & beneficus est, si in eo solùm motivo sistatur; multum nihilominus confert divinorum in nos beneficiorum consideratio, ut per illa tanquàm per gradus ascendamus ad amorem perfectum bonitatis divinæ in se, ex qua tanquam perenni fonte tanta in homines beneficia promanant.

Dico quarto: Ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ sufficit attritio efficax & supernaturalis, qualis concipitur ex timore pœnæ sive gehennæ, à Deo justo Judice infligendæ. Patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi agens de Attritione sic loquitur; *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ,*

impetrandam disponit &c. Hæc quidem doctrina multis nuper argumentis impetita est, sed quibus hæc Attritio nihil attrita est, quin potius à frequenti argumentorum collisione visa est clariùs scintillare; accedente etiam Alexandri VII. Decreto graviter inhibente hanc doctrinam ullâ censurâ Theologicâ notari. Sed hanc Controversiam latius deduximus supra *part. 3. tract. 1. quæst. 21. à. pag* 336.

Non sufficit tamen Attritio existimata, nisi eam verè habeas. Quia verus, & formalis dolor est pars essentialis hujus Sacramenti, Unde peccat graviter, qui etiam sola peccata levia sine omni dolore formali confitetur. *Lugo. Diana p. 3. tr. 4. resol.* 116.

Non est autem necesse, ut dolor ille ad omnia venialia, quorum Pœnitens est conscius, se se extendat: debet tamen ad omnia, quæ confitetur mortalia extendi, *Suar. Laym. Lugo, &c.*

Non absolvitur, qui dolet tantum propter infamiam, damna aliasve pœnas temporales in illis præcisè sistendo, etsi contingeret id fieri ex inculpabili ignorantia. Quia non est dolor supernaturalis; nec ignorantia, aut bona fides potest hic supplere defectum essentialem. *Bonac. aliique communiter.*

Non habet sufficientem dolorem & propositum emendandi, qui non vult occasiones proximas peccandi amovere, quando potest sine gravi damno, vel recusat alteri ex animo ignoscere, vel satisfacere iis quibus ex justitia obstrictus est. Quia non potest esse verum propositum, cum quo stat adhuc voluntas peccandi, quæ censetur remanere dum liberè omittit tollere causam, ex qua videt peccatum secuturum.

Qui nihil cogitans de Confessione, attritionem elicuit, non referens eam ad Sacramentum, invalide ad illud sine novo dolore accedit: quia pars debet referri ad compartem, ut unum Sacramentum constituant, *Suar. Bonac.* Contrarium videtur docere *C. Lugo d. 14. sect.* 4. quod non est improbabile. In praxi probabile est illum qui paulò ante confessus est cum dolore universali, v. g. moribundum, si iterum confiteatur novo dolore non indigere *Lugo, Diana p. 9. t. 3. r. 5.*

Redire sæpè cum eodem peccato etiam mortali, non est certum signum adesse verum dolorem, si in pœnitente aliundè appareat præsens detestatio, & media à Confessario præscripta adhibere desideret. Qua in re cavendum est, ne Pœnitens nimiâ severitate avertatur, aut ex alia parte nimiâ lenitate in peccandi consuetudine foveatur. *Suarez in 3. p. d. 32. sect. 2. Sanchez, Lugo, &c.*

Quamvis igitur tali pœnitenti pro remedio possi aliquando differri absolutio, præsertim cum ipsius consensu nullũ tamen est præceptum

ceptum aut obligatio sic differendi, quando adest talis detestatio, & propositum emendationis. Quia nec Christus, nec Ecclesia illam dilationem præscribit: nec apparet ratio cur pœnitens post frequentes lapsus non possit esse verè contritus, & ritè dispositus.

Nec audiendi sunt, cum Montaltio *Epist.* 10. aliqui recentiores, qui objiciunt authoritatem S. Caroli Boromæi, S. Xaverii, & quorundam, ut ajunt, Conciliorum.

Respondeo enim, illos non asserere dilationem illam esse præcepti, sed aliquando esse rem consilii: aut quando peccata sunt enormia cum publico scandalo conjuncta, quod prius tolli debeat.

Objicitur secundò, pravos peccandi habitus tantum expelli per actus contrarios: Ergo anteaquam peccator absolvatur, debet in contrariis actibus exerceri.

Respondeo, futilem esse consequentiam, possunt enim habitus vitiosi consistere cum sincera detestatione actualis peccati, imo esse in homine Justo & Sancto cum statu gratiæ. Quod si ante absolutionem deberent esse expulsi habitus vitiosi, sæpè nec absolvi posset moribundus de peccatis maximè contritus: nec pœnitens qui sæpius confiteretur sola venialia, qui nondum præcedentium peccatorum habitus expellere potuit, quod quivis absonum judicabit.

Objiciunt tertiò, Priusquam peccator absolvatur debet Deum sibi conciliare & placare: Ergo debet emendationem absolutioni præmittere.

Respondeo distinguendo antecedens: Peccator debet prius Deum sibi conciliare per actualem vitæ emendationem, nego, ut probat instantia, quam jam adduxi de moribundo contrito: debet prius Deum sibi conciliare per emendationem in voto, sive efficaci emendationis proposito, concedo; hoc autem propositum omnes requirimus.

Objiciunt quartò, Nec maritus ignosceret uxori sæpius adulteranti, nec Princeps militi proditionem sæpiùs molienti, etiamsi serio dolerent. Ergo nec Deus peccatori sæpius relabenti.

Respondeo neg. consequentiam, quæ quantum claudicet patet ex eo, quod illi plerumque ne quidem prima vice adulteræ aut proditori ignoscerent, quorum animum inspicere non possunt: an idem de Deo, aut Christo affirmabis? qui dixit Petro Matthæi 18. *Non dico septies, sed usque septuagies septies.*

Ex hactenus dictis patet, materiam Sacramenti pœnitentiæ esse dolorem debitum de peccatis, Confessionem, & Satisfactionem: de his supra *tract.* 3. actum est à *pag.* 395.

Forma autem Sacramenti pœnitentiæ sunt verba Absolutionis: *Ego te absolvo à peccatis tuis,* in quibus probabile est ad valorem suffi-

sufficere, *Absolvo te.* Est tamen gravis obligatio addendi cætera verba, præsertim in articulo mortis, cum non satis constet sine illis subsistere valorem Sacramenti.

Orationes præviæ & subsequentes formam, ut *Misereatur &c.* & *Passio Domini, &c.* quæ secundum Tridentinum laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis; & ex rationabili causa omitti possunt, v. g. si breves sint Confessiones, vel multi confitentes: tunc enim sufficit dicere, *Absolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris &c.* vel si timeatur ne pœnitens habeat censuram, dicendum est, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis.*

Forma integra Clementis VIII. in Rituali Romano expressa, ut ea omnes utantur, tradita est supra *par 3. tract. 3. in fine.*

Nota etiam motiva valdè idonea ad concipiendum dolorem, & formam variam eliciendi actum Contritionis pro hoc Sacramento reperiri infra in praxi assistendi moribundis in fine hujus Operis: Item remedia & documenta contra singulas species peccatorum, traduntur infra *tract. 6. in fine.*

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

DEfinitur, Sacramentum novæ Legis constans Unctione Olei sacri, & Sacerdotis deprecatione, ordinatum ad salutem moribundi, quoad animam & corpus. Institutum videtur unà cum Pœnitentia à Christo post Resurrectionem. Promulgatum est apertè Jacobi 5. ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes illum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit remittentur ei.* Quibus verbis indicatur Minister, subjectum, materia, forma, & effectus, qui est etiam remissio peccatorum, hæc autem remissio non fit sine infusione gratiæ, quæ sunt omnia ad verum novæ Legis Sacramentum necessaria.

1. Hinc dicendum primò, materiam remotam hujus Sacramenti esse Oleum benedictum: quod renovandum est quotannis in Cœna Domini, veteri exusto: si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo; & si hoc non sufficiat, aliud consecratum, vel in necessitate non consecratum (in minore tamen quantitate quam vetus est) addi potest. Non esse tamen alienum à praxi Ecclesiæ, ut paulatim & per vices (si ita requirat necessitas propter copiam infirmorum) longè major quantitas addatur, quam ab Episcopo fuerit consecrata. *Diana, Bonac. Lessius, & alii.*

2. Ma-

2. Materia proxima est unctio certarum partium corporis, saltem quinque sensuum, vel si mutilati sunt, vicinarum partium, facta à Sacerdote: non necessario id fit contactu immediato manus: nam peste grassante potest uti virga oblongâ Oleo tinctâ, quam posteà comburat. *Sylv. Chapeavill. Diana.*

3. Sunt, qui putent unam tantum Unctionem esse de essentia Sacramenti, adeòque in periculo pestis, & simili necessitate sufficere inungere unum tantum organum maximè obvium, vel potiùs caput, quod in eo sensus maximè vigeant, dicendo: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactum &c.* Verùm cum alii Doctores communiter repugnent, tutiùs erit (quod suadet *Laym & Dian.*) eo casu unum oculum, aurem, manum, narem, & os velociter sine crucis forma ungere, dicendo unicam formam complectentem reliquas. Illud verò certius est, pedes, aut renes inungere non esse essentiale: imò quoad renes non est decens, præsertim in fœminis, & viris religiosis, ideoque in illis omitti solet. *Henriquez, Sà, Tol. Suarez. Bellarm. hic cap. 10. in fine.*

4. Hoc Sacramentum tantùm dandum est in mortis periculo ex morbo, vulnere, partu, vel senectute: quia hi soli sunt infirmi. Iterari potest quoties occurrit novum periculum moraliter diversum vel in eodem, vel in alio morbo: neque expectare licet, donec usu sensuum careant, vel omninò sint desperati. In dubio verò de vita, dandum erit sub conditione *Laym. Sylv. Suar.*

5. Ordinariè, nisi obstet causa rationabilis, præmittenda est Confessio & Communio ob Ecclesiæ consuetudinem, *Bonac.* Licet per se loquendo Confessio non necessariò præmittatur, cum ungendus disponi possit per Contritionem; per accidens tamen prærequiri potest, v. g. si post viaticum peccasset mortaliter, & timeretur post Unctionem non futurum tempus Confessioni, Sacramenta enim magis necessaria tali casu pro securitate priùs suscipi debent, *Fill. Barb. Diana p. 5 tract. 3. resol. 92.*

6. Pueris rationis usu præditis sufficienter ad peccandum, etsi sacram Eucharistiam nondum receperint, malè negatur Extrema Unctio. Quia nonnumquam illorum salus ex robore indè ad extremam luctam acquirendo possit dependere, *Suar. Angl. apud Laym. l. 5. t. 8. c. 4.* si dubitetur an puer habeat usum rationis, ungendum esse sub conditione docet *Lugo, Sanch. Dian.*

7. Pastor ex officio tenetur sub mortali dare petentibus Extremam Unctionem, nisi obstet causa rationabilis; etiam tempore pestis, si

absit

absit periculum vitæ, cum enim non sit Sacramentum absolutè necessarium, cum tali periculo non teneri docet *Tanner. Dian &c.* Quòd si peste infecti sint confessi, posse sine peccato omitti, absolutè docent *Dian. Villalo. Tann. Suar. & alii plurimi.*

8. Sacerdos alius, si absente Parocho facilè & licitè possit, tenetur ex Charitate ministrare, tantùm sub veniali, nisi tamen ægrotus valdè indigeret, ut si esset sine omni Sacramento moriturus; tunc enim quidam graviorem obligationem agnoscunt apud *Dian, Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3.*

9. Etsi perpetuò amentes non sint capaces Extremæ Unctionis, delirantibus tamen administrari debet, si videantur eam petituri si cogitarent, aut doloris signum aliquod præbeant. *Laym. Sylv. Henriq.* Quod maximè dicendum est de phræneticis, quando aliud Sacramentum suscipere nequeunt. *Barbosa, Dian. p. 5. tr. 3. resol. 84.*

10. Muti, surdi, & cœci, debent etiam inungi prope organa sensuum quibus carent. Quia licet per illos sensus exterius peccare non potuerint, delinquere tamen poterant per potentias internas illis respondentes, vel desiderium actus. *Præpositus, Possen. Nald. Diana. p. 5. tr. 6. resol. 11.*

11. Nolle hoc Sacramentum suscipere, aut alteri procurare, secluso contemptu, aut scandalo, aut salutis periculo, non est peccatum mortale, uti docet *Suarez, Laym. Tanner. &c.* Veniale tamen esse id spontè negligere plerique admittunt.

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

§. I. *Materia, forma, & conditiones variæ ad sacros Ordines requisitæ.*

ORdo est Sacramentum, quo confertur potestas ad functiones sacras, præcipuè ad Eucharistiam ritè administrandam. Verum esse Sacramentum à Christo institutum, ex Scriptura, Patribus, & Primitiva Ecclesia, probatur suprà in *Controv. part. 1. cap. ult.*

1. Prima tonsura non est Ordo, sed tantum dispositio ad Ordines suscipiendos, per quam redditur homo capax Privilegiorum Clericalium.

2. Septem autem numerantur Ordines, nempe Ordo Acolyti, Lectoris, Exorcistæ, Ostiarii, qui dicuntur Minores; Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium dicuntur Ordines majores, ob annexam illis obligationem perpetuæ castitatis: probabile tamen est Ordinatum per gravem metum, minas, blanditias, & importunitatem

Parent-

Parentum illam obligationem non incurrere, nisi posteà eam ultrò ratam habuerit. *Sanch.d.29.Azor.Con.Fil. Bonac.*

3. Hujus Sacramenti materia remota est certum instrumentum quod tradi solet Ordinandis; proxima est ejusdem traditio & acceptatio. Probabilius est istius instrumenti contactũ physicum & immediatum requiri ad valorem; ut unâ saltem manu tangatur: ex præcepto autem ad securitatem requiritur ut utrâque manu attingantur singula, v. g Calix cum patena, & hostia imposita: idque eo tempore quo forma ab Episcopo profertur; *Laym. Fil. Bonac. Diana, p. 8. tract. 1. resol.* 40. Additur huic alia forma cum impositione manuum Episcopi, quâ confertur potestas peccata remittendi.

Quærit *Card. Lugo respon moral. lib. 1. dub.* 33. An Sacerdos, qui non tetigit Calicem & patenam dum forma proferebatur, sed immediatè post debeat vel possit iterùm sub conditione ordinari? Et resolvit dictum Sacerdotem posse in prima Ordinatione acquiescere: non peccaturum tamen, si ad majorem animi sui quietem iterum sub conditione ordinetur, quod etiam Episcopus licitè poterit in ejus gratiam præstare. Quia quamvis probabile sit isto casu nullam esse obligationem iterandi, probabile tamen videtur, saltem per principia extrinseca, posse iterùm sub conditione ordinari, propter authores aliquos antiquiores, qui primæ Ordinationis valorem negarunt.

4. Episcopus extra suam Diœcesim potest subditis suis conferre primam tonsuram: quia hæc non est Ordo. *Bonac. Dian. & alii.*

5. Quando dubium occurrit, an Ordo sit verè collatus, v.g. quia materia fuit dubia, iterari potest & debet sub conditione. Quando verò sunt rationes utrimque probabiles prò nullitate, & validitate, ait *Diana part. 5. tract 3. res. 47. ex Gran* posse iterari sub conditione; imò debere, si sit Ordo Episcopalis vel Sacerdotalis: v. g. si Sacerdos vel Episcopus non tetigisset vasa sacra, aut illud instrumentum, in cujus porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacerdotem qui immediatè tetigit patenam, sed non hostiam. Rectè autem notat *Diana*, etiamsi quis timeat ne invalidè ordinatus sit, aut non recordetur se tetigisse vasa sacra, aut non tetigisse imaginetur, non illicò iterandum esse Ordinem; cum sola oblivio vel timor non sufficiat ad prudens vel rationabile dubium.

6. Qui in una Diœcesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, à quovis trium istorum Episcoporum potest Ordines, vel dimissorias accipere, uti docet *Prep. q. 1. d. 14. Laym. l. 5. t. 9. c. 9. Dian. p. 8. t. 2. r. 8. & 9.* ubi cum *Aversa & aliis* 3. contra *Barbos:* dicit, etsi ab uno eorum acceperit Ordinem unum, posse alterum ab alio accipere.

7. Studioſi qui in Univerſitate habitant (etiam ultra decennium) animo redeundi in Patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeò ab ejus loci Epiſcopo ordinari non poſſunt.

8. Ut ordinatio ſit valida, ſufficere poteſt ut ſit mas, qui ordinatur, & fuerit baptizatus, S. *Thomas p. 3. q. 34. ar. 2. aliique.*

Hinc puer baptizatus, cui fuiſſet Ordo collatus ante uſum rationis (quamvis illicitè) verè tamen & validè eſſet ordinatus. Nam uti Baptiſmus, ita Ordo & alia Sacramenta, quæ pro materia aut forma non habent actum ſuſcipientis, ſicut habet Pœnitentia & Matrimonium, validè conferuntur, etſi abſit in ſuſcipiente uſus rationis, uti cum aliis tradit *Leſſius hic cap. 6. dub. 2.* Qui tamen ſic eſſet ordinatus, poſtquam perveniſſet ad uſum rationis, non teneretur ad votum caſtitatis: quam ſi ſervare nolit ſuſpendendus eſt ab Ordinū executione. In adulto ut validè ordinetur &c. conſenſus aliquis requiritur, qualem expoſuimus ſupra *cap. 1. §. 2. aſſer. 2. & 4.*

9. Ut autem Ordo licitè & ſecundum Eccleſiæ jura ritè accipiatur, aut non incurratur cenſura, requiritur in recipiente præter ſtatum gratiæ. 1. Ut non ſit Neophytus vel infàmis, vel hermaphroditus, vel irregularis, ſuſpenſus, excommunicatus. 2. Animus clericandi, *Trid. ſeſſ. 23. cap. 4.* ſine quo ſi primam tonſuram vel Ordines minores accipiat, videtur peccare ſaltem venialiter (niſi juſta cauſa excuſet) quia fraus eſt levis. Similiter venialis inconſtantia videtur, ſine juſta cauſa ſtatum illum clericalem deſerere. 3. Ut ſit confirmatus *Trident. ſeſſ. 23. c. 4.* Et hoc obligat ſecundùm *Bonac. d. 8. p. 5. num. 10.* ſub mortali; ſecundùm *Sotum, & Con.* ſub veniali. 4. Si ab alieno Epiſcopo Ordines ſuſcipiat requiruntur litteræ dimiſſoriæ (etiam pro prima tonſura) Epiſcopi proprii, ſive originis, ſive beneficii, ſive domicilii. *D ian. aliique p. 3. t. 4. reſol. 194.*

10. Requiritur etiam ut Ordo ritè conferatur *titulus* ſuſtentationis, aut patrimonii, vel beneficii, vel paupertatis in Regularibus, *Trid. ſeſſ. 21. c. 2. Ordo debitus* temporis obſervandus eſt in ſuſceptione unius Ordinis poſt alium: hinc Diaconatum ſuſcipere ante Subdiaconatum mortale peccatum eſt: Suſceptio autem Epiſcopatus ante Sacerdotium invalida erit.

11. Requiritur etiam *tempus* certum & *interſtitia*, ſine quibus Ordines illicitè conferuntur abſque diſpenſatione, aut privilegio.

12. Denique *Ætas*, in qua *ordinariè* Epiſcopus non poteſt diſpenſare; & ſic pro prima tonſura, & minoribus requiritur ſaltem ſeptennium completum; licet *Quintan. tract. 6. ſing. 21.* contra *Sanch. &c.* putet ſufficere inchoatum. Pro Acolytho annus 12. completus, *Fill. tr. 9. c. 4. num. 28.* Pro Subdiaconatu vigeſimus ſecundus. Pro

Dia-

Diaconatu 23. Pro Sacerdotio 25. omnes incepti. Pro Episcopatu 30. completus. *Vid. Bon. d. 8. q. 1. Fill. tr. 9. cap. 4. Laym. l. 5. tr. 9. cap. 6 & 7. Dian. p. 3. tr. 4. R. 192.* Si autem dubium sit, an quis ætatem requisitam habeat, v. g. pro Sacerdotio, an annum 25. ingressus sit, ordinari non potest, *Sanch. Laym. Bardi. d. 6. cap. 11. p. 6. §. 2.* Peccat autem tam ordinans quàm ordinatus, si desint qualitates & conditiones suprà requisitæ.

Quæres, An aliquis ordinari possit Sacerdos, extra missionem, sine alio titulo quàm deputationis ad certam missionem? Respondeo id fieri posse ex designatione eorum, qui facultatem acceperunt illum titulum quibusdam personis applicandi, qualem facultatem per Bullam Pontificiam plerumque habent pro suis alumnis qui præsunt Seminariis missionum.

Quin & ab Episcopo Vicario missionis Hollandiæ ordinari posse aliquem sibi nullo modo subditum, solo titulo deputationis ad eam missionem, docet *Veriuys tr. 12. art. 1.* Quia talis deputatio habet rationem beneficii, non tantùm simplicis, sed etiam Pastoralis, cùm Missionarii soleant habere facultates pastorales.

Pro Missionibus quomodò & cujus facultate conferri possint Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, & dispensari in ætate jure communi requisita, vide suprà in *mission fac. 26. & 27. pag. 390.*

§. II. *Singulorum Ordinum scientia, ritus, officia, privilegia, &c.*

UT sciant *Neomistæ* quo modo debeant se ad sacros Ordines præparare, & in iis actu suscipiendis se gerere, commodum erit si diligenter advertant sequentia.

1. Quoad Scientiam, constat ex Canonibus illitteratos non posse promoveri ad Ordines etiam minores. Per *Illitteratos* autem intelligendos esse linguæ Latinæ ignaros, declaratur ex Tridentino *Sess. 23. c. 11*, ubi statuit, ut, *Minores Ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligunt, conferantur.* Quo in genere gravis est sententia Concil. Lateran. Can. 29. *Si* (Prælati) *ignaros & rudes ordinare præsumpserint, & Ordinatores & Ordinatos gravi decernimus subjacere ultioni.*

In illis tamen qui primos Ordines suscipiunt minorem hujus linguæ & doctrinæ peritiam quam in progressu requiri colligitur ex ipso Trident. eadem *Sess. c. 11. Atq; ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vita meritum & doctrina magis crescat.*

Sed *quæstio* est quantam doctrinæ mensuram debeant Episcopi aut Examinatores exigere ab eis, qui ad majores Ordines promoventur? Respondetur; eam mensuram optimè determinari ab ipso Tri-

dent. Seff. 25. cap. 13. *Subdiaconi & Diaconi ordinentur habentes bonum, testimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.* Ubi cum Concilium tantum requirat scientiam necessariam ad exercitium Ordinis quem actu suscipiunt, non decet ad alia divagari: nam si velint per Confessiones aliaque ministeria saluti animarum ulterius vacare, de scientia ad Pœnitentiæ tribunal requisita aliud examen in ordine ad Approbationem instituitur, uti fusiùs advertit *Caspar Hurtado de Ordin. diff. 12. aliique.*

2. Nulli licet ad suscipiendos Ordines accedere, qui sit filius naturalis vel illegitimus, sine prævia dispensatione, aliàs fieret irregularis *c.1 de fil.presb.* Ad minores autem Ordines dispensat Episcopus, ad Majores solus Pontifex lege ordinariâ: cum intrante Religionem jus commune ad omnes Ordines dispensat.

3. Nullus admittitur ad sacros Ordines, qui sit notatus aliquo crimine notorio depositione digno ante obtentam dispensationem. Peccata autem notoria depositione digna habentur in jure Adulterium, perjurium, homicidium, falsum testimonium, quando ita sunt publica, ut nullâ possint tergiversatione celari.

4. Peccat mortaliter, qui ad Ordines accedit cum conscientia cujuscunque peccati mortalis. Moris proindè est, ut præmissâ Confessione Ordines suscepturi de manu Episcopi sacram Communionem devotè accipiant. Vide alias conditiones §. sup. expressas. Quoad ritus & officia singulorum Ordinum.

5. Suscipitur *Subdiaconatus* hoc modo. Primò amictus capiti ordinandi ab Episcopo imponitur, & manipulus in brachio, & dalmaticâ induitur. Postea datur illi ab Episcopo liber Epistolarum, dicendo: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem eas legendi in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis quam defunctis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Huic etiam ab Episcopo datur Calix vacuus, cum patena, & urceolis cum aqua: & bacile cum manutergio ab Archidiacono dicente: *Vide cujus ministerium vobis traditur &c.*

Officium Subdiaconi est, Calicem & panem ad altare portare, vinum celebranti ministrare Evangelium, non è pulpito prædicare, ordinandos & baptizandos offerre.

6 Pro *Diaconatu*, Postquam Episcopus dixit, *Accipe Spiritum sanctum ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini:* & postquam dedit stolam super humerum sinistrum, porrigendo librum Evangeliorum ait *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam defunctis in nomine Domini, Amen.* Item Episcopus ponit manum super caput ejus dicens, *Emitte*

in

in eum quæsumus Domine Spiritum Sanctum &c. & præbet ei stolam. Cum traditione Evangelii sentit D. Thomas imprimi Characterem.

Officium Diaconi est pauperum curam gerere, Episcopis & Presbyteris ministrare, Evangelium prædicare, non tamen è loco superiori, item ordinandos & baptizandos offerre.

7. Pro forma *Presbyteratus*, Postquam Episcopus reflexit stolam ab humero sinistro in dexterum in modum crucis dicendo, *Accipe jugum Domini, jugum enim suave est, & onus ejus leve.* Et postquam dedit vestem sacerdotalem, & consecravit manus dicendo, *Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas per istam Unctionem, & nostram benedictionem:* porrigendo Calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia superposita, dicit, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo. Missasque celebrandi tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Domini.* Deindè imponendo ambas manus super caput illius dicit: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.* Imprimitur character in traditione Calicis & patenæ.

Officium Sacerdotis est docere seu prædicare, solvere & ligare, consecrare & Sacramenta administrare.

8. *Episcopus* consecratur cum assistentia trium Episcoporum, vel etiam unius Episcopi cum Pontificis dispensatione; assistentibus duobus sacerdotibus. Et constat hanc dispensationem variis fuisse concessam; sic enim Gregorius XIII. concessit Patriarchæ Æthiopiæ, qui erat Societatis Jesu, ut solus sine aliis Episcopis illic Episcopos ordinaret, ut testatur Henriquez *lib.* 10. *Summæ cap.* 24. Et in Belgio ex concessione Innoc. X. 1647. Fabius Chisius tunc Nuncius Apost. ordinavit Jacobum de la Torre in Archiepiscopum Ephesinum, assistentibus loco Episcoporum duabus personis in dignitate Ecclesiastica constitutis. Et Coloniæ ex dispensatione Innocent. XI. an. 1677 Opitius Pallavicinus Nunt. Apost. Paulum Aussemium Episcopum Armiriensem assistentibus duobus Abbatibus consecravit.

Quæres, An valida esset talis ordinatio si contingeret illicitè vel ignoranter fieri absque Pontificis dispensatione? Validam fore probabile putat Scildere de *de princip. Conscien. tract.* 2. *num.* 118. & Herinx *de Sacram. Ord. disp.* 10 *num.* 63. cum D. Antonino, Sylvestro, Aversa, Turrecremata, & aliis, qui censent unum Episcopum principaliter totam consecrationem perficere, & alios esse quasi coadiutores. Sed quia plurimi contrarium docent, & in hac materia pro valore Ordinis via tutior sequenda est, Episcopus sic ordinatus deberet sub conditione ritè reordinari, ut censet ipse Herinx, Scildere, & Aversa.

Porro in ritu consecrandi Episcopum, ille Episcopus qui Conse-

crator est, post varios ritus inungit Chrismate ambas Electi manus simul junctas primò in modum Crucis, & mox palmas integras, dicens, *Vngantur manus istæ de Oleo sanctificato, & Chrismate sanctificationis, &c.* Postea benedicit & tradit ei baculum pastoralem cum oratione, *Accipe baculum, &c.* Deinde annulum benedictum inserit digito annulari manus dexteræ, dicens, *Accipe Annulum fidei scilicet signaculum, quatenus Sponsam Dei sanctam videlicet Ecclesiam intemerata fide ornatus illibatè custodias, Amen.* Postremò, tradito ei Evangelio clauso recipit Consecratum ad Osculum pacis.

Munus peculiare Episcopi supra Sacerdotem est, quod possit Clericos ordinare, Virgines benedicere, Ecclesias dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes & vasa consecrare, Chrismate ungere, excommunicare, interdicere, & suspendere à Sacris. Has enim actiones requirit Ordo & gubernatio Ecclesiasticæ Hierarchiæ: quibus dignitas Archiepiscopi & Primatis aliquas prærogativas superaddit, ut est gestatio Pallii diebus quibusdam solennibus in Missarum celebratione, quod plenitudinem potestatis significat: prælatio Crucis in locis exemptis suæ Provinciæ: cæteris Episcopis suæ Provinciæ præsidere: cognoscere de eorum criminibus, & pœnam imponere, licet non possit procedere ad eorum depositionem, hoc enim Papæ reservatur, ut in cap. *de translat. Prælat. &c.*

9. Status Clericalis habet etiam quædam privilegia in jure Canonico sibi annexa, ut quod Clericus sub pœna excommunicationis non possit percuti, aut in rebus suæ personæ adhærentibus violari. Habet etiam privilegium fori, quod non possit capi & incarcerari à judice seculari, nec possit judicari aut puniri nisi à Judice Ecclesiastico, nisi hic ultrò potestati civili illum tradat puniendũ, Clerici etiam gaudent immunitate à solutione gabellarum aut vectigalium. Quæ tamen non extenduntur ad constitutum in minoribus tantum, nisi sit in via ad Ordines majores, post *Trid. Sess.* 23. *cap* 6. Quæ omnia, aliaque plura ubi viget potestas Ecclesiæ sub gravi cẽsura observanda sunt. Advertat tamen Clericus, per dimissionem habitus, & enormia flagitia posse amitti privilegium clericale, ex multorum sententia.

10. Clericis etiam Canones interdicunt quædam officia, artes, & actiones quæ eorum statum dedecent: ut exercere officium medici aut chirurgi ubi opus est incisione vel adustione: 2. Officium Judicis in causa sanguinis, aut Advocati, Patroni, Tabellionis in placitis secularibus: 3. Portare arma nisi in itinere: 4. Tabernas frequentare: 5. Venationi clamosæ vacare: 6 Exercere mercatu-

ram

ram aut negotiationem per seipsum lucri causâ. 7. Ludere aleis nisi recreationis causâ, illis autem ludere pro magna quantitate ob lucrum *Navarrus* mortale existimat: Ordines enim Sacri, uti hominem soli Deo consecrant, ita vitam requirunt irreprehensibilem, & à seculi moribus longissimè segregatam.

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

§. 1. *De Sponsalibus.*

1. SPonsalia sunt, promissio deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri Matrimonii, inter personas jure habiles. Hinc ad sponsalia non sufficit dicere, *Volo te accipere in uxorem*, quia non est promissio, sed propositum. Neque valida sunt contracta ante septennium, quia non præsumitur promissio illa deliberata esse. Quod si major septennio contrahat cum parte, quæ est infra septennium, tenetur ille quidem, non jure sponsalium, sed promissionis.

2. Neque subsistunt sponsalia inita per vim, dolum, errorem, vel ignorantiam circa substantiam, aut conditionem substantialem si sit notabilis, uti de voto, & aliis contractibus dici solet.

3. Ad sponsalia requiritur utriusque partis promissio, sic ut non coalescant etiamsi una pars promittat & altera acceptet, nisi hæc simul promittat, aut se obligare intendat. Quia requiritur promissio mutua & reciproca; nam sine hac promissione reciproca, contractus sponsalium in jure dicitur claudicare.

4. Si pater, vel Mater pro filio aut filia, aut Curator pro eo cujus curam habet *præsente*, vel non contradicente (dummodò metus absit) sponsalia contrahat, valida erunt. Quia in hoc casu jus accipit taciturnitatem pro expressione consensus. *Sanch. l. 1. d. 22. Dian. par. 3. tract. 4. resol.* 270. Imò etiamsi contrahat pro *absente*, si is resciēs id expresse vel tacitè signo aliquo sufficienti ratificet. *Sanch. Pont. Dian. p. 3. tr. 4. resol.* 271.

5. Quando verba & signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illa constet: in externo autem communi intelligentiæ, & sensui verborum; ita tamen, ut potiùs inclinetur in favorem Matrimonii. *Dian. par. 3. tr. 4. resol.* 205. *Bonac. q. 1. p. 1. aliique.*

6. Etsi utraque pars dicat, *non ducam aliam quam te*, non fiunt sponsalia. Quia illa verba sunt vera etiamsi pars maneret in cœlibatu.

7. Denique per munera reciprocè missa non censentur contrahi sponsalia. Si tamen Titius misit Caiæ annulum cum promissione Matrimonii, & illa promissionem hanc intelligens dixit, *recipio*, valida sunt sponsalia. Quia illa signa externa mutuum consensum, & promissionem sufficienter indicant. *Fil. Laym. l. 5. tr. 10. c. 2.*

8. Ex sponsalibus validè contractis resultant hæ obligationes 1. tenetur sub peccato mortali una pars inire Matrimonium, quando ab altera requiritur, nisi certus terminus præfixus fuerit: hoc enim omni contractui commune est. *Sanch Con. Diana p. 3. t. 4. R. 245.* Secundò, qui post sponsalia recusat promissum Matrimonium contrahere, cogi potest à Judice, etiam per censuras. Notant autem plurimi quòd illa coactio rarò feliciter succedat.

9. Si quis promisit animo simulato alteram ducere, per se loquendo ad nuptias non obligatur, damnum tamen inde exortum compensare debet. Si autem datâ promissione puellam ad copulam induxerit, eam ducere tenetur. Nisi tamen illa esset longè inferioris conditionis, v. g. vir esset nobilis, illa agricolæ filia, tunc enim illam dotando satisfaciet. Quod si illa conscia suæ disparitatis in copulam consenserit, etiam ad dotem jus amisit: quia censetur ipsa ultro decipi voluisse. *Vasq. Sanch. Bonac. Lessius, Laym. hic cap. 1. num. 10*

10. Sponsalia posteriora contra priorem fidem inita, tametsi jurata sint, aut copula etiam accesserit, sunt invalida, *Sanch. & Villalob.* Contrarium tenet *Pontius, Coninck. cum Diana p. 3. t. 4. R. 210.* Matrimonium tamen post sponsalia contractum cum altera est validum, licet injustum. *Bonac. p. 5. & 7. Laym. c. 1. n. 5.*

11. Ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia jure antiquo transeunt in Matrimonium per quævis signa externa maritali affectu exhibita, v. g. per copulam. Ubi vero Trid. receptum est, hæc signa non tenent, si sint clandestina sine parocho & testibus.

12. Dissolvuntur autem sponsalia, 1. per Matrimonium validum cum altera initum, ut supra diximus.

2. Per mutuam remissionem prioris promissionis.

3. Per impedimentum dirimens Matrimonium posteà superveniens.

4. Per enorme crimen unius partis solvuntur sponsalia ex parte innocentis. Tale crimen est hæresis, homicidium, furtum grave, fornicatio, & hæc quidem ante sponsalia ex parte Sponsæ commissa, si fuerit à Sponso ignorata. Imò si Sponsa liberè patiatur ab altero tactus impudicos, oscula & amplexus, potest Sponsus resilire: non potest tamen Sponsa resilire etsi eadem sponsus exerceat, nisi fiat in istis valdè enormiter notorius. Quia actus illi in Sponso non ita

ita redundant in dedecus Sponsæ, sicut vice versâ redundare solent.

5. Si superveniat notabilis mutatio, quæ ab initio cognita à contrahendis Sponsalibus deterruisset, v. g. odium grave inter Sponsos, insignis morum asperitas, periculum valdè probabile ex Matrimonio oritura scandala, aut gravia odia inter parentes, aut alios amicos. *Bonac Laym. &c.*

6. Si alteruter incidat in morbum qui solet esse perpetuus aut valdè diuturnus, ut morbus caducus, lepra &c. aut Sponsa mutiletur aut enormiter deformetur, aut sponsus amissione officii aut alio modo reddatur ineptus ad rei familiaris sustentationem. *Sanch. Con. Bonac Diana, Laym. &c.*

7. Si magna alterius partis debita detegantur, aut Sponsa promissam dotem præstare nequeat, vel Sponsus cum magno Sponsæ incommodo incipiat vagari, aut sine ejus licentia ad longinquas terras proficiscatur: quia tunc meritò censetur suo juri renuntiare.

8. Dissolvuntur quoque Sponsalia etiam jurata per ingressum alterius in Religionem, aut votum ingrediendi, aut Ordinis sacri susceptionem, *Bonac. Laym. &c.*

9. Quando prædictæ causæ sunt manifestæ, non requiritur authoritas judicis ad dissolvenda Sponsalia, alioqui requiritur. Quod si Sponsus cognito suo jure resiliendi, nihilominus carnaliter cognovit Sponsam, censetur tacitè juri suo renuntiasse, & sponsalia ratificasse *Laym. c. 2. n. 20. &c.*

10. Si contingat Sponso supervenire novam hæreditatem, ita ut illi Sponsa jam sit inæqualis, non habet ideò jus resiliendi, quia non est deceptus in conditione Sponsæ; in qua ulla facta est mutatio. Idem est de Sponsa si ipsi hæreditas nova superveniat. *Sanch. Con. Regin. Dian. p. 3. t. 4. r. 268.*

QUÆSTIO est, An virgo quæ contraxit sponsalia possit validè & licitè se solvere ab obligatione sponsalium de futuro, emittendo votum simplex castitatis in sæculo.

Respondetur affirmativè apud *Lessium in Auctar. cap.* 280. ubi in hanc sententiam adducit *Angelum, Sylvest. Richardum, Domin. Sotum in 4. dist. 27. q. 2. ar. 5.* Qui rem resolvit his verbis. „ *Utrum per votum castitatis dirimantur sponsalia, disputari solet: attamen in dubium vocari non debet, quo minus tale votum sit licitum, atque adeò sponsalia dirimens, cùm sit melioris frugis: quæ exceptio semper in sponsalibus implicatur.*

§. 2. *De Matrimonii valore, Ministro, usu &c.*

1. MAtrimonium est Sacramentum inter baptizatos, quo vir, & mulier legitimè invicem tradunt jus in mutua corpora,

in ordine ad perpetuam vitæ ſocietatem, & prolis ſuſceptionem.

2. Hujus Sacramenti materia proxima eſt mutuus conſenſus utrimque ſigno externo expreſſus,in quantum eſt prædicti juris traditio. Forma autem eſt idem conſenſus quatenus habet rationem acceptationis, ut docet *Suar. Vaſq. &c*

3. Miniſter Matrimonii non eſt Sacerdos; ſed ipſi conjuges,qui contrahendo ponunt conſenſum conjugalem, in quo conſiſtit materia, & forma hujus Sacramenti. Verba quæ hunc conſenſum declarant, debent eſſe de præſenti, v. g. *Ego te duco*, non autem, *ego te ducam*.

4. Matrimonium dicitur *ratum*, in quo nondum ſecuta eſt copula conjugalis. *Conſummatum* verò quando copula acceſſit. Probabile eſt Pontificem poſſe in Matrimonio rato diſpenſare.Certum autem eſt poſt matrimonium ratum & nondum conſummatum conjuges poſſe religionem intrare,aut ſi unus tantùm intraverit,poſt ejus Profeſſionem alterum cum quo voluerit poſſe contrahere. Jura cogitantibus de Religionis ingreſſu concedunt ab inito Matrimonio bimeſtre ad deliberandum ante conſummationem.

5. Ad valorem Matrimonii requiritur præſentia Parochi proprii, vel alterius Sacerdotis ex ipſius aut Epiſcopi licentia, ac duorum ſaltem teſtium, poſt Tridentinum *ſeſſ. 24. Cap. de reformat.*

Sufficiunt quicumq; teſtes, modò intelligant quid fiat; & ſufficit Parochus, viri, vel fœminæ, etiam in aliena Diœceſi,& etiamſi non ſit ipſe Sacerdos, & etiamſi præſens contradicat, aut vi detineatur; modo Parochus præſens cum teſtibus intelligat quid fiat, ſcilicet videndo, aut audiendo.

6. Denunciationes, ſi eſſet periculum in mora, poſſet Parochus poſtponere ex præſumpta Epiſcopi voluntate, & quadam tacitâ commiſſione. Poſſu t etiam eæ omitti volente Epiſcopo ex cauſa. *Sa, Perez, aliique ex Trid. ſeſſ. 24. cap.* 1. quod præcipit ut illæ fiant in parochia utriuſque contrahentis, ex declar. Cardin. & 3. diebus feſtivis continuis, non tamen immediatis, de quibus *Bonac. q. 2. p. 6. &c.*

7. Benedictionem omittere, aut ante eam conſummare Matrimonium per ſe non eſt mortale: quod ſi fiant hæc ſine cauſa eſt veniale, *Sa, Sanch. Bonac p. 4. q. 6. n. 2.*

8. Ætas ad valorem Matrimonii requiſita in fœmina ſunt anni duodecim completi, in viro quatuordecim, & ante ſi ſint potentes ad copulam ſimul:ſufficit verò dicta ætas etiamſi adhuc non poſſint coire: expectandum verò deindè uſque ad annum decimum octavum, ut judicetur an ſit perpetuum impedimentum; nec validatur illud Matrimonium per copulam poſtea ſequentem, niſi ad minimum

mum tacitus utriusque partis consensus accedat. *V. Sa, & Laym. hic cap. 12. num. 1.*

9. In dubio an sit legitimum Matrimonium primò initum, non est dissolvendum, sed secundò contractum irritandum. Nec uni soli juranti esse impedimentum post contractum credendum; semper enim in dubio præsumendum pro Matrimonio *Sa, Menoch.* Sanch. *l. 2. d. 45. n. 14.*

10. Non potest conjux cum altero contrahere nisi habeat certitudinem de morte conjugis. In dubio autem an talis certitudo habeatur, Judicis Ecclesiastici arbitrio judicandum relinquitur. *Sanch. Sa, Navar. c. 22. n. 56.*

11. Bonâ fide conjugati, non sunt admonendi impedimenti à Parocho, vel Confessario, quando probabiliter timeri potest magnum damnum, *Sa, Sanch Navar.*

12. Tenetur uxor virum migrantem sequi, nisi aliud esset inter eos conventum, & ipse non cogeretur aliquâ necessitate migrare, aut nisi insciens vagabundum duxisset, aut si ipse vellet inhonestè vagari, aut cum periculo animæ vel corporis, vel post Matrimoniũ factus esset vagabundus. *Covar. Navar. c. 14. n. 20. aliique.*

13. Uxor graviter peccat si marito non obediat in re honesta, & magni momenti. Quòd si vir bona familiæ deposcat ut ea prodigè expendat, potest uxor licitè ea negare, aut abscondere.

14. Qui certò scit Matrimonium suum esse invalidum, non potest debitum conjugale petere, aut reddere. Si sit dubius, etsi possit reddere, petere tamen non potest antequam veritatem debitè inquirat, posteà si nihil certiùs deprehendat, potest petere. & dubiũ deponere.

15. Si quis ad uxorem situ præpostero accedat sed in vase naturali, sine periculo effusionis seminis, probabiliter aliqui censent esse tantùm veniale, alii docent esse mortale. Si autem congrua ratio subsit, v. g. quod conjux sit gravida, quod sic major sit spes concipiendi, nullum omninò est peccatum.

16. Gravis est obligatio inter conjuges reddendi debitum conjugale, quando rectè & moderatè petitur. Si tamen uxor innocens sciat virum mœchatum esse, aut contrà, habet jus negandi si velit. Item, si indè metuat sibi grave damnum prolis, aut sanitatis, aut maritum insigniter ebrium advertat.

17. Non licet conjugibus in usu Matrimonii aliquid facere, ex quo conceptio prolis directè impediatur, etiamsi periculum in partu, aut paupertas ex multâ prole timeretur. Quia sic agerent contra finem principalem Matrimonii, quod est à Deo ordinatum ad prolis generationem. Possunt tamen propter tale periculum aut paupertatem cum mutuo consensu abstinere.

Quæ-

Quæstio est, An Matrimonium licitè contrahatur coram Ministro hæretico, postquam legitimè contractum fuit coram Sacerdote?

Respondet ad hunc casum negativè *Lessius Auctar. cas.* 24 quia apparet esse professio quædam religionis aut ritus hæretici, eo quod Minister videatur in hoc actu instar personæ sacræ adhiberi. Testatur tamen *Ioan. Veriuys Ord. Prædicatorum in suo Pastorali tr.13.art.7.* Illam esse praxim communem in quibusdam partibus Hollandiæ, & Confœd. Provinciarum, sine ulla Catholicorum contradictione; quia aliàs matrimonia illa non haberentur apud hæreticos legitima, cum magno Catholicorum incommodo, qui hinc non colligunt ullam ritus hæretici professionem, & Ministri apprecantis verba, habent tantum pro civili aut politica gratulatione, eoque magis quod hæretici non admittant Matrimonium verum esse Sacramentum.

§. III. De impedimentis Matrimonii.

IMpedimenta dicuntur alia *impedientia* tantum, quæ Matrimonium reddunt illicitum, sed non invalidum: alia sunt *dirimentia*, quæ & illicitum & invalidum constituunt. Prioris generis impedimenta sequenti versu exprimuntur:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Cathechismus, crimen, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

1. *Ecclesiæ vetitum*, est prohibitio Episcopi vel Parochi quæ fieri potest propter dubium de aliquo impedimento, aut inhabilitate inter Sponsos volentes contrahere.

2. *Tempus*, scilicet ab Adventu usque ad Epiphaniam inclusivè, & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ: quo tempore non est licita benedictio nuptialis, nec convivium, nec Sponsæ ad domum ductio. At sine his illo etiam tempore Matrimonium contrahere licet, & consummare: etsi quidam consummare negant licere, nisi cùm ritè est benedictum.

3. *Sponsalia* cum altera persona quamdiu non sunt ritè dirempta, Matrimonium cum alia impediunt.

4. *Affinitas* contracta per Catechismum inter respondentem & catechizatum: sed sublatum est hoc impedimentum per Concilium Tridentinum.

5. *Votum*, scilicet simplex castitatis, vel religionis, sive non nubendi *Sanch. &c.*

6. *Criminis* impedimentum est varium, primò uxoricidium, nisi esse in adulterio deprehensa, ut aliqui addunt.

2. In-

2. Incessus cum uxoris viventis consanguineis intra secundum gradum, nisi sit occultus.

3. Vi accipere alienam Sponsam.

4. Convictum esse in judicio Sacerdotem occidisse.

5. Solemnem agere pœnitentiam, dum illa durat.

6. Fieri patrinum filii, ne possit uxor petere debitum. Verum hæc criminis impedimenta per non usum sublata esse docet *Navar. Sanch. Con. Laym. hic cap. 15.* Potest in cæteris prædictis Episcopus dispensare, cùm est periculum incontinentiæ. Non debet autem, nisi urgente causâ, concedere tempore prohibito nuptiarum celebrationem, nec tunc etiam cum populi frequentia.

Impedimenta dirimentia memoriæ causâ hoc metro comprehenduntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, & impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

1. *Error*, scilicet cum creditur esse persona quæ non est, (secus si erretur in personæ qualitate, ut divitiis, aut nobilitate) aut à libro credatur esse liber qui servus est. Quòd si error qualitatis ad errorem personæ pertineret, dirimeret; ut si intendebat cum primogenito & hærede nobilis familiæ contrahere, cum talis non sit, sed secundus, aut tertius filius.

2. *Conditio* irritat, si sit contra substantiam contractus ut contra perpetuitatem Matrimonii, aut fidem conjugalem, & uterque consentiat, v. g. contraho tecum eâ lege ut adulterio victum quæras, vel ut non simul vivamus vel ut debitum non reddas, aut ut ego non reddam, vel ut conceptio impediatur, vel ut proles non educetur. Quod si talis conditio apponatur jam contracto Matrimonio, non irritat.

3. *Votum*, scilicet solenne religionis, vel per susceptionem Ordinis sacri. Votum autem simplex castitatis, tantum impedit, non dirimit Matrimonium, præter vota simplicia, quæ statim à tyrocinio emittuntur in Societate Jesu.

4. *Cognatio*, quæ dicitur *carnalis*, est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium, dirimitque Matrimonium usque ad quartum gradum lineæ transversæ inclusivè. Et quidem quoad primum gradum fortassis dirimit jure naturæ; quoad reliquos tres solo jure Ecclesiastico. Unde etiam Pontifex in his justa de causa dispensare potest. Gradus verò lineæ rectæ probabile est omnes jure naturæ esse prohibitos. Porrò pro gradibus consanguinitatis dignoscendis statuuntur sequentes regulæ.

Prima

Prima, in linea recta tam ascendentium quàm descendentium, quot sunt personæ tot sunt gradus, unâ demptâ, scilicet stipite, v.g. pater & filius sunt consanguinei in primo gradu, nepos & avus in secundo &c.

Secunda, In linea transversa æquali (quæ est inter personas à communi stipite æqualiter distantes) quot gradibus personæ singulæ à communi stipite distant, totidem distant inter se. Undè frater & soror sunt in primo gradu lineæ transversæ, patrueles & consobrini in secundo, filii eorundem in tertio.

Tertia, In linea transversa inæquali, inter personas inæqualiter distantes à communi stipite, quot gradibus remotior persona distat à stipite, tot gradibus distant inter se. Unde patruus & nepos, filius & soror patris sunt consanguinei in secundo gradu.

Altera est cognatio *Spiritualis*, quæ oritur ratione Baptismi, & Confirmationis, ac Matrimonium dirimit inter baptizantem, & hujus patrem ac matrem, item inter suscipientem & susceptum, & hujus patrem & matrem.

Tertia est cognatio *legalis*, quæ est propinquitas personarum orta ex perfecta adoptione in filium aut nepotem, ut succedat ex intestato tanquam necessarius hæres in quartam partem bonorum, vel tanquam filius in totum. Illa dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inter adoptantem & adoptatum ejusque descendentes. Probabile tamen esse post Tridentinum dirimere tantùm usque ad secundum gradum inclusivè, sicut cognatio spiritualis, notat Diana *p*. 9. *t*. 6. *R*. 54.

5. *Crimen*, quod Matrimonium dirimit, primum est homicidium conjugis ab altero conjuge & alio tertio, sive physicè, v. g. gladio vel veneno; sive mortaliter, ut imperio vel suasione perfectum, eo consilio ut posteà inter se Matrimonium contrahant.

Secundum, est adulterium, quando nimirum duo carnaliter se cognoscunt, vivente alterius conjuge, & vel Matrimonium ineunt de præsenti, vel saltem dant fidem de ineundo post mortem conjugis.

Tertium est raptus, per quem persona cum violentia abducitur libidinis exercendæ, vel Matrimonii ineundi causâ, S. *Thom*. *Molin*. *hic disp*. 105. Durat autem hoc impedimentum secundum Tridentinum quamdiu rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat. Rapta tamen non censetur fœmina, quæ volens, & sine vi abducitur.

6. *Cultus disparitas*, id est diversitas religionis inter baptizatum & non baptizatum. Unde Matrimonia cum hæreticis, etsi plerumque illicita, sunt tamen valida. Existimo tamen Matrimonium

nimum Catholici cum Anabaptista nullum esse, si pars hæc nondum Baptismum susceperit.

7. *Vis*, *metus*, violentia irritat Matrimonium, sivè fuerit à Sponso, sive ab aliquo tertio illata in ordine ad extorquendum Matrimonium cum metu cadente in constantem virum, nec firmatur consensu, aut juramento, aut copulâ durante metu.

Talis verò est metus carceris, vel flagellorum, aut magni damni, non est autem talis, qui à Superiore justè incutitur, aut si quis contrahat, ut evadat legitimam pœnam mortis, aut ducat filiam medici nolentis alioqui mederi Aut si cymba casu vel tempestate eversâ virgo metu mortis contrahat per verba de præsenti cum alio nauta, ut in ejus cymbam recipiatur, & de facto, hoc casu in litem adducto, virgo opulenta nautæ adiudicata fuit.

8. *Ordo*, scilicet sacer, sive major (non autem minores) invalidat Matrimonium contrahendum. Quod si quis jam conjugatus ordinetur, sine consensu uxoris, nec poterit uti ordine, nec debitum petere, nec ad superiorem ordinem ascendere, nisi religionem professus. Non potest autem profiteri, si Matrimonium erat consummatum, nisi uxore consentiente & castitatem vovente: juxta *cap. cum sis. de convers. conjug.*

9. *Ligamen*, Scilicet prioris conjugii, quo durante invalidè contrahit cum alio: contingit tamen licite fieri, si de morte prioris conjugis certitudo habeatur: quòd si is posteà compareat tenetur altera compars dimisso posteriore conjuge, ad priorem redire. *Bonac. aliique.*

10. *Honestas*, significat impedimentum publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius, cum qua contraxit Sponsalia, vel Matrimonium ratum, & quidem ante Tridentinum, & jure antiquo hoc impedimentum dirimit Matrimonium inter Sponsum & consanguineos Sponsæ usque ad quartum gradum, oriturq; ex sponsalibus quibuscumq; etiam invalidis, præterquam ex defectu consensus: jure novo Tridentini non oritur, si Sponsalia sint invalida, & irrita tantùm usque ad primum gradum, si oriatur ex Sponsalibus; ad quartum verò; si ex Matrimonio rato sequatur. *Bonac. Sanchez. l.7.d.63. Fill. tr. 10.p.2.cap.6.* Differt hæc honestas ab impedimento affinitatis specialiter in eo, quod hoc supponat intervenisse copulam, non autem publicæ honestatis.

11. *Ætas*, quæ requiritur ad valorem Matrimonii est in viro annus 14. in fœmina 12. completus, nisi malitia suppleat ætatem, id est maturitas judicii, & potentia ad copulam. *Cap. de illis, &c.*

12. *Affinitas*, est propinquitas personarum nata ex copula carnali, sive licita, sive illicita: utraque jure saltem Ecclesiastico dirimit

Matri-

Matrimonium, illa usque ad 4. gradum inclusive; hæc verò jure novo usque ad secundum tantùm, siquidem copula antecedat Matrimonium: nam si superveniat, v. g. si Titius cognoscat uxoris suæ cognatum in secundo gradu, non dirimit, licet is, qui peccavit, non possit petere debitum sed tantum reddere. Porrò gradus & lineæ affinitatis accipiuntur sicut in consanguinitate.

13. *Si Clandestinus:* Matrimonium clandestinum dicitur, quod contrahitur sine Parocho, & duobus ut minimum testibus, qui possunt esse fœminæ, aut quivis usum rationis habentes, quod irritum est ubicumque Tridentinum est receptum, de quo supra §. 2. *n.* 5.

14. *Impos* indicat impotentiam ad copulam conjugalem, sive ex parte unius, sive utriusque, quæ ut Matrimonium dirimat, debet esse perpetua, & Matrimonium præcessisse, non enim sufficit posteà supervenisse; si dubium sit an præcesserit, probabilius est dirimendum esse.

Censetur absoluta impotentia, quæ non potest tolli sine miraculo, aut peccato, aut vitæ periculo; secus si possit auferri orationibus, aut exorcismis, aut adhiberi remedium per ætatem, aut artem, sine gravi periculo. In maleficio, & impotentia, quæ speratur posse tolli, datur triennium ad explorandum an possint copulari: quod si non sit sperandum, statim separari debent. Quæ sine periculo vitæ potest concipere, etiamsi sine eo non possit parere, non censetur impotens, uti docet. *Bonac. quæst.* 3. *part.* 13. *Busen. ex Henriq. Filliuc. Con aliique.*

Quæstio est primò, apud. *Card. Lugo respons. mor. lib.* 1. *dub.* 45. An Episcopus propter abusus, v. g. contrahentium quidem in præsentia Parochi & testium, sed occultè, potuerit suà lege irritare talia Matrimonia, quæ contraherentur sine Denunciationibus præmissis auferendo Parochis jus & potestatem in tali actu assistendi.

Respondet autem *Lugo*, etsi possit alias pœnas statuere, non posse Matrimonia ista irritare. Quia Episcopus non habet potestatem inducendi impedimentum irritans Matrimonium ultra illa, quæ jure communi inducta sunt, hoc enim soli competit Summo Pontifici, ut cum aliis docet *Pontius, & Sanch. lib.* 7. *de Matrim. d.* 1. *n.* 9. Undè Prælatus qui hoc attentavit, à S. Congr. Concilii monitus fuit ut edictum revocaret.

Quæstio est secundò ibid. An possit à Pontifice concedi dispensatio ad contrahendum Matrimonium in secundo gradu consanguinitatis, simul cum primo gradu affinitatis, v. g. ut aliquis possit ducere uxorem relictam sui fratris defuncti, sibi etiam conjunctam in 2. gradu consanguinitatis.

Respondet *Lugo*, post longam deliberationem, propter causas gra-
vis

gravis momenti, & publico bono conducentes, talem dispensationem actu concessam esse ab Urbano VIII. anno circiter 1643.

§. IV. *De Matrimonio revalidando, aut contrahendo in partibus hæreticorum.*

QUæritur primò, An Matrimonium invalidè contractum possit aliquo modo revalidari.

Resp. affirmativè. Primò si invalidum fuerit Matrimonium ex una tantùm parte, defectu consensus seriò aut liberè præstiti, curandum est ut illa novum consensum externis signis alteri parti exhibeat: nec opus est ut hæc sciat consensum illum ad revalidandum Matrimonium præstari, *Sanch. Bon. Con. aliique*: neque necessarium est tunc adesse Parochum *Henriq. Bon. Regin. hic n.* 133. Quòd si consensus ex utraque parte defuerit, debet prædicto modo consensus ex utraque parte præstari.

Secundò, Si defectus valoris ortus fuerit ex occulto impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, debet primò obtineri dispensatio, & posteà novus, & absolutus utriusque consensus privatim præstari. Et si una pars sit ignara impedimenti, prudenter inducenda est ad novum consensum absolutè præstandum; vel saltem conditionatè; scilicet, *consentio de novo; si aliquo ex capite Matrimonium nostrum sit nullum*: si non timeatur periculum repulsæ. Hoc autem si meritò timeatur aut aliæ graves molestiæ, probabile est sufficere ut sola pars impedimenti conscia consensum renovet & alteri declaret, ita enim docet *Sanch. Con. Lessius, Fill. & plures cum Diana p. 4. tr. 4. resol.* 49.

Quæritur secundò, Quid dicendum de Matrimoniis, quæ in partibus Hæreticorum sine Parocho & testibus contrahuntur?

Resp. ex Congreg. Cardinalium: Primò si in Parochia ubi initur Matrimonium v. g. in Anglia, decreti Tridentini de præsentia Parochi nondum est publicatum, validum erit Matrimonium absque Parocho & testibus contractum. Publicatio autem decreti facta præsumitur, si id aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii fuit observatum.

2. Hæreticos in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, v. g. Hollandia, Frisia &c. teneri formam præscriptam servare. Undè consequenter ipsorum Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu contracta, videntur esse nulla, quamvis ea in re *Laym. l. 5. t. 10. p. 2. cap.* 4. dubitet de mente summorum Pontificum, propter gravissima incommoda indè secutura. Vide de hoc tractatus de Denuntiat. & Contract. matrimon. Joan. Staleni Coloniæ 1677. editos per tot.

3. Si contingat in partibus hæreticorum ubi decretum Tridentini

est publicatum, v. g. in aliqua parte Hollandiæ, nullum resideret Parochum, aut Episcopum, vel alium, qui eorum vices suppleat; tali casu Matrimonia ibi contracta valida erunt absque præsentia Parochi, adhibitis saltem duobus testibus.

4. Si extet quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absque forma Tridentini, adhibitis tamen (ut dictum est) duobus testibus. Ita Responsum est à Congreg. Cardin. Interpretum Tridentini ad instantiam Archiepiscopi Philippensis anno 1603. & easdem declarationes refert Zypæus in *jure Pontificio lib. 4. num 16.*

Quæritur tertiò, An liceat Catholicis inter esse nuptiis hæreticorum, & eas aliquo munere honorare? Ratio dubitandi est, quia sic Catholicus videtur approbare & honorare ritus hæreticorum, aut saltem nuptias illicito modo contractas sine Parocho & forma Ecclesiæ, ad quam etiam hæretici obstringuntur.

Respondeo tamen Catholicis illicitum non esse tales nuptias sua præsentiâ & munere honorare. Quia illa assistentia Catholici est actio indifferens, neque præbentur illa munera ad approbandum tale Matrimonium, sed ad conservandam amicitiam inter vicinos aut consanguineos. Potest enim ex aliis motivis illud Matrimonium Catholico displicere, etsi ob alias causas honoret amicos qui illis nuptiis copulantur. Alias Resolutiones varias de Matrimonio in partibus Hæreticorum vide infra *tract. 6. quæst. 22.* & sequentibus. A quibus porrò præter Pontificem in impedimentis Matrimonii, præsertim in Missionibus, petenda sit Dispensatio, colligi potest partim ex facultatibus supra traditis *part. 3. cap. 5.* partim ex Praxi sequenti recurrendi ad Curiam Romanam.

Quia verò pauci ritè norunt praxin & stylum Curiæ, aut Pœnitentiariæ Romanæ, hic formam procedendi in hujusmodi dispensationibus aliisque gratiis obtinendis facili methodo subjiciemus.

§. V. *Praxis & forma, qua Dispensationes pro Matrimonio, aliisque Casibus ex Romana Pœnitentiaria peti & concedi solent.*

SCiendum primò, Officio sacræ Pœnitentiariæ præesse aliquem S. R. E. Cardinalem, cui pontifex suo nomine amplam absolvendi, & dispensandi potestatem concedit. Ut sunt Dispensationes super impedimentis occultis ad contrahendum, sive recontrahendum Matrimonium: Nec non dispensationes in Irregularitatibus; Convalidationes titulorum: Rehabilitationes ad Beneficia, nec non ad offi-

cia

tia & dignitates, &similia: Dispensationes cum Regularibus transire volentibus ad strictiorem vel laxiorem Religionem: Condonationes & Remissiones fructuum malè exactorum ac perceptorum, quando de præjudicio certi domini non agitur; Dilationes & commutationes votorum simplicium: & absolutiones à reservatis, & simplici obligatione legendi horas Canonicas.

2. Hæ gratiæ per pœnitentiariam conceduntur in foro conscientiæ, sive pro foro non contentioso, forū enim contentiosum spectat ad Judices causarum, cognitionem civilem, aut criminalē habentes. Mittuntur autem Diplomata, quibus gratiæ continentur, absentibus plerumque clausa, & à majori Pœnitentiario gratis tribui solent.

Qui petit Dispensationem super impedimento Matrimonii debet totum impedimentum explicare, ut si impedimentū sit in gradu inæquali, debet inæqualitatem exprimere. Idem dicendum si consanguinitas vel affinitas ex duplici capite contracta fuit, ut si fornicatus fuerit cum duabus sororibus ejus fœminæ cum qua matrimonium contrahere cupit, debet duplicem impedimenti causam exponere; quamvis Henriquez in hoc casu contrarium sentiat. Causas etiam ad obtinendā dispensationem non debet allegare falsas, aut dissimulare veras, præsertim ad rei substantiam pertinentes, sine quibus presumi possit Superiorem non dispensaturum, aliàs dispensatio esset subreptitia, & invalida. Aliud esset si qualitas, aut causa dissimulata, aut allegata in postulatione, tantùm extrinsecè se haberet ad rem postulatam; sine qua haberentur aliæ causæ sufficientes, non ideo dispensatio sic obtenta censetur subreptitia, sed potest suum effectum sortiri.

3. Itaque in praxi ut scribatur pro dispensatione, ut dixi, Romæ obtinenda, Primò, debet formari supplicatio per modum Libelli supplicis, qui inscribitur Majori Pænitentiario S. R. E. Cardinali, & ferè inchoatur hoc modo: *Exponitur humillimè ex parte N. N.* nominando personas, & explicando distinctè impedimentum Matrimonii, vel alium casum pro quo requiritur dispensatio. Secundò loco, debent fideliter exponi Causæ, propter quas necessarium sit Dispensationem concedi; quales sunt quæ allegantur in ipsa forma aliquarum Dispensationum, quarum Diploma infra distinctè exhibeo. Tertiò loco sequitur humilis supplicatio, ut pro opportuno remedio dispensatio illa benignè concedatur. Hujusmodi & omnis generis supplicationum formulas suggerit multas & diversas in Romana Curia, & S. Pœnitentiaria versatissimus *Pyrrhus Corradus*, in absolutissima sua *Praxi dispensationum Apostolicarum pro utroq; foro*, Coloniæ recens edita: habes hic exemplar particulare in sequenti Diplomate, & aliis; quæ in forma Curiæ Romanæ consueta varias Dispensationes concedunt.

Forma Litterarum Romanorum pro eo, qui Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit cum Muliere, cujus Sororem prius carnaliter cognoverat, hac formâ conceditur Dispensatio à Majori Pœnitentiario Apostolico.

N. N. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis. Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per Latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo, salutem in Domino.

Ex parte Latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipse aliàs in facie Ecclesiæ Matrimonium contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus Sororem prius carnaliter cognoverat. Cum autem & sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator propter impedimentum ex præmissis proveniens, nequeat in dicto Matrimonio remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione, & separatio inter ipsum & dictam mulierem fieri non potest absque scandalo; ad id vitandum, ac pro suæ conscientiæ quiete cupit Lator à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolet per sacræ Pœnitentiariæ officium absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicari nobis fecit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, supplicationibus hujusmodi inclinati, authoritate Apostolicâ nobis specialiter concessâ discretioni tuæ committimus: Quatenus si est ita, dictum Latorem, auditâ prius ejus sacramentali confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta: injunctâ inde ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, ac sacramentali confessione peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, & quoties animæ suæ saluti expedire judicaveris & aliis quæ fuerint de jure injungenda. Demum, dummodò impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum, & separatio inter Latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo ex cohabitatione verò, de incontinentiæ probabiliter timendum esse, tibi visum fuerit, & aliud canonicum non obstet; cum eodem Latore, ut dicta muliere de nullitate priori consensus certiorata, sedita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eâdem & uterque inter se de novo, secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde, legitimam decernendo

in

in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis confessionis tantùm & non aliter. Ita quod hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his adhibitis testibus aut literis datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum illarum exemplum exstet, neque eas Latori restituas; quod si restitueris, nihil ipsi præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub sigillo officii Pœnitentiariæ, 4. Septembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Anno.....

Pro eo cujus Votum simplex Religionis commutatur ad effectum contrahendi matrimonium.

N. N. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbyter Cardinalis. Discreto viro Confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario per Latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Ex parte Latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs vovit Religionem ingredi S. Francisci. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, lator præfatus ob stimulos carnis, quos patitur, continenter vivere posse diffidat: pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi votum hujusmodi in alia pœnitentiæ opera ad effectum contrahendi matrimonium per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicari fecit nobis humiliter, ut sibi super his de oportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolicâ specialiter nobis concessâ discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, ac Latorem, auditâ prius ejus Sacramentali Confessione, stimulis carnis adeò agitatum, ut maximè dubitet continere posse, & propterea de ejus incontinentia probabiliter timendum esse, per diligentem Latoris examinationem ac post monita, & consilia opportuna præstita inveneris: eundem latorem à mutatione propositi (quatenus tibi videatur) absolvas hâc vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, sibique votum præfatum ad hoc ut matrimonium contrahere licite possit, in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum sibi singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua Religionis, quam vovit; quæ quotidie teneatur facere ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis quâ hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judi-

judicaveris, dispensando commutes in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter, neque ullo alio modo. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, & cætera ut supra.

Pro harum ac similium litterarum executione,

Nota primò, Quando dicuntur litteræ illæ dirigi ad Oratorem sive latorem, intellige, ad ipsum qui dispensationem petit sive per se, sive per alium, qui non debet eas aperire, sed eligere Confessarium Magistrum in Theologia, aut alium qualis initio litterarum scribitur, qui ea sibi ab Oratore traditas reserat, legat, & postea cum Oratore sive Latore dispenset, juxta commissionem in litteris expressam. Dum autem requiritur ut Confessor ille sit Magister, aut Doctor. non sufficit quod sit Doctor Ordinis, vel professor, vel Licentiatus. Ex privilegio autem Confessarius Societatis JESU concesso à Gregorio XIII. possunt etiam eligi Mendicantes, modò ad hoc à suis Superioribus facultatem habeant, ut docet Paulus Leon, & Diana *part. 4. tract. 4. resol. 41.*

2. Debet Confessor electus dispensare in ipsa Confessione, vel immediatè post illam peractam; præmissâ prius diligenti causæ cognitione, nisi eam satis perspectam habeat: non est tamen necessarium exigere testes, aut juramentum, nisi aliunde sciret rem, aut causam pro dispensatione allegatam non subsistere, tunc enim dispensare non potest.

3. Opera in litteris præscripta potest ex justa causa moderari, non potest tamen ea condonare.

4. In absolvendo debet servare formam in Rituali Romano probatam, adeoque postquam dixit.

Absolvo te à peccatis tuis, debet addere: *Et eâdem authoritate declaro te in dicto Matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse & debere; nec non dispenso tecum ut idem debitum etiam exigere licitè valeas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Si sit absolvendus ab Excommunicatione, illius formam habes supra, in tract. de absolutione.

Denique debet omnibus peractis Litteras ipsas lacerare, ac præcipuè sigillum, ne possint in foro externo servire. Nihilque pro dispensatione, ne quidem compensationis titulo accipiendum, sub pœna Excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ. Adeo Curia Romana cupit suos Ministros ab omni labe simoniæ longissimè abesse.

TRACTATUS QUINTUS
DE
PRÆCEPTIS
ET
PECCATIS.

Principia quædam præmittenda.

PRæceptum & peccatum sunt inter se correlativa: omne enim peccatum opponitur alicui præcepto, aut juris naturæ, aut juris divini, aut juris humani. Ut transgressio alicujus præcepti censeatur esse peccatum Theologicum, aut dignum pœnâ ignis æterni, debet peccanti inesse aliqua Dei notitia: quia sine hac non contrahitur malitia illa infinita quæ oritur ex eo, quod violatio legis sit contra Legislatorem, qui cognoscitur esse dignitatis infinitæ. De modo quo lex aut præceptum directe, aut indirecte violatur; & quando peccata censeantur inter se specie, aut numero distincta, dictum est supra *p. 3. tract. 1, princ. 15.* & *tract. 3, cap. 2.* Ut verò reliqua breviter explicentur.

Dico primò; Præceptum in genere est recta agendorum aut omittendorum ratio Habet enim se Præceptum per modum regulæ rectæ, à qua dum actiones humanæ, per excessum aut defectum declinant, peccatum admittitur.

Dividitur primò in *Affirmativum*, quod bonum præcipit; & *Negativum*, quod malum prohibet. Differentia utriusque notanda est, quod præceptum affirmativum obliget quidem semper, sed non pro quovis tempore, v. g. Honorandos esse parentes, semper quidem, sed suo tempore quando res requirit. Negativum verò obliget semper, & pro omni tempore, v. g. non esse furandum, non mœchandum, non occidendum, &c.

Dividitur secundò in præceptum naturale, & positivum. Præceptum *naturale* est dictamen nostræ rationis, quo per lumen ab authore naturæ nobis inditum statuimus quid agendum, quid vitandum sit: Quale est, Deum esse colendum: Quod tibi non vis fieri, alteri non esse faciendum: & talia sunt omnia præcepta Decalogi, si diei Sabbathi cultum excipias.

Præceptum juris *positivi* est, quod libera Dei, aut hominum voluntate & authoritate constitutum est, ut præceptum Baptismi à Christo, aut jejunii ab Ecclesia indicti.

Quomodo præceptum aut lex obliget conscientiam concurrente aliquâ ignorantia, metu, dubio, opinione probabili, &c. suprà *part. 3. tract.* 1 *princ.* 13. sub initium tradidimus.

Dico secundò, Peccati malitia formalis in voluntaria præcepti transgressione consistit. Quia malitia formalis peccati sita est in eo, quod voluntas humana Deo subdita liberè recedat à recta norma voluntatis divinæ sibi præcipientis aliquid agendum vel omittendum. Ad hanc autem libertatem præter actum voluntatis, requiritur advertentia intellectus, quâ homo cognoscat deformitatem moralem, quæ consistit in recessu suæ actionis aut omissionis à recta agendi lege & norma à Deo sibi constituta, quando poterat actionem ponere vel omittere.

Hinc profluit prima peccati divisio, in Commissionem & Omissionem. Peccatum *commissionis* rectè definit S. Augustin. *lib.* 22. *contra Faust. c.* 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam:* quo indicatur secunda divisio, in peccata cordis, oris, & operis; peccata *cordis* dicuntur, quæ sola voluntate complentur, ut odium Dei, invidiâ &c. oris & operis, sunt ea, quæ etiam in actum externum prodeunt. Peccatum *omissionis* est, quo voluntas prætermittit actum præceptum in sua potestate constitutum, sive actus sit internus, ut est omissio fidei aut dilectionis erga Deum, sive externus, ut omissio libera Sacri aut orationis præceptæ.

Tertiò dividitur peccatum in *mortale*, quod amicitiam cum Deo dissolvit, & peccatorem constituit reum pœnæ æternæ: & *veniale*, quo nec Deus inimicus redditur, neque supplicii æterni reatus incurritur; quia etsi peccatum veniale sit offensâ Dei, non est tamen contra ipsius legem, graviter præcipientem, & sub interminatione amicitiæ dissolvendæ.

Ut in violatione præcepti mortale à veniali discernatur, consideranda est primò materia, quæ præcipitur aut prohibetur, quæ censetur gravis, si sit necessaria ad charitatem Dei, aut proximi conservandam. Secundò, positâ gravitate materiæ ad mortale requiritur perfecta deliberatio & plenus voluntatis consensus, quorum defectu fieri potest, ut circa materiã gravem peccatum leve admittatur. Tertiò notanda sunt quædam, quæ ex genere suo sunt mortalia, qualia sunt plerumque quæ contra Virtutes Theologicas, Fidem Spem & Charitatem directè committuntur. Hinc Infidelitas, desperatio, odium Dei, semper sunt mortalia, si adsit plena rationis advertentia.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De spectantibus ad primum Decalogi Praeceptum. Ego sum Dominus Deus tuus &c.

1. PRohibetur hoc Præcepto omnis Superstitio, quæ est vitium inclinans ad indebitum Dei cultum: nempe quando alicui creaturæ præstatur cultus, qui non debetur, vel ipsi Deo alio quam deceat modo exhibetur.

2. Quatuor sunt species superstitionis. Primò, Idololatria, quando alteri quam Deo divinus cultus tribuitur. Secundò, Divinatio, quæ est rerum occultarum aut futurarum cognitio, quæ viâ humanâ haberi nequit, sed dæmonis auxilio inquiritur: cujus variæ sunt species pro variis modis, quibus illa notitia comparatur, per certas figuras, somnia, aquam, astra, inspectiones avium, sortilegia &c. Tertiò, Indebitus Dei cultus, ut si quis jam vellet offerre sacrificia veteris legis. Quartò vana observantia, ut si quis velit ex certo præcisè numero verborum, vel ex herba in terram defossa, vel ex nodo cinguli aliquod vulnus, aut morbum curare. Cùm enim hujusmodi causæ ex sua natura nullam habeant virtutem ad procurandum tales effectus, signum est illos causari operâ dæmonis, qui ex tacito pacto talibus signis in opem advocatur.

3. Ex quibus patet graviter illos peccare, qui contra vulnera aut morbos circumferunt quasdam schedulas, linum, aut lanam, aut pilos animalium, aut alia hujusmodi, in quibus constat nullam esse naturalem virtutem contra istiusmodi effectus. Multo magis qui ponunt talia signa ut aliis noceant, ut solent venefici. Non peccant autem quando adhibent aliquas herbas, aut res alias, in quibus viri prudentes judicant, posse subesse aliquam virtutem naturalem ad procurandum illos effectus, pro quibus assumuntur.

4. Peccatum quoque grave incurrunt qui ex Astris, aut tempore quo natus est, aut lineamentis manus aut faciei futuros eventus ab hominum libertate pendentes certâ scientiâ se cognoscere profitentur; ut est status vitæ futurus, Matrimonium fortunatum vel infaustum, mors violenta, suspendium, & alia hujusmodi. Si tamen ex influxu astrorum unà cum hominis indole, ingenio, moribus, aliquis per solam conjecturam affirmet talem fore v. g. militem, aut Clericum, aut Episcopum, poterit ea divinatio omni culpâ vacare. Quia Astra & indoles hominis potest habere vim inclinandi voluntatem humanam ad certum statum, aut eventum, non tamen illi necessitatem inferendi.

5. Superstitio est observare quosdam dies faustos, & alios quasi infaustos. Exempla hujus sunt, nolle opus incipere die Martis, credendo id esse infortunatum: nolle die Veneris ungues præscindere, aut dies Sabbathi nere: servare ova exclusa die Parasceves ad extinguendum incendium: in festo S. Antonii jumenta per ejus templum novies circumducere. Superstitione quoque non caret orationes etiam sacras certo tantum verborum numero recitare, aut Scriptas gestare, quæ credantur habere in se vim præservandi à vulnere aut alia violentia.

Item, in lusu mutare situm corporis, aut pedes complicare ad avertendum in ludendo infortunium: aut ex certa gallinæ crocitatione more galli, credere malum aliquod imminere. Hæc enim & similia, quæ nullam habent cum tali effectu connexionem, si quis certò credat, eam virtutem habere, & illis ad vitæ directionem frequenter utatur, graviorem noxam admittit: quia periculo se exponit ne à dæmone decipiatur, qui se talibus signis vanis & inutilibus frequenter immiscet. Quod si quis ea tantùm leviter, aut semel, iterumve observet, veniale tantùm peccatum admittere docet *Sanch. in prac. l.1. c. 40. n. 20. Tambur. l.2. c. 6. §. 1. n. 27.*

6. Sed quæritur, An judicandus sit superstitionem admittere, qui adhibet aliquā causam ad effectum de quo, re examinatâ dubitat, an possit naturaliter à tali causa procedere, v. g. adhibet oleum aut herbam ad ferrum aut aliud corpus præsens, quâ experitur hominis absentis vulnus aut ægritudinem in aliqua distantia curari?

7. Respondent aliqui generaliter; Quoties istiusmodi causa non cognoscitur habere vires ad talem effectum, semper esse superstitiosum, illum à tali causa expectare. Non videtur tamen hæc regula pro certâ habenda. Multa enim sunt in rebus naturalibus, quorum virtus nobis latet ignota, ut quo modo vi magneticâ ferrum trahatur aut acus nautica magnete attacta ad stellam polarem sese convertat. Et sanè S. Augustin. *lib. 14. de Civit. c. 24.* varia recenset, quæ aliquis virtutis causarum naturalium ignarus facilè dæmoni adscriberet: inter hæc adducit hominem nomine *Restitutum*, qui quando volebat, ita alienabatur à sensibus, ut etiam ignem sibi admotum non sentiret: & alium, qui sudare solitus erat, quoties ipsi placebat, solâ voluntate sudorem provocare; & plures, qui pro libitu poterant ubertim lachrymas profundere. Novi & ego virum religiosum facundè eruditum, qui affirmavit se posse solo voluntatis imperio ita retrahere spiritus celebrandæ visioni necessarios, ut apertis oculis non videret.

8. Potior itaque apparet resolutio *Sanch. hic cap 6. n. 44.* in tali dubio, cæteris paribus, præsumendum esse potiùs pro natura, quàm

pro

pro dæmone, quoties non occurrunt aliqua signa immixtæ superstitionis, ut sunt verba quædam incognita. aut vanus aliquis numerus rerum, quæ ad talem effectum non possunt pertinere: cum enim ipsa natura sit in possessione operandi res mirabiles, in dubio videtur illi effectus potius attribuendus. Aliud est quando à viris prudentibus judicatur absoluta esse improportio inter causam & istiusmodi effectum; qualis videtur esse in oleo, aut herba respectu ægri aut vulnerati magno loci intervallo distantis.

9. Quæstio gravis est, An, quando constat jam positum esse maleficium, licitum sit illud tollere per aliud maleficium? Ut, si puer maleficio infectus sit, possit parens accedere maleficum, pro remedio maleficii?

Respondetur cum distinctione.

Primò, licitum est tollere maleficium per destructionem signorum, quæ alicubi posita sunt, ut dæmon alicui noceat, modo ad hæc destruenda novum maleficium non adhibeatur. *Navar. ac plures alii.*

Secundò, Si maleficus possit aliquo modo licito maleficium tollere, non est peccatum eum prece, aut etiam pretio inducere, ut maleficium auferat, etiamsi credatur ex sua malitia per novum maleficium id facturus. Quia, cum supponatur posse viâ legitimâ id præstare, habeo gravem & justam causam id postulandi; ipsius autem malitiæ imputandum est, si modo illicito maleficium auferat: sicut licitum est petere mutuum ab usurario, etsi sciam illum usuras illicitè exacturum, cum potuerit mutuum licito modo concedere. *Lugo, Dian. Less. Sanch. l. 7. de Matri. d. 95. num. 11.*

Tertiò, Nunquam licitum est efficere, ut maleficium novo maleficio tollatur. Quia hoc esset directè inducere in peccatum, & actum intrinsecè malum: Scripturâ etiam apertè prohibente Levit. 19. *Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.*

10. Debet autem Confessarius, antequam hujusmodi maleficos, sacrilegos, aut magos absolvat, eos monere & inducere: primò, ut pactum sive expressum sive implicitum, quod habent cum dæmone, seriò abjurent. Secundò, ut suas schedulas, ligaturas, libros, aliaque impiæ artis instrumenta comburant. Si autem chirographum aliquod dæmoni tradiderint, non est absolutè necessarium, ut recipiatur, quia pactum illud per pœnitentiam dissolvitur. Tertiò, ut promittant efficaciter quantum poterunt damna aliis illata resarcire.

CA-

CAPUT II.

De pertinentibus ad secundum Praeceptum. Non assumes nomen Domini.

§. I. De Blasphemia.

1. Blasphemia est maledictio sive contumelia in Deum: ut si quis Deum vocet tyrannum, aut injustum, aut dicat se aliquid Deo invito facturum. Blasphemia non admittit parvitatem materiae, sed semper est peccatum mortale, quoties libere profertur.

2. Peccatum blasphemiae est etiam in Sanctos, aut res sacras contumeliam dicere, si proferatur in Sanctos, ut Sancti sunt. Non enim esset grave peccatum dicere de aliquo Sancto, quod fuerit ignobilis, sutor, indoctus, &c.

3. Si quis in iracundia, indignando non Deo, sed homini, nominet Sacramenta, vulnera Christi, & similia sine aliorum scandalo, non erit illa blasphemia, sed vana usurpatio sacri Nominis, & facilè potest esse tantum veniale, ut docet *Caiet. Sanch. &c.*

4 Maledicere vento & pluviae, quâ affligimur: aut diei & loco, in quo nati sumus: aut equis & jumentis, ut faciunt rustici aut aurigae, si sistat maledictio in sola creatura, sic ut tantùm ipsi malū imprecemur, non est per se lethale peccatum: si autem indignatio tendat contra Deum, aut contra creaturas illas, quatenus sunt instrumenta Dei, committitur grave peccatum: quòd si optemus creaturas destrui cum gravi damno proximi, peccatum est contra charitatem.

5. Verba quae tantùm dubiè videntur sonare aliquam contumeliam contra Deum, & possunt facilè in alio sensu accipi, non debent censeri verba blasphema, si absit prava intentio. Quia verba in dubio non sunt accipienda, ut sonent delictum, non enim praesumitur delictum, nisi de eo constet *Bonac. Castrop. Tambur. lib.* 2. *c.* 6. §. 4. *n.* 19. Decet tamen à talibus verbis tanquam periculosis studiosè cavere.

6. Sed quaeres primò. Quid censendum de parentibus aut aliis, qui saepè suis liberis & amicis daemonem, & damnationem imprecantur?

Respondeo, non esse blasphemiam, sed diram imprecationem, quae plerumque ob subitam iram & inadvertentiam, ac defectum seriae voluntatis veniale peccatum non excedit; nam plerique, si interrogentur, dicent se nullo modo voluisse, ut malum illud alteri eveniat, *Bonac. Navar. Tol. Regin. Baldel. d.* 25. 10.

7. Quae-

7. Quæres secundò: Quid judicandum de illis, qui frequenter ex prava consuetudine verba blasphema inadvertenter proferunt. Quidam censent singulis vicibus mortaliter peccare. Dico tamen illos tantùm peccasse in causa, dum consuetudinem illam cum advertentia contraherent, & nunc tantùm peccare omissione diligentiæ ad extirpandam consuetudinē vitiosè contractam, de qua à Confessario seriò monendi sunt, etiam aliquando cum dilatione absolutionis si aliter non appareat emendatio.

8. Pro blasphemia, in Confessione gravem injungendam esse pœnitentiam disertè statuit Conc. Lateran. & Trid. *sess. 14 cap. 8.*

Olim in Jure Canonico *Cap. sancimus, de maledicis*, statutum est, ut si quis contra Deum, aut Sanctos publicè blasphemaret, per Episcopum suum his pœnis subjiceretur; ut septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ palam, dum aguntur Missarum solennia, existat. & ultimo die pallium & calceamenta non habeat, & sextis quibuscunque feriis intra illud tempus in pane & aqua jejunet, &c. Nunc verò quoad praxim spectandæ sunt constitutiones, & consuetudo pro puniendis blasphemis in variis locis recepta, ut cum aliis advertit Azor, & Castropalaus *disp. 2. punct. 2. §. 3.* Viget autem in Hispania hæc consuetudo, ut si homo ignobilis proferat blasphemias hæreticales, producatur in publicum cum galero papyraceo, collum ligatus fune, linguâ ligatâ palo, sine pallio, nudis pedibus, & flagellatus tandem mittitur in exilium. Ex quibus patet blasphemum non debere mirari, si saltem à suo Confessario nonnihil severè tractetur.

§. II. De Juramento.

1. Juramentum est invocatio divini nominis in rei alicujus testimonium. Ac proinde juramentum sanctè susceptum est actus latriæ: undè fit ut solum per Deum verum jurare liceat, qui solus est rerum omnium conscius, & infallibile testimonium perhibere potest.

2. Juramentum aliud est *Assertorium*, quo confirmatur dictum de præsenti vel præterito: aliud *Promissorium*; quo confirmatur promissum de opere futuro. In juramento promissorio includitur etiam assertorium de voluntate rei faciendæ.

3. Juramentum non est dicere: In mea fide, in mea conscientia, in fide Christiani, in fide Religiosi: æquivalent enim tantummodò his; ita est, verum est: neque Deus ut testis invocatur. Nisi per ea verba quis intendat jurare; nam & juramentum ex intentione dependet.

Nec jurare creaturam, juramentum propriè est, v. g. per animam

animam, per dexteram, &c. modò ad Deum non referas; sed tantùm per eam quantùm potest, veritatem confirmare intendas; etsi tali testimonio abutens à peccato aliquo non excusetur.

De habentibus consuetudinem jurandi idem ferè dicendum quod suprà de blasphemia, *n. 7.*

5. Mortale incurrit, qui jurat se facturum, quod credit se facere non posse. Item qui jurat falsum etiam sine animo jurandi: tum etiam qui jurat aliquid promittendo, sine animo promittendi. Quia ipsa forma juramenti falsò suscepta est gravis in Deum irreverentia. *S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 7. Less. Bonac. &c.* Peccat etiam graviter qui jurat rem dubiam tanquam certam. *Suarez, Angel. Navarrus, cap. 11. num. 7.*

6. Qui jurat facturum se aliquod peccatum veniale peccat plerumque tantùm venialiter: si verò id jurat sine animo faciendi, peccat mortaliter, *Bonac. &c.*

7. Rem levem in juramento promissam non præstare, mortale non est, v. g. servum aut prolem non castigare, uti probabilius docet *Sanchez, Layman, &c.* contra *Cajetan. & Tolet.* Certum verò hoc est, ut levissimum sit, quod vel negando, vel affirmando jures falsò, esse mortale.

8. Si quis se juret facturum, quod postmodum non decet, non tenetur. Nec si juravit alterius causâ, qui fieri non vult quod promissum est. Nisi simul ad honorem Dei jurasset: tunc enim videtur voti locum tenere. Etsi hic etiam, ut volunt quidam, non teneatur, si ille cujus fieri interest, obligationem remittat; ut si quis ad Dei gloriam jurasset, se pauperculam certam in uxorem ducturum, eaque relaxet promissum.

9. Fraude inductus ad jurandum, quàm si novisset non jurasset, non tenetur. At extortum vi juramentum de re non illicita obligat, nisi vel relaxetur, vel sit de Matrimonio ex metu, qui cadat in constantem virum, ad id obtinendum incusso.

10. Juramentum de re imprudenti, indifferenti, aut melioris boni impeditiva, non obligat: quod postremum meritò sic intelligunt nonnulli, nisi juratum sit in alterius favorem, v. g. ducere aliquam: non enim potes id posteà omittere ob solum continentiæ desiderium.

11. Jurans facere certo tempore, si non potest, tenetur posteà; nisi ad solum illud tempus juramentum alligare voluerit.

12. Jurans non obligatur ad ea, de quibus si cogitasset, ea non intendisset in aliis quæ promittebat includere; si exclusisset: nec etiam obligatur, si id accidat, quod si fuisset juramenti tempore pro temerario haberetur.

13. Si procurator ex speciali mandato tuo pro te juravit, teneris ejus juramento. *Leander, Sa, aliique.*

14. Juramentum de celando secreto, intelligitur nisi alteri magis noceat secretum non aperiri.

15. Juramentum servandi omnia statuta, intelligitur, si sint licita, & nisi abrogentur.

16. Civitatis juramentum, si pars major non servet, nec reliqui servare tenentur. Non enim pro tali casu præsumuntur cives se obligasse.

17. Juramentum impuberis, patre contradicente irritatur. Potest etiam pater irritare tale juramentum filii, etsi speciem voti habeat, ut potest ipsa vota; sic & quisque indirectè juramenta subditi, de rebus sibi subjectis, si velit, irrita reddit.

18. Juramentum à se factum ad Dei gloriam potest quisque commutare, in rem apertè meliorem, non si factum sit homini. *Tolet. Sanch. aliique.*

19. Qui juravit non petere dispensationem voti, vel juramenti, vel eâ non uti, poterit rem Superiori indicare, si sic ratio postulet, & si is dispensationem dederit, eam liberè acceptare. *Sylvester v. juramentum.*

20. Qui ex privilegio possunt dispensare in votis, vel ea commutare, non propterea idem possunt in juramentis. *Navarrus cap. 27.*

21. Etsi Episcopus possit dispensare in juramentis Pontifici non reservatis, causa tamen proportionata requiritur, ut dispensatio sit valida. Non requiritur tamen illa in juramenti irritatione, ut hæc fiat validè, sed tantum ut fiat licitè.

Quæstio sat difficilis est, An qui juravit redire ad carcerem, quo injustè detinetur, obligetur ad reditum, si subsit probabile periculum mortis injustæ postea infligendæ? Resp. Sententiam ab authoritate esse utrimque valdè probabilem. Teneri ad reditum docet *Suarez, Lessius, Layman.* aliique quos citat & sequitur *Sanchez lib. 3. in Decal. cap. 11. n. 32.* Admittit tamen Suarez & Sanchez cum aliis quos citat ibidem n. 35. Episcopum posse illud Juramentum relaxare, & sic obligationem redeundi tollere, quia jus vitæ præbet justam causam relaxandi. Negat verò absolutè tali casu ad reditum teneri. *Vasquez. 1. 2. q. 96. art. 5. Navarrus, Tabiena, Sylvester,* & plures Juristæ, nec non *Diana, Tamburinus, Reginaldus, Fagundez. lib. 2. in decal cap. 13. n. 10.* aliique quos citat *Leander tract. 1 de juram. disp. 10. quæst. 21.* Quia, inquiunt, Juramentum de tali re esset temerarium, quod non obligat, esset enim vinculum iniquitatis, in ordine ad mortem injustè inferendam.

Exci-

Excipe tamen tale juramentum, quod fieret ab eo, qui ob Religionem captivus detineretur, vel etiam apud Turcas, vel in alio casu, quo ex omisso ad carcerem reditu nasceretur magnum scandalum, aut contemptus Religionis: idque admittit *Navarrus*, *Diana*, *Tamburinus*, *Leander*, *loco citato*; & plures etiam secundæ sententiæ Authores.

Quæres, Quænam personæ ad juramentum suscipiendum in judicio admittantur?

Respondeo, Non admitti, jure saltem communi, pueros, aut puellas ante annos pubertatis, qui sunt in pueris 14. in puellis 12. In causis autem criminalibus non admittuntur minores viginti annis, ut constat ex lege *inviti ff. de testibus*. Repellitur etiam qui antea fuit perjurus *Cap. parvuli* 22. *q.* 5 Et Apostata *Cap. alieni* 3. *q.* 4. Et inimicus aut malevolus, *Cap. cum oporteat, de accus.* Excluditur etiam communiter qui est socius criminis, aut infamis, aut consanguinei, & affines usque ad quartum gradum illius, pro quo est testimoniũ dandum, ex *Cap. similiter, de testibus &c.* Et specialiter Sacerdotibus interdictum est in judicio ex levi causa juramentum præstare, ex *Cap. si quis presbyter* 2. *q.* 4. Quia in causa non gravi sola testificatio Sacerdotis debet esse fide digna sine juramento. Possunt tamen in judicio juramentum præstare in causa magni momenti: in quo sufficit Sacerdoti proprium pectus tangere, extra aliquos casus qui excipiuntur *Cap. si quis presbyter supra.*

§. III. De Voto.

1. VOtum est promissio deliberatè Deo facta de bono meliori. Ea deliberatio requiritur ad obligationem voti, quæ requiri solet ut quis peccet mortaliter.

Sed quid si post emissum votum dubitetur an vovens habuerit sufficientem deliberationem, & usum rationis? Si vovit ante septimũ ætatis annum, in tali dubio non obligatur: quia possessio stat pro libertate, nec præsumitur in illa ætate habuisse sufficientem deliberationem. Si verò post septennium vovit, non obstante tali dubio, manet voto obligatus: quia possessio stat pro voto, & præsumitur usus rationis, nisi satis constet oppositum: ita *Sanchez*, *Diana*, & Doctores communiter.

2. Non obligat votum de re vana, aut impeditiva majoris boni neque de re indifferenti, nisi bono fine cohonestetur. Quia Deus talia vota tanquam vana non acceptat, ut docet *Navarrus cap.* 12. *aliique.*

3. Tenetur voto qui intendit vovere, etiamsi non intendat implere: qui verò se non intendit obligare, non videtur intendere vovere; hoc

hoc enim ipso, quo quis vovet se obligat; uti qui promittit, obligat se hoc ipso quo promittit. Peccat tamen, & secundum quosdam mortaliter, vovens sine animo se obligandi.

Quæstio est, An validum sit votum, aut juramentum nunquam peccandi venialiter? Resp. negativè, quia est de re moraliter impossibili, spectata communi hominum imbecillitate. Sed quid si sit votum de certo veniali, v. g. nunquam mentiendi? Resp. votum illud validum, & sæpè laudabile esse: quia per insignem diligentiam est moraliter possibile cum ordinaria Dei gratia ab omni mendacio abstinere, ut admittit etiam *Lessius, Sanchez, Saurez, de voto cap.* 3.

Sed quæres, An idem sit de voto vitandi omne prorsus verbum otiosum, aut omnem distractionem in oratione? Affirmat Cajetanus 2. 2. *qu.* 88. *act.* 8. & quidam alii. Respondeo tamen, multò probabilius, esse invalidum: quia lingua est tam lubrica, & phantasia tam instabilis, ut moraliter impossibile sit in illis cohibendis omnem diligentiam semper evadere. Constat quidem S. Teresiam emisisse votum semper faciendi quod judicaret Deo acceptissimum: sed ad hoc opus erat gratiâ prorsus rarissimâ, & ad cooperandum gratiæ rara avis in terris erat Teresia.

4. Quoad votum ex metu, probabilius est, Votum factum metu gravi, ad id non justè incusso non valere, nisi firmetur juramento: secus est si metus justè incutiatur.

5. Votum puellæ ob metum Patris reverentialem non valere quidam probabiliter asserunt, si præsertim timet ne ab eo alioqui durè tractetur. *Navar. c.* 25. *n.* 51. *&c.*

6. Qui vovit solùm ingredi Religionem, si in Novitiatu ea non placet, potest exire, etiamsi vovisset animo perseverandi.

7. Violare votum de re levi, aut vitando aliquo veniali, est solùm veniale peccatum. *Navar. n.* 40. *Layman cum communi.*

8. Non est plerumque in potestate voventis se obligare sub mortali, aut veniali peccato; obligatio enim pro qualitate materiæ quam vovet gravis, aut levis incurritur.

Vota emissa ex errore non obligant, si error fuerit circa substantiam rei promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem sive motivum vovendi. Hinc error circa substantiam facit ut non teneatur qui vovit dare calicem quem putavit esse argenteum, cum tamen sit aureus. Error circa finem invalidat votum offerendi Deo sacrificium in gratiarum actionem pro recuperata sanitate amici, qui tamen est mortuus, aut non laboravit: ita *Lessius, Filliucius, aliique communiter.*

9. Non ideo votum non obligat, quia accidit aliquid quod si prævidisses, non vovisses; sed quia accidit id, quod si fuisset ab initio

tio tempore voti, obligationem voto abstulisset; ut si fiat res impossibilis, aut illicita, aut indifferens, quæ per se sub votum non cadunt.

10. Votum Sacerdotii, aut votum non nubendi, non est votum castitatis, poteftque ab Episcopo dispensari.

11. Votum de impossibili non obligat, etsi res posteà fiat possibilis.

12. Illi possunt irritare suorum vota, quos diximus posse irritare juramenta, supra §. 2. *n.* 17. Qui tamen sine causa irritat alterius votum in quod consenserat, peccat quidem, sed valida est irritatio.

13. Etsi Episcopus possit dispensare in suorum subditorum votis Papæ non reservatis, dispensare tamen non potest Parochus. Quia in hoc non habet jurisdictionem fori externi., *Suarez & alii communiter.*

14. Votum omne ex juris authoritate, commutari potest in votum religionis, quia hoc est maximè arduum & diuturnum.

15. Potest quis non servare votum, cum observatio vergit in periculum magnum, & non potest pro dispensatione adiri superior. Excipe tamen votum continentiæ, quæ melior ipsâ vitâ existimatur.

16. Causa dispensandi esse potest facilitas nimia, sive defectus maturæ deliberationis in vovendo, infirmitas ad implendum, necessitas vel utilitas, quæ item causæ ad votum commutandum idoneæ esse solent.

17. Papam posse in voto solenni castitatis dispensare, quidam negant, aliqui rectiùs affirmant.

18. Qui potest ex privilegio dispensare, potest & commutare, non contra. Dispensatio autem in voto sine justa causa invalida est, ut passim admittunt Theologi.

19. Dispensatio aut commutatio voti & juramenti invalida & injusta est, quando ea cedit in præjudicium tertii, cui per votum aliquod jus acquisitum est. Sed bene notandum, jus illud acquisitum non esse, nisi promissio fuerit acceptata, ideoque posse adhuc votum relaxari, aut commutari, ita *Rodric tom. 2. c. 131. n. 4. &c.*

Quinam autem possit in votis & juramentis dispensare, aut ea commutare, reperies suprà in serie Facultatum, *part. 3. cap. 5. §. 1. num. 9.*

Quæres, Quænam vota sint soli Pontifici reservata, sic ut neque ab alio, sine ejus facultate relaxari, aut commutari?

Respondeo, Quinque esse vota sic Pontifici reservata: Votum Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellam, & ad Terram

ram Sanctam. In necessitate quando non datur recursus ad Pontificem, potest in illis Episcopus cum suis subditis dispensare, ita *Doctores* ex Juris concessione.

Quod si prædicta vota fuerint pœnalia, ut, si fornicatus fuero, voveo in pœnam servare perpetuam castitatem : vel si fuerint conditionalia, ut, voveo peregrinationem Compostellanam, si ab hoc morbo convaluero : talia vota non censentur reservata etiam post impletam conditionem, quia non sunt emissa ex virtute Religionis, sed vel pœnæ explendæ, vel sanitatis obtinendæ gratia : reservatio autem cum sit odiosa, rigidè interpretanda est. Poterunt itaque talia vota relaxari ab iis qui facultatem habent dispensandi aut commutandi alia vota, ut docet Cajetanus verbo, *Votum, num. 6.* Medina, Lopius, Aragonius, Palacius, & plures Theologi recentiores.

Quæstio est inter aliquos Recentiores, An si obstrictus voto castitatis sine delectatione propria, alium suo contactu ad pollutionem impellat, teneatur in confessione circumstantiam sui voti explicare ?

Non desunt authores qui sustinent partem negativam ; eo quod talis in seipso nullam ponat actionem veneream castitati suæ contrariam. Respondeo tamen illum esse voti transgressorem, & teneri obligationem talis voti in confessione exponere. Quia vovit abstinere ab omni actu venereo, ac proinde dum actionem illam in alio procurat, contra voti religionem operatur.

Nec videtur contraria opinio tutò sustineri, cum ea jussu supremi Tribunalis Fidei expuncta fuerit ex summa Hieronymi de Lamas anno 1640.

CAPUT III.

De tertio Præcepto, Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

§. I.

De festorum observatione.

OBservatio Festi incipit à medio noctis usque ad medium noctis sequentis. Violatur Sanctitas diei festi exercendo opera servilia, hoc est, quæ versantur circa materiam externam, & pro Mechanicis haberi solent, ut fabricare, aut suere, aut similia, quæ requirunt laborem corporis, qualis ab operariis exerceri solet.

2. Illicitum non est diebus festis instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, vel curru: quia hæc non sunt servilia. Imò licita sunt reliqua ad res ejusmodi necessaria, v. g. currum fractum die festo reparare, *Navar. Tol. Suar.*

3. Licet etiam diebus festis docere, scribere, etiam accepto pretio transcribere. Imò licitum esse pingere docet *Medina, Lopez, Armilla*, & probabile putat *Layman*: de rudibus verò lineamentis die festo formandis id plerique concedunt.

4. Servile non videtur ad vitandum otium venari, aucupari, piscari; saltem in fluminibus recreationis causâ, ita censent *Gran. Laym. Bonac.* Idem de puellis ad otium vitandum acu pingentibus, cum *Diana p. 6. tap. 5. R. 25.* docet *Azor. Arm. Sa.*

5. Non licet emere aut vendere res non necessarias, negotiari publicè vel privatim, inire contractus emptionis, permutationis, locationis: nisi ex consuetudine, vel aliis justis de causis excusentur: quia ista intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus est, *Cap. 1. de feriis*, ut docet *Suar. Bonac. Filiucius.*

6. Quæritur hic, quæ causæ excusent ab observatione Festorum? Respondeo, 1. Dispensatio Episcopi, vel potestatem Episcopalem habentis, vel saltem quasi Episcopalem, uti habent Superiores Religiosorum, imò & Parochi quando non datur facilis accessus ad loci ordinarium.

2. Loci consuetudo: hinc licitæ sunt Nundinæ in festis passim haberi solitæ; & præparationes ciborum etiam non necessariorum, ut placentarum, & similium. Licitæ etiam quibusdam locis sunt emptiones & venditiones rerum, quæ parvo pretio emuntur. *Laym. Bonac. Aliique.*

3. Necessitas propria vel aliena, corporis vel animi: quando nimirùm sine gravi incommodo aliquid omitti non potest. Sic excusantur servi & ancillæ coacti à Dominis laborare, nec audentes recusare: si tamen id sæpè contingat, eos deserere debent. Item Pistores, Laniones, coqui, Sartores in operibus necessariis, ut in funeribus, nuptiis &c. si aliter fieri non potest ut satisfaciant. Item Agricolæ, si ob imminentem pluviam fœnum, vel segetes colligere debeant.

Denique excusat parvitas operis, vel temporis, undè grave non videtur unâ horâ laborare, ita *Suares*, maximè ut notat *Layman*, si labor non sit servilis nimiùm, qui brevi etiam tempore corpus fatigat.

7. Peccat qui post usum rationis die Festo non audit Missam, peccat quidem venialiter, si pars parva spontè omittatur: mortaliter verò, si pars sit notabilis, v. g. media, vel tertia pars Missæ. *Layman* tamen & alii quidam non audent mortalis damnare eum, qui tantùm ab Offertorio usque ad finem adfuisset.

8. Qui

8. Qui à duobus Sacerdotibus successivè duas Missas audit tantùm dimidias, non peccat saltem mortaliter, ita *Navar. Sa. Sotus, Henriq. Diana*, quia is audit integram Missam.

9. Non satisfacit, qui sub Sacro dormit, pingit, docet; vel qui post murum, aut tali loco est, undè nihil audiri, videri, vel notari possit quod in Missa fiat.

10. Satisfacit tamen surdus, cœcus, & qui post ostium, aut columnam, vel in fenestra, vel extra eam ita est præsens, ut ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agatur, spectatâ loci naturâ; etsi ipse per accidens nullam Sacerdotis actionem videat vel audiat, modo per moralem conjunctionem si pars ejus multitudinis, quæ Missæ præsens dicitur: ita *Bonac. aliique.*

11. Qui ex impotentiâ saltem morali impeditur exire, aut magnâ difficultate, aut ex notabili incommodo proprio, vel proximi, vel bonorum, vel honoris; non tenetur curare celebrari privatim in Altari portatili cum Privilegio, aut preces interim alias loco Missæ recitare, quamvis id consultum sit. Quia non est mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ & benevolæ matris aliàs impeditum ad ista obligare: ita *Bonac. Navar. Fill. Suar.*

12. Hinc excusantur illi, quibus si exeant ad Missam audiendam, periculum est gravis offensionis mariti, parentum, vel Dominorum. *Henriq. Suar. Filliucius.* Si tamen id ferè semper aut frequenter fieret, de alio medio laborandum esset.

13. Item, quibus gravis est difficultas eundi ad Ecclesiam ob distantiam, v. g. unius vel alterius milliaris Germanici, vel etiam minoris spatii, maximè, si via sit molesta, cœlum pluvium &c. ubi habenda est ratio personarum, sexus, loci, temporis, & consuetudinis, *Bonacina, Suar. Fill. Marchant, &c.*

14. Denique si ex consuetudine fæminæ egredi non soleant tempore luctus, vel etiam post partum, excusantur, *Sylv. Cajet.* Aut si quis non habeat vestes statui suo convenientes. *Navar. Henriq. Sâ Azor, Bon.* Alia de sacrificio Missæ diximus supra *p. 3. tr. 4. c. 4. §. 5. &c.*

Quæres 1. Quid si inter hæreticos mulcta pecuniaria imponatur Catholicis in Sacrificio Missæ deprehensis, uti sæpiùs factum in Anglia, Hibernia &c.

Respondeo illam non excusare, nisi aliquis adeò sit pauper, ut mulcta illa sit personæ aut familiæ valdè graviter nocitura.

Quæres 2. An in diebus festis Ecclesiæ liceat Catholico inter hæreticos eorum more officinam suam aperire, & merces vendere?

Respondeo affirmativè, si hoc tantùm faciat ad damna evitanda, & servandam uniformitatem cum aliis civibus. Quia non est mens Ecclesiæ fideles suos ad claudendum obligare cum tanto incommodo

& perturbatione, quæ possit indè frequenter oriri. Si tamen alicubi consuetudo obtinuisset, ut maxima pars Catholicorum officinas cluderet, tenerentur alii se illis conformare. Ita etiam resolvit *Lessius in Op. posthumo v. Festa, casu 8.*

Quæres 3. An idem dicendum sit de claudendis officinis Catholicorum quibusdam diebus, quæ apud hæreticos publicæ orationi dedicantur?

Respondeo. Etiam Catholicos illis diebus posse officinas claudere more hæreticorum, quod etiam admittit *Lessius suprà*. Quia hoc non est signum professionis falsæ religionis, aut cooperatio aliqua cum ritu hæretico, sed est tantùm signum obedientiæ & conformitatis politicæ per actionem ex se indifferentem.

§. II.

De Iejunio Ecclesiastico.

Jejunium Ecclesiasticum quoad substantiam consistit in unica per diem comestione, cum abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis. Præceptum jejunii non tantùm à Deo latum, sed etiam ab Ecclesia impositum, obligare sub gravi peccato satis patet ex eo, quod Ecclesia tanquam Christi vicaria debeat habere potestatem ferendi leges ad fidelium directionem, quâ jam indè à temporibus Apostolorum in certis jejuniis ac festis sub gravi obligatione indicendis semper usa fuit.

2. Ad substantiam jejunii non videtur spectare certa hora diurnæ refectionis, quæ est circa meridiem: hanc proinde horam sine justa causa notabiliter prævenire, veniale tantum peccatum rectius censet *Toletus, Filliucius &c.* contra *Navarrum*, & quosdam alios, qui id judicant esse mortale. Illud verò tempus ad mediam circiter horam antevertere ex justa causa, v. g. si cùm hospitibus comedendum, si iter accelerandum &c. nullùm animo peccatum censeri decet.

Neque violatur substantia jejunii præcepta, si quis debeat prandium dividere, eo quod è mensa evocetur, vel quod tantum per intervalla possit accipere quod ad justam refectionem sufficiat, uti pauperibus contingere solet. Idem dicendum, si quid ante prandium sumatur per modùm medicinæ, vel propter debilitatem, vel quia debet aliis in mensa ministrare, vel ob aliam causam debeat ultra consuetam horam prandium expectare. Quia hæc moraliter in unicam tantum refectionem coalescunt.

3. Non solvitur jejunium per crebriorem potum, etiamsi con-

tingat in eo committi excessum, quo contra temperantiam peccatur. Hoc enim jejunii præceptum ex mente Ecclesiæ non circa potum, sed circa cibum ejusque qualitatem versatur, uti agnovit semper communis Doctorum consensus. Licitum est quoties bibitur modicum cibi interponere, ne potus noceat, v. g. quinque vel 9. amygdala, modo id non fiat in fraudem jejunii, ut admittit *Reginaldus*, *Diana p.* 1. *tr.* 9. *R.* 24. *Busen. aliique.*

4. Collationis vespertinæ quantitas & qualitas multum pendet à consuetudine Regionis apud viros timoratos. Licitum esse ubique sumere quantitatem 6. aut 8. unciarum docet hic *Suarez*, & 12. alii probati authores; imò quartam partem quantitatis sufficientis ad refectionem ordinariam admittit *Reginaldus*, & duo alii: quod tantum admiserim, quando quarta pars ordinariæ refectionis 8. uncias non excedit, ne aliàs helluonibus collationem communi cœnæ æqualem permittamus.

Ubi adverte, cæteris paribus, locorum variorum consuetudinem plus permittere viris nobilibus, quàm plebæis, Ecclesiasticis, aut religiosis: item in regionibus frigidis, quàm in calidioribus; quia satis constat in illis frigidioribus vim esse digerendi majorem, adeoque largiori alimento indigere, huic proinde sententiæ cum pluribus ex scriptoribus Germanis subscribit *Layman. hic l.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1.

5. Quoad qualitatem collationis, prohibetur cibus solidus, qualis propriè ad cænam adhiberi solet, ut sunt pisces & ova; aut ex his confecta: ac proinde admittenda non est sententia quorundam cum *Bonacina* asserentium, in collatione non tam qualitatem quam quantitatem spectandam esse. Quod si contingeret aliquem sine reflexione jejunii per diem aliquid cibi sumpsisse, non ideò debet à collatione abstinere, nisi paulò ante collationem ita sumpsisset, ut spectato tempore & quantitate possit pro collatione reputari.

Permittuntur in collatione fructus & legumina, aliave ex Saccharo & melle confecta: & pro more regionis modicum butyri & casei, uti in Germania, & Belgio, non verò in Anglia aut Hibernia, usus obtinuit. Probabile autem est, quantitatem in collatione permissam posse sic permisceri, ut ex ea fiat jusculum, aut simile compositum, dummodò nihil cibi vetiti, sed tantum aqua aut vinum, panis, sal, oleum, aut fructus ingrediantur, ita cum *Azor*, & 6. *aliis Diana p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 34. Absque causa collationem sumere mane, & vesperi cænare, veniale peccatum est. Fieri id potest absque ullo peccato si adsit causa idonea, ut est confectio itineris, venatio, piscatio, ambulatio, etiamsi tantum ad animi relaxationem suscipiantur, ut admittit *Diana* & *Castrop.* cum pluribus.

6. In violatione jejunii potest parvitas materiæ excusare à peccato mortali; qualis est ea quantitas carnis quam coquus ex necessitate gustare permittitur; in aliis verò cibis duæ unciæ, sive quarta pars collationis vespertinæ, etsi quis postea prandium, aut collationem sumeret. Si quis autem sæpius in die modicū sumendo animadverteret se ad quantitatem notabilem pervenire, is mortaliter peccaret: quia partes illæ sic sumptæ in quantitatem gravem coalescunt.

7. Si quis dubitet die Jovis an sit audita hora noctis duodecima, potest carnes comedere, quia in tali dubio libertas est adhuc in possessione edendi nisi sit duodecima. Secus dicendum si cænans die Sabbathi dubitaret an sit hora 12. noctis, quia in die Sabbathi præceptum est in possessione, ne comedas nisi sit duodecima.

8. *Quæritur*, Quænam causæ à jejunio excusent?

Respondeo, causas excusantes à jejunio, primò esse impotentiam; qualem habere censentur qui sine notabili damno jejunare nequeunt; hac ratione eximuntur à jejunio juniores qui sunt infra annum 21. completum: quibus etiam carnes ministrari possunt usque ad annum septimum, non ultra. Excusantur etiam infirmi convalescentes, prægnantes, lactantes, & alii, qui ad necessarias vires indigent ampliori alimento. Inter hos numerantur etiam senes sexagenarii, saltem quando non constat evidenter posse sine damno jejunare: si de hoc damno dubitetur, non tenentur jejunando se periculo exponere; fragiles enim sunt senum vires, nec restaurari possunt quando semel defecerunt. Quinimò plurium probabilis omnino sententia est, omnes absolutè sexagenarios quamvis validos à jejunio excusari, ob rationem jam assignatam; adduntq; probabiliter sufficere, ut annus sexagesimus sit inchoatus. Ita de anno sexagesimo generatim docet *Diana p. 1. tr. 9. res. 20.* & fusè *Leand. in prae. de jejun. tr. 5. disp. 8. q. 17.* ubi adducit supra viginti Authores, & inter hos Lamas 3. *part. method. cap. 5.* asserentem Pium V. de hoc interrogatum ita vivâ voce respondisse Anno 1570.

Propter impotentiam etiam excusantur à jejunio pauperes, qui pro sufficienti refectione non habent alium cibum præter prohibitum v.g. carnes, ova, lardum, intestina animalium, aut his similia: non enim intendit benigna mater Ecclesia tota die ad panem, aquam & pauca legumina illos adstringere, aut alimentum viribus sustentandis necessarium subtrahere, *Sanchez, Diana &c.*

Ob eandem causam non immeritò idem *Sanchez, Navarrus, Gabriel* à jejunio quoad geminam refectionem excusat eos qui laborant tertianâ, vel quartana; vel qui ex stomachi vacuitate patiuntur capitis dolorem aut vertiginem; vel qui de nocte dormire aut calefieri nequeunt. Et ex peritis Confessariis sæpius audivi, fæminas dum

dum jejunant hujus capitis infirmitati multum obnoxias esse, de qua dum queruntur, non debet prudens Confessarius se difficilem præbere.

9. Altera causa excusans à jejunio est labor, aut officium, cum quo abstinentia ciborum consistere non solet, qualis est labor agricolarum, & plerorumque opificum, non tamen sartorum, tonsorum, pictorum, aut aliorum, quorum labor æquè levis censetur, uti docent cum *Lessio* plerique. Sed ut hi benigniori sententiâ quandoque sublevetur, hic bene notandum, non deesse Authores qui existiment Eugenium IV. sine discrimine omnes artifices à jejunio excusare, quod *Diana judicat* probabile, *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 7. *& alibi.*

Excusantur etiam qui pedibus iter conficiunt per magnam diei partem, ita *Sanchez. Fill.* &c. quod in Belgio invaluit de iis qui quatuor leucas confecerunt, etsi tantùm causâ recreationis iter illud susceptum fuisset: non ita tamen ordinariè qui per unum diem equitarunt, sed bene si per plures dies vires equitando debilitandæ erant, ita *Fill t.* 37. *c.* 6. *&c.* Et universim nemo tenetur ob præceptum jejunii omittere opus, ad quod incumbit aliqua obligatio saltem notabilis, ut rectè notat *Cajetanus.*

10. Excusant quoque opera Pietatis quæ cum jejunio nequeunt exerceri, etiam quando ob mercedem fiunt. Hinc ad jejunium non obligantur Concionatores, Præceptores ordinarii, Confessarii assidui, Cantores, & alii, quando per jejunium in peragendo officio multum impediuntur: hanc enim limitationem intelligunt, & plerumque apponunt authores *Navarrus, Sylvester Fagundez, Filliuc. Azor p.* 1. *l.* 7. *c.* 28. Atque in particulari absolutè docet *Diana p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 9. excusari Concionatores qui dicunt per totam quadragesimam, non verò qui Dominicis tantùm diebus concionantur. At *Sanchez. in consil. p.* 2. *l.* 5. *cap.* 1. *d.* 13. judicat à jejunio quadragesimæ eos regulariter eximendos quibus ter vel quater in hebdomade cum fervore concionandum est. De Lectoribus censet *Fagundez & Diana supra*, illos tantum excusandos quorum labor adeo magnus est ut nequeant aliàs officio satisfacere. *Sanchez supra* magis in particulari determinat Lectores illos, qui habent assiduè quatuor lectiones; v. g. Præceptores, Grammaticæ in Societate satisfacere, si media tantum quadragesima, sive ter in hebdomade jejunent; quia labor sic continuatus vires paulatim exhaurit. Sed notat ibidem *Sanchez* ad tollendos scrupulos expedire, ut Superiores cum talibus quantum necesse est in jejunio dispensent, cum hic nihil aliud certò constet, quam præceptum Ecclesiæ cum magna difficultate non obligare; quanta verò in singulis officiis & personis sit difficultas, definire nequit.

Quando in persona infirma, dubia est obligatio jejunii, non potest Medicus dispensare, sed tantùm declarare talem esse statum infirmi, ut cum jejunio difficulter consistat, quo posito per se desinit ejus obligatio. Quod si status ille permaneat dubius, à Superiore petenda est dispensatio. Quamvis, dum dubium est de gravi damno ex jejunio, opus non esse dispensatione doceat *Ioan. Sancius* cum *Caramuele*.

Quaestio apud aliquos difficilis est, An ille peccet, aut à jejunio excusetur, qui v. g. lusu pilæ, aut 4. leucarum ambulatione ea intentione vires insigniter fatigavit aut exhausit, ut sic à jejunandi obligatione eximatur? Sustinent aliqui Authores, infra citandi, probabile esse hunc non peccare, aut ad jejunium obligari, modò simul intendat aliquam recreationem quæ ex lusu aut ambulatione provenire solet. Quia Ecclesia non præcipit abstinere ludo propter jejunium, magis quam ab itinere ob lucrum non necessarium, aut ab aliis laboribus excusantibus à jejunio. Potest igitur intendere istam in ludendo aut itinerando fatigationem tanquam medium non illicitum, quo posito novit jejunii præceptum cessare: tantum enim intendit se ponere in statu qui est extra obligationem jejunii. Ita docet *Ledesma in summa tom. 2 tr. 27. cap. 2. cap. 699.* & *Diana p. 1. tr. 9. Ref. 40.* Quod confirmant ex eo, quod ad evitandum jejunium, aut obligationem cessandi ab opere servili, possis transire ad alium locum ubi jejunium non obligat, aut festum non celebratur, uti cum aliis docet *Suar. Sanch. Diana, Fagundez in præc. l. 1. cap. 7. num 7.* De simili fatigatione in ordine ad jejunium quando opus est illicitum plura supra, *p. 3. tr. 1. q. 10.* Ad quæstionem de esu carnium imminente periculo inter hæreticos, resolvitur infra, *tract. 6. quæst. 7.*

Quinam possint dispensare tempore Quadragesimæ in carnibus, ovis, aut lacticiniis, indicavi supra, *part. 3. cap. 5. §. 1. n. 14.*

CAPUT IV.

De quarto Præcepto, Honora Patrem &c.

§. I. *De obligatione liberorum erga Parentes.*

EX Præcepto divino obligantur liberi Parentibus, & aliis Superioribus, ad præstandum amorem, reverentiam, & obedientiam; adeò ut, si in aliquo horum graviter deficiant, peccent mortaliter.

2. Hinc graviter peccat filius contra *amorem* Parentibus debitum, si signa odii illis ostendat, eosque durius habeat. 2. Si necessita-

te, vel ſpirituali, vel corporali urgente, eis non ſubveniat. 3. Si paſſim torvo oculo eos aſpiciendo, aſpereque loquendo ita ſe gerat, ac ſi eos odiſſet. 4. Si hæres cùm ſit, eorum legata & teſtamenta non impleat. 5. Si mortem aut aliud infortunium grave illis optet Ita *Navar. Regin Fil. &c*

3. Contra *reverentiam* peccat etiam graviter; ſi deliberatè eos ad iracundiam gravem irritet, verbis contumelioſis, aliiſque quibus ſciat graviter offendendos. 2. Si eos percutiat, quamvis leviter, quin ut *Reginaldus* cenſet, ſi vel manum ad percutiendum deliberatè attollat. 3. Si pauperes agnoſcere nolit ac deſpiciat; ſi tamen juſta ex cauſa nolit eos apud ſe habere, atque exterius tantùm ſe noſſe diſſimulet, modò de neceſſariis iis proſpiciat, à gravi delicto excuſatur: eo quod parentes tali caſu rationabiliter non ſint inviti. *Bonacina aliique.*

4. Contra *obedientiam* graviter peccat, ſi in iis, quæ ad bonos mores, gubernationem domus, vel animæ ſalutem ſpectant, ubi res gravis eſt, ſit inobediens. *Fill. q. 10. n. 20.* 2. Si uxorem ducat ſe planè indignam, contra expreſſam parentis voluntatem. 3. Si ſine juſta cauſa uxorem eam recuſet ducere, quam juſſerit parens, præſertim ſi parentum id ſuadeat neceſſitas; juſta verò cauſa videbitur recuſandi, ſi vel ſit immorigera, vel deformis, vel infamis, vel denique animus ab ea multum averſus ſentiatur. 4. Si nupſerit parentibus inconſultis, ut vult *Sanchez*: nihil tamen prohibet contrahere cum ſe dignâ, ſi ubi conſuluit parentes, id ſibi denegent. Nam quisque in electione ſtatus, ſui juris eſſe cenſetur. *Sanch. l. 4. c. 15. &c.*

5. Proles ad alendos parentes inopes obligatur, adeo ut ſi juvari aliter non poſſint, & urgeat neceſſitas gravis, teneatur manere in ſæculo, & ſiquidem religionem ingreſſa ſit, egredi, & juvare parentes. Poſt profeſſionem, tantùm tenetur ſi neceſſitas ſit extrema: eoque caſu pergit adhuc obligari ad ſervandum ſubſtantialia ſuæ Religionis. *Lesſius l. 2. cap. 4. dub. 3.*

Quæres primò, An filiis fas ſit aliquando parentes criminis reos accuſare, vel ad Judices deferre?

Reſpondeo, Filiis id illicitum eſſe, propter naturalem reverentiam parentibus debitam: præterquam in duabus potiſſimum cauſis; primò, quando parens eſſet hoſtis aut proditor patriæ: ſecundò, quando in Principis necem vel interitum conſpiraret. Quia ratio docet communem Reip. ſalutem, privatæ præferendam eſſe: eſtque hæc communis opinio apud *Angelum*, *Sylveſt. Azor, Navarrum in manuali cap. 14. n. 12.* qui docet cum *Azor* aliiſque, filium eo caſu non tantum poſſe, ſed etiam teneri parentem accuſare, ſi deſit alius

qui

qui patrem sceleris authorem commodè possit Judici indicare: ad hoc enim obligat lex ordinatæ charitatis.

Quæres secundò, Quid si parens sit occultè hæreticus, an filius teneat eum denunciare?

Respondeo, filium ad hoc saltem teneri, quando parens falsâ doctrinâ alios corrumpit, aut à vera religione singulari conatu avertere studet. Quia hæresis nisi impediatur, ut cancer serpit, & pestiferum virus occultè infundit. Et ita docet cum aliis *Alexander Ast, Azor. Cajetanus in cap.* 13. *Deuteronomii*, ubi statuitur ut pater prodat filium impium: ergo eadem ratione filius patrem Deo impium, & hæreticum deferre debet, ut ipsius aliorumque saluti prospiciatur.

§. II. *De obligatione Parentum erga liberos.*

Certum est parentes, avum, aliosque majores jure naturali graviter obligari ad procurandam educationem, & conservationem liberorum.

2. Mater secundùm jura tenetur prolem alere ad annum usque tertium finitum; quæ sequitur educatio usque ad emancipationem ad Patrem spectat. Excipe, nisi hic esset pauper, & mater haberet media sustentationi prolis idonea. *Laym. l.* 5. *t.* 10. *c.* 3. *&c.*

3. Pater obligatur non tantùm proli legitimæ, sed etiam spuriæ, ex jure Canonico, alimenta procurare, & honestas artes, & dotem filiæ, juxta suum statum, si indigeant. Peccat proinde omittendo saltem mediocrem diligentiam, ut in hunc finem media acquirat, aut si bona ad hoc necessaria dilapidet. Neque potest dotem filiæ, aut patrimonium filio denegare, ex eo quod hic Ordines sacros suscipiat, aut filia invitis parentibus alicui nupserit. *Bonac. Azor. Reginaldus.*

4. In necessariis ad salutem ut liberi instruantur curare debent parentes. Hinc graviter peccant, primò si quantùm in ipsis est non curent, ut bonis moribus imbuantur, vitent prava consortia, mandata Dei & Ecclesiæ observent, Sacramenta frequentent, Christianam doctrinam seu rudimenta fidei addiscant. Si vel exemplo, vel consilio eos depravent: denique si dissolutos moderatè non puniant aut objurgent. *Sylv. Sot. Bonacina.*

5. Sunt tamen aliqui casus, in quibus Pater filium possit exhæredare: si novercam seu Patris uxorem cognoverit carnaliter, si cum gravi dispendio parentum bona dilapidarit, si testamentum à parente condi impedierit, si Patri detento in carcere succurrere detrectaverit fidejubendo. Denique si proles ante annum vigesimum quintum vitam degerit luxuriosam.

6. At-

6. Atque hæ quidem causæ valent, quando filiis aliundè superest undè vivant, ut fiat exhæredatio juxta normam juris Canonici, quod requirit ut causæ in testamento exprimantur. Verùm quandò, & ubi fieri possit, sæpè etiam pendet à jure civili, & municipali variorum locorum.

Quæres, An Pater teneatur dotare filiam volentem ingredi Monasterium?

Respondeo teneri, eo casu quo teneretur illam dotare volentem matrimonio temporali se copulare. Quia conjugium spirituale favorabilius est in ordine ad obligationem dotis quam conjugium carnale, cum sit in se multò præstantius, & leges soleant causis piis præ cæteris favere. Sic disertè docet & probat Sanchez *de matrim. l. 4. disp. 26. num. 7.* citans Felinum, Bald. Greg. Lopez, Menochium, Bonacinam, quibus recenter accedit cum aliis Leander *hic tract. 1. disp. 12. quæst. 15.*

CAPUT V.

De quinto Præcepto, Non occides.

De Homicidio, Mutilatione &c.

HOmicidium est injusta hominis occisio. Contingit enim homini justè vitam auferri, vel ex Dei jussione, qui est supremus Dominus vitæ & mortis, vel ex authoritate legitima reip. uti fit in suspendio malefactorum: vel ex gravi causa aliquid faciendo vel omittendo, ex quo mors hominis præter intentionem indirectè sequatur. Non enim tenemur nostram vel alterius vitam in quavis circumstantia, & quovis incommodo conservare, cùm ad conservandam hominis vitam præcepto tantùm affirmativo obligemur, quod cum incommodo valdè gravi obligare non solet.

2. Hinc licitum est occidere aggressorem vitæ suæ, vel alterius: hæc enim justa defensio, non directa occisio est.

3. Idem dicendum est in defensione bonorum, honoris, castitatis, aut alterius virtutis, si id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est, si aliâ ratione defendere nequeas: nisi tamen res sit momenti exigui; aut etiam magni, modò via juris recuperari possit.

4. Non intelligitur modus inculpatæ tutelæ, si quis majori vi utatur, quàm defensio postulet, aut si quis invaditur, dum potest, non vult fugere, nisi sit persona nobilis, cui fuga pro ingenti dedecore reputanda esset, *Mald. Dian. Laym. l. 3. t. 3.*

5. Prævenire non licet, & occidere insidiantem vitæ tuæ privatâ authoritate, sed ad publicum recurrendum est, quamdiu nihil in te attentavit.

6. Tam

6. Tam qui occidit, quàm qui mandat occidere homicida est. Hic tamen si re integrâ & fide bonâ mandatum revocaverit, extra noxam est patrati homicidii: non ita qui consuluit alteri homicidium, nam etsi affectu nondum secuto consilium revocarit, homicida, & irregularis esse non desinit, si non desierit occisor illius consilio moveri. *Sylv. cum communiori.*

7. Filiam vel uxorem in adulterio deprehensam, itemque adulterum, in foro conscientiæ occidere non licet: & leges civiles id inique permittentes à jure Canonico correctæ sunt.

8. Mortale est procurare abortum, etsi fiat ad servandam salutem Matris, quando dubium est sitne fœtus animâ rationali præditus. Grave etiam peccatum est, aliquid præbere fœminæ ne prolem concipiat.

9. Ad duellum, sive pugnam, inter duos condicto loco & tempore, ullo casu expressè provocare aut illud acceptare mortale peccatum est: aliud est si publicâ authoritate duo pro toto exercitu decernant, uti factum est in Davide & Goliatho. Vel si aliquis quovis loco invasus ferrum stringat & pugnando seipsum defendat.

Pugnantes in duello, item consulentes, suadentes, spectantes, excommunicantur, in *Concil. Trid. sess. 25. c. 15.* & plura extant in Bulla a Clemente VIII. ea de re edita. Duellum acceptare non censetur, qui provocatus respondet, se ob provocantem à consueta via non recessurum, aut si aggrediatur, se defensurum. *Navarr. cap. 15. Laym. Hurt. Less. Filliuc. &c.*

Alterum mutilare, membrum aliquod amputando; aut vulnus infligendo sine justa causa peccatum est contra justitiam; quod verum est, etiam si id fieret cum consensu illius qui mutilatur: aut aliquis seipsum sine causa mutilaret, aut vulneraret. Ratio est, quia sicut nullus habet dominium suæ vitæ corporalis, quod Deus sibi reservatum voluit; sic nemo retinet dominium suorum membrorum, ut possit de illis quovis modo pro arbitrio disponere.

Quæres, Quid pro hominis vita, aut vulnere, aut membri amputatione restitui debeat.

Respondeo ex communiori Doctorum sententia, æstimandas esse imprimis expensas factas in curatione vulneris: item lucrum quod cessavit, & damnum quod emersit ex alterius morte, vulnere, aut mutilatione.

Sed *Quæres*, An pro ipso membro amputato, aut vita, aut cicatrice ex vulnere relicta, aliqua compensatio ex justitia debeatur?

Respondeo, etsi aliqui id affirment, probabiliorem tamen videri sententiam *Navarri* aliorumque, qui negant, ullam compensationem ex justitia deberi. Quia membrum & vita hominis est bonum

altioris ordinis, quàm ut pecunia, aut alio pretio æstimari, aut æquari debeat. Quamvis autem præcisè pro ipsa cicatrice nihil sit restituendum, si tamen ex ea damnum sequatur, v. g. in fœmina quæ ob deformitatem ex cicatrice contractum non potest pari nubere, debet ea jactura juxta prudentis æstimationem compensari.

CAPUT VI.

De sexto Præcepto, Non mœchaberis.

De Luxuria.

Luxuria est inordinatus appetitus, vel usus sensus venerei, qui fit in corpore cum commotione spirituum generationi servientium.

2. Actus luxuriæ, alii sunt perfecti & consummati, cum seminis decisione; alii imperfecti, qui sistunt in interno desiderio & oblectatione morosa. Speciem sumunt hi actus à diversis objectis circa quæ versantur, ideoque ea in Confessione sunt explicanda, vel etiam à modo, quo exercentur naturali, vel contra naturam: diversitas illa magis patebit ex sequentibus.

3. Fornicatio, est concubitus soluti cum soluta, quæ nempe libera est à voto, Matrimonio, Religione, cum mutuo consensu habitus.

4. Incestus, dicitur concubitus cum cognatis, etiam spiritualibus, per Baptismum videlicet aut Confirmationem, & affinibus. Cognati sunt hi usque ad quartum gradum, uti & affines, quando affinitas illa oritur ex copula conjugali: ex copula autem non conjugali, solùm extenditur usque ad secundum: Cum iis qui religionem profitentur, aut sacris initiati sunt, aut in loco sacro, potiùs sacrilegium videtur quam incestus. Cum filia autem Confessionis, etsi cognatio spiritualis propriè non sit, dignum tamen est flagitium Confessarii depositione, & carcere, & ob similitudinem venit etiam nomine incestus.

5. Stuprum est copula quæ cum virgine exercetur, sive vir fuerit virgo sive non.

6. Sodomia est, cum sexus ejusdem duo commiscentur, etiam fœminæ, vel cum fœmina vir præposterè extra vas naturale. Quidam verò putant variari speciem Sodomiæ, si fiat cum cognato, aut affine, aut cum habente votum castitatis, &c. Sed hoc parum ad praxim juvat, quia equidem in Confessione explicandum est se Sodomiam commisisse cum habente votum castitatis, affine, cognato, &c.

7. Ad bestialitatem reducitur etiam coitus qui fieret cum dæmone. Sunt autem bestialitates reliquæ speciei ejusdem.

8. Sodomia, bestialitas, mollities non sunt ejusdem speciei infimæ, ac proinde in his non sufficit in confessione dicere, se procurasse pollutionem, sed exprimenda est particularis species bestialitatis aut Sodomiæ, ita Alex. *supra pag.* 300. *n.* 24.

9. Mollities sive pollutio grave est peccatum, quoties sponté pro-

curatur, aut voluntas in eam plenè consentit. Pollutio involuntaria non est peccatum; nec opus honestum, unde sequitur, v. g. Confessionem rerum turpium, relinquere oportet, nisi sit periculum consentiendi.

10. Defectus pleni judicii & consensus in semi-experrecto pollutio non est mortalis. *Sotus, Toletus cum communi.* Dum ea provenire advertitur, pro securiori praxi docent optimi Authores, expedire tunc se munire signo crucis, & sine alio attactu Deum ferventer rogare, ut se ab omni in eam delectationem lapsu conservet. *Non enim,* inquit S. Bernard. *nocet sensus, ubi non est consensus*; ita *Sanchez, Busen. Trull. &c.*

11. Oscula & tactus verè libidinosi inter non conjugatos mortalia sunt peccata; non autem inter conjugatos, si absit periculum pollutionis.

12. Inter Sponsos amplexus & oscula licita sunt in signum sinceri affectus & benevolentiæ; non autem tactus impudici, qui proximè ad copulam disponunt. *Sanch. Dian. p. 2. tr. 17. r. 6. &c.*

13. Quæ ab aliquo opprimitur non tenetur ad defensionem sui illum lædere; at verò tenetur clamare & resistere quantùm potest sine periculo vitæ aut famæ,

14. Si in cogitationibus venereis voluntas se habeat negativè, id est, non consentiat neque dissentiat motibus luxuriæ; probabile est non peccare mortaliter, nisi adsit periculum consensus aut pollutionis, *Sanch. & 9. alii* probati authores.

15. Probabile est simplicem delectationem, quæ fertur in personam conjugatam aut affinem, non habere malitiam distinctam ab ea, quæ fertur in solutam, aut non affinem; ideoque non est necessarium hanc circumstantiam in Confessione explicare. *Diana, Vasq. & 7. alii quos illi citant.*

16. Si oscula fiant ex urbanitate, & ex more patriæ, non sunt illicita; si non accedat pravus affectus. Viros Ecclesiasticos & maximè Religiosos decet illum Patriæ morem, quantùm sine offensione fieri potest, meliori urbanitate declinare.

Quæres, An, & quomodo universim censeatur aliquis peccare contra necessitatem indirectè, ponendo causam rei venereæ proximam, aut remotam?

Respondeo primò, Quando aliquis facturus rem necessariam, aut ex se licitam, prævidet inde secuturos motus venereos; aut etiam pollutionem, quam nullo modo vult, aut directè intendit, tunc non tenetur abstinere à tali actione, si non existimet adesse periculum ne consentiat in istam delectationem. Quia ad actionem illam aliunde necessariam, aut ex se licitam sequitur ille motus aut pollutio

tan-

tantùm per accidens; homini autem prosequenti suum jus non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem secutus, alioqui sæpe deberet abstinere ab actionibus bonis & honestis. Hinc 1. colligitur, non obstante periculo talis effectus, licitum esse audire confessiones mulierum, etiam quando exponunt res lubricas & venereas: 2. studere casibus qui circa tales versantur: 3. aspicere, & alloqui personas alterius sexus: 4. seipsum, aut alium medendi causâ, aut ex alia honesta ratione contingere. Si tamen aliquis expertus esset se ex simili occasione sæpius ulterius in expressum delectationis consensum mortaliter prolapsum esse, teneretur à causa illa etiam ex se licita abstinere, ut docet *Navarrus hic cap.* 10. *Sanchez, Filliucius, Layman num.* 16. ubi notat, illos qui in actionibus utilibus, aut ex se honestis tales effectus experiuntur, facilius liberari, si animo obfirmato eos effectus contemnant, quam si nimio timore imaginationem moveant, & sic movendo magis ad cogitandum solicitent.

Secundò, Si causa, ex qua talis motus aut pollutio sequitur, sit proxima, sive, ex natura sua ad venerem ordinata, ut est tactus, aspectus, lectio, aut locutio ex se luxuriosa, quæ otiosè, & sine debita causa exercentur, mortale peccatum est ab illis non abstinere. Quia qui consentit in talem causam proximam, censetur mortaliter in effectum consentire. Si verò sit causa tantum remotè, & per accidens ad pollutionem concurrens, ut nimius potus, aut cibus, aut equitatio, aut confabulatio, etsi absque causa & utilitate exercentur, motus, aut pollutio ex illis secuta censetur tantum venialis, dummodo ea non intendatur, & absit periculum consensus venerei. Quia effectus ille in talibus causis tantum remotè & imperfectè continentur, & potius proveniunt ex imbecillitate complexionis & naturæ, quàm ex intentione illius qui talem causam aut actionem ponit. Ita etiam docet *Sanchez, Filliucius, Lessius, Diana* alios citans *part.* 5. *tract.*13. *resol.*4. Itaque generatim ut sciatur, quando tales effectus censeantur esse intenti indirectè, sive in sua causa, aliqui breviter hanc Regulam statuunt: Si causa in genere luxuriæ sit peccatum mortale, pollutionem ex ea secutam esse mortalem: Si causa sit venialis, illum effectum esse venialem: Si verò causa nullum sit peccatum, effectum quoque nullum fore peccatum, seclusio semper periculo directi consensus in ipsam pollutionem, ex tali causa provenientem.

Ex decreto R. P. Claudii Aquavivæ Societas Jesu non admittit in delectatione rei venereæ deliberatè admissâ pravitatem materiæ moraliter & practicè; physicè verò & speculativè loquendo eam negari vix posse ait Matth. Moya *in select. quæst. tract.* 6. *miscell. disp.* 2.

disp. 2. de peccatis, quæst. 2. art. 3. Ratio est, quod delectatio venerea quantumvis minima voluntatis igne succensa, gravem spirituum commotionem frequenter excitet, eo quòd ad generationis actum, ex medicorum sensu, cum affectu sæpè vehementissimo expetitum non una pars animæ per se, aut una post aliam; sed tota ejus hypostasis simul, ac subito commovetur, & versus venereas partes inclinatur aut rapitur; hinc levissima quæque libidinis incentiva per universas animæ partes ex se velut igneas, & in tales ignes maximè proclives citissimè diffunduntur, ut scilicet imaginatio venerea illico partibus venereis turgescentiam inferat; & vice versa humoris seminalis turgescentia imaginationem veneream conciter & delectationem; quæ deliberatè quæsita & admissa semper peccatum mortale est. Dari autem in re venerea pravitatem materiæ physicè & speculative, quamvis negari possit difficilè; non facile tamen motus illi graves, levesne sint distinguentur, ubi tota naturæ, veneri plerumque & speciei suæ propagationi inclinatæ systasis commovetur.

Remedia contra luxuriam, quæ decet Confessarium in promptu habere, breviter assignat *Peyrinus t. 1. q. 3. c. 2. aliique.*

1. Humilitas & oratio, ut agnoscentes nostram fragilitatem ad Dei auxilium recurramus. 2. Sobrietas in victu, & carnis mortificatio. 3. Custodia sensuum, & vitatio familiaritatis cum mulieribus. 4. Fuga otii. 5. Piorum librorum lectio. 6. Mortis & æternarum pœnarum viva meditatio. 7. Frequens Communio, & Confessio apud unum prudentem & stabilem Confessarium. 8. Occurrente tentatione cogitare Deum adesse præsentem, severum peccati vindicem, ac frequenter animo revolvere hanc sententiam: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.*

CAPUT VII.

De Præcepto *VII. VIII. IX.* Non furtum facies, &c.

De Furto. Rapina, &c.

Furtum est occulta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter Domino? si fiat cum aperta violentia, dicitur rapina, quæ à furto specie distinguitur.

2. Furtum non est, in extrema vel gravissima necessitate propria vel aliena, accipere ex re alterius, quantum hic & nunc necessarium est ad subveniendum necessitati; neque obligatio est posteà restituendi. Idem docet de necessitate gravi, *Less. Malderus*, Diana,

3. Quan-

3. Quantitas requisita ad furtum mortale, æstimanda est ex prudentum judicio consideratâ pecuniæ raritate, & personâ furto læsâ. Non malè tem determinare videretur, qui statueret quantitatem censeri gravem, quæ æquaret stipendium diurnum honesti artificis; solent enim homines laborem illum, ejusque pretium pro re notabili æstimare. Ita etiam docuit hic *Lud. Scilders*, & duo alii mecum Lovanii eruditi Professores.

Laxior est *Sotus*, *Corona*, *Navarrus de furto, n. 3.* qui docent, mortale non esse lautas divitias possidenti auferre tres argenteos; respectu hominis quantumvis ditissimi unum vel alterum aureum materiam gravem conficere censet *Bonacina aliique*.

4. Potest etiam in re modica aliquando grave peccatum admitti, si indè grave damnum eveniat: ut si quis sartori acum, quam unicam habet, suffuretur.

Quando domestici furta non admodum damnosa sine magna difficultate restituere nequeunt, prudenter & licitè aget Confessarius, si illis injungat, ut obsequiis extraordinariis damnum compensare studeant.

5. Uxor à viro, filius à patre, si quid non magni pretii accipiat, non furatur: si tamen notabile quiddam fuerit, omninò est restituendum.

6. Si quid contractu oneroso, ut emptione, à fure acceptum sit, sufficiet id ei, aut cui ille voluerit restituere, etsi quidam Domino proprio id malint restituendum esse.

7. Qui pauca furatur per vices, ubi summam notabilem explevit, obligatur ad restitutionem; præsertim si res sic accepta non sit consumpta: hæc enim praxis utendi v. g. parvis ulnis, aut mensuris, esset graviter perniciosa commercio humano.

8. Sine furti crimine potest uxor succurrere necessitati sui patris, aut matris, aut prolis ex alio Matrimonio, etiam nolente marito, ex bonis propriis, aut communibus, dummodò post mortem viri, ea quæ largitur in sua portione computet. Quia illa jure naturæ tenetur eos alere, & maritus debet in hoc consentire, *Navar. Less. Diana p. 5. t. 8. r. 34.* Quod aliqui ad uxoris fratres, & sorores probabiliter extendunt.

9. Non furatur etiam v. g. famulus, qui moderatè utitur tacitâ compensatione, si stipendium suum non possit aliter obtinere. Uti plures docent apud *Layman*, *Tolet. l. 5. cap. 15.* contra *Sanchez*, & paucos.

Quæres; An liceat clam, aut etiam per vim propriâ authoritate rem meam recuperare ab alio injustè detentam.

Respondeo cum distinctione; Si res tua in specie extet apud injustum

justum detentorem, nec possis facilè aliter recuperare, licitum esse non tantum clam auferre, sed etiam vim adhibere. Quia perinde agis ac si vim inferres furi volenti rem tuam rapere, aut raptam retinere, quod licitum esse admittit communis sententia.

Quod si res tua apud alium non extet in specie, sed tantum in debito, quo alius tibi adstrictus tenetur, quod non facilè potes recuperare; tunc dico licitum non esse vi rem æquivalentem eripere, aut debitorem violentâ coactione ad debiti solutionem adigere: Quia debitum ut legitimè recuperetur exigit cognitionem causæ: cognitio verò causæ requirit officium judicis, nemo autem in sua causâ judex esse potest.

De aliis injuriis & peccatis, quæ præcepto 8. 9. & 10. adversantur, ex sequentibus constare debet.

CAPUT VIII.

De Contractu in genere.

Contractus est consensus externus duorum, quo liberè & legitimè utraque pars, vel saltem una alteri acceptanti, se obligat. In qua definitione, pleræque conditiones ad contractum requisitæ implicitè continentur.

1. Ex qua sequitur primò, non perfici contractum, aut obligationem, si alteri promisisti sic, ut solus ipse sis conscius: imò etsi signum externum excesserit, si non acceptaverit alter, contractus nullus est, ac nulla proindè obligatio.

2. Qui ad contrahendum sunt inhabiles, aut quibus jus positivum resistit, nihil agunt contrahendo, v.g. pupilli, fatui &c.

3. Nihil item agitur, si materia contractus sit illicita, vel illegitima, uti est res aliena vendita à fure.

4. Eadem est ratio, si circa rei substantiam vis, dolus, error versatus sit, quod accidit, v. g. ubi acetum væniit pro vino, vitrum pro gemma.

5. Si tamen, circa qualitatem tantùm, aut circumstantiam ejusmodi accidentalem, error dolusvè intercesserit, non idcircò contractus continuò est invalidus: Poterit is nihilominus interdùm ob injuriam rescindi.

6. Imò nec si ex metu gravi etiam injustè incusso celebretur contractus, idcircò invalidus dicendus erit, sive onerosus is fuerit sive gratuitus; est enim adhuc liber simpliciter, & voluntarius: licet à judice rescindi possit ex arbitrio illius, qui metum passus fuerit. *Sanch. Laym. Lugo. hic, d. 22.*

7. Ex-

7. Excipitur jure positivo contractus Matrimonii, professio religiosa, & alia quæcunque vota, quæ tali metu extorta non obligant; item contractus dotis, qui in hoc contractum Matrimonii sequitur, promissio vel traditio in rebus Ecclesiæ, authoritas tutoris per metum extorta. *leg.* 1. §. *ult. ff. de Author. tutor.*

8. Illegitimè contrahunt, quibus bonorum suorum administratio non conceditur, ejusmodi sunt furiosi, prodigi, filiifamilias, uxores, Religiosi, Pupilli, minores. Excipe casus aliquos, quos habet *Less. l.* 2. *cap.* 17. *dist.* 4. & qui infrà occurren.

CAPUT IV.

De Donatione & Promissione.

DOnatio alia est verbalis, per quam res donata non traditur, & parit tantùm actionem personalem, in eum, qui donavit: Alia est donatio realis, in qua res donata etiam traditur, & statim transit in rem accipientis.

2. Donatio etiam adhibitâ scripturâ & testibus, potest ante acceptationem revocari. Ad donationem validam requiritur, ut absenti eam indicet ipse qui donat, nec satis est id fieri ab alio, sine ejus mandato: quod si is cui res donatur, præsens taceat, censebitur acceptare. Quia in favorabilibus qui tacet consentire censetur.

3. Donatum pro absente acceptare potest Notarius, & pro causa pia homo quilibet.

4. Bonorum omnium donatio non semper est invalida, si donans præsentia tantum bona intelligat, nec adjungat etiam futura; si quidem pietatis, aut dotis, aut mortis causâ donatio, facta sit, aut si ea juramento aut morte firmetur. *v. Molin. d.* 280.

5. Qui certam summam donando excedere prohibetur, titulo tamen remunerationis, gratitudinis, eleemosynæ donare poterit; etiam sic imminutâ portione legitimâ filiorum: ita *Navar. &c.*

6. Quod datum est per modum dispositionis ad aliquid, v. g. ad religionem, alium vestatum, retineri potest, etsi posteà status ille non sequatur.

7. Rex potest revocare donationem tam suam, quàm prædecessoris sui, si illa regnum enormiter lædar. *Bart. Lugo, Diana p.* 8. *t.* 6. *r.* 18. *&c.*

8. Modus adjectus donationi turpis, vel impossibilis, censetur non adjectus. *Molina d.* 208. *col.* 5.

9. Donatio inter vivos, etsi res jam tradita sit, revocari potest in certis casibus, nisi illa fuerit remuneratoria, aut facta Ecclesiæ, aut Monasterio.

Primus casus est, si donatarius probetur esse enormiter ingratus, v. g. si donanti graves injurias inferat, aut inopiâ laborantem non sustentet, quod notandum est ingratis filiis, quibus parentes omnia donarunt. *Less. Sylv. Trull. Bonacina.*

2. Si donans caruerit liberis, & postea ei proles nascatur: hæc enim conditio inest donationi, ex dispositione juris, uti notat *Diana, Sa, &c.*

3. Si donatio fuit talis ut filii omninò priventur legitima portione, possunt eam, etiam ipsi filii revocare. *Navar. Less. Diana*

10. Simplicem promissionem rei notabilis, etiamsi à promissario acceptatam, per se non obligare sub mortali docet *Cajet. & quidam alii.* Probabilior tamen videtur contraria opinio, quam tenet *Malder. Vasq. Fil. &c.* si quis veram promissionem seriò expresserit, & non solùm propositum aliquid præstandi.

11. In foro tamen externo ut judicetur seria & valida promissio, ultra acceptationem requiritur ut exprimatur causa propter quam facta fuerit promissio, ut tradit *Covar. Villa, Trull. l. 7. c. 16. d. 6.*

Plura de promissione & donatione colliguntur ex dictis suprà de voto, & infra de testamento.

CAPUT X.

De commodato, deposito, mutuo.

Commodatum est contractus, quo res aliqua quoad solum usum, pro certo tempore, & gratuitò conceditur.

2. Depositum est quod traditur custodiendum, ut integrum restituatur.

3. Mutuum ab utroque differt in eo, quod transferatur in alium dominium illius rei quæ mutuo datur, non item in illis quæ dantur per modum depositi vel commodati.

4. Ante tempus definitum commodator rem commodatam repetere non potest sine injustitia. Si tamen ex eo, quod re suâ careat, illi damnum impendeat, potest eam ante tempus repetere, quamvis indè damum æquè magnum impenderet commodatario. Quia (ut ait *Navar.*) in commodatione hæc tacita involvitur conditio: nisi intereà contingat rem esse necessariam commodanti.

5. Re deposita licitum est uti, quando depositarius bona fide existimat depositori id non displiciturum, alias absq; usu servari debet.

6. Si res commodata, vel deposita perierit, probabile est depositarium teneri tantùm in casu quo dolus, aut culpa crassa dolo æquivalens intervenerit. *Less Layman.*

Excipe tamen sartores, molitores, aliosque artifices, quibus res traditur expolienda, uti etiam nautas & aurigas, qui ex levi culpa obligantur

gantur. Quia etiam in eorum commodum res alienæ illis traduntur. *Sylv. Less. &c.*

7. Si depositarius aut commodatarius dubitet, an commodatum sive depositum perierit sua culpa, non tenetur, in foro saltem interno, ad restitutionem. Quia in dubio non præsumitur delictum, ita *Sanch. de Matrim. l. 2. d. 14. num. 18. &c.*

8. Dolus tamen præsumitur in foro externo, nisi depositum casu sic periisse probetur, ut simul cum rebus depositarii servari non potuerit, quod fieri potest, v. g. imminente naufragio aut incendio, quo casu depositarius non teneretur rem alienam præ sua servare.

9. Si quis depositum Domino reposcenti remiserit per hominem qui vulgò fidus audiebat, isque sibi retinuerit, vel perdiderit, rem Domino periisse censet *Molina apud Escobar, &c.*

10. Mutuans ad damnum sarciendum obligatur in conscientia, si de rei vitio mutuatarium non monuerit.

Item nisi par necessitas urgeat, rem mutuatam ante tempus repetere non potest.

11. Tenetur mutuatarius præstare casum fortuitum mutuo evenientem, cum penes eum rei dominium sit, & in eadem qualitate, & quantitate eam suo tempore reddere debeat.

Non licet in vero mutuo, ullum lucrum accipere, quia esset usura, ut cap. seq. magis patebit.

12. Mutuum distinguitur à pignore, hypotheca, & locato, quòd in his dominium rei in alterum non transferatur cui ea oppignoratur, sed tantum usus, uti diximus de commodato & deposito, in mutuo autem cum usu dominium transfertur. *Bonac. d. 3. q. 3. p. 1. &c.*

CAPUT XI.

De Usura.

Usura est lucrum ex mutuo: tale lucrum est quidlibet pretio æstimabile, quod supra summam capitalem præcisè ratione mutui exigitur. Hoc autem iniquum est, exigere lucrum pro re mutuata, quæ non est amplius tua, sed aliena; quia rei mutuatæ dominium transfertur in eum, qui mutuam accepit.

2. Usura non est, si nihil ut pretium mutuans intendat, sed ex gratitudine tantùm aliquid speret, & eâ intentione illi aliquid donetur, etsi illud ut finem principalem intendat. *Mol. To. 2. d. 305. n. 6. C. Lugo d. 25. &c.*

3. Nec si des mutuam, ut te in alterius amicitiam insinues, usura erit; imò nec si indè speres aliquod officium: quia amicitia pretio non æstimatur.

4. Usurarium tamen est & illicitum pactum de officio aliquo obtinendo à mutuatario, vel de ejus opera pro te impendenda : ita communiter Doctores cum *Molin. Less. Salas. C. Lugo.*

5. Usura non est poscere aliquid ratione difficultatum vel expensarum, quæ erunt, vel timentur in recuperanda sorte quæ mutuò datur : item ratione periculi in eadem recuperanda. Quia pretio æstimari potest quod quis se in talem difficultatem periculumve conjiciat.

6. Nec est usura pacisci & accipere aliquid ratione emergentis damni, cujus mutuum verè causa sit, aut cessantis lucri, vel cessaturi, modò de hoc ipso mutuatarius præmoneatur : ut si cum pecunia tua quam alteri mutuaris, poteras & volebas negotiando quæstum facere.

7. Usura est, mutuare frumentum vetus cum obligatione ut restituatur novum certo tempore, siquidem qui dat mutuum sciat novum fore melius, & majoris pretii, *Sylv. Navar. Trul. disp.* 15. *num.* 11.

8. Ex sententia communi usura est, si mutuum des ut posteà ex debito civili obligetur mutuatarius, tibi mutuari vicissim, aut vendere, aut merces apud te emere, aut operas suas tibi locare. Ejusmodi enim obligatio pretio æstimabilis est, quæ mutuatarium privat potestate emendi alibi &c. *Lessius l.* 1. *c.* 20. *d.* 8. *C. Lugo, Layman. l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. *num.* 3.

Item si frumentum quod alibi habes mutuum des, cum obligatione, ut reddatur vel hic vel alibi, ubi plus valet, cum sumptu vel labore majori. Nisi fortè alius titulus æquivalens accedat, lucri cessantis, periculi, &c.

9. Si mutuo des, v. g. decem modios tritici, & interim per accidens crescat tritici pretium, potes eandem mensuram repetere. Quia sic non petitur frumentuum mutuum propter ejus pretium, sed propter ipsam substantiam frumenti, cui eadem mensura est æqualis *Layman. Bonac.* Aliud est de moneta, dum ejus valor accrevit, quia in ea æqualitas valoris non substantiæ spectatur. *Layman. Bonac. &c.*

Præter obligationem restitutionis, usurarius est obnoxius pœnis à jure constitutis *cap. quanquam de usu in* 6. ut si sit publicus sive notorius, non debeat admitti ad communionem altaris, aut absolvi, donec usuras actu restituat, vel cautionem pro iis præbeat, neque sepeliri in loco sacro, & qui sepelit ipso facto est excommunicatus. *Bonac. Lessius, Trull. Laym. &c.*

CAPUT XII.

De Emptione, & Venditione.

EMptio, eſt contractus, quo pretium pro merce ſolvitur: venditio, quo pretium pro merce accipitur. Uterque contractus mercis traditione completur, & utriusque juſtitia in æquali valore mercis & pretii conſiſtit.

2. Etſi contingat venditorem neceſſitate ductum res ſuas vilius vendere, emptio tamen erit juſta. Quia à nullo deceptus eſt venditor, & venditio illa manet libera. *Cajet. Bonac. &c.*

3. Emptor poteſt emere minoris ex eo quod multa ſimul emat. Quia tum venditorem expeditum facit ad alia coemenda, & liberat eum curis res illas ſervandi & vendendi.

4. Venditor communiter vendere debet eo pretio, quod vel à lege, vel à Magiſtratu conſtitutum eſt, &, ſi nullum ſit ſtatutum, illud æquum cenſebitur, quod à communi hominum æſtimatione imponitur. Non conſiſtit tamen illud pretium in indiviſibili, ſed dividitur in medium, infimum, & ſummum, ſive in pium, moderatum, & rigoroſum, ita ut venditio juſta ſit intra hanc latitudinem ut videlicet modo infimo, modo ſummo pretio merces poſſint divendi.

5. Debet in æqualitate mercis cum pretio computari labor, impenſa, induſtria adhibita in merce comparanda, conſervanda &c. Unde ex hac ratione excuſari poſſunt qui res minutas, ut fœnum, aut avenam in hoſpitiis carius vendunt, quam paſſim alii in quantitate majori.

6. Illud genus monopolii injuſtum eſt, quo mercatores aliqui inter ſe propriâ authoritate conveniunt, ut coemendo merces certi generis, v. g. frumentum, ſalem, vinum, illas pro ſuo arbitratu carius divendant, dum ipſi efficiunt ut vix alibi inveniri poſſint.

7. Venditor debet emptorem præmonere de notabili vitio rei, quod ei obeſſe poteſt, v. g. de ovibus ſi ſint morbidæ, de domo ſi ſit ruinoſa, de equo ſi ſit furioſus, de panno ſi ſit aduſtus: alioqui ad reſarciendam fraudem & damnum ſecutum obligabitur.

8. Si occultè noveris debitorem tuum non eſſe ſolvendo, injuſtum videtur pretio ordinario debitum illud vendere iis, qui id neſciunt: tam quia dolus eſt, quam quia non revelatur maximum vitium debito intrinſecum, quod eſt impotentia ſolvendi.

9. Licet rem vendere pretio currente, & nihil dicere emptori, etſi venditor ſciat pretium mercis mox eſſe minuendum. Quia pretium currens, ſimpliciter adhuc juſtum eſt. Seclusis tamen mendaciis,

dolo, fraudibus, quibus emptorem ad emendum allicere nequaquam licet. *Bonac. q. 2. p. 5. n. 12. cum Azor. Fill. Lessio &c.*

10. Si duobus in solidum res sit vendita, dominium acquiritis, cui tradita est, modò pretium solverit: si verò neutri tradita sit, debetur ei qui prius tempore emit, alteri verò relinquitur actio in venditorem. Dominium tamen, ante traditionem, Ecclesiis, aliisque piis locis acquiritur. *Less. C. Lugo, &c.*

11. Si res empta pereat ante traditionem, & sit in individuo determinata, v. g. hæc domus, hoc dolium vini, hic modius frumenti, illa perit emptori, nisi venditoris culpa perierit, aut aliter expressè conventum fuerit: si autem empta fuerit res indeterminata, periculum spectat ad venditorem. Ita *C. Lugo, Less. Bonac. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 17.*

12. Si post traditionem res vendita pereat, aut fiat deterior, cedit in damnum emptoris, etsi necdum persolutum sit pretium: quia res quælibet Domino suo perit, *Layman, Bonac. &c.*

13. Usura est, minoris emere credita certa anticipatâ solutione; secluso lucro cessante & damno emergente. Sic enim implicitè mutuat pecuniam minorem pro exigenda majori, *Molin. Less. Fill. Tol. Bon. d. 3. q. 3. p. 10.* Aliud est, si credita sint incerta, litigiosa, aut cum difficultate exigenda: tunc enim jure coemuntur minoris pro ratione incertitudinis ac difficultatis ab emente sustinendæ in re obtinenda, ita *Bon. Trull. &c.*

14. Regula universalis dignoscendi, an in aliis contractibus, in quibus est rerum quæ permutantur inæqualitas, interveniat aliqua injustitia, plerumque erit, animadvertere, an insuper ex una parte accedat lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis, nam ex horum titulorum justâ consideratione, aliquid ultra sortem accipi potest. Uti fusiùs deducit *Molina, Less Layman.* aliique Theologi & Juristæ. Varia insuper pro contractibus privatis, singulorum locorum propriis juribus constituta sunt, quæ nequeunt ad certa principia reduci, & ad Judicem potiùs, quàm ad Confessarium pertinent.

Quæstio in praxi singularis est: An vendentes licitè possint vino aquam miscere, aut optimo tritico grana viliora, si per hoc vinum aut triticum non reddatur deterius, quam id quod passim pro eodem pretio ab aliis venditur?

Respondeo id non esse illicitum, si mixtio illa cum cautela, & sine immodico excessu adhibeatur, uti plures docent cum Lessio *de Iust. lib. 2. c. 21. dub. 11.* Bonac *tom. 2. disp. 3. de contract. q. 2. pun. 6. n. 17.* Diana *part. 1. tr. 8. res. 51.* Contra Rebellium Busenb. Laym. *tom. 1. sect. 5. de just. tract. 4. cap. 17. §. 2.* Mendo *in statera dissert. 6. q. 4.*

Pro-

Probatur noſtra reſponſio, Quia in cauſa nullum damnum aut injuria infertur emptori: non enim tenetur venditor illi tradere merces majoris perfectionis quàm ſint illæ, quæ pro eodem pretio ab aliis paſſim venduntur, & quæ eandem utilitatem habent ad uſus humanos, uti hic fieri ſupponimus. Ergo venditor per hanc commixtionem non delinquit contra juſtitiam, neque ad reſtitutionem obligari debet. Idque confirmatur ex eo quod plures Authores probati tradant, licitum eſſe venditori imminuere rei menſuram, quando alia ratione obtinere nequit legitimum ejus pretium, cum per hoc nullam inferat injuriam emptori, cui tradit merces pretio accepto æquivalentes.

Dixi in reſponſione *ſi cautela ſine immodico exceſſu adhibeatur*: Quia propter exceſſus periculum hæc praxis, quamvis in ſe legitima, prudentibus tantum & timoratis indulgeri debet, ne alias homines laxioris conſcientiæ facilè ſibi perſuadeant, ſuarum mercium præſtantiam cæteras longè antecellere, atque ita vinum larga manu lymphatum, largiori conſcientia, pro communi melioris vini pretio divendant.

De Simoniaca Emptione aut Venditione.

SImonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum, pro pretio temporali. Nomen accepit à *Simone* Mago, qui Actorum 8. hoc crimen admiſit.

1. Requiritur ad Simoniam ut ſit deliberata voluntas *emendi aut vendendi*, ſive contractus oneroſus, aut pactio tacita, vel expreſſa, & obligatio ex ea reſultans. Non ſufficit enim aliqua naturalis obligatio v. g. ingratitudinis, quando quis ſperat, vel tantum intendit aliquam remunerationem, ſi nulla intercedat obligatio, qualis ſolet eſſe in contractu oneroſo. Per *pretium temporale*, intelligitur etiam id quod pretio æquivalet, ut eſt obſequium, patrocinium, famulatus &c.

2. Nomine *rei ſpiritualis*, non tantum importatur res formaliter ſupernaturalis, & ad ſalutem noſtram per ſe ordinata, ut eſt gratia, aut dona Dei interna, ſed etiam res quæ cauſat gratiam, aut donum aliquod ſupernaturale, ut ſunt Sacramenta, concio, preces, aut alia Sacramentalia: item effectus & uſus poteſtatis ſupernaturalis, ut eſt conſecratio, abſolutio, benedictio, diſpenſatio, excommunicatio, electio ad beneficium, præſentatio, confirmatio, collatio, & alii actus ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinentes, qui omnes ſine peccato Simoniæ emi aut vendi non poſſunt.

3. Denique ad Simoniam ſufficit quod ematur aut vendatur aliquid *rei ſpirituali annexum*, ut ſunt reditus beneficiorum, qui propter officium ſpirituale conceduntur.

Ma-

Malitia igitur Simoniæ consistit in eo quod res, sacra sive spiritualis irreverenter tractetur, dum instar rei temporalis pretio commutatur, ac si hæc esset illi æquiparanda.

Hoc peccatum est mortale ex genere suo, nec veniale fieri potest ex materiæ levitate: quia nullum donum gratiæ, licet parvum, potest vendi sine gravi irreverentia, tum ipsius doni, tum etiam Dei, qui singulari & supernaturali modo illius doni author existit. Potest tamen esse peccatum veniale ob actus indeliberationem, & imperfectam cognitionem malitiæ. Ita *Sanchez Tom. 3. de Rel. lib. 4. c. 36. Less. hic c. 35. d. 1. Azor, Layman, aliique.*

Simonia alia est *juris divini*, quæ nempe est prohibita propter malitiam suam v. g. hostiam consecratam vendere. Alia est *juris humani*, quæ est mala tantum propter prohibitionem. Hoc modo ab Ecclesia prohibetur, ideoque simoniam juris humani contrahit, primò, venditio beneficiorum, etiam secundum id quod in ipsis temporale est, scilicet quoad jus percipiendi fructus. 2. venditio officiorum extrinsecè tantum ordinatorum ad res sacras, v. g. sacristæ, advocati Ecclesiæ, aut thesaurarii. 3. oblatio pecuniæ cum obligatione alicui facta, ut suadeat alteri sibi conferre beneficium. 4. Contractum inire de resignando beneficio, vel solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret. 5. absque authoritate superioris permutatio, & resignatio beneficiorum; vel etiam reservatio personis ex beneficio resignato: hæc tamen possunt licitè fieri accedente facultate superioris, qui jus illud constituit. 6. acceptio muneris, etiam sponte oblati, pro examine ad Parochiam, ex *Trident. sess. 24. c. 18.* pro collatione ordinum, pro tonsura, vel literis dimissoriis, *Trident. sess. 21. cap. 1.* excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, si salarium non habeat, & consuetudo id permittat. 7. exactio pecuniæ pro admissione ad religionem, quamvis non detur pro statu religioso, qui cum sit spiritualis, jure divino vendi non potest, sed pro onere sustentationis istius personæ, nisi forte excuset monasterii tenuitas, vel consuetudo contraria: ita *Layman, Lessius, Bonacina d. 1. q. 1. Actor. 3. p. 1. 12. c. 14.* Idem est si pro Concione aut Missa pretium accipiatur, nisi ratione laboris extrinseci, aut alterius incommodi pretio æstimabilis, ut docet supra *Layman, Bonacina, aliique.*

Item Simonia est, dare vel accipere pretium pro absolutione à peccatis, aut censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, irregularitate; cum hæc sit jurisdictio spiritualis. Quamvis possit in his aliquid exigi per modum mulctæ ad causam piam applicandæ, ut in quibusdam casibus fieri solet.

Non est autem Simonia, dare aliquid ad redimendam iniquam vexam

vexam, v. g. neganti Sacramenta in necessitate; aut impedienti legitimam beneficii possessionem, *Suarez, Lessius, Layman*, vel inique impedimenti electionem, vel possessionem ad quod jus in re jam obtinetur; quod si tale jus nondum habes, etsi possis redimere vexam ab eo, qui tantum potest obesse, non tamen ab eo, qui & prodesse, & obesse potest. Quia in primo casu non datur tamquam pretium æquivalens rei spirituali, sed ut alter ad officium rite præstandium inducatur.

Neque Simonia est dare stipendium ad sustentationem Clerici etiam divitis, pro missis, aut concionibus; aut de eo pactum inire: Quia non datur tanquam pretium spiritualis officii, sed personæ in alterius gratiam occupatæ, quod illi ex justitia debetur, *Suar. Laym. lib. 4. tract.* 20.

Non est Simonia saltem juris divini, quamvis possit esse quandoque juris humani, spirituali cum spirituale permutare, v. g. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquiis; vel dare temporale pro temporali, ut si calicem, vel agnos Dei præcise ratione materiæ vendas: vel dare temporale pro spirituali per modum doni gratuiti, etsi adsit spes vel intentio alium excitandi ad remunerationem doni spiritualis, vel contra. Quia titulus gratitudinis non respicit pretium, sed beneficium; nec solvit aliquod ex justitia debitum, modò ultra hos limites non rapiat habendi dira cupido.

Variæ sunt pœnæ Simoniacis constitutæ, quarum hic aliquas recenseo.

Primò, ob Simoniacam collationem, & susceptionem Sacrorum Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incurritur excommunicatio, & suspensio Papalis ab exercitio ordinum susceptorum.

Secundò, ob Simoniam realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur 1. excommunicatio Papalis. 2. irrita est electio, præsentatio, confirmatio, & institutio: unde talis non facit fructus suos. Et hoc ita se habet, licet aliquis à tertia persona tali modo provisus vitium illud ignoraverit: nisi tamen, dum rescivit, contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi bonâ fide possederit beneficium per triennium. Ita *Layman tract.* 10. *cap. ultimo*, *Lessius lib.* 2. *cap.* 35. *d.* 31. *Bonacina d.* 1. *q.* 7. *p.* 2. *num* 20. 3. efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendum: quamvis aliis benficiis jure ipso non privatur, nec ad nova obtinenda, ante sententiam Judiciis, redditur inhabilis.

Quoad pretium Simoniacè acceptum pro beneficio, aut alia re spirituali, si non est secura rei collatio, jure naturæ restituendum est illi à quo est acceptum. Si verò secuta est collatio, & Simonia utrimque

que completa, probabilius est restitutionem faciendam esse Ecclesiæ & non illi qui pretium contulit, quia Ecclesia hac ratione tam dantem quam accipientem punire intendit.

Quæres primò, Quid dicendum de casu subtili, quo certo contra collatorem v.g. Episcopum pro mille florenis, quod beneficium non sit mihi, sed alteri collaturus, ut nempe mihi conferendo, collator mille florenos ex sponsione lucretur. Respondeo, illam sponsionem esse Simoniam palliatam, & illicitam; non enim tam est sponsio, quam tacita emptio beneficii.

Quæres secundò, Quid si quis procedat per contractum innominatum hoc modo: Conferam tuo nepoti hoc beneficium, si tu simile conferas meo nepoti, cognato, vel amico. Respondeo, collationem illam esse Simoniacam, si de re præstanda non simplex insinuatio sed verum pactum intercedat, quod ex *cap. finali, de pactis*, satis colligi potest.

Quæres tertiò, Quid judicandum de eo qui pecuniam præbet alicui tertio ut intercedat apud alterum, ut hic intercedat apud Collatorem beneficii, ut conferatur illi qui dictam pecuniam præbuit?

Respondeo, illum casum apud aliquos Authores ut licitum admitti: Quia, inquiunt, pretium illud datur pro re merè temporali, nempe pro gratia sivè intercessione amici apud collatorem: hanc sententiam ut probabilem habet *Vasquez & Sanchez in Opusculor. to. 1. lib. 2. cap. 3.* & aliqui Recentiores apud *Dianam part. 4. tract. 4. resol. 151.* & iterum *part. 10. tract. 15. resol. 5.* Sed ipse *Vasquez & Sanchez* censet contrariam sententiam esse probabiliorem: quod omnino verum judico tam ab authoritate, quàm à ratione: quia illud pretium saltem mediatè pro ipso beneficio conferri videtur: hac viâ facile foret passim palliare Simoniam in oculis hominum, sed prava animi intentio fugere non potest oculos Dei, ut etiam rectè hic notat *Stephanus à S. Paulo pag. 422.*

Quæres quartò, An liceat absque Simonia pro beneficio aut alia re spirituali accipere aliquid temporale titulo gratitudinis, sic ut de illo ex gratitudine præstando pactum intercedat? Licitum id esse, videtur admittere *Diana* citans *Valentiam*, quia non est pactum inducens obligationem justitiæ. Verùm etsi non inducat obligationem justitiæ, adfert tamen novam obligationem, & pretio æstimabilem, supra simplicem gratitudinem, quæ per se libera est, nec obligat determinatè ad hoc vel illud donum conferendum, quod tamen fit ex vi istius contractus, qui proinde onerosus censeri potest.

CAPUT XIII.

De Teſtamento.

TEſtamentum eſt juſtæ voluntatis diſpoſitio de rebus poſt mortem præſtandis, cum hæredis inſtitutione. Et per hoc ultimum, differt teſtamentum à *Legato*, ſive fideicommiſſo partiali, quod tantùm eſt donatio particularis alicui à defuncto relicta. *Codicillus* autem eſt quaſi imperfectum teſtamentum, ſine hæredis inſtitutione, ad conſtituenda legata, vel ad aliquid in teſtamento explicandum, mutandum, addendum, vel demendum. De quibus *Laym. l. 3. t. 5. c. 1. Bonac. Tanner, aliique.*

2. Ad teſtamentum ſolemne ſive clauſum, requiruntur à jure variæ ſolemnitates: nempe ut teſtator illud ſuâ vel alicujus manu ſcriptum offerat ſeptem teſtibus idoneis, non defectuoſis non cœcis, ſurdis, mutis, nec furioſis, & prodigis, infamibus, religioſis, cognatis, qui in teſtatoris poteſtate ſunt; (quibus adde ipſum hæredem, & qui in ejus poteſtate ſunt,) ſed maſculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, & vocatis, coram profitendo id eſſe ſuum teſtamentum: tum ſi poſſit manu ſuâ ſubſcribit, alioqui id præſtat octavus pro eo teſtis: dein omnes & ſinguli ſeptem teſtes eodem tempore ſubſcribunt, ſi poſſint, per ſe ipſos: proprioque, vel alieno, aut communi omnes ſigillo conſignant. *Laym. Bon. d. 3. q. 17 p. 1. &c.*

3. Si teſtamentum careat debitâ ſolemnitate, & dubitetur an teſtator intenderit conficere teſtamentum *clauſum*, an verò apertum, habebit ſaltem vim teſtamenti *nuncupativi*, quod tantùm requirit ut ſeptem prædicti teſtes coram audiant & intelligant teſtatoris voluntatem etiam ſola voce expreſſam. Quia præſumitur teſtatorem hoc ſaltem voluiſſe potiùs quam actum ſuum eſſe irritum. *Sanch. Lugo, &c.* Conſultum eſt in conficiendo teſtamento etiam adhibere Notarium qui particularium locorum jura noſſe ſolet, ut valori teſtamenti in foro externo tutiùs conſulatur.

4. Notat quoque *Diana p. 6. tr. 5. Reſol. 30.* invaluiſſe conſuetudinem ut minor numerus teſtium quam ſeptem ſufficiat ad valorem. Certè hominibus ruſticanis, quinque teſtes ſufficere, ſi difficulter plures habentur, absque ſubſcriptione, ſi non ſint litterati, tradit *Layman & Bonac.*

Item tempore peſtis neceſſe non eſt teſtes ſimul congregari, ſed tantùm ut ſinguli ſeorſim adhibeantur: imò abſolutè loquendo tunc duos vel tres ſufficere ex jure gentium docet *Diana p. 7. tr. 6. cum Sa, Laym. &c.* Neque minus militibus, dum in caſtris ſunt, concedunt jura privilegium.

5. Si

5. Si testamentum factum sit ad *pias* causas, etiam in foro externo juris solennitates non requiruntur: sed tantùm quæ jure gentium sufficiunt, nempe duo testes, inter quos fæmina esse potest. *Covarr. & alii* 12. Item Parochus, aut Confessarius etiamsi legata essent pro Ecclesia propria, *Lessius, Card. Lugo &c.* Et quamvis morte interveniente contingeret testamentum non esse absolutum, validum tamen est quoad legata pia. *Diana &c.* In foro autem conscientiæ etiam sine ullo teste sufficit scriptura, nutus, vel aliud signum, quo voluntas Testatoris sufficienter indicatur. *Molina, C. Lugo, Diana.*

6. Si autem testamentum factum fuerit ad causas *non pias*, & careat solennitatibus à jure requisitis, probabilius est illud *saltem in foro conscientiæ* esse omninò validum: adeoque licitè retineri quod ex tali testamento possidetur. Quia illæ solennitates tantùm requiruntur in foro externo ad fidem in judicio faciendam, & excludendam omnem deceptionem, Ita *Lessius de jur. l. 2. c. 19. d. 3. Barbosa. Wiggers p. 9. tr. 7. resol. 49. contra Molin. Dian. &c.*

Hinc hæres ab intestato non videtur excusari in foro conscientiæ à persolvendis legatis in testamento non solenni relictis, si satis ipsi constet de voluntate Testatoris. De qua si dubius sit, tenetur cum aliis pro ratione dubii componere. Quia in hoc dubio neutri parti favet possessio.

7. Testari non potest Religiosus professus, nec filiusfamilias de bonis adventitiis sine patris consensu, nisi tamen sit Clericus, etiam primæ tonsuræ: nec cœcus sine testibus, nec pupillus, nisi sit doli capax & juramento confirmaverit. Nec in bello justo captus, nec obses apud infideles. Nec manifestus usurarius, nisi præstitâ cautione: valebunt tamen hujus legata ad pias causas si pœnitens obierit. Nec uxor nisi ad pias causas; sicubi legitimè statutum sit, ut non possit testari sine consensu mariti, ut refert *Sa, & plures alii.*

8. Patris testamentum inter liberos ab eo solo scriptum, aut subscriptum validum est, etiam ad pia legata, *Sa, Diana, &c.*

9. Potest Pater ob justam causam inæqualiter filiis bona relinquere, ubi non obstat lex particularis: sed non potest legitima portione privare.

10. Etsi spurium à testamento excludat jus civile, ex jure tamen Canonico potest illi Pater alimenta relinquere, & filiæ dotem si eâ indigeat.

11. In dubio testamenti judicandum est testatorem id voluisse, quod si adesset dicturus crederetur.

12. Qui juravit non revocare testamentum, si revocet certum est

est validè revocare, imò à perjurio si causa subsit, probabiliter excusatur, *Sa, &c.*

13. Conditio hæc testamento apposita, *si filia non nupserit*, in ea quæ nunquam nupsit: item, *si non intrabit Religionem*, pro non apposita habetur.

14. Testator nullo jure positivo prohibetur, omissis consanguineis collateralibus, v. g. fratre, quemvis extraneum hæredem constituere. *Bonac. & alii 5. apud Dian. p. 1. tr. 8 resp.* 83.

15. Professio religiosa testamentum priùs factum non irritat, cum tunc fuerit sui juris, ut Theologi passim admittunt.

16. *Executor* testamenti potest esse, qui excedit annum 17. ætatis, unus vel plures, mas vel fæmina, Clericus, aut Religiosus, sed cum licentia sui Prælati, & quidem Generalis, si sit Societatis: sed Franciscanis id omninò jure prohibitum. Si tamen hos executorem agere contingat, acta non erunt invalida, sed tantùm illicita, *Laym. Bonac. Dian. p. 8. t. 8. r. 9.*

17. Si à Testatore nullus nominetur Executor testamenti, executio ad hæredem pertinebit, etiam ad pia legata: potest tamen tali casu Episcopus eam ad se pertrahere jure communi, *Laym. &c.*

18. Quando voluntas Testatoris honestè impleri potest, non possunt legata ad pias causas commutari etiam in opus manifestè meliùs: nisi ex dispensatione Pontificis, & justa de causa: *Vasquez* id etiam Episcopo concedit. Communis opinio Doctorum admittit ad Episcopum, hæredem, & executores pertinere per epikiam interpretari, non esse à defuncti voluntate alienum, si aliqua mutatio fiat: v. g. si pecuniam reliquerit ad calices emendos pro Ecclesia, quæ calicibus non eget, poterunt eam applicare ad comparandas casulas, aut alia ornamenta, quæ magis ad Templi usum conducunt. *Vasq. Molin. Barbosa, &c.*

19. Si executores intra annum suâ culpa negligunt exequi testamentum, jus executionis ad Episcopum devolvitur. *Molin. Diana & 8. alii.*

20. Imò in legatis piis tenentur ad executionem intra sex menses, idque etiamsi nondum inita sit hæreditas. *Molin. Vasq. Diana p. 8. t. 6. resol. 25.*

21. Si bona defuncti non sufficiant ad legata omnia persolvenda, distribuenda sunt omnibus pro singulorum rata æqualiter, quia eo in casu jus ad solutionem est in omnibus æquale, *Diana Sylv. Sanch. Bonacina.*

Formula autem Testamenti talis esse solet. *In nomine Dei omnipotentis Amen. Ego N. N. nunc libere, & integris sensibus commendo Corpus terræ sanctæ, & Animam meam Deo Creatori, sub pro-*

tectione B. Virginis &c Hæredem meum constituo N. N. exprimendo bona relinquenda, debita solvenda, legata pia, aut alia pro particularibus personis, prout cupit de rebus suis disponere. Postea nominat Executores sui testamenti, & exprimit obligationes, si quas illis imponit. Postremò annotat locum, diem, & annum; & infra Nomen suum, ac Sigillum apponit; Subscribunt etiam testes simul.

Et quoniam in quibusdam varia sunt aliquando variorum locorum jura, expedit in conficiendo testamento Notarium loci publicum adhibere, aut alium peritum & fidelem, ut in singulis securius procedatur.

CAPUT XIV.

De Restitutione.

§. I. *Quinam teneantur ad restitutionem.*

RESTITUTIO, est actus justitiæ quo reparatur damnum per injuriam alteri illatum. Injuria autem est læsio juris alieni in re quam possidet, vel ad quam possidendam jus habeat. Hinc si læsio sit contra solam charitatem aut aliam virtutem, non est sufficiens fundamentum restitutionis. Injuria hæc aliquando est materialis, quando quis bona fide causa fuit damni illati; aliquando formalis, quando mala fide, id est, sciens, vel scienter negligens alteri damnum intulit.

2. Non solus ille qui proximè damnificat ad restitutionem obligatur, sed etiam illi qui ad damnum alteri inferendum cooperantur. De his ut Confessarius promptè possit judicare, sequenti versu apte comprehenduntur:

Iussio, consilium, consensus. palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

3. *Iussio* indicat eum, qui jubet vel mandat damnum inferri, ad illius restitutionem teneri, sive mandet expresse sive tacitè tantum; v.g. quando famulus ex verbo vel signo colligit gratum fore suo Domino si damnum inferat, Dominus ad restitutionem obligatur.

Non obligatur tamen qui absque ullo mandato ratum habet opus suo nomine factum. Quia ratihabitio præsens non est causa damni jam præteriti.

Neque mandans qui ante executionem mandatum suum revocavit, si id mandatario tempestivè innotuit. Quia tunc damnum non est illatum ex vi mandati, utpotè retractati. *Molin. Fil. Less. l. 2. c. 13.*

4. *Consilii* nomine inteligitur is qui suadendo, rogando, aut hortando causa efficax fuit damni illati, ac proindè in defectum exequentis ad restitutionem obligatur. Illi autem, qui pravum ejus consilium secutus fuit, consulens ad nihil tenetur, nisi dolosè ignorantem sua-

ſuadendo circumvenerit, juxta reg. jur. 62. in 6. *Nullus ex conſilio, niſi fraudulentum ſit, obligatur.*

Si conſulens ante rei executionem conſilium ſuum ſeriò revocaverit, & conatus fuerit factum impedire, probabile eſt excuſari à damni illati reſtitutione: quia tunc damnificans præſumitur potius propriâ malitiâ quam alieno conſilio moveri, uti videre eſt apud *Bonac. Sa, Tanner. Dian. tract. 2. Miſcel. reſol.* 18. *& tract.* 5. *reſol.* 83. Quamvis plures ſint, qui contrarium teneant, præſertim quando eum cui damnum parabatur, non monuit, ut ſibi præcaveret.

5. *Conſentiens, fautor, receptor,* ſive *recurſum* præbens, ſi cooperando efficax cauſa damni extiterit, illud pro ſua parte reſarcire tenetur. Talis eſt v. g. qui ſuo calculo vel ſuffragio verè cauſa fuit ut eligeretur indignus, vel ut aliquis dignus jure aut ſpe ſuâ excidat; item qui ſciens furem recipit & fovet, vel res furtivas coëmit. De his enim l. 3. dicitur, *receptatores non minùs delinquunt quam aggreſſores.*

6. *Palpo* dicitur, qui laudando, & adulando, vel etiam ignaviam exprobrando, aliquem animat ad damnum inferendum, qui ad reſtitutionem tenetur, ſi efficaciter ad damnum cooperatus eſt.

7. *Participans* eſt, qui partem prædæ recipit, aut cooperatur, v. g. agendo pro fure excubias, advehens inſtrumenta quibus res aliena auferatur. Excuſantur tamen illi, ſi metu gravioris mali adacti ponunt iſtiusmodi cauſam ex ſe indifferentem, v. g. ſcalam feneſtræ admoveant, ex qua per accidens alterius damnum conſequitur. Quia non ſunt cauſa moralis talis damni; juxta principium 15. quod ſupra *tract.* 1. tradidimus.

8. Qui concurrunt ad damnum *privativè,* ut *mutus* ſive ſilens, *non obſtans, non manifeſtans,* tenentur ad reſtitutionem, quando ratione pacti, aut officii ex juſtitia damnum impedire debent, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. Tales ſunt Principes, aut Magiſtratus, qui poſſunt, & negligunt impedire latrones, milites, aut alios graſſatores, qui ſubditis damna inferunt. Item tutores & adminiſtratores bonorum, non impedientes damna pupillorum, aut aliorum quorum curam ſuſceperunt. Denique famuli, qui negligunt arcere furem extraneum Domini ſui horreum, domum, aut cubiculum ingredientē.

9. Prædicti omnes non obligantur ad reſtitutionem, ſi non ſit moraliter certum eorum mandatum, conſilium, aut cooperationem in damnum efficaciter influxiſſe, ſicut ſine illis non fuiſſet illatum. Quia in materia juſtitiæ vel maximè melior eſt conditio poſſidentis, uti oſtendimus *p.* 1. *princ.* 3. & ita docet *Bonac. Tanner. Diana, Leſſius de juſt. c.* 14. *d.* 4.

10. Probabile eſt Parochum aut alium Confeſſarium, qui ex negligentia vel ignorantia, cum debuit, omiſit pœnitentē de re reſtitu-

 tione

tione facienda monere, non obligari in pœnitentis defectum ad restitutionem faciendam. Quamvis enim non admonendo graviter peccaverit contra officium Confessarii non instruendo pœnitentem, non tamen contra justitiam & jus alicujus tertii: nisi tamen ex malitia restitutionem positivè dissuaderet, aut impediret. Ita *Bonacina Less. Laym. l. 3. tr. 4. c. 7. contra Navar. Angel. &c.*

11. Si plures concurrant ad damnum sine mutuo consensu, sed quisque seorsim, non plus tenentur singuli restituere, quam sit damnum quod per se intulerunt. Si autem cum mutuo consensu & auxilio id fecerunt, singuli tenentur in solidum totum damnum resarcire. Quia singuli sunt causa totius damni, quod non fuisset illatum nisi ex confidentia in mutuo auxilio. *Vasquez, Molin. Fil. Bonac. hic d. 1. q. 2. p. 11.*

12. Quando actio injuriosa fuit *lucrativa*, primo loco tenetur rem ablatam restituere is apud quem exstat, aut qui malâ fide rem absumpsit: illo autem non restituente, reliqui qui adjuverunt obligantur. Quando autem actio non fuit lucrativa, uti fit in mutilatione, incendio, detractione, tunc primò obnoxius est restitutioni, qui fuit causa primaria damni, uti mandans, vel executor. Quod si illi non velint, vel non possint restituere, tenentur reliqui cooperatores. *Cajet. Laym. Bonac. Navar. c. 17. &c.*

13. Quando damnum passus, causæ principali condonavit, liberantur etiam minus principales, non contra, uti cum aliis docet *Laym. l. 3. t. 2.*

14. Qui alium impedivit ab aliqua re obtinenda, quæ non erat illi debita ex justitia, v. g. ab officio vel beneficio, absque vi vel fraude, non tenetur ad restitutionem, quamvis si ex odio fecerit graviter peccaverit. *Vasquez, Sa, Bonac. &c.*

15. Si autem id fecerit per vim, fraudem, calumniam, mendacium, tenetur compensare damnum juxta spem & probabilitatem quam alter habuit illud bonum obtinendi, secundum judicium & arbitrium prudentis viri. Quia quilibet habet jus, ne per media illicita à sua spe, aut petitione justa dejiciatur, *Lessius, Bonac. Molin. tom. 1. d. 135.*

16. Quando bona restituenda, aut debita sunt incerti Domini, vel ad eum non potes accedere, si ea teneas absque delicto, post adhibitum frustra conatum restituendi vero Domino, probabile est quod possis ea tibi retinere; idque tutum in praxi affirmat *Diana p. 2. t. 3. misc. r. 5.* quamvis cum *D. Thoma* plures sentiant danda esse pauperibus.

17. Quod si conscius es te ea habere ex delicto, v. g. furto vel usura, teneris absolute illa in pauperes, aut alia opera pia erogare.

Quia

Quia tunc optimo quo potest modo, fieri debet restitutio, ut cum nequeat corpori, saltem animæ veri Domini sit proficua, uti docet communis sententia apud *Laym. aliosque.*

§. II. *Quid restitui debeat à Possessore, aut damnificatore bonæ, aut malæ fidei.*

SI Possessor bonæ fidei postea intelligat rem esse alienam, tantùm tenetur eam restituere una cum fructibus ex ea perceptis si extent, vel quantum ex iis factus est locupletior, si consumpserit. Ratio, quia possessor bonæ fidei non tenetur ratione injustæ acceptionis, sed tantum ratione rei acceptæ, & possessæ; ergo non tenetur plus restituere quam ex ea possideat. Exempli gratiâ, vestem à fure tibi *donatam* bonâ fide accepisti, & attrivisti, Dominus posteà comparet, tantum illi teneris restituere vestem attritam, & tantum insuper quantùm tuo vestimento pepercisti, etiamsi vestis attrita serica, & valde pretiosa fuisset. Quod si vestem illam non dono accepisti, sed pretio *emisti*, nihil præter vestem attritam est restituendum. Si autem sine tua culpa *perdita* aut ablata est, ad nihil omninò teneris: Ratio horum, quia nihilo factus es ditior; quæ doctrina aliis materiis facilè potest applicari. Ita *Bonac. Laym. l. 3. tr. 2. c. 3.* aliique passim Doctores.

2. Qui bonâ fide fecit contractum quam posteà deprehendit esse *usurarium*, tantum tenetur restituere alteri id in quo ipse inde factus est ditior: *Laym. supra, &c.* Eadem ratione, si quis bonâ fide *vendidit* rem alienam, dono sibi datam, v. g. vestem de qua supra, debet acceptum pretium restituere; nisi tamen ipsa vestis apud alterum reperiatur, hæc enim Domino restitui debet, non pretium. *Molin. Vasq. Lessius l. 2. c. 14. d. 1.* Quod si rem tibi donatam alteri gratis *donasti*, aliam non donaturus, ad nihil teneris, nisi forte ex charitate Domino indicare ubi res extet. *Bonac. Trull. &c.* Quia inde non es factus ditior, cum nihil habeas in rebus tuis quod alias non haberes.

Simili modo, si rem ipse bonâ fide *emisti* & postea *vendidisti* absque lucro, nihil teneris restituere, sed solus ille apud quem res extat, *Molin. Less* contra *Vasq. &c.*

3. Notandum hic est, *fructus* qui ex aliena re possunt provenire, alios esse fructus naturales ipsius rei, ut fœtus animalium, fructus arborum &c. & hi unà cum re Domino cedunt, censentur enim esse pars aliqua rei fructiferæ: alii autem sunt fructus meræ industriæ, quos res ex se non parit, sed tantum ad illos acquirendos adhibetur per modum instrumenti, v. g. frumentum alienum aliò deportatum cum lucro vendidisti, vel pecuniam alienam ad negotiationem adhibuisti, non teneris hunc fructum, sive lucrum restituere, quia non est fructus rei alienæ.

Prædicta pænè omnia fundantur in lege naturæ; quæ declaratur regulâ juris 46. in 6. *Locupletari alius non debet cum alterius jactura.* Et l. non hoc. ff. de condict. ind. *Naturâ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Ex quibus in praxi alii casus deducuntur.

4. Quoad possessorem, sive damnificatorem *malæ fidei*, debet universaliter ita restituere, ut ponat æqualitatem cum jure alterius, & ipse ex delicto suo & mala fide lucrum non faciat. Est autem malæ fidei possessor, qui rem injustè possidet, sciens, aut per crassam sive mortalem ignorantiam scire negligens, jus sibi non competere.

5. Si res apud malæ fidei possessorem casu fortuito periit, etiam peritura etiamsi apud Dominum mansisset, in foro conscientiæ nihil restituere tenetur. Ratio, quia non tenetur ratione rei acceptæ, cum ex ea nihil possideat, neque ratione injustæ damnificationis, cum ipse istius damni fortuiti causa non fuerit, uti hic supponitur.

6. Si tamen eam dolo assumpsit, aut per negligentiam crassam sive mortalem perdidit, etiamsi aliàs apud Dominum peritura fuisset, tenetur illius æstimationem Domino præstare. Ratio, quia in hoc casu obligatur titulo injustæ damnificationis. *Less. Laym. &c.*

7. Plerumque injustus malæ fidei possessor, aut damnificator, non tantùm tenetur restituere rem ablatam, & fructus perceptos, detractis suis expensis, sed etiam compensare Domino damnum emergens, aut lucrum cessans ex rei carentia. Quia per injustam ejus detentionem est vera causa talis damni, etsi ipse parum aut nihil ex ea percepisset. *Laym. l. 3. tr. 2. c. 4. n. 7. &c.*

8. Si res alienæ dum mala fide detinentur pretium augeatur, Domino augetur, ac proindè illud etiam augmentum debet Domino restitui, *Laym. supra.*

9. Probabile est eum qui in extrema necessitate consumpsit rem alienam, non tantùm sibi commodatam, sed etiam ante eam necessitatem furto acceptam, non teneri postea, etsi possit eam compensare. Quia furtum non ademit illi jus quod quivis habet ad consumendam rem alienam in extrema necessitate. *Hurt. Con. Palaus, Diana* contra *Vasq. Lessium &c.*

Quæritur ex his primò: Quid dicendum de eo, qui cùm vidisset domum agricolæ à militibus iniquè spoliari, abstulit ipse duas vestes valentes 15. florenis, hac ratione ductus, si ego non auferam, alii certò rapient.

Resp. Si accepit animo restituendi Domino, rectè fecisse; quod si contingat postea Domino restitui non posse, neque tenebitur etiam pauperibus restituere, uti docet *Layman* ex probabili multorum sententia. Si autem abstulit sine animo restituendi, peccavit, & à restitutione

tione non excusatur. Quia uti milites, ita ipse invito Domino rem alienam occupavit.

Quæritur 2. Quid judicandum de eo qui in navi frumentum, aut annonam alienam furto absumpsit, quando postera die in navi omnia exceptis hominibus submerguntur, aut diripiuntur. Resp. teneri ad restitutionem. Quia cum semel ratione rei injustè acceptæ fuerit obligatus, per eventum fortuitum posteà subsequentem non absolvitur.

§. III. *Qualiter restituendum pro homicidio, stupro, adulterio, fama &c.*

QUi alium injustè occidit, aut læsit, tenetur restituere omnia damna pecuniaria, quæ læsus ejusque hæredes, uxor, aut parentes patiuntur ratione injustæ occisionis, aut mutilationis. Quia horum omnium causa injusta fuit. Tales sunt primò impensæ in medicos, medicamenta, famulos, & alia ægro necessaria, detractis iis quæ sanus fuisset consumpturus. Secundò lucrum cessans ex opificio, aut officio quod læsus nequit exercere, quantum scilicet prudentis arbitrio spes lucri valebat, detractis expensis, quæ in suam sustentationem consumere solebat. Mortuo autem occisore hæc omnia hæredes præstare tenentur. Non tamen probabiliter solvere debita occisi: Quia occisor illorum causa non fuit. *Laym. hic, aliique.*

2. Si læsus interfectori omnia remisit ante obitum, ille hæredibus, uxori, & cæteris ad nihil tenebitur. Quia jus quod hi, tantum ratione occisi, acquirunt, jam remissum est.

3. Qui ab alio fuit provocatus ad pugnam, non tenetur ad restitutionem. Quia alter provocando liberè fecit illi potestatem ut pro viribus agat ad vitam sibi auferendam. Idem dic de eo, qui injustum invasorem occidit, etiamsi per levem contumeliam aliquam ei invadendi occasionem præbuisset.

4. Pro ipsa vita, membro, cicatrice, nihil in rigore restituendum, sed venia tantùm petenda. Quia sunt bona ordinis superioris, quæ pecuniâ æstimari nequeunt, ita *Less. Laym. &c.* contra *Sotum, Sylvest. &c.* Consultum est ut Confessarius occisori imponat missas & eleemosynas pro anima occisi.

5. Quoad *stuprum*, qui virginem invitam defloravit, tenetur vel eam ducere, vel compensare damnum indè secutum, arbitrio viri prudentis; pro ipsa præcisè virginitate nihil est restituendum. Hinc si stuprum mansit occultum, aut matrimonium æquè opulentum non impedivit, aut cum virginis consensu absque vi, vel fraude, vel Matrimonii promissione, patratum fuit, stupratori nulla restitutio incumbit. Quia in hoc casu volenti non est facta injuria; neque in

priori casu damnum illatum est. *Lessius, Bonacina, Trull. &c.*

Idem est de eo, qui virginem solis blanditiis & precibus in consensum inflexit: nisi tamen preces fuerint conjunctæ cum minis, aut metu reverentiali, qualis solet esse ancillæ erga Dominum. *Trull. &c.*

6. *Adulter* & *Adultera* tenentur resarcire damnum quod legitimæ proli ex adulterio nascitur. Non tenetur tamen ordinariè adultera declarare quod proles sit spuria, cum sua infamia, & domestica cum viro discordia. Quia bona fortunæ quibus privatur legitima proles debent cedere bono famæ, quo mater privaretur, cum hoc sit altioris ordinis. Nec proles tenetur matri affirmanti se spurium esse, fidem adhibere.

Conari tamen debet mater quantùm potest aliâ viâ damnum compensare, v. g. in utilitatem legitimæ prolis familiam diligentiùs administrando, de bonis propriis plus illi quam spurio distribuendo, denique, si idoneus sit, spurium inducendo ut relictâ hæreditate fiat Ecclesiasticus, vel Religiosus. *Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 14. Filliucius, Trull. &c.*

7. Eadem cum proportione dicenda sunt de adultero, quem contingit faciliùs à restitutione excusari, sive quia damnum ab adultera compensandum credit, sive quia rarò potest certò scire spurium à se, non ab alio, procreatum esse. *Bonac. Trull. Less. l. 2. c. 10. d. 6.*

8. Pro læsione *famæ*, æqualis fama restituenda est. Quando ea reddi non potest, non teneris per pecuniam aut alia bona inferioris ordinis illam compensare; & idem est de aliis bonis spiritualibus. Potes tamen per sententiam judicis ad talem restitutionem obstringi.

9. Si ex detractione famæ sequantur alia damna fortunæ, v. g. impediendo ab officio, beneficio, lucro &c. detractor obligatur ad æstimationem damni secuti ex morali prudentum judicio, uti patet ex dictis §. 1.

10. Revelare alterius crimen quod notorium est, jure, famâ, vel facto, etiam in alio loco ubi ignoratur, non est contra justitiam. Secùs est de crimine in privata domo coram paucis commisso. Quia qui hoc admisit, nondum ad famam suam alio loco jus amisit.

11. Illicita est compensatio famæ talis, ut si aliquis tuam famam læserit, tu possis vicissim illum infamare. Quia illa esset manifesta vindicta, quam nemo privatâ authoritate excercere potest. Si tamen nequeas injustam infamiam aliâ viâ avertere, licitum est aliquem alterius defectum occultum propalare, v. g. quod antea fuerit deprehensus in mendacio, aut perjurio. Quia hoc tantum est cum moderamine inculpatæ tutelæ famam suam defendere.

12. Si quis suadendo aliave ratione Religiosum ad apostasiam induxit, tenetur ex justitia illi reditum suadere, & Monasterio aut Col-

Collegio compensare commoda, quæ ex illius bonis aut industriâ proventura videbantur.

Qui conscius obligationis potest in vita restituere, non vult tamen id præstare nisi in articulo mortis, aut post mortem per hæredes, absolvi non potest. Quia habet actualem voluntatem perseverandi in statu peccati, *Bonac. Salas. Laym. Trull. c.* 14. *d.* 11.

§. IV. *Quænam excusent à restitutione.*

EX parte *Creditoris* regula generalis est, primò; Quandocumque creditor rationabilter contentus esse debet ut restitutio differatur, potest ea differri, licet creditor ille sit invitus. Quando autem contentus esse debeat, colliges ex dicendis. Ita cum communi *Sotus, Navarrus. &c.*

2. Si creditor cui facienda est restitutio, ostenderit saltem implicitè se obligationem illam remittere, v. g. reddendo vel lacerando chirographum, per hoc remissa esse censetur, modò id fecerit liberè, non verò vi, metu, aut fraude inductus.

3. Si solutio æquivalens præstita sit alteri, cui creditor erat obligatus, excusat debitorem in foro conscientiæ, modò cautela adhibeatur ne creditor cogatur denuò solvere. *Bonac. &c.*

4. Si creditori facta est compensatio per operam, aut expensas in procuratione officii, aut beneficii æquivalentis.

5. Omitti potest restitutio, quamdiu constat quod creditor sit pecuniâ, v. g. mutuo datâ abusurus ad grave peccatum, nisi ex omissione illa gravius malum timeatur.

Ex parte *Debitoris*, primò excusatur in foro conscientiæ à compensatione damni, qui illud intulit sine gravi culpa Theologica, id est, sine peccato mortali, nisi aliud pactus sit, vel indè factus fuerit ditior. Hinc excusatur à restitutione damni, qui in subita ira alium sine advertentia sufficienti ad peccatum mortale &c.

Qui autem advertens ex sua actione periculum damni secuturi, omittit in eo præcavendo diligentiam, quam homines similis conditionis adhibere solent, tenetur compensare damna, quæ inde actu sequuntur. In foro autem externo tantùm habetur ratio culpæ juridicæ, quæ dividitur in latam, levem, & levissimam, neque requirit offensam mortalem ut cogat ad restitutionem.

2. Excusatur qui ad restituendum est impotens servatâ status sui justâ decentiâ, v. g. vir nobilis non tenetur vendere suos equos & dimittere famulos: nec civis primarius abjicere se ad artem mechanicam: nec mechanicus artis suæ instrumenta divendet; sed sufficit per partes tantum solvere quantum suprà statum lucrari potest. Nisi tamen illi suâ culpâ, & per vitam prodigam ad illam status sui amissionem devenerint. *Bonac, Laym. &c.*

Adde, nisi ipse Creditor ex dilatione solutionis æquale damnum subire cogatur. Debet enim debitor potiùs illud incommodum sustinere quam creditor, cùm res debita ad illum jure pertineat. Et idem dicendum est, si status debitoris conflatur, non ex rebus propriis, sed à creditore acceptis. Has enim restituendo, tantum censetur debitor ad statum proprium & suis mediis convenientem redire.

3. Excusatur debitor si nequeat restituere absque periculo animæ suæ, vel suorum, v. g. prostituendo filias quæstui meretricio, filios latrociniis, seipsum desperationi &c.

4. Si non possit restituere absque periculo vitæ, aut notabili jactura suæ famæ. Quia non tenetur plus damni sustinere solvendo, quam alteri inferat omittendo.

5. Si restituendo debeat creditor subire damnum notabiliter gravius quam sit ipsum debitum, etiamsi fuisset contractum ex delicto.

6. A restitutione bonorum incertorum, etiam ex delicto, excusari potes per compositionem cum Pontifice. *Bonac. Less. c. 16. d. 11.*

7. Quando rem teneris restituere pauperibus, potes illam tibi applicare, si juxta tuum statum sis pauper. Quia ipse debitor non debet esse deterioris conditionis quam alii pauperes. *Laym. &c.*

8. Excusat juxta leges *cessio bonorum*; Jure enim constitutum est, ut, qui tam multa contraxit debita ut nequeat satisfacere, possit bona sua relinquere in manibus creditorum, & sic manere liber, etiam in foro interno, retentis tantùm artis suæ instrumentis, & rebus ad sustentationem necessariis. Si tamen postea redeat ad pinguiorum fortunam ad restitutionem obligatur. Ex lege, *cum & filii qui boni. Navar. Less. Bonac. &c.*

Denique à restitutione famæ *insuper* excusaris, si ab eo quem infamasti pari modo sis infamatus. Si fama aliter sit recuperata. Si infamia jam abiit in oblivionem. Si crimen occultum quod propalasti posteà aliâ via factum sit publicum. Aut si illius, cujus crimen aperuisti, alia ejusmodi crimina sint satis publica; tunc enim illius fama parum aut nihil censetur imminuta.

Quomodò possit Catholicus excusari à restitutione bonorum Ecclesiasticorum, eorumq; fructibus malè perceptis, vide supra *part. 3. tract. 2. c. 5. §. 1.* Et quis possit dispensare, & sub qua conditione ut Laicus talia bona retineat, *ibid* Denique, an & cui restituendum pretium simoniacè acceptum, vide *tract. 5. c. 12. de Simonia.*

Quomodò per compositionem cum Pontifice possit aliquis liberari à restitutione, quando bona sunt incerti Domini, aut quando hic propter hæresim, aut aliud grave delictum, meretur in pœnam isto debito privari, videri potest, si res exigat, apud Lessium *de just. lib. 2. cap. 16. dubit. 11.*

TRA-

TRACTATUS SEXTUS.

RESOLUTIONES SINGULARES, AD HÆRESIM ET PARTES HÆRETICORUM, AC CURATORES ANIMARUM

ubique pertinentes.

QUÆSTIO PRIMA.

De homine in Fide dubio.

AN pro Hæretico habendus ſit, qui deprehenditur in aliquo puncto fidei dubitare?

Reſp. cum diſtinctione, Si dubium illud conjunctum ſit cum animi pertinacia, per quam re debitè examinatâ, vult adhuc ſcienter in ſuo dubio permanere, & illum fidei articulum v. g. Purgatorium, tantùm pro dubio habere, judicare debet Confeſſarius illum verè hæreticum eſſe, neque poteſt durante eo ſtatu illi abſolutionem impertiri; idque colligitur ex jure, cap. 1. de Hæreticis. Si autem talis dubitatio procedat tantùm ex ſcrupulo conſcientiæ, orto ex cogitationibus indeliberatis, quibus dubitans non conſentit, ſed paratus eſt inſtructionem admittere, & Eccleſiæ judicio ſe conformare, talis cenſeri non debet hæreticus, & à peccatis ſuis abſolvi poteſt. Signum autem moraliter certum eſt dubitationem non eſſe hæreticam, ſi ipſe ex tali dubio & conflictu magnam animi moleſtiam & diſplicentiam percipiat, & colligitur ex cap. *Et penſandum eſt. d. 6.* & ex *Reginaldo part. 2 q. 2.*

QUÆ-

QUÆSTIO II. *De relapsis in hæresim.*

AN Missionarii ex potestate ordinaria possint absolvere relapsos in hæresim?

Resp. ex ordinaria non posse, maximè si hæresim antea judicialiter abjuraverint: remittendi ergò sunt illi ad suos Episcopos, aut alios, qui ad hoc peculiarem potestatem à Sede Apostolica acceperunt.

QUÆSTIO III. *Professio fidei externa.*

AN teneantur aliquando Catholici fidem suam exterius profiteri?

Respondeo, Jure divino & naturali dari præceptum fidem aliquando exterius profitendi: Primò quando alias magnus honor Deo subtraheretur, vel magna injuria illi inferretur, v. g. si hæreticus conculcaret imagines, & spes esset id impediendi, si Catholicus declararet illam injuriam suo animo, & fidei adversari. Secundò tenetur fidem suam profiteri, quando indè penderet magna utilitas proximi, v. g. multorum conversio; vel ex silentio perversio aliorum, aut grave scandalum: nisi contingeret in particulari casu periculum gravioris mali ab externa fidei Confessione excusare. Patet hoc præceptum ex verbis Apostoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem Confessio fit ad salutem.* Ut enim aliquis sit in Ecclesia Christi, quæ est visibilis, necesse est ut aliquando per externam, & visibilem Professionem se illius Ecclesiæ membrum agnoscat.

Absit igitur à Catholico pectore pestifera illa Politicorum persuasio, qua existimant sufficere suam fidem soli Deo cognitam esse: de cætero liberum manere servire tempori, velificari fortunæ, in externa religionis specie Principum placitis obsecundare.

At non advertunt illi, Deo notam esse non tantum internam fidem, sed etiam hanc externam perfidiam, qua se veræ Ecclesiæ membrum profiteri recusant. Hoc perfidiæ genus si lex Christiana permisisset, insurgentibus persecutionum procellis, nulli olim in Ecclesia Christi Fidei Athletæ, nulli Confessores, nulli Martyres extitissent, qui tamen non dubitarunt sibi ad salutem necessarium, potius bonorum jacturam, & carceres, & tormenta, & mortem ipsam sustinere, quam in simulata illa Fidei professione se Principum placitis accommodare. Quisquis hoc tempore novam illam simulandi normam sectatur, novum quoque cœlum quærat necesse est.

QUÆSTIO IV. *Interrogati de Fide silentium.*

AN interrogatus de sua fide in odium religionis, authoritate sive privatâ, sive publicâ, possit aliquando silere, aut tergiversari, dicendo se non velle, aut non teneri ad talia respondere?

Respondeo affirmativè: quia hoc non est fidem negare, sed eam exteriùs non prodere, ad hoc autem in isto casu non tenetur. Cum enim judex non habeat jus extorquendi illi Confessionem ut eum injustè puniat, non potest in eo qui interrogatur dari obligatio obtemperandi. Excipe; nisi circumstantiæ aliquando essent tales, ut silentium, aut tergiversatio à præsentibus pro fidei negatione haberetur: ita *Con. Azor. Navarr.* contra paucos, qui putant authoritate publica interrogatum semper teneri fidem positivè profiteri.

QUÆSTIO V. *Restrictio, æquivocatio in Fide.*

AN Catholicus de Fide interrogatus, possit uti restrictione mentali, aut verbis æquivocis, per quæ præsentes fidei negationem intelligant, etsi loquenti aliud significent?

Resp. negativè, quia ex tali responso eadem mala sequuntur in animis audientium, idemque fidei contemptus; qui sequeretur ex simplici fidei negatione: ergò ejusmodi responsa in materia fidei debent esse graviter prohibita, propter damna gravissima inde consequentia. Hinc graviter peccaret, qui interrogatus authoritate sivè publica, sivè privata, diceret se esse Puritanum; etsi per hoc in animo intelligeret, se esse amatorem puritatis. Item, qui negaret se esse Papistam, intelligendo, se non esse de familia Papæ: Aut negaret se esse Catholicum Romanum, intelligendo, natum Romæ: aut qui diceret Sanctos non esse colendos: scilicet cultu divino: aut se damnare cultum imaginum, etsi per hoc imagines dæmonum sola mente subaudiret.

QUÆSTIO VI. *Interrogatus de Sacerdote.*

AN Presbyter, ut evadat periculum, possit salva fide negare se esse Sacerdotem aut Religiosum?

Resp. affirmativè: quia per hoc nullo modo negat se esse Catholicum: potest enim esse Catholicus absque ordine sacerdotali, aut statu religioso.

QUÆSTIO VII. *Usus carnium inter hæreticos.*

AN licitum sit Catholico, imminente gravi periculo, vesci carnibus inter hæreticos tempore ab Ecclesia prohibito, ne ab iis pro Catholico habeatur.

Resp. affirmativè, si incommodum alias incurrendum sit notabile, non sola irrisio, aut levis contemptus. Quia præceptum Ecclesiæ non solet obligare quando ejus observatio cum gravi incommodo conjuncta est. Neque potest illa comestio prudenter haberi pro negatione fidei. Satis enim constat Catholicos multis de causis uti cibis aliàs prohibitis, v. g. ratione valetudinis, aut dispensationis.

Sed quid si hæreticus expressis verbis invitet Catholicum ad esum carnium tempore prohibito, ut hoc signo probet an verè sit Catholicus, vel carnes illi apponat expresse in contemptum præcepti Ecclesiastici?

Resp. Illicitum esse tali casu vesci carnibus, etsi grave incommodum instaret: nisi Catholicus expresse protestetur, se cibis illis uti salva sua fide, ob valetudinem, aut alias legitimas causas sibi cognitas. Quia aliàs in illis circumstantiis comestio cibi interdicti determinatur ad significandum defectionem à fide, & obedientia Ecclesiæ; quæ defectio ex nullo fine aut ratione potest honestari. Utramque responsionem confirmat resolutio Apostoli in casu non dissimili, 1. *ad Cor.* 10. ubi interrogatus an liceret idolothyta, id est, cibos „ idolis oblatos manducare? sic ait: *Si quis vocat vos infidelium „ & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil inter- „ rogantes propter conscientiam: si quis autem dixerit, hoc immola- „ tum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & „ propter conscientiam.*

QUÆSTIO VIII. *Templa, Conciones, Preces Hæreticorum.*

AN licitum sit Catholicis in Anglia, aut Hibernia, ullo prætextu templa Hæreticorum adire, & eorum concionibus, psalmodiis, aut precibus interesse?

Resp. negativè. Sic enim post diuturnam disceptationem censuerunt in præcipuis Europæ Universitatibus viri doctissimi. Idque demum expresse declaravit Pius V. in Bulla ea de re missa ad Catholicos Angliæ, 10. Kal. Octobris an. 1606. ubi sic loquitur: *Cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum Conciones audiatis, aut cum illis in ritibus communicetis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento Dei cultus, & vestræ salutis &c.* Fundamentum hujus declarationis est, quod per Regum dicta, & communem populi acceptionem, talis frequentatio cœperit in illis partibus haberi pro signo defectionis ab Ecclesia Romana, & obedientiæ Regi in Sacris exhibitæ, tanquam supremo capiti Ecclesiæ Anglicanæ; adeò ut ipsi hæretici non dubitarent tales, tanquam Ecclesiæ Romanæ desertores, suæ Sectæ annumerare. Pro negotiis tamen purè politicis licitum est

est Catholicis unà cum hæreticis ad templa convenire, v. g. ut de rebus regni, aut civitatis consultatio habeatur.

In Hollandia tamen aut Germania, per se illicitum non est Catholicis hæreticorum concionibus aliquando justa de causa interesse v. g. ut eorum doctrina meliùs refutetur. Quia talis frequentatio in Hollandia non est recepta pro externa hæresis professione, uti in Anglia factum est. Dixi, *per se*, quia rudibus, & in fide infirmioribus, etiam in Hollandia illicitum est hæreticorum conciones audire, quando timetur indè morale periculum perversionis.

QUÆSTIO IX. *Officia in templis hæreticorum.*

AN liceat Catholico in templo hæreticorum agere æditum, aut organistam; aut pulsare campanas, quibus illi ad templum convocantur?

Resp. negativè. Quia exercendo illas functiones directè cooperatur ritibus hæreticorum, quód est per se malum; adeoque nullâ spe lucri potest reddi licitum aut honestum. Et ita resolvit *Lessius opusc posthumo v. hæret. casu*. Quòd si quis pulset organa aut campanas in templo hæreticorum eo tantùm tempore, quò ibi congregantur cives aut mercatores, ut tractent de commerciis aut negotiis civilibus, uti sæpè in Hollandia, & alibi contingit, non censetur per hoc cooperari ad promovendum ritus, sed civiles tantùm functiones hæreticorum, quod per se illicitum non est.

QUÆSTIO X. *Bona ab Hæreticis possessa.*

AN Catholici possint emere bona aliorum Catholicorum injusto bello ab Hæreticis occupata?

Respondeo, id fieri posse variis modis, Primò, universim quando censeri potest illa esse Dominorum voluntas. 2. Quando ad bonum commune id Ecclesia, aut Pontifex decernit: Et hoc conforme est Resolutioni Sacræ Congregationis Inquisit. quæ ad quintum casum Francisci Longobardi Ordinis Minimorum Missionarii Tuneti in Africa, respondit: *Bona Christianorum à piratis capta posse fideles absque noxia mortali, & onere restitutionis emptione, donatione, venditione, aut alio quocunque legitimo titulo sibi accipere; ac in proprios usus convertere, non obstante quod sint in bello injusto capta.* Quæ resolutio approbata fuit ab Urbano VIII. anno 1630. 25. Jul. ut exstat apud Peyrinum, & apud Veriviis *tr.* 4. *art.* 13. Meritò tamen aliqui in Congreg. addebant, requiri animum restituendi sic empta, recepto pretio dato, si rerum emptarum Dominus compareat. 3. Quando Principes sæculares Catholici & Hæretici per pacta aut concordata pacis statuerunt, ut Hæretici possint

illa

possint illa bona habere, & de iis disponere. Et in praxi constat sic fieri in Germania, & Hollandia, & quandoq; in Anglia, nullo Theologo rerum perito ipsis scrupulum movente. Censeri autem possunt illi sic emendo subire onus restituendi, si fieret illa rerum revolutio, in qua ipse venditor Hæreticus restituere cogenetur. Et sane plures ob causas multò conducibilius videtur, bona illa tali emptione in manus Catholicorum devolvi, qui tantò potentius possunt negotium fidei protegere ac propagare, quàm si ea penes Hæreticos perpetuò permanerent. Et huic Resolutioni mecum subscripserunt præstantes in Belgio Theologi *P. Iacobus van Caloen* studiorum altiorum Præfectus, & *P. Ioannes Pollenter* S. Theol. Professor Lovanii, & plures alii.

Quod si nec censeatur adesse Dominorum voluntas, nec Reipublicæ, aut Principum legitimus consensus, qualem supra casus requirit, haud dubiè improbanda esset praxis illorum, qui nullâ habita propriorum Dominorum ratione, illos in talium bonorum emptione prævenire, aut excludere conarentur; quales alibi reperiri aliquos post recentem Cromvelli invasionem, adeoque non excusandos, meritò censet *F. Bonaventura Keon* S. Theol. Jubilatus, & *F. Antonius Rothus* S. Theol. Prof. & Præsentatus, viri doctissimi, natione Hiberni, & in illis partibus rerum periti.

QUÆSTIO VI.

Beneficium à Patrono hæretico.

AN Catholicus validè, & licitè accipiat Beneficium Ecclesiasticum à Patrono hæretico?

Respondeo affirmativè cum *Lessio supra cas. 6. & Sanch. de Matrim. l. 3. disp. 22. n.* 31. si nempè sit hæreticus toleratus, non verò publicè denunciatus. Quia censent illi hæreticum toleratum non perdere jus patronatus, post Extravag. *Ad evitanda Scandala*, per quam Ecclesia permittit Catholicis cum tali hæretico communicationem propter bonum commune, & ne alias ex tali collatione, si esset invalida, plurima dubia, & turbationes orirentur, in Catholicorum potius quàm hæreticorum detrimentum. Debet tamen peti approbatio legitimi Ordinarii, hæc enim requiritur, etsi patronus conferens Beneficium esset Catholicus.

Sed quæres porrò, Utrum licitum sit Catholico dare pretium patrono hæretico, qui aliàs beneficium alteri hæretico collaturus est.

Respondeo affirmativè. Si pretium illud non detur titulo emptionis beneficii Ecclesiastici; illa enim esset simonia, sed tantùm ex institutione sic redimendi sive impediendi vexationem Ecclesiæ, quam injustè patitur per hoc quod beneficium hæretico aut alteri indigno conferatur, etsi per hoc indirectè procuret ut beneficiũ ad se deveniat. Ita etiam resolvit *Verjuys tr. 4. ar. 12.* citans *Sotum, Pontium, Castrop. Vericelli &c.*

Libri

Libri Hæreticorum.

QUÆSTIO XII. *Quomodo prohibiti.*

AN, & quomodo hæreticorum Libri Catholicis prohibeantur? Resp. Graviter prohiberi, tam in Bulla Cænæ, quam in Indice librorum prohibitorum edito à Pio IV. qui habetur in fine Tridentini.

Vi Bullæ Cœnæ incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam, *Quicumque libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes sine authoritate Sedis Apostolicæ, scienter legunt, retinent, imprimunt, aut quomodocumq; defendunt.* Sic enim sonant verba Bullæ, quæ quatuor actiones expresse prohibet, lectionem, retentionem, impressionem, & defensionem.

Nomine libri hæretici, in ordine ad hanc censuram, non comprehenditur brevis epistola, aut concio hæretici, ut docet hic *Lugo disp.* 21. *num.* 33. prohibentur tamen illa per Bullam Pii IV.

Neque illa censura continetur liber authoris Catholici, quamvis hæresis aliquas contineat. Neque liber Catholicus, cui hæreticus notas apposuit, modò notæ illæ sint libro minores; sic ut totum opus moraliter dici possit liber authoris Catholici potius quam hæretici: ita *Suar. & Lugo supra num.* 47 Tales tamen libri prohibentur per Bullam indicis Pii IV. quamvis non sub pæna excommunicationis Pontifici reservatæ.

Peccat *retentione*, qui etiam apud alium librum hæreticum deponit, vel qui ab alio depositum apud se servat: tenetur autem talem librum in Episcopi manus consignare.

Peccant *defensione*, qui dogmata talis libri positivè laudant, aut librum ipsum divulgant, aut impediunt ne ab aliis ad Episcopum deferatur.

Excusat *legentem* à mortali, & consequenter à censura, parvitas materiæ. Talis est juxta *Castropalaum* lectio decem linearum, juxta *Sanchez* lectio unius paginæ ex libro in folio majori, *Lugo* ad mediam circiter paginam restringit

Si quis autem sciens, & volens audiat alium, librum hæreticum sibi prælegentem, peccat quidem ordinariè graviter ob periculum perversionis, & aliquandò ob scandalum aliorum, non tamen incurrit censuram, ac proindè potest talis à quovis Confessario absolvi. Ratio autem horum est, quod Bulla utatur terminis tantum prohibentibus *lectionem libri hæretici*, adeoque ubi non est *lectio*, & *liber*, & *author* propriè *hæreticus*, censura per

Bullam lata non incurritur. Verba enim legis, quæ pœnam important, in proprio, & rigido sensu sunt interpretanda.

Idem dicendum est quando Confessarius aut Parochus deprehendit aliquem retinuisse quidem, aut legisse malâ conscientiâ librum hæreticum, ignorasse tamen excommunicationem illi rèi annexam fuisse, talem enim poterit Confessarius quilibet absolvere, & monere de censura, & de libro quamprimum in manus Episcopi tradendo. Si autem sint libri hæreticorum, qui tantum tractant v. g. historiam, aut medicinam, sed aliquas tamen hæreses hinc indè admixtas habent, curandum est ut hæreses obliterentur, vel legendi facultas ab Ordinario obtineatur.

QUÆSTIO XIII.

Particularia de libris hæreticis, & prohibitis.

§. 1.

QUæritur ulterius primò. An qui se sentit in fide firmum, & à periculo lapsus securum, qualis est aliquis Prælatus aut Episcopus, teneatur ille à libri hæretici lectione abstinere?

Respondeo affirmativè, si legendi facultatem non obtinuit; ita Card. Lugo *de fide disp.* 21. *sect.* 2. §. 2. Quia etsi quis in præsenti statu eam firmitatem sentiat, fieri tamen potest ut pedetentim liberiori lectione ab ea firmitate recedat. Quis enim sapientior, & in divina lege instructior fuit Salomone? blando tamen commercio cum uxoribus, & ritibus gentilium ad idola defecit. Hæreticorum libri sub eleganti stylo, tanquam in calice aureo, errorum venena propinant, & ubi leviora quædam fidei suæ dogmata sub verosimili quadam specie proposuerunt, lectoris animum ita paulatim expugnant, ut incipiat etiam circa graviora fidei fundamenta vacillare, uti in firmioribus Ecclesiæ columnis aliquandò experientia comprobavit. Et quanquam in persona particulari contingeret hujusmodi lectionem parum aut nihil esse periculosam, si tamen omnibus, qui de se idem persuaderent, lectio illa permissa foret, facile sequeretur grave fidei detrimentum; ac proinde prudenter hæc lex omnibus absque personarum exceptione ab Ecclesia præscribitur. Adde, lectionem hanc interdici, non ob solum periculum damni lectoribus securi, sed etiam in pœnam authoris libri hæretici, qui non leviter sentire solet alios à sui operis lectione arceri.

§. 2.

QUæritur secundo. An famulo Catholico licitum est Domino id imperanti librum hæreticum prælegere,

Respon-

Respondeo cum distinctione. Si id jubeatur expresse in contemptum fidei, nullo modo potest famulus parere. Si autem imperetur ad alium finem indifferentem v. g. quia Domino id commodum, aut jucundum est, & famulus ad legendum gravi metu adigatur, per lectionem illam non incurret lethale peccatum. Ratio est, quia imprimis non peccabit contra præceptum divinum, cum lectio illa, abstrahendo à præcepto humano, per se non sit prohibita, neque ut suppono ipsi famulo periculosa: à præcepto autem Ecclesiæ propter gravis incommodi metum excusabitur. Idem sentit Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 10. *num.* 49. & Lugo *de fide disp.* 21. *sect.* 2. §. 3. *num.* 79.

§. 3.

QUæritur tertiò. Si liber hæretici complectatur plures partes, aut volumnia, an qui unum legit in quo de hæresi aut religione non tractatur, incurret excommunicationem contra legentem libros hæreticorum?

Respondeo Negativè. Quia pars illa per se unus liber esse videtur, qui cum hæresim non continet, non videtur præbere materiam huic excommunicationi. Idque confirmat Lugo *disp.* 21. *de fide sect.* 2. §. 1. *n.* 56. ubi ait, negari non posse aliquandò eundem authorem idem argumentum pluribus Tomis ita prosequi, ut sint Tomi & libri inter se diversi, sic ut prohibito uno alii non prohibeantur. Et hoc, inquit, videmus in usu sacræ Congregationis Indicis, quæ aliquandò solum unum Tomum alicujus authoris interdicit, non verò cæteros ejusdem, licet sint de eodem argumento conscripti. Consentit Sanch. *in præc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10.

§. 4.

QUæritur quartò. An licitum sit filio Catholico typographi hæretici, qui libros hæreticos imprimit, in officina domestica typos ordinare, torcularia premere, aut chartas apponere.

Respondeo cum Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 13. *nu.* 5. hæc ei non licere, nisi gravis omninò causa excuset. Quia istæ actiones verè comprehenduntur sub nomine *impressionis* libri hæretici, quæ sub pœna excommunicationis interdicta est. Si tamen ejusmodi filius ad fidem conversus, non possit sine gravissimo incommodo patrem deserere, poterit ad breve tempus istas actiones exercere. Siquidem hæreticum scriptum typis ordinare, sicut & illud transcribere, per se malum non est, si malus finis non intendatur; neque lex Ecclesiastica id prohibens censetur in tàm gravi necessitate obligare.

§. 5.

QUæritur quintò, An liceat Catholico compingere libros hæreticorum?

Respondet Lessius,ea de re consultus, *in posth. verbo haret. libri, casu* 8. spectando jus naturæ,inquit,non damnarem juvenem illum librorum hæreticorum compactorem, præsertim si alia ratione victum quærere non potest: inter alios enim libros per accidens etiam compingere libros hæreticorum per se malum non est, & abstinendo non impediet eorum lectionem, quia non deerunt alii qui compingant, & non compacti adhuc legi poterunt.

Bulla tamen Cænæ excommunicat etiam *habentes* tales libros, & ex hac parte possit aliquandò esse illicitum,nam consuetudo contraria non videtur adhuc legitimè præscripta. Ita Lessius.

§. 6.

QUæritur sextò. Utrum in Belgii Provinciis confœderatis,licitum sit apud se habere libros hæreticos?

Respondet Lessius *supra casu* 14. se vix dubitare quin olim Bulla Cænæ id prohibens fuerit istis Provinciis recepta, sicut in reliquo Belgio, saltem quoad illum articulum de hæreticis, & libris hæreticorum; & quamvis ibidem secuta sit religionis mutatio, tamen apud Catholicorum cœtum Bullæ admissionem non desiisse.

Quod si opponas, Catholicos fortè cœpisse uti moribus contrariis, & jam elapsos esse 40. annos necessarios, ut contra legem canonicam legitimè compleatur præscriptio, uti communiter Doctores tradunt,& colligitur ex cap *Fiant,de consuet.* Respondeo,non satis constare consuetudinem illam bona fide, & apud viros timoratos illic passim receptam, adeoque probandum non videri, ut tales libri à Catholicis sine facultate retineantur.

§. 7.

QUæritur septimò. An hæreticus ad fidem conversus,in partibus hæresi infectis possit vendere libros hæreticos, quos antea habuit? Item an possit divendere libros hæreticos, quos hæreditate à parentibus accepit?

Ad primum dico, posse divendere illis qui facultatem habent legendi libros hæreticorum. Ut verò aliis divendat non facile permittendum, propter Ecclesiæ prohibitionem.

Si tamen indè grave damnum passurus esset, permittendum videtur ut vendantur bibliopolis hæreticis, qui talium librorum copiam habere solent. Quia per hoc causam Catholicam non

redder

redderet deteriorem, neque ex illo actu alicui præbebit periculum perversionis, cum in illis partibus facile suppetat talium librorum copia. Et confirmatur ex eo, quod in isto casu censeri possit Ecclesia non velle talibus grave damnum creare; sed potius favorem impendere, ut faciliùs ad veram fidem alliciantur, ita Lessius *in posth. ver. hæreticus. cas.* 21.

Ad secundum dico, cum eodem, in partibus hæreticorum videri tolerandum ut ejusmodi hæres bibliothecæ paternæ, damni vitandi causâ, libros hæreticos commutet cum libris Catholicorum, illos tradendo bibliopolis etiam hæreticis: præsertim quandò in particulari non existimat inde proventuram occasionem hæresis stabiliendæ. Ratio petitur tum ex iis quæ ad quæstionem priorem dicta sunt: tum quia hæres per illam venditionem non censetur moraliter cooperari ad doctrinæ falsæ propagationem, sed tantum id peragere, quod per se malum non est, ut damnum evitet. Si tamen res patiatur, expedit hujusmodi Catholicos hortari, ut potius zelo fidei libros hæreticos flammis absumant, & ad fiduciam erigere in divina providentia, quæ in prosperis aliarum rerum successibus, damnum ex librorum jactura proventurum facile compensabit.

§. 8. *Libelli Famosi.*

QUæritur octavo. Quid dicendum de aliis libellis famosis, & non hæreticis?

Dico primò: Pro libellis famosis habendi sunt libri qui continent alicujus infamiam, nondum antea publicatam, ut sic in aliorum publicam notitiam deveniat, etsi postea ex illis infamia non sequatur. *Ita Sylvester verb. libellus. Molina, Filiucius, Finellus &c.* Pro libello famoso etiam habetur signum aliquod publicum v. g. pictura qua alter infamatur, ut si quis depingat aut apponat cornua ad alterius fores, ut divulget aliquem habere conjugem adulteram, uti consentit *Molina disp.* 35. *Iulius Clarus &c.*

Dico secundò. Conficiens libellum famosum jure communi excommunicandus est, & tenetur ad famæ restitutionem; Patet ex *Can. qui in alterius.* 5. *q* 11. Ad restitutionem autem famæ ob injuriam illatam graviter obligatur; excommunicatio enim suppo-nit grave delictum. Tulit quoque Alander IV. in constitut. quæ incipit *Ex alto*, excommunicationem Papæ reservatam in eos qui libellos famosos conficiunt contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum; quod Privilegium extenditur ad alios Ordines, quibus eorum privilegia sunt communicata, ut testatur Sayrus, Salonius, Graffius, Molina, Filiuccius, *hic tract.* 15. *c.* 5. *q.* 11. *num.* 16.

Dico tertiò. Nulli licet imprimere, vel imprimi curare, quosvis libros de rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos vendere, aut apud se retinere, nisi prius ab Ordinario probari fuerint, idque sub pœna anathematis, &c. Patet ex Concil. Trident. *sess.* 4. *Decreto de edit. librorum.*

Sed quid de iis qui legunt ejusmodi libros sine Authoris nomine editos. Respondeo, si constet scriptos esse ut aliorum famam graviter lædant, aut eos de rebus sacris tractare, eorum lectionem prohibitam esse sub peccato mortali, & judicio Episcoporum severè puniendos esse, juxta Regulam X. Indicis librorum prohib. §. ult. in fine Concilii Tridentini.

Sub simili reatu & pœna prohibetur lectio librorum qui continent Astrologiam judiciariam, sive sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ. Permittuntur verò judicia, & observationes naturales, quæ navigationis, sive medicæ artis juvandæ gratiâ conscribuntur; ut patet ex Indice supra citato Regulâ IX.

QUÆSTIO XIV. *Absolutio in negatione externa fidei.*

§. I.

AN probabile sit illum qui ex vi, metu, aut dolo, aliovè modo inter infideles aut hæreticos fidem exterius negavit, corde tamen illam retinuit, postea inter Catholicos absolvi posse à quovis Confessario ordinario & approbato, etsi specialem non habeat facultatem absolvendi à reservatis.

Respondeo, spectata Doctorum authoritate, id probabile videri. Quia etiamsi talis gravissimè peccet contra externam fidei professionem, censent tamen non esse hæreticum comprehensum in Bulla cœnæ, quia errorem internum in intellectu non admittit: hæresis autem externa, inquiunt, absque errore interno, cum non sit formalis & completa, non subjacet excommunicationi. Quamvis talis ab Inquisitoribus in foro externo puniri possit, quia præsumunt illum contra fidem dissensum internum habuisse. Ita docet Fagundez *in præcept.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *num.* 39. Toletus *in Summa l.* 4. *c.* 4. *n.* 6. Suarez. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 22. Sanchez *in Summa tom.* 1. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8. *in fine.* Filliucius *tom.* 2. *tract.* 22. *c.* 6. *n.* 164. Sylvius *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *concl.* 2. qui sic ait: *Ex his sequitur, quod qui propositiones hæreticas effuderunt, qui Sanctorum imaginibus illuserunt, qui comederunt carnes tempore prohibito, qui Mahometo cultum & reverentiam exhibuerunt, si ea fecerunt aut metu compulsi, aut spe lucri adducti, aut ira, vel alia quacumque passione commoti, nullum in animo errorem, at pristi-*

pristinam fidem rectam tenentes, neque hæretici sunt, neque excommunicatione in hæreticos lata innodati. Ita illi hanc quæstionem resolvunt.

§. 2.

QUid facere possit hæreticus occultus, qui per Confessarium ab Episcopo, vel alio potestatem habente, absolutionem obtinere non potuit.

Respondet Diana *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 4. in tali casu potest hæreticus occultus ratione infamiæ vel scandali, si timeantur, dum Sacerdos est celebrare, si autem laicus, Eucharistiam sumere, eliciendo prius actum contritionis, &, si non existimat se contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confessario absolvatur, ex doctrina probabili quam docet Reginaldus *in Prax. tom.* 1. *l.* 8. *c.* 7. *n.* 87. & alii, quos citat Sancius *in Selectis disp.* 22. *num.* 11. quidquid alii cum ipso Sancio contradicant. Atque ita Diana hanc sententiam in praxi probabilem judicat.

QUÆSTIO XV. *Bona Ecclesiæ.*

QUid consulendum Catholico qui bona Ecclesiastica ab hæreticis coëmit?

Respondeo cum Lessio *in posthum. cas.* 6. *num.* 14. Ubi nulla intervenit dispositio Ecclesiæ permittentis bona illa ab emptoribus legitimè possideri, optimum in hoc negotio consilium est, ut legitime procedatur, convenire cum Pontifice, aut Generali Ordinis, cui illa bona jure debentur, præstita satisfactione quæ rationi consona judicabitur.

Sed *Quæstio* ulterior est, Quomodò se gerere debeant hæredes, ad quos de facto bona Ecclesiastica ab hæreticis empta à majoribus devoluta fuerunt?

Respondeo, Si veris Dominis satisfactum non fuerit, illicitè ea possideri, nisi adsit dicta dispositio Ecclesiæ, aut animus ea bona cum fructibus restituendi suo tempore Ecclesiæ, aut personis quibus ea injustè erepta fuerunt. Quare ut legitimè retineantur cum illis transigendum erit. Ut autem huic difficultati provideatur, solet Pontifex, cum hujusmodi hæredibus dispensandi, in partibus hæreticorum facultatem impertiri Episcopis, & quibusdam aliis, juxta normam supra assignatam pro Episcopis Hiberniæ &c. *in Facultate* 13. *pag.* 389.

QUÆSTIO XVI. *Cibi ab Ecclesia prohibiti.*

§. 1.

AN Catholicus hæretico sibi amico, aut viro honorato ad se divertenti possit amicitiæ aut humanitatis causâ in die jejunii cibos prohibitos apponere?

Respondeo, Si facile sine incommodo possit Catholicus hujusmodi cibos omittere, teneri ad illam jejunii violationem non cooperari. Si verò nequeat illos cibos prætermittere sine magno detrimento, quia nimirum occasionem præbebit contra se obmurmurationi, & gravibus querelis, tanquam contra hominem rusticum, aut inurbanum; non videtur cum tanto incommodo ab ejusmodi ferculis apponendis obligari: & ita resolvit Lugo *de Fide disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 167.

§. 2.

QUærit *ibidem* Lugo, An Catholicus, qui ob infirmam valetudinem vescitur carnibus in die jejunii, teneatur abesse à communi mensa, si adsit periculum, ne famuli hæretici, aut alii domestici reliquiis carnium cum jejunii violatione utantur?

Respondetur autem negativè, si hoc sit illi valdè incommodum, aut videat cum famæ suæ gravi detrimento id potius avaritiæ, quam observantiæ attribuendum. Undè regulariter sufficiet, si ostendat illum abusum sibi graviter displicere, aut œconomum moneat ut reliquias illas seorsim reponat, & in aliorum manus pervenire non permittat.

§. 3.

QUæritur tertiò: An leporarius, vel auceps Catholicus degens inter hæreticos, possit in Quadragesima prædam captam hæreticis divendere?

Respondeo cum Lessio *in posth. v. hæret. conv. cas.* 14. id posse fieri, si absit aliorum scandalum. Quia opus illud per se non est prohibitum, & ad violationem præcepti Ecclesiastici valdè remotè cooperatur: nam quibusdam locis in quadragesima caro venalis exponitur pro iis qui facultatem habent eâ utendi, quoad ementium conscientiæ rel nquitur.

Permittunt etiam Authores, ut hospites adventantibus hæreticis carnes apponant, si alias nollent illic diversari cum gravi hospitis incommodo; ita Lessius *ibidem*.

Idem probabiliter fieri posse admittit Adamus Burghaber *centur.* 1. *cas.* 28. quandò opifex Catholicus famulos habet hæreticos

ticos valde peritos, qui nolunt apud eum in Quadragesima permanere nisi carnes apponantur, quos tamen absque gravi rei familiaris jactura dimittere nequit; dummodo non absit periculum scandali, aut gravioris incommodi. Quia hoc non est formaliter cooperari peccato, sed solum illud permittere: & pluribus locis ubi Catholici hæreticis permixti vivunt, id usu receptum est.

§. 4.

QUæritur quartò: An & quando uxor Catholica hæretico nupta à jejunio excusari possit?

Respondeo cum Fagundez *in* 4. *præc. Eccles. cap.* 9. *nu.* 10. illam excusari quandò conjux hæreticus illi permittit omnes ritus Catholicos observare, præter legem jejunii, quam non vult solvi ob contemptum fidei, Ecclesiæ, aut Religionis, sed quia prætendit jejunia uxoris sibi & familiæ suæ detrimento esse. Tali enim casu uxor à jejunio excusata censetur, ut discordias cum viro, & domus perturbationem evitet. Et sanè grave onus esset imbecilli sexui, simul cibis abstinere, simul impotentis viri injurias & convitia devorare.

§. 5.

SEd quæres ulterius: An eadem ratione, ob uxoris hæreticæ rixas & molestias possit conjux catholicus à jejunio excusari?

Respondeo non excusari, saltem à paritate rationis. Conjugis enim est uxori & familiæ suæ imperare, quia *vir caput est mulieris*, ut loquitur Apostolus, ac proinde permittendum non est ut vir succumbat, & mulier imperitando viri partes agat. Si tamen contingeret uxorem ab impotenti indole, & à dispari generis nobilitate adeò imperiosam esse, ut non possit maritus ejus importunitati obsistere sine gravi molestia, & familiæ perturbatione, existimo hunc quoque, durante eo rerum statu, ad jejunium non obstringi, ex mente Ecclesiæ, quæ non intendit cum incommodo tam gravi suam legem obligare.

QUÆSTIO XVII. *Communicatio cum Hæreticis.*

IN partibus hæreticorum (ut resolvit Valentia *de fide disp.* 1. *q.* 1. *pun* 5.) non est illicita communicatio cum notoriis hæreticis: quia ut notat Navar. *Manual cap.* 27. *nu.* 35. multitudo hæreticorum, & necessitas, in hujusmodi locis excusat. Sed frequenter dubitari potest, quantum illa communicatio, salvo jure divino aut humano, se extendat, quod paucis resolvemus.

§. 1.

AN licitum sit Catholicis liberos suos cum Dominis hæreticis collocare?

Respondeo cum Lugo *de fide disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 166. quamvis difficulter, posse tamen id aliquandò permitti, si necessitas esset gravissima, licet non extrema, & filius esset pubes, & talis, ut probabiliter speretur eum in fide perseveraturum, vel adhuc duret tanta filii cum parentibus communicatio, ut nondum censeatur paterna causâ aut consilio destitui. Verum absque hac cura ac cautela, filium impuberem hæretico Domino tradere, quid aliud esset quam agnum lupo committere?

§. 2.

AN licitum sit parentibus Catholicis infantes nutricibus hæreticis tradere, quos aliquandò ad templa hæreticorum secum perductur æ videntur.

Respondeo, id illicitum non esse, modò ante rationis usum ad domum paternam reducantur: quia ante illam ætatem non prohibentur etiam in Anglia, adire templa hæreticorum, cum non sit communicatio in ritibus sacrilegis, quæ tantum exerceri potest per actionem humanam, cujus pueri ante usum rationis non sunt capaces: ac proinde traditio illa non est illicita, dummodò aliud inde incommodum non timeatur; uti censet etiam Lugo *de fide d.* 14. *sect.* 5. §. 5.

§. 3.

AN in diebus festis liceat Catholico uti operâ hæreticorum, quos equidem novit alibi laboraturos?

Respondeo negativè. Quia etiam hæretici obligantur præceptis Ecclesiæ non minus quam Catholici; atqui non licet sine gravi incommodo ab altero postulare quod ipse sine peccato præstare non potest, ut hic hæreticis contingit. Neque refert, quod hæreticus ille sua sponte, in die festo sit alibi operaturus; quia id facturus non est sine peccato, ad quod ego ex parte mea non possum illum inducere.

Illicitum tamen non est opus aliquod præbere sive hæretico, sive Catholico liberè faciendum, quamvis existimetur etiam die festo vel Dominico in illo opere occupandus; modo ad festi violationem nullo modo inducatur, & aliàs eo die fuerit operaturus. Quia qui sic opus præbet, merè passivè se habet ad illam festi violationem: modò non fuerit operantis Dominus aut superior,

perior, cujus est procurare ut à subdito festa observentur: ita Lessius *in posth. ver. hæret. cas. 6.*

QUÆSTIO XVIII. *Fidelitas in pactis cum hæreticis.*

AN doceant Catholici, pacta merè politica à Pontifice Romano posse irritari? aut datam hæreticis fidem non esse servandam?

Respondeo, Doctores Catholicos ab illa doctrina prorsus abhorrere, quam quidam hæretici per summam calumniam ipsis affingere conantur. Homines scilicet perfidi omnes de perfidia suspectos habent, ut Sedem Romanam, quam nequeunt veris argumentis impetere, fabricatis in suo cerebro calumniis apud imperiosum populũ in odium & invidiam vocent. Ex adverso communem Ecclesiæ Romanæ doctrinam in hoc puncto apertè depromit Molanus *de fide &c. cap.* 14. ubi disertè pronunciat Romani Pontificis authoritatem nullam esse ad destructionem sed ad ædificationem; quia autem absque magna destructione non posset dispensare ut fides publica à Catholico, aut Principe violetur, ideo dispensationis ejus authoritas & potestas eo se non extendit; neque ullum hactenus extitit hujus rei exemplum. Eundem Ecclesiæ sensum tradit Tannerus *de fide disp.* 1 *quæst.* 9. *dub.* 4.

Quam verò sanctè inviolateque promissa, etiam hæreticis, in Ecclesia Romana serventur, probat locupletissimum exemplum duorum Imperatorum erga ipsum Lutherum hæresiarcham, qui litteris salvi conductus à Maximiliano Imperatore communitus Augustæ coram Cajetano Cardinale illæsus comparuit, & recessit; quamvis ipse de non disseminanda hæresi datam fidem violaverit: iterumque Wormatiæ, ob præstitum à Carolo Cæsare promissum, quamvis pœnæ reus, ab omni noxa immunis permansit.

QUÆSTIO XIX. *Disputatio cum hæreticis, & ejus norma.*

QUo modo, & quibus licitum est cum hæreticis disputare;

Respondeo cum Tannero *de fide disp.* 1. *q.* 9. *dub.* 5. opus esse cautelâ & discretione ut cum hæreticis licitè & fructuosè disputatio instituatur, tam ex parte disputantis, quam audientium, & modi quo disputatur.

Nam quoad personam Disputantis, Cap. *Quicunque* §. *Inhibemus, de hæret in* 6. Laicis sub excommunicatione ferendæ, non latæ, sententiæ, prohibetur de fide disputare: quod intelligendum est non materialiter, sed formaliter, & ex professo de fide dispu-

disputationem instituere, juxta Cajetanum *hic art.* 7. Quin imò Valentia *de fide disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 4. legem illam non immeritò existimat per contrariam consuetudinem, præsertim in Germania, aliisque similibus locis, abrogatam esse. Et sanè si vir doctus, etiam laicus ubi magna apparet utilitas, cum hæretico congrediatur, ab omnibus judicatur à legis transgressione immunis.

At si quis rudis & imperitus cum hæretico formalem disputationem institueret, graviter peccaret, si per hoc causam fidei periculo exponeret, aut occasionem præberet, ne ipse aut alii in fide vacillarent. Quamvis negari non possit ex peculiari Dei instinctu quandoque viros sanctos, potius quam doctos, non tam humanæ sapientiæ verbis, quam virtute spiritus, magno fructu cum hæreticis dimicasse, uti notat S. Athanasius, & S. Hieronymus in vita S. Antonii.

Ex parte verò Audientium, cavendum est ne temerè coram simplicibus & indoctis de articulis fidei argumentis in utramque partem vibratis disputetur. Quia simplicium fides eò solet esse firmior, quò minus aliquid ei quod credunt oppositum audierunt, ac facilius plerumque argumenta veritati contraria, quam eorum solutiones percipiunt; nisi quis singulari polleat facultate, ea ad eorum captum clarè dissolvendi, quod in multis non contingit. Excipe tamen rudiores illos, qui ab hæreticis ad defectionem sollicitantur, coram his enim quandoque necessarium est de fide disputare, ut argumenta quibus labefactari possint dissolvantur.

In modo disputandi cum hæreticis peccatur, quandò modestiæ limites exceduntur, utendo convitiis, & verbis mordacibus, quibus dum adversarii se læsos sentiunt, ut canes rabidi in clamores assurgunt, & contra fidem nostram magis irritantur. Hinc magna opus est moderatione, ut appareat nos non victoriæ, sed veritatis cupiditate in certamen descendere. Qui verò eruditionis laudem, aut plausum populi disputando, aut scribendo sectantur, vix ullum operæ suæ fructum referre solent: *Quia dilexerunt gloriam hominum, magis quam gloriam Dei*, Joan. 12. v. 43.

Pertinaces autem hæretici, non numero, sed pondere argumentorum premi debent, illos adstringendo ad brevem syllogismi formam, ne aliàs more suo extra chorum saltent, & ad parerga digrediantur, qui instar callidæ feræ prius disputantem fatigant, quam se retibus includi sinant. In hanc rem syllogismos & dilemmata ad quæ hæretici adigantur in præcipuis fidei controversiis, superius formavimus *in part.* 1. *c.* 9. *à pagina* 58.

QUÆ

QUÆSTIO XX. *Educatio Liberorum.*

AN licita sint in conjugiis pacta educandi liberos, partim in hæresi, partim in Catholica religione?

Respondeo cum Tannero *de matrim. disp.* 8. *q.* 4. *dub.* 5. *n.* 91. tale pactum per se impium & irritum esse. Quia jure divino tenentur parentes filios suos ad veram Religionem informare, cui obligationi nullo pacto renunciare queunt. Potest tamen casus obvenire, quo matrimonium cum persona hæretica licitum multumque momenti habiturum videatur ad publicum bonum promovendum, neque tamen à conjuge, v. g. marito, ullo modo obtineri possit, ut tota proles in Catholica tantùm religione educetur: tunc licitum erit hac ratione pactum instituere, ut scilicet aliqua pars prolis, marito non impediente, ad Catholicam religionem informetur; nihil interim quoad cæteros liberos præjudicando juri Catholicæ matris, quo minus operam suam adhibeat ut Catholica fide imbuantur. Probatur hæc resolutio, quia si nullum hujusmodi pactum aut cautio adhibeatur, moraliter certum est omnes liberos ex eo matrimonio suscipiendos, ex prævalente patris arbitrio, in hæresi educandos fore; ergò si aliqua suppetat via per se non illicita, quâ saltem aliqui liberi conserventur, ea adhibenda est: talis autem via per hujusmodi pactum obtinetur: quia cum juri materno quoad cæteros liberos non præjudicet, sed solum patris violentiam ex parte coerceat, non est cur tale pactum per se & intrinsecè malum existimetur. Imò quia in tali causa per se malum non apparet, omninò licitè ac prudenter adhibendum erit, si, ut dixi, connubium illud, & aliquorum liberorum periculum longè majori bono compensetur: quamvis hunc casum vix hactenus Theologi attigerint.

Quæritur secundò, An parens Catholicus filium aut filiam in Hæresi persistentem alere teneatur?

Respondeo, Si filius aut filia hæretica egeat alimentis ad vitam simpliciter necessariis, ea debere à parente subministrari; hoc enim jure ob hæresim non privantur. Si verò de alimentis ad vitam necessariis aliunde eis prospectum est, eo quod ex proprio labore, aut industria, aut ab aliis amicis ea possint obtinere juxta decentiam sui status, non tenetur parens per se illis alimenta præbere quamdiu in hæresi persistunt, uti docet Azor, *instit. moral part.* 2. *l.* 2. *c.* 4. *q.* 10.

Quæritur tertiò, An parens possit exhæredare filium qui à Catholica Religione defecit?

Respondeo affirmativè, lege communi. Causam etiam hanc

exhæredandi disertè adstruit Justinianus in Authentica, *ut cum in his verbis : Si quis de prædictis parentibus orthodoxis constitutus, senserit suum filium vel liberos non esse Catholicæ fidei ... licentiam habeant pro hac maximè causa ingratos eos, & exhæredes inscribere testamento.* Consentiunt passim Doctores, ac fusè *Molina de Iustitia*, aliique.

QUÆSTIO XXI. *Usus Styli veteris.*

AN in partibus hæreticorum liceat Catholicis transferre Pascha, & alia Festa mobilia, eo quod hæretici usum styli veteris observari velint ?

Ad hanc quæstionem solum reperio Lessium respondere in *posth. ver. Hæreticus. cas.* 7. qui resolvit ubi Calendarium Romanum Greg. XIII. receptum est, & usu annorum comprobatum, non posse Catholico Pascha, & alia mobilia festa transferre, eo quod hæretici antiquum Calendarium velint servari : quia scil. hæretici non possunt legem aliam de celebrandis festis talibus temporibus abrogare, sicut nec Natalitia Domini transferre, nisi gravi periculo urgeantur.

Sed non possum huic resolutioni cum Lessio acquiescere : statuamus enim ab hæreticis occupari Bredam, aut aliam urbem, vel Provinciam, ubi Calendarium Gregorii XIII. cum stylo novo annorum usu receptum fuit ; jamque ea in urbe publico ritu ex norma styli veteris omnia tam sacra quam profana peragi ac computari : nullâ sanè ratione poterit solidè probari, civem Catholicum teneri, in observatione festi paschalis, aut jejunii quadragesimalis, à publico istius loci computu ac stylo recedere, etsi absque magno familiæ suæ detrimento id præstare posset : quinimò in partibus hæretico Domino subjectis, ubi longè prævalet numerus Catholicorum, uti in regno Hiberniæ & quibusdam locis Hollandiæ, ritu styli veteris Pascha aliaque festa celebrantur, Pontifice sciente, & illum usum nunquam hactenus improbante.

QUÆSTIO XXII. *Valor Sponsalium inter Catholicum & hæreticam.*

AN valida sint sponsalia inter Catholicum, & hæreticam, & è converso ?

Respondet Sanchez Negativè *lib. 7. de matr. disp. 72. n. 3.* Quia inquit, promissio illa est de re illicita, ac proinde nullam sponsalium obligationem inducit.

Respondeo tamen cum Becano *de Sacram. cap. 43. qu. 36. n. 4.* potius

potius admittendum sponsalia illa valida esse in Germania, & aliis partibus, ubi Catholici hæreticis admixti degunt. Primò, quia probabile est apud plurimos authores, matrimonium ordinario modo in illis locis cum hæreticis contractum esse licitum: & ut hoc dubium foret, in favorem matrimonii in re dubia judicandum esset. Ergò non probatur sponsalia cum hæretica ex illa parte irrita esse, adeoque concidit præcipua ratio à Sanchez in oppositum allata.

Secundò, quia tametsi matrimonium illud non esset licitum in ratione Sacramenti, possunt tamen sponsalia esse valida, quia non continent promissionem Sacramenti, sed tantum contractus civilis, qui potest esse licitus, & honestus. Sicut in veteri testamento, sponsalia dicebant ordinem ad solum contractum civilem, illa autem per se videntur fuisse ejusdem naturæ cum illis sponsalibus quæ modò celebrantur. Ergo sponsalia cum hæretica inita pro validis haberi debent: Quandò autem censenda sint licita, judicari id debet ex conditione matrimonii secuturi, de quo, quandò licitum sit, jam ulterius inquirimus.

QUÆSTIO XXIII. *Matrimonium cum hæretico ut licitum.*

AN matrimonium inter Catholicum, ac hæreticam, & contra, licitè contrahatur?

Satis constat primò, Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, si aliud non desit, posse per se valida esse, quia modò ab Ecclesia Catholica non irritantur.

Constat tamen secundò, ejusmodi matrimonia in pluribus Ecclesiæ Conciliis ac decretis sub gravi peccato prohibita fuisse, propter periculum fidei, quod à conjuge Catholico, & à prole incurritur, uti constat ex Concilio general. Chalcedonensi, *Can.* 13. Et Concilio partic. Eliberitano, Laodicensi, Carthaginensi 3. *can.* 12. & aliis à Pontifice approbatis, apud Sanch. *de matrim. disp.* 72. *n.* 4. Quæstio igitur proposita tantum potest locum habere de illis partibus, ubi Catholici hoc tempore vivunt hæreticis permixti: & in hac quæstione decidenda maximè variant inter se Doctorum sententiæ.

Respondeo ad quæstionem cum Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 72. *n.* 5. Tirino *in Epist.* 1. *ad Cor. c.* 7. *v.* 39. & præcipuè cum Lessio in *Posth. ver. Hæret. casu* 23. In partibus illis matrimonia Catholicorum cum hæreticis non videri illicita, quandò hæ conditiones concurrunt: Primò, ut absit periculum perversionis, & persona Catholica permittatur liberè vivere

in

in sua religione. Secundò, ut non impediatur ritu Catholico prolem educare. Tertiò, ut non sit facilè Catholico in sua religione invenire conjugem sibi parem, & idoneam. Quartò, ut hæreticus non sit denunciatus, aut notorius Clerici percussor. Quintò, ut eo loco passim sit consuetudo sic contrahendi absque ullo scandalo. Ratio est, quia tres primæ conditiones efficiunt ut connubia illa non impediantur jure divino, & consuetudo tollit jus humanum, quo illa prohibentur: præsertim cum summus Pontifex in multis regnis sciat, & tamen permittat illam consuetudinem vigere. Addit tamen Lessius, non facile suadendum, quantum commodè fieri potest, ut ejusmodi connubia cum hæreticis contrahantur. Nisi (inquit Tauner. *hic d. 8. q. 4. dub. 5. n. 88.*) spes sit moraliter certa de conversione conjugis hæretici, aut judicio prudentium aliud bonum majoris momenti expectetur.

QUÆSTIO XXIV.

AN si hæreticus promittat conversionem, possit etiam absque dispensatione matrimonium contrahi?

Partem negativam docet Sanchez *hic disp. 72. num. 4. in fine.* Cum Pootio &c.

Respondeo tamen affirmativè cum Lugo *de fide disp. 22. sect. 2. n. 17.* Em. Sa *v. Matrimonium.* Hurtado *hic disp. 76. §. 229.* Et probatur, quia exceptio hæc invenitur in ipsis Decretis quibus matrimonia cum hæreticis prohibentur Nam in Conc. Chalcedonensi *Can.* 17. adduntur hæc verba: *Nisi forte spoponderit se venire ad orthodoxam fidem.* Et in Cap. *Non oportet.* 28. *quæst.* 1. disertè dicitur, *filias hæreticas posse accipi, si spondeant se professuras orthodoxam fidem.* Ergo inhærendo terminis juris, positâ tali promissione, non videtur ea dispensatio necessaria. Nisi fortè alicubi consuetudo obtineret, ut eo etiam casu dispensatio petatur; nam ex tali consuetudine censeretur prohibitio matrimonii cum parte hæretica ad hunc etiam casum ampliata.

Existimo tamen cum Lugo, contra Hurt. *supra*, requiri dispensationem, quando spes conversionis conjugis hæretici non oritur ex *promissione*; sed tantum ex bona ejus indole, aut animo non obstinato, etsi Catholicæ conjugi, & proli libertatem fidei relinquat. Quia lex supra citatâ solum excipit casum, quo conjux hæreticus conversionem ad fidem expresè promittit.

QUÆSTIO XXV.

QUid si hæreticus non promittat conversionem, & adsit aliquod periculum perversionis conjugis Catholicæ, an tale ma-

matrimonium aliquandò possit esse licitum? & an eo casu sit necessaria dispensatio?

Respondeo ad primum, in utroque casu posse aliquandò contingere aliundè concurrere commoda maximi momenti, quæ compensent incommoda & pericula in casu allata, & reddant illud matrimonium ad publicum religionis bonum conducibile: Ut si eà occasione concedatur libertas profitendi religionem Catholicam, ubi antea erat negata: si filii sperentur Catholicè educandi, aut alia his æquivalentia. Non enim est illicitum aliquandò se exponere periculo peccandi propter aliquod bonum maximi momenti, cum proposito tamen cum Dei gratia tentationi & peccato resistendi: cujus exemplum est in connubio Estheris cum Assuero infideli: & confirmatur in facto Judithæ, quæ ut populum suum salvaret se suamque castitatem periculo exposuit, ut fatentur plures Interpretes cum S. Ambrosio *lib. 3. de offic. cap. 12. Non exponit* (inquit) *mortis periculum, sed nec pudoris, quod est gravius bonis fæminis.* Ita etiam sentit Lugo *de fide d. 22. s. 2, n. 22.* Diana *p. 3. tr. 4. resp.* 269.

Respondeo ad secundum. In casu prædictæ resolutionis petendam esse dispensationem, ut tollatur prohibitio legis Ecclesiasticæ. Ubi notat Pontius cum Lugo, & Salas *disp. 20. de leg. s. 7. nu.* 74. aliquandò ex tali connubio posse tot & tanta bona provenire, ut non solum possit, sed etiam debeat dispensatio concedi.

QUÆSTIO XXVI. *Parochi assistentia.*

AN Parochus absque peccato possit assistere matrimonio, quod sine justa causa contrahitur cum persona hæretica?

Negat Serrarius *de matrim. cum hæret. cap. 3. n.* 121. id fieri posse absque peccato, nisi persona hæretica conversionem promittat. Quia existimat Parochum per hoc cooperari matrimonio illicito Catholici cum hæretico, ex eo quod ejus præsentia reddat habiles ad contrahendum, qui sine ea post Tridentinum habiles non essent, ac proinde cum peccent contrahentes, assistere eorum matrimonio aliud non esse, quam eorum peccato cooperari.

Respondeo tamen, Parochum posse absque peccato ejusmodi assistentiam præbere. Et probo, contra Serrarium, Parochum per hoc contrahentium peccato non cooperari. Quia ille non assistit matrimonio tanquam Minister, sed tanquam testis qualificatus ut contractus ille debitè ineatur: sicut ergò (ut admittit Serrar.) alii testes absque peccato tali matrimonio assistunt,

idem de Parocho admittendum est: tam enim Parochus quam testes reddunt contrahentes habiles ad matrimonium; quia neque Parochus sine testibus, neque testes sine Parocho sufficerent.

Probatur secundò: Quia Parochus in hoc casu non assistit actui de se malo, sed quem contrahentes, si vellet una pars converti, possint licitè & honestè exercere: atqui, ex principio passim recepto, dum peto actum, vel assisto actui alterius, quem posset ritè præstare, & ex culpa sua exercet illicitè, non dicor ego ejus peccato cooperari; &, si adsit causa petendi illum actum, debeo judicari à culpa immunis; uti omnes admittunt, dum urgente causâ petitur mutuum ab usurario, aut Sacramentum ab excommunicato, aut Domus meretrici elocatur. Ergò idem de assistentia Parochi ad nuptias, culpâ contrahentium illicitè initas, judicandum erit. Et ita cum aliis quos citat, docet Basil. Pontius *in append. cap. 9. §. 1. n. 3.* Addo tamen, nisi talis assistentia aliundè, vt g. ex superiorum decreto, alicubi prohibeatur.

QUÆSTIO XXVIII. *Proclamationes in templo hæretico.*

AN Proclamationes, quæ matrimonio præmitti debent, fieri possint in templo hæreticorum?

Respondeo affirmativè, si nullum inde Catholicis scandalum oriatur: & ita resolvit Lessius *in Auctar. v. hæret. cas. 24.* Quia per has proclamationes tantum declaratur contractus matrimonii futuri inter certas personas; ut sine ullius injuria, & legitimè celebretur: sicut ergò hujusmodi proclamationes pro aliis contractibus in templis hæreticorum legitimè adhibentur, nihil obstare videtur, quo minus ibidem sine crimine proclamationes matrimonii etiam inter Catholicos futuri præmittantur.

Benedictiones Nuptiales.

AN si matrimonium hæretici sit clandestinè contractum validè cum persona Catholica ubi non obligat Tridentinum, & conjux Catholicus nolit consummare ante benedictiones nuptiales, tum liceat Parocho nuptias illas benedicere in favorem conjugis Catholici?

Resolvit Lugo, *de fide disp. 14. sect. 5. n. 158.* contra Sanch. *de matr. l. 7. d. 3. n. 13.* non apparere rationem sufficientem, cur Sacerdos in dicto casu non possit preces & orationes consuetas ad illos benedicendos adhibere, & coram illis, atque etiam pro illis Missæ Sacrificium offerre; secluso tamen omni scandalo, & aliis

præ-

præceptis, vel extrinsecis incommodis, quæ facilè ex tali actione oriri possint. Quia probabile est quod pro excommunicato tolerato possimus offerre Ecclesiasticas & publicas preces, & ipsum Missæ Sacrificium, ut etiam docet Hurt. *de fide disp.* 76. §. 16.

QUÆSTIO XXVIII. *Infantium Baptismus apud hæreticos.*

AN infans qui ad januam Ecclesiæ apud hæreticos, aut alios expositus invenitur, possit, aut debeat, saltem sub conditione, baptizari?

Respondeo affirmativè, contra Henriquez, & quosdam alios, nisi apud infantem certum aliquod collati Baptismi testimonium inveniatur: quod verum existimo sive infans in urbe hæretica, sive Catholica exponatur. Ratio est, quia facilè contingit mulierem quæ partum occultè effudit, tantum solicitam esse de crimine tegendo, & puero à se quamprimum amovendo, de pueri autem spirituali salute eo tempore parū laborare. Cum ergò in re tanti momenti debeat haberi moralis certitudo, infans sic expositus sub conditione baptizandus erit: idque olim in Concil. Eboracensi statutum fuisse refert Baronius, *in Annal. tom.* 12. Et ita docet Vasquez *hic disp.* 126. *n.* 22. & Tannerus, *de bap. disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 4. *n.* 112.

QUÆSTIO XXIX.

AN infans quem alter parentum vult tradere Ministro hæretico post aliquot tantum menses baptizandum, possit interea à Catholico baptizari?

Respondeo affirmativè, cum Lessio *in Auctar. v. Baptismus casu* 2. Quia alter parens jus habet ut curet prolem suam consueto tempore ritè baptizari. Neque refert quod sciat jussu alterius post aliquot menses iterum baptizandum, quia ad Baptismum postea secuturum censetur tantum se permissivè habere.

QUÆSTIO XXX.

AN si paulò post Baptismum Catholicè susceptum, contingat infantem deferri ad ministrum hæreticum publicè baptizandum, liceat parentibus id permittere, & de Baptismo prius collato silere?

Respondeo, non licere parentibus positivè filium offerre ut rebaptizetur, vel ad hoc ullo modo cooperari? potest tamen fieri ut illicitum non sit eo casu se tantum passivè habere, non impediendo alios qui prolem deferunt baptizandum, quandò id sine gravissimo damno impediri non potest: Neque ad hoc

necesse est priorem Baptismum manifestare, sed sufficit indicare sibi nullo modo placere quod à Ministro illo baptizetur. Et ita resolvit Lugo *de fide disp.* 14. *sect.* 5. §. 5. *n.* 164. Ubi addit, quandò casus ille prævidetur eventurus, procurandum potius ut infans prius à Sacerdote Catholico baptizetur. Quia minus malum videtur Baptismum suscipere à solo hæretico, quam rebaptizari: ex duobus autem malis minus est permittendum; quandò utrumque impediri non potest.

QUÆSTIO XXXI.

AN à Sacerdote Catholico licitè baptizentur hæreticorum liberi, quandò post baptismum parentibus restitui debent; cùm probabili periculo futuræ perversionis?

Negat Suarez *hìc disp.* 25. §. 5. Coninc. *quæst.* 68. *art.* 10. *n.* 81. Quia eadem ratio videtur esse in filiis hæreticorum & infidelium, quos Doctores passim negant baptizandos esse; quandò cum tali perversionis periculo restitui debent.

Respondeo nihilominus, liberos hæreticorum in prædicto casu baptizari posse: & eam praxim in Germania à viris doctis & piis sæpius observatam fuisse, docet Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *c.* 6. *n.* 12. Ratio est, quia illud periculum perversionis non est certum, aut propinquum, cum facilè fieri possit ut infantes illi ante usum rationis moriantur; & per Baptismum salventur: observant enim nonnulli tertiam partem hominum ante completam septennii ætatem ex hac vita discedere.

Ad rationem pro opposita sententia supra allatam, dico, disparem esse rationem de liberis modernorum hæreticorum, ac aliorum infidelium. Quia hæretici Christi nomen, cultumque non detestantur, & plerumque spes non exigua est fore ut aliquando in fide Catholica instituantur, quam facilius recipiunt, si postea intelligant se à Sacerdote Catholico baptizatos fuisse.

QUÆSTIO XXXII.

AN liceat Catholico adire Parochum hæreticum; ut infantem jam baptizatum esse declaret, ejusque nomen indicet, ne iterum ab hæretico ad Baptismum quæratur?

Respondeo cum Lugo *de fide disp:* 14. *sect.* 5. §. 5. *n.* 163. hoc ita posse fieri, ut maneat actio merè politica, dum fit eo tantum fine, ut constet de Baptismo, & nomine infantis. Si tamen interveniat aliqua agnitio potestatis, aut ministerii spiritualis in Ministro hæretico, aut aliquod scandalum generet, in illis circumstantiis actio illa erit Catholico illicita.

De

Decætero, Quid dicendum de Nuptiis quæ in partibus hæreticorum sine Parocho & testibus contrahuntur, resolvitur supra *part. 3. tract. 4. c. 8. §. 4.* de Matrimonio, in fine.

QUÆSTIO XXXIII.

Quas pœnas juxta Leges incurrant Hæretici?

Respondeo, Quoad pœnas temporales, primò, decernitur illis pœna mortis legibus Imperatorum, Lege, *Quicumque, & Vbicumque, Cod. de Hæretic.* Quod confirmatur jure Canonico Cap. *ad abolendam*, cap. *Excommunicamus* 1. *de hæreticis*. 2. Eo ipso quo exterius hæresim produnt, amittunt dominium bonorum suorum, cap. *Cum secundum leges*, *eodem tit. in 6.* Retinent tamen possessionem, & quasi usum fructum: Quare etsi non possint ea alienare, non tenentur tamen spontè ea ad fiscum deferre. Contractus tamen cum iis initos in hisce Regionibus validos reddit Principum benigna permissio. 3. Fiunt incapaces publici officii obtinendi, cap. *quicumque. §. hæretici, tit. eodem in 6.*

4. Dicuntur privari jurisdictione temporali, cap. *absoluto eod. tit.* ubi subditi dicuntur absoluti à debito fidelitatis, &c.

Quoad pœnas Spirituales, primò, excommunicantur, cap. *ad abolendum*, & in Bulla Cœnæ, quâ etiam comprehenduntur eorum receptatores, & fautores, scilicet in negotio hæresis, ut si quis eos defendat, vel abdat, dum propter hæresim quæruntur ab Inquisitoribus, etsi non ideò receperiunt quia sunt hæretici, ut notat Toletus. Alias licitum est iis favere, quia v. g. sunt consanguinei. Eadem Bullâ ligantur credentes hæreticorum, quales sunt qui dicunt se credere quod credit alius apertè hæreticus, licet nullum fidei articulum determinatè discredant. 2. Fiunt Irregulares, cap. *Saluberrimum*, *causa* 1. *q* 7. cap. *quicumque*, cap. *statutum*, 2. *eodem titulo in* 6. ubi declarantur Irregulares etiam filii, & nepotes usque ad secundum gradum in linea paterna, in linea verò materna tantum filii; quod tamen intelligendum est de filiis natis post hæresim, & quorum Parentes in hæresi decesserint, 3. privantur Ecclesiasticâ sepultura, cap. illo, *quincunque*, uti & eorum credentes fautores, &c. Quare duplici causâ non licet hæreticos sic sepelire, & quia sunt hæretici, & quia excommunicati 4. Nullos actus ordinis licitè exercent, quia excommunicati. Dixi, licitè, quia possunt validè in quibus non est opus jurisdictione, quare validè conferunt Sacramenta, & Episcopus hæreticus validè ordinat, sicut & retinet Characterem. Addidi, in quibus non est opus jurisdictione, quia hoc ipso quo fiunt

hæretici, desinunt esse Ecclesiæ membra & capita, ac consequenter amittunt Capitum, seu Pastorum jurisdictivam potestatem; quamdiu tamen retinent titulum coloratum, eorum defectum supplet Ecclesia, ut alibi diximus. 5. Sunt inhabiles ad omnia beneficia, cap. illo, *quicumque*. 6. Privantur dignitatibus, honoribus, beneficiis, & officiis, cap. *ut commissi, eodem titulo*. Probabile tamen est hanc pœnam non esse sententiæ latæ, sed ferendæ, ut indicatur, cap. *ut commissi*. 7. Fiunt infames, cap. *Excommunicamus*. 1. §. Atque hæc tria valent quoque de eorum fautoribus, credentibus &c. Ultimò adde, easdem pœnas infligi Apostatis, à fide scilicet, qui simpliciter dicuntur Apostatæ, non ab Ordine, aut Religione. Idem dicendum de eorum fautoribus &c. cap. *contra Christianos, Eodem titulo in 6.* & cap. *ad abolendam* citato, & Bullâ Cænæ.

Nota tamen primò, cum communiori sententia contra Cajetanum, has pœnas non incurri ab eo, qui cum gravi peccato hæresim exterius simulat, nisi etiam interius in animo, & intellectu hæresi assentiatur. Quia talis propriè & simpliciter non est hæreticus, adeoque legibus pœnam infligentibus comprehendi non videtur, quia illæ sunt strictè interpretandæ; quamvis ille in foro externo hæreticus esse præsumeretur.

Nota secundò, non sufficere hæresim merè internam, ut pœnæ illæ incurrantur, nisi hæresis interna aliquo signo externo prodatur. Est hæc communior sententia Theologorum; quia censent Ecclesiam saltem jam non intendere pœnas illas tanto rigore ad illos extendere, qui formalis hæresis sufficiens signum non ediderunt, nec pertinaciam suam exterius aliis manifestarunt.

Multò minus formaliter hæretici sunt, & pœnis dictis obnoxii, qui ab infantia in erroribus adolescunt, & vix tenuem percipiunt veræ Ecclesiæ notitiam, quæ possit illis scrupulum injicere; quales de facto plurimos reperiri, & pœnas hæreticorum non incurrere, probat solide *P. Ant. Terillus*, contra *Celladeum*, *part.* 2. *pag.* 243. Hujus Authoris Opus, communi judicio sane accuratissimum nimis inique tractat recens Scriptor *Iacobus à S. Dominico pag.* 159. asserens, in toto Terilli Tractatu de Conscientia, præter falsas suppositiones, vel ejus novas adinventiones, vix quidquam reperiri, quod vel in speciem verum dici possit. Sed hæc verba sunt, non argumenta, quæ majori studio depromenda fuerunt, si voluit ille dictis suis fidem facere, & *Terilli* doctrinam vel in speciem labefactare.

Pro-

Pro Missione Castrensi, & Navali.

QUÆSTIO PRIMA.

AN in militia Tribuni, Capitanei, aut Commissarii, ratione stipendii dimitiati, aut male sibi persoluti, possint in militum lustratione tot ficta nomina conscribere & inducere, quot sufficiunt ad supplendum stipendium quod ipsis à Rege debetur?

Visa est aliquibus praxis illa non illicita: Primò, quia quandò constat aliquid justè deberi, & non posse viâ justitiæ obtineri, licitum videtur debitum illud alio modò compensare. Secundò, illi qui patriam gubernant satis norunt has artes per ficta nomina exerceri, neque tamen videntur requirere ut illis remedia apponantur; censendi igitur sunt connivere, & hanc praxim permittere: & hoc videtur insinuare Lessius *in Posthumis v. Bellum pag.* 150.

Respondeo tamen, ob alias rationes praxim illam non esse æquitati consentaneam. Primò, Quia isto modo nequit poni compensatio sine fallacia & falsitate, majorem numerum militum pro minori exhibendo, & affirmando illum actu sub signis lustrari. Secundò, Ille modus compensationis stipendii adjuncta habet maxima Reip. detrimenta, ex quibus possit patria periclitari, dum falsò supponitur in exercitu, aut præsidiis versari multò majorem militum numerum, & qui possit sufficere ad justam defensionem. Tertiò, Qui illa officia amplectuntur, satis norunt sibi sperandam non esse integram stipendii solutionem, nec dubitant eandem cum cæteris conditionem spontè subire. Quartò, Illi officiales accipiunt Patentes in quibus continetur stipendium ipsis tribuendum, *quomodo & quando* cæteris de exercitu persolvitur; nequeunt igitur illud sibi tali modo de jure vindicare, & cùm tanto rei communis detrimento.

Ex his patet responsio ad primam rationem contrariæ sententiæ supra allatam. Negatur enim licitam esse rei debitæ compensationem mediante fraude & falsitate: & per actionem Reipublicæ adeò perniciosam: & contra fidelitatem quam illi promittunt Regi in sui officii administratione. Adde, etiam in casu quo licitum esset sua debita occultè recuperare, incumbere obligationem judicandi debitori sibi jam satisfactum esse, si fortè solutio denuo postulanda esset. Tantum vero abest ut hoc præstenti illi Officiales; ut potius oblatâ occasione pro se, aut post mortem pro suis viduis, exigant iterum pendi residua stipendia,

aut sibi conferri promotionem aliquam stipendiis æquivalentem.

Ad secundam rationem: Verum non est Gubernatores patriæ connivere, & hanc praxim ultrò permittere. Quia tales Officiales ad eos delati punirentur, & aliqui puniti fuerunt, & in ordinem gregariorum redacti. Quod autem non curent in eos adeò severè inquiri, fit ex eo, quod nolint forte offensionem præbere viris fortibus & necessariis, qui à militia deficerent.

Nota tamen primò P. Lessium, loco supra citato, testari, Principem Parmensem Patribus nostris aliquando respondisse, non esse faciendum scrupulum Capitaneis ob 4. aut 5. plaças muertas, ut vocant. Sed an eadem sit mens & indulgentia modernis Gubernatoribus, non nisi ex ipsis constare potest.

Nota 2. Usu in militia recepto Capitaneis concedi locum mortuum pro duobus aut tribus famulis, & unum pro signifero, etsi famulos actu non habeant.

QUÆSTIO II.

Quandò milites post lustrum moriuntur aut fugiunt, an jus ad stipendium, quod ipsis remanet debitum, devolvatur ad eorum Ducem, an verò ad hæredes?

Respondeo, Communi jure devolvi ad hæredes ab intestato, sicut aliæ actiones & credita defunctorum; nec apparet ratio quæ Ducibus jus ad stipendium alienum concedat. Si tamen Capitaneus dederit militi pecunias mutuas, potest ex stipendiis illi à morte aut fuga debitis, tantum sibi reservare quantum illi concessit. Quia cum onera defunctorum transeant etiam ad hæredes, debent hi contenti esse ut creditor sibi hac ratione satisfaciat.

QUÆSTIO III.

Quandò Rex transcribit summam pecuniæ in stipendia militaria, an hoc quod superest post lustrum & stipendia soluta, possint retinere Capitanei aut tribuni, quando sciunt Commissarios sibi retenturos si illis reddatur.

Respondeo negativè, si alium detinendi titulum non habeant. Hoc enim tantundem foret, ac si quis pecuniam alienam sibi occuparet, eâ tantum ratione, quod si illam non accipiat, ab alio fure sit præripienda.

QUÆSTIO IV.

An licitum sit militare in bello de cujus justitia miles habet opinionem tantum probabilem?

Respon-

Respondeo affirmativè, & quando aliæ non suppetunt rationes, dico sufficere quod judicet Principem qui bellum indicit, vel sustinet, esse virum prudentem & bonæ conscientiæ, nec seduci à pravis consiliariis; & è contra adversarium non adeò pium, ac prudentem esse. Prudenter enim agit miles se conformando authoritati aliorum, quamdiu nihil habet certi quo authoritas illa elidatur. Ita docet Diana cum pluribus *part.* 11. *tr.* 5. *resol.* 28. & Scildere *de principiis conscient. tract.* 2. *pag.* 164.

Quæres, Quid dicendum, quando miles de justitia belli positive dubitat?

Respondeo, non licere eo casu militare, si non possit dubium illud vincere, ut docet supra Scildere, Diana, & Ariaga *disp.* 16. *sect.* 5. *num.* 36. In bello tamen defensivo dubitans de jure Regis qui bello impetitur, & qui bonâ fide regnum possidet, militare potest, & dubium deponere, ex principio generali, quod in dubio melior sit conditio bonâ fide possidentis. Et plerumque excusari possunt milites à formali peccato, quod persuasi ab aliis, per ignorantiam invincibilem rationum partis adversæ, ad bellum trahantur, ut notat cum aliis Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 32. qui addit, illos posse militare utrilibet parti, etiam quandò rationes probabiles pro justitiâ belli utrimque habentur.

QUÆSTIO V.

AN in Castris possit Confessarius absolvere miliites in prælio moribundos, etsi non dent aliud signum vitæ Christianæ, quàm quod militent in exercitu Catholico, in quo tamen aliqui hæretici sunt admixti?

Respondeo, tales posse absolvi sub hac conditione, si sis capax absolutionis. Ita etiam resolvit Scildere *de principiis conscientiæ tract.* 5. *pag.* 724. ubi adducit citatum à Caramuel P. Saillarts in litteris ab ipso datis 3. Novembris 1645. Ratio est, quia milites illi per professionem fidei Catholicæ satis indicarunt se velle in morte absolvi, & illa voluntas sufficienter indicata est Confessario per eos qui significarunt hunc exercitum in quo militant esse Catholicum. Nec refert quod aliqui in illo exercitu sint hæretici. Quia si in exercitu aliquo plerique forent Catechumeni, & pauci fideles sive baptizati, qui non possint discerni à Catechumenis, omnes sub conditione baptizari deberent, ut idem Scildere supra admittit.

Sed quid si exercitus sit hæreticus, in quo tamen pauci aliqui sunt Catholici, an omnes moribundi sub conditione absolvi debeant?

Reſolvit ibidem Scildere negativè. Quia obſtat reverentia Sacramenti ne ſub conditione conferatur tam multis, quorum pars maxima abſolutè non vult abſolutionem ſibi conferri, quam credunt homini nihil prodeſſe: ſic licet in Civitate aliqua dubium eſſet de paucis indeterminatis, an fuerint validè baptizati, non ideò omnes urbis incolæ ſub conditione rebaptizandi forent.

QUÆSTIO VI.

AN licitum ſit Commiſſariis aliquos pagos Capitaneis ac militibus onerare, ut ab aliis pagis, qui ſe redimunt, pecuniam accipiant? Reſpondeo negativè, Nullus enim aſſignare poteſt titulus honeſtus quo poſſint Commiſſarii cum aliorum gravamine non legitimo illas pecunias extorquere. Tenentur enim illi ex officio ſervare juſtitiam diſtributivam, ut quantum fieri poteſt, pagi in quos milites ſunt diſtribuendi æqualiter graventur: quandò autem pagos aliquos acceptâ pecuniâ oneri communi ſubducunt, neceſſe eſt reliquos majori militum numero gravari: quod omninò iniquum eſt, niſi pecuniam illam in ipſorum onere levando inſumant.

QUÆSTIO VII.

AN & quomodo militibus, & aliis caſtra juſta ſequentibus, licita ſit pabulatio in terra non hoſtili.

Reſpondeo & dico primò, licitam non eſſe pabulationem in terris amicorum aut ſubditorum Regis, ſi ſatis pabuli ad caſtra advehatur, vel poſſit pretio comparari. Quia non videtur miles plus Juris habere ad aliena paſcua, quam ad alienum gregem, panem, aut frumentum, quæ nequit in hoc caſu ſibi juſtè uſurpare: & ita docet Leſſius *in poſthumis. v. Bellum. p.* 150.

Dico ſecundò, Si pabulum ſufficiens non advehatur, nec posſit per inopiam pretio comparari, tunc locum habet doctrina de gravi aut extrema neceſſitate, in qua cenſeri debent pabula eſſe communia: ſic tamen ut illi, qui præ cæteris paſſus fuiſſet enorme damnum, facienda ſit compenſatio, ſicut fieri ſolet in rebus aliis magni pretii in extrema neceſſitate.

Sunt tamen qui exiſtimant ex conſuetudine communi receptam eſſe militum in caſtris liberam pabulationem, tanquam onus commune prædiorum, quandò pro utilitate Provinciæ bellum geritur: Et æquum eſſe ut divites quorum ſunt prædia, hoc onus ſuſtineant, cum ex prædiis ſuis magna emolumenta aliis temporibus percipiant: Sicut rhedis, ſericis veſtibus, & aliis quæ in uſu divitum potisſimum verſantur, juſta aliquando veſtigalia imponuntur, quæ ipſi præ aliis facilè poſſunt ſuſtinere.

Propter

Propter hanc rationem, & consuetudinem, si verè subsit, non audet Lessius supra, condemnare liberam illam pabulandi facultatem, si à Principe positivè permittatur, & pauperibus, si inde grave damnum passi fuerint, compensatio præstetur. Nam horum aliquos præ aliis enormiter gravare nec ipsi Principi licitum, cum in oneribus imponendis teneatur servare justitiam distributivam. An autem Principes talem potestatem pabulandi fecerint, facti quæstio est. Præsumptio aliqua in oppositum esse potest, quod permittant Magistratibus contra hujusmodi pabulatores potestatem ordinariam exercere: nec audeant viri magis probi præsente Domino absque aliqua compensatione hanc libertatem sibi vendicare.

QUÆSTIO VIII.

AN Missionario Navali licitum sit aliquandò in ipsa navi celebrare, etiam dum actu navigatur?

Negant passim plerique, quos refert & sequitur Vasquez *disp.* 232. *cap.* 3. *num.* 4. Suarez *disp.* 81. *sect.* 2 Bonacina *disp.* 4. *q. ult. puncto* 9. Gavantus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 20. *aliique.*

Respondeo tamen cum multis & probatis Theologis, id in utroque casu proposito licitum esse, quandò non adest mortale periculum, ne Calix navis agitatione effundatur, quale periculum in navibus præsertim grandioribus sæpius abesse multorum experientia testatur. Cum igitur talis celebratio nullo speciali jure prohibeatur, nulla adfertur sufficiens ratio, cur occurrente causâ idoneâ omitti debeat. Causas autem idoneas recenseat Leander, *de Sacrif. Missæ tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 18. Præceptum in Dominicis & Festis audiendi Missam: communicandi in Paschate: accipiendi Viaticum in mortis articulo. Possunt & aliæ causæ occurrere, nec video cur non possit aliquandò sufficere singulare desiderium, & solatium vectorum, præsertim in diuturna navigatione. Hanc sententiam fusè defendet Card. Lugo. *disp.* 20. *sect.* 4. & Granadus *tract.* 14. *disp.* 13. *num.* 2. Fagundez *prac.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10. Hurtadus *disp.* 4. *diff.* 6. Layman *de Sacrif. Mis. cap.* 5. *n.* 6. *& plures alii.*

Quæritur 2. An liceat in navigiis aut triremibus sacram Eucharistiam permanenter servare? Negant id licere plerique Authores qui nolunt licitum esse in navibus celebrare, ut Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27.

Sed respondeo cum pluribus, id omninò permitti, ubi in navigio reperitur locus decens, & à turba nautica satis separatus, in quo S. Hostia servari possit. Quia id minus habet difficulta-

tis

tisquam Missæ celebratio, quam ostendimus à probatis Authoribus admitti, & potest aliquandò peculiaris usus, & necessitas ægrorum id postulare. Et quidem olim navigantes sacram Eucharistiam secum deferre consuevisse refert D. Ambrosius & Metaphrastes, ut admittit *Henriquez* supra citatus, nec hodie extat præceptum id prohibens, modò indecentia & irreverentia caveatur: idque disertè tradit Leander *à S. S. Sacramento de Sacrif. Miss. tract. 8. disp. r. q. 19.* & Granadus *supra num. 7. aliique.*

Quæritur 3. An licitum sit etiam in littore aram erigere, & Missam celebrare pro nautis & navigantibus; & in à castris pro militibus?

Respondeo, id licere, dummodo habeatur altare portatile, & reliqua ad celebrationem requisita. Posse autem dictis locis celebrari, ut die festo Missa audiatur, docet *Henriquez, Sa, Hurtado, Lugo aliique* apud *Leandrum supra q. 16.*

Quæritur 4. An si contingat ibi, aut etiam alibi, post inceptum Sacrum lumen extingui, nec aliud commodè inveniri, possit Sacerdos sine lumine Sacrum continuare & perficere? Negat Fagundez *cap. 22. nu. 19.* nisi extinctum fuerit lumen post consecrationem.

Respondeo, probabilius videri posse Missam continuari in prædicto casu, etiamsi lumen extinctum fuerit post Offertorium ante Consecrationem, quia jam oblata sunt ea, quæ postea erunt consecranda, nec potest tunc sine aliorum incommodo consecratio, & Sacrum omitti. Ita Leander supra, citans pro hac sententia Card. Lugo *hic disp. 20. num. 77.*

PRAXIS VARIA,

Ad brevem facilemque Directionem Confessarii, & Dispositionem Pœnitentis.

§. I. *Observanda Confessario in principio, & decursu Confessionis.*

PRIMO, Impertit pœnitenti hanc benedictionem: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & contritè confitearis peccata tua in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Post si Pœnitens hæreat, animet illum benignè, ut incipiat fidenter soli Deo, & suo Patri spirituali proferre omnia pecca-

peccata quæ memoriæ occurrunt; & incipientem, sine causa non facilè interrumpat.

Si advertat pœnitentem non satis posse se explicare, interroget illum cautè ex præceptis decalogi, vel de aliquibus peccatis, quæ ipsius personam maximè concernunt. Quandò etiam pœnitens non satis exprimit circumstantias mutantes speciem v. g. quod persona quam carnaliter cognoverit fuerit conjugata: vel quandò non exponit numerum graviorum peccatorum, tenetur confessarius de his Pœnitentem interrogare. Quòd si ob diuturnitatem temporis, & lapsuum frequentiam nequeat pœnitens certum peccatorum numerum determinare, ut sæpe contingit in delectatione morosa, pravis desideriis, consuetudine jurandi, interrogari poterit, à quanto tempore est confessus; & ab illo tempore quoties singulis septimanis, aut singulis diebus solitus fuerit labi in illud peccatum; & ex his quantum fert memoria expositis; poterit Confessarius conjecturam sufficientem facere de frequentia & numero lapsuum à postrema confessione.

2. Dum pœnitens narrat superflua, aut suas querelas, aut negotia domestica; aut res alienas ad propria peccata non pertinentes, Confessarius peritè sermonem divertat, v. g. dicendo, satis intellexi, quid meministi circa peccatum detractionis; verba contumeliosa, aut aliud peccatum pro qualitate personæ.

3. Si interrogandus sit in materia luxuriæ, utendum verbis honestis ac pudicis, paulatim à cogitationibus ad verba, & à verbis ad actus progrediendo; ne Pœnitentes ex Confessario ea peccata discant, quæ antea ignorarunt.

4. Quandò aliquid occurrit grave & reprehensione dignum, confitentem non statim arguat, nec signum præbeat admirationis, antequam confessio absolvatur, ne Pœnitens turbatus, aut territus reliqua peccata sileat.

5. Si Pœnitens absque necessitate attingat graviora aliorum peccata, disertè illum moneat, ut ista sileat; & sua tantum peccata exponat.

6. Si quis confitendo ostendat se habere notitiam alicujus peccati, ex quo imminet grave damnum alicui communitati, caveat confitentem absolvere, nisi statuat congruo modo efficere, ut res ea reveletur superioribus, quibus incumbit communitatis periculo prospicere: quærendus tamen est modus quo sic fiat, ut non cedat in perniciem pœnitentis.

7. Quandò narratur peccatum quod constat esse reservatum, à quo Confessarius per se nequit absolvere, monendus est pœnitens ut ibi sistat, donec vel pœnitens, vel potius ipse Confessa-

fessarius ad Superiorem pro facultate recurrat, tacito tamen pœnitentis nomine, nisi malit alteri habenti potestatem iterum confiteri.

8. Quandò, ob stupiditatem pœnitentis, non potest ab eo extorquere idoneam materiam absolutionis per interrogationes ordinarias de mendacio, detractione, ira inordinata, distractione voluntaria, verbis otiosis &c. Interrogari ulterius potest, an saltem voluerit aliquid horum committere, etsi peccatum externum non posuerit. An egerit aliquid contra remorsum conscientiæ, putando, aut dubitando, aliquid esse peccatum, quod verè non fuit. An saltem sine causa exposuerit se periculo committendi certum aliquod peccatum. Vel, an fuerit causa cur alii rem prohibitam fecerint; aut aliquid omiserint ad quod tenebantur, quod facile in parentibus locum habet, non monendo sui officii, famulos, aut alios suæ curæ commissos. Quod si de nullo etiam horum se accusent, jubendi sunt ut aliquod saltem peccatum exponant quod meminerunt aliquandò in totius vitæ decursu à se commissum: ac demum monendi, ut quantum fieri potest in futurum melius instructi ad confessionem accedant.

§. 2. *Observanda à Confessario post Confessionem.*

POstquam pœnitentis confessionem integram patienter audivit, injungat salutarem pœnitentiam ante absolutionem, quamvis etiam ob aliquam causam aut oblivionem post absolutionem injungi possit. Forma autem integra Absolutionis superius exprimitur in *part. 3. tract. 3. cap. 9.* ubi traditur Forma Hæreticos reconciliandi.

2. Quamvis pro satisfactione peccatorum quævis opera bona sint idonea: illa tamen ad tria potissimum capita reducuntur. Nempè ad Jejunium, Orationem, & Eleemosynam. Ad *Jejunium* spectat quævis carnis afflictatio, per cilicia, flagella, vigilias, cubationem in terra, peregrinationem, tolerationem liberam injuriæ, aut contumeliæ, &c. *Orationis* nomine non solum intelligitur vocalis recitatio, sed etiam mentalis meditatio, lectio spiritualis, frequentatio Missæ, psalmodiæ, concionis, aut Sacramenti alicujus perceptio. *Eleemosyna* comprehendit omnia opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, ut curare infirmos, visitare hospitalia, excipere peregrinos, docere ignorantes, corrigere errantes aut peccantes, & id genus alia. Ex his eliget confessarius pœnitentiam pro gravitate peccati, quæ simul sit medicinalis, ad curandum animæ morbos, & præcavendum lapsum in futura peccata: verbi gratia, jejunium lubricis, eleemo-

eleemosynam avaris imponendo, habitâ ratione virium, sexus, ætatis, & opportunitatis sui pœnitentis. In his imponendis, uti cavendum est à nimio rigore quæ à confessione deterreat; ita ex altera parte videndum ne declinet ad nimiam lenitatem, aut laxitatem, levia quædam opera pro gravissimis delictis imponendo, ut monet Tridentinum, *sess.* 14. *cap.* 8. *de Sacram. Pœnit.* Quænam censeatur pœnitentia peccato mortali proportionata, diximus supra de satisfact. Sacramentali, *part.* 3. *tr.* 3. *cap.* 5. *in fine.*

3. Expedit aliquando injungere opera quædam leviora, quæ gravioribus æquivalent quando sunt diuturna, ut quotidie dum surgit attentè cogitare de morte necessario ventura, aut de æternitate pœnarum pro unico mortali, aut terram aliquoties osculari, aut nudis genibus, aut extensis brachiis assiduò vesperi recitare orationem Dominicam, aut aliquem psalmum, aut alias preces, quæ incutiant horrorem illius peccati cui pœnitens est obnoxius.

4. Si pœnitens recuset pœnitentiam idoneam, aut suæ emendationi necessariam, neganda est ipsi absolutio, quia per hoc ostendit se ad illam nondum esse satis dispositum.

5. Nunquam absolvat à peccatis, sub aliqua conditione de futuro, ut, si dederis talem eleemosynam, si petieris ab alio veniam; quia talis absolutio nec licita, nec valida est. Quando verò dubitaret confessarius, an aliquis puer, aut etiam adultus in articulo mortis habeat in præsenti usum rationis, aut dispositionem requisitam, potest illum absolvere, retentâ saltem in mente hac conditione, si es capax, ego te absolvo &c.

6. Potest etiam aliquando utiliter absolutio ad tempus suspendi; præsertim cum recidivis, cum tepidis, cum remanentibus in occasione proxima peccati, cum retinentibus adhuc bona aliena: imo debet illis differri absolutio, si post emendationem, aut restitutionem bis, terve promissam, confessarium fefellerint: nisi contingat jam longè aliud, & planè extraordinarium emendationis signum ac propositum adferri, juxta ea quæ supra tradidimus de absolutione Sacramentali, *part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *& alibi.*

7. Consuetudinarius, sive qui sæpius assuevit in idem peccatum labi, si jam primum tibi confiteatur, & sincerè asserat se esse contritum, & proponere emendationem, absolvi poterit, neque necesse est ipsius absolutionem in futurum differri, donec constet securam esse consuetudinis emendationem. Nec audienda est contra hanc praxim Methodus nova paucorum, falso fundamento innixa, quod nempe sincera peccatoris conversio non soleat esse repentina; quibus refragatur frequens experientia, de qua alibi.

8. Etsi

8. Etsi talem Pœnitentem absolverit, expedit aliquando ipsi suadere, ut pro ea vice ad sacram synaxim non accedat, ut augeat in eo reverentiam erga illud Sacramentum, & horrorem sui peccati, & majorem præparationem in sequentem confessionem.

9. Valdè consultum est, ut sigillum confessionis securius servetur, de Pœnitentis vitiis, aut etiam virtutibus, nunquam apud alios mentionem facere, ne dum unum laudat, videatur alium vituperare.

Si debeat de peccato in confessione audito consilium ab alio petere, expedit tantum generatim proponere, quid agendum foret si talis casus accideret.

10. Si advertat se pœnitentem malè absolutum dimisisse, sive defectu potestatis absolvendi à certo peccato, sive quia malum consilium dedit, sive quia non obligavit ad restitutionem in præjudicium tertii, non decet illum postea monere, nisi fortè prius postulet & obtineat à pœnitente facultatem aliquid sibi de præterita confessione indicandi. De his plura superius in *tract. 3. cap. 4. de sigillo Sacramentali.*

§. 3. *Modus juvandi Rudes, & pueros.*

PRimò, Interrogando explorabit; an sciant mysteria fidei necessaria, & præcepta Decalogi, ac Ecclesiæ. Si ignorent, quantum potest doceat, vel ad alium instructorem dirigat.

2. Dum hærent quasi muti, & nulla peccata exponunt, interroget primò quæ sunt communia ex præceptis decalogi, aut de mendacio, maledictis & detractione, & aliis supra in praxi agendorum in ipsa confessione *num.* 8.

3. Doceat eos breviter quomodò debeant orare mane ac vesperi, & conscientiam examinare de cogitationibus, verbis & operibus.

4. Moneat peccata quæ occurrunt non esse reticenda ex pudore, & Confessarium non posse de illis loqui, & confessionem non profuturam si sponte peccata occultentur.

5. Conetur pueris imprimere horrorem peccati, quia nempe reddit animam turpem & deformem instar dæmonis, gratia verò reddit speciosam instar Angeli. Incutiat illis timorem Dei, instar Solis ubique præsentis, & malas cogitationes videntis, & igne æterno punientis: Sed qui è contra pios, ac probos instar parentis amat, & stola gloriæ, & dulcedine æterna in cœlesti paradiso perfundit.

6. Denique doceat eos, ubi inobedientes parentibus, aut Magistris fuerunt, veniam ab illis postulare. Quia talia remedia pueris altius inhærent.

Motiva

Diſpoſentia ad ſummam Peccati Deteſtationem, Contritionem & vitæ emendationem.

CONſidera Dei Majeſtatem, potentiam, bonitatem, ac dignitatem infinitam, per peccatum læſam, ſpretam, & contemptam. Et tamen ſummâ benignitate ad nos clamat, *Nolo mortem Peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat.* Quis Rex aut Princeps ſubditum rebellem, & læſæ Majeſtatis reum tam benignè ad veniam admitteret?

Peccatum quippe mortiferum, eſt averſio à Deo ſummo, æterno, & infinito Bono, ſimulque converſio ad Creaturam in ſe vilem, & infinitè à Deo diſtantem, adeoque peccatum ſummum eſt malorum quod homini poteſt accidere.

Peccatum eſt animæ noſtræ lethale Venenum; quod dæmon propinat quaſi in pateris aureis, ne illius malitia, & damna ex eo ſecutura nobis appareant.

Peccatum eſt horrenda Catena, & compedes, quibus anima conſtricta in barathri profundum pertrahitur.

Peccatum eſt nefaria Proditio, quam homo rebellis machinatur adverſus legitimum ſuum Regem ac Dominum; quaſi claves civitatis, id eſt, animæ ſuæ poſſeſſionem tradens dæmoni hoſti capitaliſſimo.

Peccatum eſt grave Pondus, quod nec cœlum retinere, nec terra poteſt, ſed infra terram ad abyſſum tartari cum peccatore deſcendit.

Peccatum conſtituit nos deſertores Dei, ac Salvatoris noſtri, cui datam in Baptiſmo fidem, & obedientiam per peccatum violamus.

Imo peccatum, teſte Apoſtolo, filium Dei conculcat, & Sanguinem teſtamenti pollutum ducit, & Spiritui gratiæ contumeliam facit.

Peccatum triſtiſſimo nos Exilio in perpetuum mulctandum; à patriis paradiſi ſedibus in profundiſſima inferorum relegat: amiſsâ namque Dei gratiâ, ſimul periit hæreditarium jus regni cœleſtis.

Peccatum eſt fœdiſſima animæ Lepra: nam quemadmodum morbus lepræ corporibus adimit omnem ſpeciem, robur, & vigorem; ita peccatum omni pulchritudine animam privat, & omne virtutum robur elidit.

Peccatum omnia bonorum operum Merita deſtruit ac diſſipat, quantumvis vita ſanctiſſime acta, & omni virtutum genere cumulata fuerit: Efficit quoque ut nihil eorum quæ agis in ſtatu

peccati per se conducat ad præmium vitæ æternæ : Ad hæc ; privat nos Communione bonorum operum , quæ in Commune fiunt ab Ecclesia Catholica dum in illo statu versamur.

Peccatum exterminat ab anima certo modo Sanctissimam Trinitatem , Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; in cujus locum malum Dæmonem, generis nostri hostem teterrimum admittit.

Peccatum animæ pacem intercipit, luctam cum Deo & ratione inducit, conscientiam mille modis perturbat, angores ac solicitudines continenter objicit, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur , qui sibi malè conscii meritas peccati pœnas semper ante oculos habent.

Quid plura animi & corporis damna proponam ? Peccatum si inveteratum fuerit, præcipitat animam tanta vi in miseriarum omnium pelagum, ut jam tradatur in reprobum sensum , qui cumulus est omnium malorum.

Peccatum sæpe corpora sana, & robusta dejicit, ut tarda fiant, segnia, deformia, & inepta honestis exercitationibus, ut vitam trahant brutis similimam.

Peccatum potentissimos quosque magnitudine & honoribus sæpiùs exuit ; æquissimum quippe est , ut qui divinis honoribus tantum derogarunt, ipsi quoque vicissim jacturam similem faciant ; quod Saulis, & tot Regum exemplis Scriptura confirmat.

Peccatum aufert lætitiam cordis, quæ est vita hominis, inquit Sapiens : inserit autem angores , ac tristitiam, quæ exsiccat ossa, itaque vitam insuavem, ac mortis instar facit.

Peccatum sæpè justo Dei judicio mortem accelerat, & in visceribus nostris, nobis insciis, colligit tabem ac perniciem. Ex quo factum est , ut plures , malefactis ad extremum id exigentibus, morte repentinâ sint extincti , atque ultricibus inferorum flammis addicti.

Tanta sunt peccati damna , & tanta malitia contra divinam bonitatem, ut justissimum sit illud dictum S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis : *Si hinc peccati horrorem sine pœna, & inde Inferni dolorem sine culpa, mihi propositum cernerem , necessitas autem imponeretur alterutrum deligendi : mallem*, inquit, *purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus Cœlorum regna tenere , lib. de beatitudine. c.* 190. Idem constat de S. Edmundo Archiepiscopo itidem Cantuariensi , cujus ea vox erat, Mallem insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum ullum sciens admittere in Deum meum. S. Ludovicus Rex Gallorum , ab ineunte ætate hoc sibi meritò semper persuasum habebat, Potius mori, quam peccare.

Cum

Cum peccatum ſit tot rationibus ſupra quam dici, aut credi
poſſit, deteſtandum, ac reformidandum, extremæ ſanè dementiæ
eſt, vel momento temporis, in ſtatutam periculoſo permanere,
hoc eſt, in ſeparatione à Deo, in faucibus Dæmonis, in portis In-
ferni; in mediis malorum immenſorum agminibus, inter mille
diſcrimina damnationis æternæ.

Hinc ulterius patet, quam ingens ſit utilitas Confeſſionis, &
ſeriæ Pœnitentiæ. Primò, Quia hæc adfert Remisſionem omni-
um peccatorum, etiam gravisſimorum. Secundò, Aufert rea-
tum & debitum pœnarum æternarum, & ſæpe pœnarum tempo-
ralium, quas Deus peccatoribus in hac vita infligit. Tertiò, Cau-
ſat Reviviſcentiam omnium bonorum operum, & meritorum,
quæ prius in ſtatu gratiæ facta, per ſecutum peccatum mortale ſi-
ne pœnitentia in perpetuum extincta fuiſſent. Quartò, Reſtituit
conſcientiæ pacem & ſerenitatem per peccata ablatam, cum ma-
gna, & ſæpe valdè ſenſibili animi conſolatione. Quintò, Con-
tra futura peccata, & tentationes, acquirit novum auxilium gratiæ
divinæ, & ſingularem Dei in cæteris protectionem. Denique
reparat omnia peccati damna ſuperius memorata, & reſtituit ſta-
tum gratiæ, quod quia ſummum eſt, & nunquam ſatis æſtima-
bile hominis bonum, illius utilitatem ac dignitatem paucis pun-
ctis exponam, ut clarius appareat, quanti momenti ſit ſtatum il-
lum per Pœnitentiam acquirere, & acquiſitum inviolabiliter re-
tinere.

Quam ingentis momenti ſit Status Gratiæ.

STatus gratiæ eſt Pignus vitæ beatæ & immortalis; quinimo
initium ac radix cœleſtis gloriæ.

Gratia illa eſt Theſaurus electorum, & fons omnium cœleſti-
um bonorum.

Gratia eſt magnæ Reginæ veſtitus deauratus, & prima ſtola
gloriæ ab ipſo Spiritu Sancto elaborata, per quam anima tam for-
moſa, tamque gratioſa ante oculos Dei ſtatuitur, ut eam in filiam
adoptet.

Gratia tantum bonum eſt, tantus honor, tanta dignitas, ut o-
mnia id genus bona hujus vitæ infinitè ſuperet: adeò ut omnis bo-
ni ac felicitatis ſeminarium cenſeri debeat.

Gratia namque arctisſimè hominem Deo devincit, adſtringit,
& unit, ut quaſi unus cum Deo efficiatur, ut loquitur Apoſtolus.

Gratia animam conſtituit Chriſti ſponſam, Patris æterni fili-
am amantisſimam; & templum auguſtisſimum Spiritus Sancti.

Gratia regni æterni participem facit, & (quod conſequens eſt,)
Oo 2 ſocium

socium contubernalem, ac fatrem dulcissimum omnium Sanctorum, & Angelorum

Gratia sanctificans liberat animam à culpis quas contraxit, eamque penitus reconciliat Deo.

Gratia Deum homini demeretur, operibusque nostris vitam æternam promerendi vim tribuit; ac demum merita omnia peccatis deperdita restituit.

Gratia effrenes animi motus affectusque cohibet, & concupiscentias tyrannidum moderatur ac mitigat.

Gratia erigit animum ut cuncta caduca despiciat, neque extollatur fortuitis, neque frangatur adversis, & ut illi vera sit voluptas, mundi voluptates contemnere.

Gratia virtutes omnes ac dona Spiritus Sancti menti inserit, & inserta custodit; humilitatem nimirùm, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, castitatem aliosque habitus bonos, tanquam pretiosissimum animi thesaurum tueri solet.

Denique, quod caput est, gratia Deum ipsum in homine hospitio recipit, ac conservat, quam suâ præsentiâ consolatur, quam defendit, quam gubernat, quam dirigit ad cœlestem patriam, in qua cum dilecto Sponso pascitur, in qua triumphat, in qua beatè conquiescit per omnem æternitatem.

Remedia & documenta contra singula peccata in particulari.

Remedia contra vitium Superbiæ.

Habeat Confessarius in promptu pro singulis vitiis brevem & acutam sententiam, quæ instar spiculi memoriæ Pœnitentis inhæreat.

2. Ostendat quomodo Superbia reddat quemvis odibilem Deo, & simul hominibus: humilitas verò faciat omnibus amabilem: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Jacobi 4.

3. Homo superbus, qui alios contemnit, aut qui quærit ubique suam laudem, privat se merito bonorum operum, & Deus immittit illi miserias quibus humiliatur, ipso Christo id attestante Matthæi 23. *Qui se exaltat humiliabitur*, & è contra, *qui se humiliat exaltabitur*.

4. Exempla humilitatis in Sanctis, & in Christo, qui dixit Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*.

5. Pro Remedio superbiæ suadeat pœnitenti, libenter & frequenter

quenter agere cum pauperioribus, invisere hospitalia, aut alios infirmos, privatim osculari terram, cogitando se terram esse, & in pulverem brevi reversurum.

6. Fugiat adulatores: suas laudes non commemoret, nec ostendat se libenter eas audire, sed dicat cum Regio propheta Psalmo 113. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Exempla vindictæ divinæ in superbos vide infra in Apparatu, V. *Superbia.*

§. 4. *Documenta & remedia contra Avaritiam.*

INculcet pœnitenti dictum Apostoli 1. ad Timot. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ex illa oriuntur istæ lites, rixæ, odia, quæ animum assiduò turbant, & à Deo avertunt, nisi illa cupiditas tandem eradicetur.

2. Consideret vitæ brevitatem: Pro brevi via non est opus magno viatico.

3. Tempus esse ut incipiat thesaurum suum præmittere in cœlum, ubi sperat in æternum habitare, monente Christo Matthæi 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, quo fur non appropiat.*

4. Præmium eorum qui commutant avaritiam in spiritum veræ paupertatis, & contemptum divitiarum: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

5. Ut abjectâ cupiditate nimiâ, confidat divino promisso, Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

6. Expedit vitio avaritiæ laborantibus pro pœnitentia injungere primò, parvas eleemosynas, postea majores, donec usu elargiendi incipiat convelli radix tenacissima cupiditatis & avaritiæ. Hac avulsâ animus ad bonorum æternorum cupiditatem alliciendus, nam facile nobis *sordet terra, dum cœlum aspicimus.*

§. 5. *Remedia præscribenda contra peccata Luxuriæ.*

MOneat pœnitentem luxuriæ deditum, ut sæpe expendat hanc sententiam: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.* Et seriò conferat turpitudinem, pudorem, & tristitiam, quæ consequuntur actum luxuriosum etiam in hac vita, &

ta, & multo magis in futura, cum brevissima sensus titillatione, quæ statim evanescit instar fulguris, nihil homini relinquens, nisi necessitatem vel seriò pænitendi, vel in æternum ardendi.

2. Injungat ut frequenter & devotè postulet à Deo donum continentiæ: nam ut dicitur Sapientiæ 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit*. Promittit autem Christus Matth. 17. *Patrem cœlestem daturum Spiritum bonum petentibus se.*

3. Adjungat orationi aliquas corporis afflictationes, jejunia, aut vigilias. Quia, *hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejunium*. Lucæ 11.

4. Valet etiam plurimum frequens usus confessionis, & eucharistiæ, qui possit in partem pœnitentiæ imponi.

5. Doceat vitare occasiones luxuriæ, ut est fuga personarum quas sentit sibi periculosas: item lascivos aspectus, verba, libros, & sociorum sermones impuros. Nam præcipuum luxuriæ remedium in fuga consistit, monente Apostolo 1. ad Cor. 6. *Fugite fornicationem.*

6. Caveat à gula, & otio, honesto semper exercitio animum occupando, *Multam enim malitiam docuit otiositas*. Eccl. 33.

7. Proponat denique præmium castis in cœlo paratum Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et oblectationem quam etiam in hac vita possunt habere in casta & pura conscientia, quæ est *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*, teste Apostolo ad Philip. 4.

Remedia contra Odium, Invidiam, & Iram.

Consideret necessitatem tandem deponendi odium erga proximum. Quia apertè pronunciat Christus Matth. 6. Deum non dimittere peccata, *nisi dimittenti ex corde proximo suo.*

2. Vindictam injuriæ Deo relinquendam, qui suo tempore illam infliget. *Mihi vindictam, & ego retribuam*. Deut. 32.

3. Cogitet quoties Deus ipsis sua delicta remiserit: nonne decet in illius gratiam fratri suo ignoscere? *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, nonne decebat & te misereri conservi tui?*

4. Proponat exemplum Christi, qui in Cruce oravit pro iniquissimis crucifixoribus, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

5. Advertat *Invidiam* ipsi homini invido maximè nocere, dum de alieno bono dolet & tristatur, Proverb. 14. *Putredo ossium*

invidia. Est instar vermis ac tineæ, quæ invidum intus rodit & consumit, & absque alia utilitate.

6. Remedia denique odii, uti & *Iracundiæ* hæc sunt. Silere quamdiu te ira commotum sentis, nec respondere, nisi quando potes vultum & verba ad benignitatem componere: Quia, *Responsio mollis frangit iram.* Proverb. 15.

Cavere occasiones altercandi, non facile aliis contradicere. Injungere sibi pro mulcta, ut quoties alium per iram offendit, per aliquam eleemosynam, vel ab offenso ante vesperam veniam petat. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* ad Ephes. 4.

Remedia Acedia & Tepiditatis.

HÆc acedia consistit in quodam animi tædio, per quod omittuntur opera pietatis, aut certè non nisi imperfectè cum animi tristitia ac tepore peraguntur.

1. Consideret talis vivâ fide, nihil se habiturum in altera vita, nisi quod in hac vita pro Deo operatus fuerit; *Ecce homo, & opera ejus.*

2. Reflectat quo modo homines pro modico hujus vitæ lucro, honore, aut voluptate, nulli labori parcant; *Et illi quidem ut corruptibilem coronam obtineant, nos autem incorruptam.*

3. Expendat quantos labores ac pœnas subierint Martyres ac Confessores pro Dei gloria, & vita æterna, quæ ipsi non est minus necessaria. Videat continuam pœnitentiam, & patientiam, quam pro sua salute ultro subeunt tot viri Religiosi, ac devoti, etiam imbecillioris sexus, & ætatis Vel si sit Religiosus, conjiciat oculos in alios fervidiores, & suos confratres, qui magno zelo & labore in arduis missionibus ac periculis versantur. Et dicat sibi cum S. Augustino, *Non potes quod illi, & illi?*

4. Postquam hæc seriò expenderit, prosternat se coram Deo in oratione, & ostendat illi suam miseriam, humiliter rogando, ut hanc tepiditatem ac spiritualem tristitiam à se depellat: juxta consilium Apostoli Jocobi cap. 5. *Tristatur aliquis vestrûm, oret.*

6. Proderit etiam contra acediam, opera pia subinde variare, ut modo oret, modo legat, modo visitet Ven. Sacramentum, hæc enim varietas plurimum juvat, ut superetur tædium, & incipiat animus pietatis exercitiis magis delectari. Moneat etiam ut ad sonum horologii cogitet, *Tempus suum esse brdve*, & se temporis rationem Deo redditurum.

Praxis integra reconciliandi Hæreticos tradita eſt ſupra *part.* 3. *tract.* 5. *cap.* 9 *pag.* 421.

Praxis etiam Aſſiſtendi ægris ac moribundis, eosque per omnia ritè diſponendi, habetur in fine apparatus ſequentis. Uti & Diarium Meditationum pro ipſo Sacerdote ad Functiones ſacras debita cum cura & pietate exercendas. Quid enim prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Soli igitur Deo honor & gloria.

F I N I S.



INDEX

INDEX RERUM

Hujus Operis, Ordine alphabetico per Paginas notatus.

A.

Absolutio *Sacramentalis, & peccatorum confessio à Christo instituta ostenditur, Pagina* 137
Ad absolvendum quæ jurisdictio, quæ approbatio requisita, pag. 372. 376. & *seq.*
Absolutionis impedimenta per Reservationem, Censuram &c. 378
Absolutionis dilatio non recta. 265
Absolutio Consuetudinarii, an, & quomodo differenda. 266. 328. *&c.*
Absolvendi variæ Facultates in Missionibus, & extra Missiones, 388. *&c.*
Absolutionis forma integra exprimitur, etiam à Censuris. 424
Absolvendi & reconciliandi Hæreticos praxis, & professio fidei. 421. & *seq.*
De Abstinentia *à cibis vetitis inter hæreticos resolutiones variæ.* 552
Advocatus *& Iudex quid possit in opinione probabili.* 294
Æquivocatio *in fide.* 541
Affinitas, *vide Matrimonium.*
Anabaptistarum *ac Mennistarum errores. pag.* 181. *Ex Anabaptistis quænam Sectæ pullularunt.* 165
Analysis *Fidei deducitur.* 15
Andreæ *Sall apostatæ fatua Conclusio, & status animæ miserandus.* 177
P. Antonii Terilli *Opus solidissimum nimis inique tractat Iacobus à S. Dominico.* 566
Antonii Egani *apostatæ Imposturæ contra Missionarios Apostolicos refutatæ.* 174
Apostatis *non fidendum, nec Sectariis ad quos confugiunt.* 176

Apostatæ status infelix graphicè descriptus. 177
Approbatio *Confessarii, qualis requiratur, pag 376. Ejus formula.* 377. *Quid si Approbatio negetur Sacerdoti Regulari manifestè idoneo.* 332. *Quid de approbato in una diœcesi, quoad alias in quibus non est approbatus. ibid. An ab Ordinario absolutè approbatus, possit à successore revocari ad novum examen, aut opprobatio suspendi.* 360
Articulo fidei *dividentes in Essentiales & Accidentales erroris convincuntur.* 23. *Nec in Essentialibus ipsi conveniunt.* 26
Astutia *& artes variæ Novatorum.* 154
Attentio *interna an necessaria ut satisfiat præcepto de Horis canonicis.* 317. *V. Horæ Canonicæ.*
Attributa divina, *& veracitas in revelando demonstrantur.* 15 *& seqq.*
De Attritione *concepta ex metu Gehennæ, status controversiæ, & Scriptores utriusque partis* 336. *An possit excludere voluntatem peccandi, & esse actus bonus &c.* 338. *An actus omnis bonus debeat esse ex motivo charitatis. ibid. &c. An tutius sit in hoc affirmativam docere.* 343
Ostenditur Attritionem prædictam sine Amore Dei sufficere in Sacramento Pœnitentiæ. 344. *Qui id docent male dicuntur inimici Charitatis.* 350
Avaritiæ *remedia.* 581

B.

BAjanæ *Propositiones, earumque censura in Diplomate Vrbani VIII. Pii V. &c.* 269 *& seq.*
Baptismi *materia, forma, unitas.* 434. *Quid de aqua alio corpore permixta, accidentaliter transmutata. &c. ibid. &* 435
Aquæ quantitas requisita. 435
An hæretici nunc conversi debeant sub conditione rebaptizari: & de baptismo occulto prolis Anabaptistæ. 436
D*ispositio adulti suscipientis baptismum.* 436
Quis & qualis Minister Baptismi. 437. *An rebaptizandus infans quem obstetrix dixit se in necessitate baptizasse.* 434
An possit infans ante partum baptizari. 439
Ad Patrini munus in Baptismo quæ requirantur. ibid.
An Catholicus possit admittere Patrinum hæreticum. 440
An infans à Catholico possit tradi baptizandus Ministro hæreco, aut nomen ejus libro inscribendum, & casus alii. 564

Belli *justitia si probabilis, si dubia an liceat militare.* 569
Beneficiati *quando obligentur ad Horas.* 457
Beneficium à Patrono haretico. 544
Blaſphemia *quid ſit, quomodo committatur.* 492. *qua ejus pœna.* ibid.
Bona *ab hareticis inique poſſeſſa quomodo emi poſſint.* 543
Bulla *integra Innocentii X. Alexandri VII. contra Ianſenium.* 278.
Item Bulla contra Bajum. 269

C.

CAlumniæ *Novatorum de cultu Imaginum, Cruce, Ioanna Papiſſa, &c.* 169. &c.
Canonicatus. *V. Beneficium. Catholicus. V. hareticus.*
De Charitate *varia propoſitiones proſcripta referuntur.* 256
Caſus *Reſervati Epiſcopis.* 381. *Pontifici.* 382. &c.
Caſtrenſis *Miſſionis caſus varii.* 567
Cenſura *à quo poſſit ferri, & quo modo.* 380. *Cenſurata propoſitiones. V. Bulla.* 270. *Abſolutio à cenſuris.* 387
De Cibis *prohibitis, inter hareticos caſus varii.* 552
Communio. *V. Euchariſtia.*
Concilia *Generalia & particularia eorumque notitia.* 97
Pertinentia ad Concilium Provinciale, & Diœceſanum. 100
Series omnium Conciliorum generalium, & geſta pracipua. 101
Concilia generalia Legitima. 101
Illegitima. 106. *Partim probata, partim improbata.* 107. & *ſpeciatim de Conc. Baſileenſi.* 109
Concilium generale an ſit ſupra Pontificem. 69
An definitiones Pontificia ſine aſſenſu Conc. Generalis ſint infallibiles. 72
Concioni *an teneantur Parochiani intereſſe in Eccleſia Parochiali Dominicis ac Feſtis.* 350. *Item Miſſa.* 354
Confesſioniſtæ *heretici qui, & quales.* 166
Confesſio Sacramentalis *contra Sectarios.* 137
Confeſſioni paſchali an ſatisfiat apud Regulares. 357
Confeſſionis praceptum. 395. *Confeſſionis annua tempus.* 396 (386)
Quomodo hareticus converſus horum omiſſionem exponet. 397
Integritas Confeſſionis qualis, & quando requiratur. ibid.
Ad quid poſtea teneatur qui confeſſus eſt mortalia tantum confuſè & genericè. 398. *Quomodo ſpecies & circumſtantia, quomodo numerus ex pracepto exponendus.* 400. 401

Quomodo actus merè interni. 401 (381) *An & quomodo exponi debeant peccata dubia positivè,* 402. *dubia negativè an necessario exponenda.* 334
Quid de eo qui jam communicaturus recordatur peccati mortalis per oblivionem inculpabilem in confessione omissi. 336
Confessio *absentis, vel incarcerati per litteras.* 403. *Quid de Confessione præsentis in scripto tradita, ob magnam verecundiam eam voce exprimendi* : *ibid. Rudes ac pueros juvandi modus in confessione.* 576
Confessio quibus modis fiat invalida, quomodo iteranda, quando absolutio differenda. 404
De Sigillo Confessionis, quomodo, & quando obliget, 407. *&c.*
In Confessione pœnitentia qualis imponenda. V. Satisfactio. 411
Confessarii & pœnitentis directiones practicæ. 572
De Christo, *ejusq; natura persona, unione &c. variorum errores.* 258. *De his doctrina Catholica.* 258
Confirmatio *verum est Sacramentum,* 149. *Ejus materia, forma, effectus, subjectum capax.* 440. *Quis ejus minister* 441. *An aliquando Abbas. ibid. Quæ Confirmationis cæremoniæ. ibid. Quanta obligatio Episcoporum eam conferendi.* 442
Conscientia *dubia, probabilis &c.* 285. *& seq.*
Constitutio *Pontificia. V. Bulla.* 278
Consuetudo *peccandi* ; *& consuetudinarii an absolvendi.* 266 328. *&* 330.
Contractus *quid, & quomodo sit validus aut licitus.* 516
Contractus Donationis, Promissionis, Mutui, &c. 511. 558. *&c.*
Controversiæ *particulares modernæ, & Ianseniana.* 111. *Methodus facilis in iis decidendis.* *ibid.*

D.

Decalogi *præcepta. V. Præceptum.*
Delectatio. *v. Luxuria.* 511. 513
Depositum, *depositarius.* 518
Desiderare, *aut precari à Deo alterius mortem, aut morbum an unquam licitum.* 318
Detractio. 536. *quando detractor à restitutione excusetur.* 538
Dilemmata *decem Sectario insolubilia.* 65.
Discordiæ *Sectarum modernarum.* 164
Dispensatio. *V. Facultas*
Disputatio *cum Hæreticis ut licita.* 555

Divinatio *V. Superstitio.* 489
Dolor *V. Attritio.*
Donatio *quomodo valida.* 517
Dubium *circa legem.* 286. *Circa debitum, solutionem, &c.* 287
Dubium à probabili quomodo distinguendum. 291
Peccata negativè dubia an necessariò in confess. exponenda. 334
Duellum, *quomodo interdictum.* 501
Dux militum, *lustratio cum fictis nominibus, pabulatio, &c.* 570 *& seq.*

E.

EBrietatem *in alio procurare an licitum, ad evitandum malum aliquod maximum.* 326
Ecclesia *vera sola est Romana.* 32
Sola ostendit doctrinam & potestatem à Christo derivatam ib.
Sola habet antiquitatem. 34. *Et omnium Gentium consensum.* 37. *Et gloriam Miraculorum.* 40. *Et Regulam fidei infallibilem.* 44. *Et lucidem Controversiarum.* 53
Si Ecclesia Romana non sit vera nulla est in mundo. 38. *Pereunt in æternum omnes ante Lutherum per* 12. *sæcula.* 39
Eleemosyna *in qua necessitate obliget.* 320. *&c.*
Emptio, *venditio quando licita, aut illicita.* 521. *&c. Quando Simoniaca.* 523
Episcoporum *Casus reservati.* 381. *Aliquorum in Missionibus facultates peculiares.* 388
Errores *vulgi à vera Ecclesia retrahentes refelluntur.* 152. *&c.*
Genius fallax Novatorum. 154
Errores particulares novarum Sectarum. 179
Eucharistia, *& realis Christi præsentia defenditur.* 127
Impanatio Lutherana refutatur. 132
In Consecratione quid statuatur vi verborum: quomodo Christus totus in toto: quomodo accidentia sine subjecto maneant, desinant. 442
Materia & forma Eucharistiæ, & intentio Sacerdotis. 443. *&c.*
Minister Eucharistiæ quis ordinarius, quis in Missionibus. 444
Quomodo administranda. ibid. *&c.*
An Reus habeat asylum si confugiat ad portantem Eucharistiam publicè, vel etiam privatim. 446
Dispositio requisita in suscipiente Eucharistiam, quoad animam. 446
Quoad Corpus, & jejunium. 447
An laicus in periculo Hostiæ ab hæreticis rapiendæ, possit eam

non jejunus sumere, aut cum ea aufugere, aut in periculo mortis sibi ministrare. 448. in fine Sacrificium Missæ. 450
Præceptum sumendi Eucharistiam quando detur. 449. Modus ad viaticum ritè disponendi, vide in fine operis.
Excommunicationes Pontifici reservatæ in Bulla Cœnæ, & alibi referuntur. 382. &c.
Extrema unctio. Vide Vnctio. 462. &c.

F.

FAcultates Missionum, pro Episcopis. 388. Pro Vicariis, & Superioribus Regularium, & aliis Missionariis. 390. &c.
Facultates Ordinariæ aliquorum Regularium explicatæ. 341 item, extraordinariæ. ibid.
Festorum observatio, etiam inter Hæreticos quæstiones variæ. 501
Fides sola non justificat sine bonis operibus. 113. &c.
De Fide. Spe, Charitate variorum errores, & propositiones censuratæ. 256
An homo in fide dubius pro hæretico habendus. 539
Professio fidei externa quando requiratur. 540. Interrogato de fide silentium quando licitum. 541. Quando restrictio, aut æquivocatio. 541
Qui Fidem exterius tantum ex metu negavit, an possit à quovis Confessario absolvi. 550
Filiorum obligatio varia erga parentes, etiam hæreticos. 506. 507
Furtum quid, quomodo, & quando committatur. 514
Per Furta modica summa notabilis quomodo obliget ad restitutionem. 323
Furtum in necessitate non extrema, an licitum. 324

G.

GRatia, & Liberum arbitrium: de his controversiæ recentiores. 116
Quomodo per Iansenium exortæ. ibid. Illius de Gratia &c. quinque Propositiones refutantur. 117. & seq.
Gratia Actualis quid sit, & quotuplex, 222. De ea errores Pelagii. ibid.
Possibilis est status puræ naturæ sine gratia supernaturali. 224
Gratia merè sufficiens necessario admittenda. 227
Datur gratia sufficiens omnibus, etiam obduratis, excæcatis, & facientibus quod est in se viribus naturæ, 229

Sine

Sine Gratiæ adjutorio quid possint vires Naturæ, in servanda lege naturali. 233. In superanda tentatione gravi, aut levi. 234. In exercendis Actibus moraliter bonis. 235. In eliciendo Amore Dei super omnia. 237

De Gratia Efficaci, in quo consistat. 239. De ea Variorum, & Modernorum sententiæ discutiuntur. 239. &c. nostra explicatur. 244

De Gratia Habituali, 246. Distinguitur ab omni actu justi. ibid. Non tamen ab habitu Charitatis. 447. Stare nequit cum peccato mortali, etiam absolutè ibid.

Gratiæ status quanti momenti. 579

Græcorum Schisma, origo, & errores, qui & refelluntur. 186. Falso jactant Calviniani & Lutherani suam Ecclesiam à Græcis approbari. 188

H.

HÆres ad quæ teneatur &c. Testamentum.

Homicidium, mutilatio. 509

Hæreticos Ecclesiæ reconciliandi praxis, & forma integra. 421

Hæreticorum Modernorum in singulis Sectis dogmata particularia proponuntur. 179

Ab Hæreticis Lutheranis &c. varia Scripturæ loca fraudulenter depravata adferuntur. 163

Eorum Antilogiæ sive contradictiones. 160. 163. Sectarum modernarum inter se confusio, & discordia. 164

Calumniæ contra Ecclesiam Romanam à modernis Hæreticis confictæ. 169

Apostatæ Egani, & Salli errores miserandi. 174

Inter Hæreticos usus carnium ut Catholico licitus. 541. fin.

Hæreticorum Templa, Conciones, Preces frequentare an & quando licitum. 542. Item, officium æditui, aut organistæ in templis hæreticorum. 543

Bona ab Hæreticis injustè possessa quomodo possint emi. 543

Ab Hæretico Patrono an possit accipi Beneficium Ecclesiasticum, & an pretium illi dari. 544

Quid agendum Catholico qui bona Ecclesiastica ab hæreticis emit, aut hæreditate accepit. 551

Hæreticorum Libri quomodo possint legi, retineri, imprimi, vendi, &c. 545. De illis Casus novem singulares resolvuntur. 546. & seq.

Quid de Hæretico occulto, qui à nullo, potestatem habente, absolutionem obtinere potest. 551

Cum Hæreticis communicatio casus varii. 553
Cum Hæreticis fidelitas in pactis ut servanda. 555
Cum Hæreticis disputatio an licita, & ejus norma. ibid.
De educatione liberorum partim in hæresi, partim in Religione Catholica an pactum possit esse licitum. 537
Styli veteris usus inter hæreticos qualiter licitus. 558
Sponsalia & matrimonium Catholici cum Hæreticis, Parochi assistentia, Proclamationes, Benedictiones nuptiales, resolutiones variæ deducuntur à pagina 559
Hæreticorum pœnæ quas per leges incurrunt. 565
Horæ canonicæ *an requirant attentionem internam.* 317
Ad horas qui, & quantum teneantur. 455
Quomodo ab iis excuset infirmitas, carentia Breviarii, periculum ab hæreticis, occupatio, dispensatio. 456
Quid de commutatione officii, interruptione, tempore, pronunciatione externa, distractione, evagatione. 456.457
Quomodo, & quantum ad Horas teneantur Beneficiarii: & qua via possit illis condonari fructuum restitutio. 457.

I.

JAnsenii *doctrina, & ejus origo.* 116. *Illius quinque Propositiones de Gratia, libertate, &c. exponuntur & refelluntur.* 117. *& seq. Constitutio Innoc. X. & Alex. VII. contra eundem. V. Bulla.*
Jejunium *Ecclesiasticum, quomodo obliget, quænam excusent, &c.* 502. *&c.*
Quando obliget inter hæreticos resolutiones particulares. 552
Ignorantia *invincibilis quomodo excuset.* 282. *Ignorantia vincibilis.* 284
Imaginum *cultus defenditur.* 144
De cultu Imaginum calumniæ Sectariorum refelluntur. 169
Impedimenta *matrimonii V. Matrimonium.*
De Incarnatione *Verbi errores varii.* 258. *De eadem doctrina Catholica.* 259
Indulgentia *quid & unde proveniat.* 413. *Quomodo sint validæ: quomodo expirent: quomodo obtineantur.* 414 *Quas concedere possit Episcopus,* 415. *An cessent concessæ alicui Templo, si hoc diruto, aut ab hæreticis occupato, aliud Sacellum templi loco assumatur.* 416

Indulgentiæ variæ Missionibus propriæ. 416
Indulgentiæ pro Catechesi. 420. *in fine*
De Indulgentiis Iubilæi resolutiones variæ. 416. (396.)
Injuria. *V. Restitutio, Contractus, &c.*
Intentio. *V. Sacramentum in communi.*
Jubilæum *V. Indulgentiæ.* 416. (396.)
Juramentum *quid, & quæ ejus obligatio.* 493. *Iuramentum redeundi ad carcerem injustum.* 495. *Personæ quæ ad juramentum in judicio admittuntur.* 496
De Jure & Injuria *variorum errores.* 257
Jurisdictio *ad absolutionem Sacramentalem requisita, ordinaria, delegata, &c.* 372. *&c. Quam jurisdictionem habeant Missionarii Regulares in partibus Hæreticorum ad Baptismum, Matrimonium, &c.* 375

L.

LEx, *Vide Præceptum. Conscientia dubia, &c.*
Libertinis *modernis demonstratur necessaria in Deum Religio, ex rebus creatis, pag.* 2. *Ex propria Conscientia, & Ordine hujus Vniversi.* 4. *Ex Spiritibus incorporeis, & ex effectibus, ac prodigiis vim naturæ superantibus.* 7
Libertinos fatuis annumerandos. 8. *Et obnoxios esse pœnæ æternæ,* 9
Libertinorum argumenta, & effugia enervantur. 11
Libri *hæreticorum quomodo prohibiti;* 45. *Quomodo possint legi, vendi, retineri, resolutiones variæ particulares.* 546. *&c.*
Libelli famosi qui sint: eorum Scriptores, lectores, &c. quas pœnas incurrant, qui prodeunt sine Authoris nomine. 594
Lutheri, *& Calvini Antilogiæ manifestæ,* 160. *&c. Item in Secta Anglicana antiqua & moderna.* 163. *Refertur origo, & confusio Sectarum, quæ pullularunt ex Lutheranismo, &c.* 164
Luxuria *quid, quotuplex.* 511. *Quomodo per eam peccetur directè, indirectè, &c.* 514
An Luxuriam saltem venialem committat qui exercet copulam conjugalem solâ causâ sedandæ libidinis. 322. *an etiam solâ causâ delectationis. ibid. In re venerea non datur parvitas materiæ.* 513

M.

MAleficium *quomodo liceat tollere.* 491
Matrimonium *quid sit, quæ ejus materia, forma, Minister.* 741
Ætas ad matrimonium requisita, denunciatio, benedictio. 474 *&c.*

Conjugatorum obligationes variæ. 475. &c
An matrimonium contractum coram Sacerdote, possit rursus contrahi coram Ministro hæretico. 476
De copula Conjugali ob solam libidinem. 322
In die Nuptiarum an differenda absolutio sponsi consuetudinarii tunc confitentis 328
De variis Impedimentis matrimonii, resolutiones. 476. &c.
Matrimonium invalidè contractum quomodo possit revalidari. 481
De matrimoniis quæ in partibus Hæreticorum sine Parocho aut Testibus contrahuntur, resolutiones 481. &c.
Quæ forma dispensationes pro Matrimonio ex Romana Pœnitentiaria, &c. peti & concedi solent. 484. &c.
De matrimonio Catholicorum cum Hæreticis resolutiones variæ. 559
Medicorum *obligatio.* 294
Merita *bonorum operum contra Calvinum, &c.* 113. 114
Meritum quid, & quotuplex. 248. *Quid requiritur ad meritum de condigno, & ad meritum de congruo.* 250. *Sola opera justorum merentur de condigno gloriam, & gratiæ habitualis augmentum.* 251
Actus ut sit meritorius non debet esse à sola charitate elicitus, aut imperatus. 249. *Patet idem in timore gehennæ, qui sine amore & charitate est honestus & supernaturalis.* 341 &c.
De meritis bonorum operum variæ propositiones censuratæ proponuntur. 252. &c.
Metus *quis excuset violationem præcepti.* 289
Metus gehennæ. V. Attritio.
Miles *quando militare possit.* 568. *Militum stipendia, lustratio, pabulatio, &c.* ibid & seq.
Minister *Sacramenti V. Sacramentum.*
Missam *an teneantur Parochiani audire Festis ac Dominicis in Ecclesia Parochiali* 354. *item concionem.* 350
De Missæ Sacrificio contra Sectarios. 134
Quando teneatur Sacerdos Missam celebrare. 450. *An, quando id liceat bis, aut sæpius eodem die, etiam feriato.* ibid *An aperto capite, an sine ministro aut cingulo non benedicto, &c.* 451 *Quo tempore liceat celebrare pro dando viatico, aut ex privilegio.* 452 *An liceat dare Laico particulam hostiæ majoris, aut ablutionem ex Calice.* 452
Quid si araneus incidat in calicem consecratum. 453
Quid si adsit Hæreticus. ibid.

FACULTAS.

R. P. Provincialis, Societatis JESV, per Provinciam Rheni Inferioris.

CUm ex Mandato Sac. Cæſ. Majeſt. omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunq; librariam negotiationem exercentibus, ſeriò firmiterque inhibeatur, nè quisquam libros ullos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut impoſterum edendos, intra S. Imperii Regnorum & Dominiorum Suæ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili aliove Charactere aut formâ, ſive in toto, ſive in parte excudere, recudere, vel aliò excudendos, vel recudendos mittere, vendere, diſtrahere, clam ſeu palam, citra ſupradictorum Patrum conſenſum, ac Teſtimonium audeat, vel præſumat;

Ego Winandus Weidenfeldt Societatis JEſu per Provinciam Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, concedo Hæredibus Joannis Weidenfeldt, quondam Civis & Bibliopolæ Colonienſis facultatem excudendi librum, cui titulus: *Theologia Tripartita R. P. Richardi Archdekin, Societ. JESV.*

In quorum fidem hoc eis teſtimonium manu propriâ ſubſcriptum & conſueto officii Sigillo munitum dari volui, Coloniæ 16 ;9. die 31. Julij.

WINANDUS WEIDENFELDT.

(LS.)

AMICE LECTOR.

Cum forsan in meliorem tuam, aliorumque Directionem sexaginta quinq; damnatas ab INNOCENTIO XI. propositiones desideres, libuit easdem tibi in hac Theologia annectere.

FERIA 5. DIE 2. MARTII 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandi, noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas; sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, qua licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de Parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas. (dum se.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secun-

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cùm notitia solùm probabili revelationis; imò cùm formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Ei-

Missæ Stipendium quale, quantum, quoties &c. liceat accipere. An magis prosit Missa Sacerdotis magis devoti. 453. & 454
Miracula, *nota veræ Ecclesiæ.* 40. *Miracula à Luthero, & Calvino ficta* 43
Mutilatio, *quid pro ea restituendum.* 510
Mutuum, & *Mutuatarius.* 718. &c.

N.

NAturæ *puræ status est possibilis.* 224
De Naturæ viribus sine adjutorio gratiæ. 233. *Quid possint solius Naturæ vires in servanda lege naturæ, in tentatione gravi, levi.* 233. &c.
Circa actus moraliter bonos, & amorem Dei super omnia. 235 236.
In Navali *prælio an licitum militibus incenso pulvere in mare desilire.* 319
Navalis Missionis casus varii. 571
Necessitas *qualis obliget ex superfluis proximo subvenire.* 320
An satisfiat tunc præbendo mutuum. 321
Notæ *veræ Ecclesiæ.* 32. & seq.
Notæ manifestæ falsæ Ecclesiæ in Sectis modernis. 157
Novarum *Sectarum dogmata particularia proponuntur.* 179
Novatorum *fallax Genius detegitur.* 154
Nuptiæ. *V. Matrimonium, Nuptiæ Catholicorum cum Hæreticis* 481. 558.

O.

OBedientia *debita filiorum erga parentes.* 506. &c.
Observantia *vana ex verbis, astris & signis variis* 489. &c.
Opera *bona ad salutem utilia, & necessaria contra Sectarios.* 113
Opinio *probabilis, & quomodo liceat eam sequi.* 291. 292. *quomodo à dubio distinguitur ibid. Opinio minus probabilis quomodo sequenda.* 292. *Quid possit in probabili Iudex, Advocatus, Medicus &c* 294. *Regulæ pro ejus delectu* 296. *Quomodo opinio probabilis fieri possit improbabilis.* 297. *Sententiæ ab Alexandro VII. improbatæ anno 1665. &c.* 98
Contra impugnatores probabilitatis sententia communis defenditur. 302. &c.
Unius Authoris assertio an possit sufficere ad probabilitatem. 309
Qui & quales impugnatores probabilitatis. 312
De probabilitate variarum Opinionum quæ referuntur in particulari. 314
Ordinis *Sacramentum in Ecclesia necessarium evincitur.* 151. *De-*

fectu Ordinis quantum laboret Ecclesia Anglicana pro suis Episcopis, &c. 152
Ordines septem numerantur, 4. minores, 3. majores. 464
Quæ sit Ordinis materia, & forma. 465 *&c. Quid de Ordine dubiè collato.* ibid.
Vt Ordo ritè, & licitè conferatur, quænã requiruntur. 466. *&c.*
An aliquis ordinari possit solo titulo deputationis ad certam Missionem. 467. *Quomodo pro missionibus dispensari possit in tempore, ætate, interstitiis.* 390 *facult.* 26. 27.
Singulorum Ordinum scientia, ritus, officia, privilegia exprimuntur. 467. *&c.*
An possit Episcopus consecrari sine trium Episcoporum assistentia, saltem ex Pontificis dispensatione. 469
Quid si contingeret id ignoranter fieri sine dispensatione. ibid.
Oscula *inter conjugatos, sponsos, aut ex urbanitate.* 512. *& seq.*

P.

PApa, *vide Pontifex.*
Patentum *obligatio erga liberos.* 508
Parochiani *quoad frequentationem Ecclesiæ parochialis.* 310
Pastorale *munus, persona, privilegia.* 365. *An possint esse duo Pastores in una Ecclesia parochiali.* ibid. *Quid de Parœcia retinenda cum Episcopatu titulari vel officio Suffraganei.* 366
An dispensare possit Episcopus ut obtineatur Ecclesia parochialis ante annum 25. *ibid. De Concursu, & Examine ad Parochi munus.* ibid.
De Professione fidei requisita. ibid. De Residentia quando Parœcia est tenuis, aut habet duas Ecclesias unitas, 367. *Quæ causæ à residendo excusent.* 268. *Privilegia & potestas Parochi circa Dispensationem in Festis, & aliæ ejus prærogativæ.* 369. 370
Patruini *in Baptismo persona, & munus.* 439
Pœnæ *hæreticorum. V. Hæreticus.*
Peccatum *quid, & quotuplex.* 488
Peccati status quam horrendus ex variis motivis. 577
Pro peccatis singulis Remedia. 580
De Peccato actuali, & originali propositiones damnatæ, & censuratæ. 254
De peccato originali doctrina Catholica. 255
Pollutio *sive mollities.* 511. 512
Ad Pœnitentiam *disponendi praxis deducitur.* 577
Pœnitentia quid sit, & quotuplex. 458. *Quomodo dolor ex motivo charitatis justificet extra Sacramentum.* ibid.
Quo-

Quomodo, & quæ Attritio sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ. 459. & 336.

Potest aliquando sufficiens dolor & dispositio ad absolutionem reperiri in Relapsis, & Consuetudinariis. 460. *Solvuntur argumenta quædam Recentiorum.* 461

Pœnæ *variæ Hæreticorum, & quomodo intelligendæ.* 565

Pontificis *infallibilitas demonstratur contra Sectarios.* 56

De Pontificis authoritate controversiæ Recentiores. 69. *An supra Concilium generale. ibid. Ejus definitiones sine Concilio infallibiles.* 72

Quomodo Pontifex sit expers erroris in Quæstionibus Facti. 76

In declarando sensu Scripturæ, aut doctrina libri Catholici. 78

In sensu hæretico Libri quem damnat & mente Authoris. 80 81. &c. *In materia morum.* 84. *In Canonizatione Sanctorum. ibid. in Beatificatione.* 87

Pontificis Romani aliæ Prærogativæ. 88

Quot Pontifices hactenus fuerint. 89. *Quinam ex illis fuerint Sancti: Religiosi: variarum Nationum, &c.* ibid.

Omnium Pontificum Romanorum ordo successionis per singula sæcula deductus. 91. *Item Scriptorum præcipuorum primitivæ Ecclesiæ, ib. Et rerum memorabiliū postremis sæculis.* 94

Præceptum *agendi omnia ex charitate non datur.* 338

Quid Præceptum, & Peccatum, & quotuplex, 487

Præceptum quid sit, & quotuplex. 487. *Violatio ejus indirecta.* 289

De Primo præcepto Decalogi, ubi de Superstitione, maleficio, &c. 489

De secundo Præcepto Blasphemia, 482. *Iuramento.* 493. *Voto.* 496

De tertio Præcepto, & Festorum observatione, & Iejunio Ecclesiastico. 499. 502.

De quarto Præcepto, & obligatione Parentum ac Liberorum. 506. & *seq.*

Quintum Præceptum, de Homicidio, Mutilatione, &c. 509

Sextum Præceptum, Non mœchaberis, quomodo contra illud peccetur. 511

Reliqua præcepta. de Furto, Rapina, &c. 514

De Prædestinatione *Sectariorum errores refelluntur.* 113

De Prædestinatione & Reprobatione ante prævisa merita & demerita, variæ in Scholis Catholicis sententiæ referuntur & refelluntur. 213

Ostenditur Prædestinationem sive Electionem ad gloriam factam

 fuisse

fuisse post prævisa merita. 215. *De hac adfertur Censura Lovaniensum, sed à Sixto V. reprobata.* 219. *Quid de ea doctrina senserit S. Salesius* 220

Prædeterminatio *physica status & historia controversiæ.* 204

Ostenditur Prædeterminationem physicam non esse necessariam. 206. *Et multo minus admittendam ad causas liberas.* 207 *Refelluntur aliorum responsa.* 208. *Vt detur ad actus peccaminosos repugnare videtur sanctitati divinæ.* 211. *Quibus modis discernatur à doctrina Iansenii de libertate.* 212

Principia *practica ad resolutiones conscientiæ.* 282

Privilegia *Regularium impugnantes quas pœnas incurrant.* 362

Promissio, *quomodo obliget.* 517

Protestantium, *Puritanorum, Independentium* Sectæ *quid doceant, quomodo dissentiant.* 179

In articulis fidei quos vocant Essentiales ipsi non conveniunt 25

Pueros *juvandi modus in confessione.* 576

Purgatorium *de fide admittendum contra Sectarios.* 139

R.

RApina, v. *furtum.* 514

Regularium *varia Privilegia & facultates.* 392. *Pœnæ impugnantium Regularium privilegia.* 362. *Quid possint in Missionibus quoad Pastoralia.* 375

Religio *vera à falsa facilè discerni potest.* 28

Non sufficit quod Secta, aut fides appareat probabilis. 30

Neglectus inquisitionis veræ Religionis est inexcusabilis. 31

Reliquiarum *veneratio defenditur.* 146. *Per Reliquias Sanctorum miracula varia in primitiva Ecclesia referuntur.* 147

Remedia *contra peccata singula in particulari.* 580

Reprobatio *ante prævisa peccata rejicitur.* 115

Reservati *casus adducuntur* 381. *& seq.*

Restitutio *quid sit.* 530. *Quomodo Cooperantes, ad eam obligantur.* *ibid.*

Restituere quid debeat Possessor aut damnificator bonæ aut malæ fidei 533. 534

Qualiter restituendum pro homicidio, stupro, adulterio, læsione famæ. 535. *& c.*

Quænam excusent à restitutione ex parte creditoris, debitoris, &c. 537.

Restrictio *mentalis quomodo licita,* 314. *Restrictio purè mentalis Authoribus Societatis falsò attribuitur.* 315. *Male dicitur Lessius magnus ejus patronus.* ibid. *Recensentur alii* pro

23. Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimilivè motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in Teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis; ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus: ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere: ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Fami-

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurriperead compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejusdem Perſonæ, & cum contractu retro venditionis prævie inito, cùm intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Uſura non eſt dum ultrà ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint ad Eccleſias promovent. Concilium, vel primò videtur per hos digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo prò poſitivo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando ſit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mol-

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pænitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore profetat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Suf-

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit; vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper directè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda, die vero 4. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii, divina Providentia Papæ XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

pro ea Authores. ibid. Calumnia de Missionariis Chinensibus in hoc genere rejicitur. 316
Reus & testis non legitimè interrogatus, an teneatur respondere ad mentem Iudicis. 316. &c.
Rudes juvandi modus in confessione. 676

S.

SAcramentarii hæretici quales & quam diversi. 165
Sacramentorum numerus septenarius probatur. 148
De Sacramentis & eorum effectu varia dogmata damnata, aut censurata. 261
Qualis debeat esse materia & forma Sacramentorũ in communi 425 Est à Christo quoad substantiam determinata. 426
Earum coëxistentia. ibid.
De Ministri, & Suscipientis intentione ad valorem Sacram, necessaria 428. Non requiritur ad valorem fides, aut probitas Ministri. 430. in fine.
Effectus varii Sacramentorum. 430. Gratiam non causant physicè, sed moraliter. 431
Sacrificium. V. Missa. 134
Sanctorum cultus & invocatio contra Sectarios. 142
Satisfactio quid, qualis. 411. Ante absolutionem male requiritur 265.
Satisfactio est pars pœnitentiæ: requirit opus aliquo modo pœnale, & liberum. 411. Qualis pœnitentia imponenda pro mortali: qualis hæretico converso 413. (393) in fine. Vide, Indulgentia ibid.
Scholasticæ Theologiæ quæstiones modernæ deducuntur. 189
Scientiæ divinæ notio & divisio varia. 183
De Scientia Media, status & origo controversiæ. 191
Scientiæ Mediæ necessitas probatur. 192
Contra Scientiam Mediam variorũ argumenta dissolvuntur. 189
Stat pro ea authoritas plurimorum. 204
Sectarii moderni non possunt in sua Secta salvari. 20
Secta Indifferentium qualis, & quam falsa ostenditur. ibid.
Sectarius obligatur ad veræ fidei seriam inquisitionem. 31
Methodus refellendi quodlibet Sectarii moderni argumentum. 58
Dilemmata varia formantur, Sectario proponenda. 65
Sectarum ex se mutuo nascentium confusio, discordia, contradictiones. 164
Sectæ modernæ docent Hæreses in primitiva Ecclesia damnatas. 35
Simoniacus quæstus de Pontifice & aliis confictus refutatur. 174
Quid de pacto conferendi temporale pro spirituali ex gratitudine,

Simonia quid, & quotuplex, quomodo, & quando committatur in rebus & functionibus sacris, & beneficiis Ecclesiasticis &c. 523. *& seq.*
Simoniacis quæ pœna constituta, & resolutiones particulares. 525. *&c.*
Scriptores *præcipui Primitivæ Ecclesiæ ordine recensentur.* 91. *&c.*
Scriptura *sola non est Regula fidei,* 41. *Non est per se clara.* 46
Nequidem prædestinatis. 47
Loca Scripturæ à Sectariis depravata 157. *Eorum calumnia. ib.*
Sigillum *confessionis ut obliget in suffragio privato, & gratuito.* 331
Spiritus *Privatus refellitur.* 48
Superstitio *quid, & quomodo committatur.* 489

T.

Testamentum *quid, quotuplex, quid requiratur ut sit validum.* 527. *Quinam possint testari* . 528
Testamenti Executor, & forma qua sit. 529. 530
An perdito Testamento, aut alio instrumento necessario, licitum sit privatim aut simile conficere. 327
Theologi *moderni de contemptu Patrum malè accusati.* 433
Traditiones *necessariò admittendæ.* 50
Tremblantium *nova Secta quid sentiat.* 181
Turcarum *Secta, & Errores.* 184. *Propagata est vi, non veritate.* 175

V.

Vagi *ubique forum sortiuntur.* 373
Venditio, *emptio.* 521. *Venditio simoniaca.* 523
Veneficium *sive maleficium quomodo tollere liceat.* 491
Venialium *frequens confessio & absolutio laudabilis.* 268
Veniale à mortali quomodo discernendum. 290
Unctio *extrema verum Sacramentum probatur.* 150
Quando institutum, quæ ejus materia & forma 461
Quibus, quando, & à quo conferendum. 461
Votum *quid sit; ejus obligatio, dispensatio: quæ vota Pontifex reservet.* 496
Cum Voto simplici castitatis cotrahens matrimonium, an peccet in prima tantum debiti petitione. 325
Usura *quid sit, quomodo committatur.* 519
Usurarii pœna. *ibid. &c.*

FINIS.

APPARATUS MATERIÆ ET FORMÆ,

PRO DOCTRINA SACRA,

IN QUAVIS DICTIONE FACILI METHODO PARANDA, ET PRO CATECHESI CUM EXEMPLIS ILLUSTRANDA.

Cum

Praxi varia aſſiſtendi ægris ac moribundis, & alias Functiones ſacras ritè obeundi.

OPERA EJUSDEM AUTHORIS R. A. S. J.

Pro Miſſionariis, & Curatoribus animarum elaborata.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumtibus Hæredem JOANNIS WEIDENFELDT,
ANNO M DC LXXXII.

Cum Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis.

APPARATUS
ET PRAXIS
FORMÆ
PRO
DOCTRINA SACRA
In Concione proponenda.

CAPUT I.

Praxis pro artificio Memoriæ, & dispositione Dictionis.

CONsultum est, si otium suppetat, præsertim pro incipientibus, totam Dictionem scripto deducere, & in tria aut plura puncta dividere : & memoriæ causâ singula puncta concludere cum aliqua sententia, quæ habeat aliquam connexionem cum initio puncti sequentis. Pro concionatore impedito, aut multum exercitato, necesse est puncta saltem summatim annotare, scribendo breviter præcipua capita & membra sui discursus; ut est sententia, exemplum, similitudo, & scopus sive fructus ad quem intendit Auditores permovere.

2. Artificium autem memoriæ consistit in Imagine quadam rei dicendæ certo loco per imaginationem constituenda, quæ dum recolitur, materiam, cum qua similitudinem habet, facile in memoriam reducit. Exempli gratiâ: Concipis Aulam aliquam, cujus omnes partes, & partium ordinem optimè notum & perspectum habes. Si prima pars tuæ dictionis agat v. g. de navigatione hujus vitæ ad portum salutis æternæ, ponis per imagnationem in primo loco istius aulæ, Anchoram è tenui filo pendulam, ut eâ cognitâ, materia tua quæ est de navigatione, memoriæ occurrat. Si secunda pars sit, v. g de militia hominis contra tentationes mundi, pro ea secundo loco statuis militem Gladium vibrantem. Si tertia pars sit, de victoria tentationum, tertio loco appendis Coronam: & sic pro reliqua materia, apponenda est Imago aut signum, quod judicas maximè idoneum ad suscitandum vivam sequentis materiæ memoriam. Et ideo utendum est Imaginibus vividis, & aliqvid agentibus, quæ possint animum tuum vivaciter ferire.

3. Alia Praxis est, In margine dictionis descriptæ, quinque aut sex locis appingere quales dixi notas, cum diversis materiæ partibus connexas; aut, quod facilius est, Vocabula diversa in margine scribere, quæ ordinem, & diversitatem materiæ significent. Possuntque ea vocabula in unam sententiam, aut versum redigi, ut, sicubi memoria fallat, sententia illa indicet quousque ventum sit, & quid sequi debeat.

CAPUT II.

Pro Voce.

Curandum ut vox accommodetur loco, ut in parvo non sit nimis alta, aut in magno nimis demissa, utrumque displicet.

2. Si vox nativa sit imbecillior, oportet rarò assurgere, aut affectui violento indulgere, sed familiari tono oratio varianda est.

3. In exordio utendum voce clara & æquabili, sed sine affectatione, aut cantillatione. In narratione magis attollitur & variatur. In confirmatione sit acrior, & incitatior, docendo, interrogando, disputando, increpando, ad varios affectus vocem inflectendo, quantum vires ac materia patietur.

4. Epilogus si instituatur ad deprecandum, vel placandum, vox sit suavis, & lenis. Ad miserandum flexanimis. Ad lætandum plena & sonora. Ad hortandum aut terrendum concitatior esse debet.

5. Ut hanc vocis varietatem discas & exerceas, optimum est consulere ipsam naturam, & observare quo tono passim utantur homines dum irascuntur, dum rogant, dum dolent, dum lætantur &c. & quæ magis placent, tuæ voci quantum fieri potest accommodare.

6. Maximâ dictionis parte consultum est uti voce mediâ, ac moderatâ, sic facilius dabitur ascensus, descensus, ac vocis mutatio, nunquam enim in eodem tono diu persistendum est; sed observanda sedulò crebra vocis mutatio, ut evitetur monotoniæ vitium ingratissimum.

7. Porrò hæc summatim observanda. Ut caveatur nimia tarditas, quæ dictionem reddit languidam: Nec minus cavenda nimia linguæ volubilitas, quæ verba truncat, & confundit ne singuli sensus debitè intelligantur. Curandum quoque diligenter ut ultimæ syllabæ exprimantur, quæ à multis absorbentur, aut indecorè conglobantur.

8. Denique ad evitandam confusionem, singulos sensus dicendo

cendo interpungat, & in fine periodi ſemper modicè reſpiret, & ſpiritum colligat, ac vocem mutet: quod plurimum & dicentem reficiet, & audientem afficiet.

CAPUT III.

Pro Geſtu.

GEſtus, vox quædam eſt totius corporis, ideoque pro geſtu moderando accomodari poſſunt ea quæ de voce diximus.

1. In Principio dictionis ſteterectus & immotus, ſpectet modeſtè auditores, manus in pulpetum protendat, ordiatur modeſtè, auditoribus honorem de more, cum quadam corporis inclinatione, exhibendo. Manus autem non niſi leniter, ac paululum ultra ſinum protendat, oculis manum, ac geſtum ſequentibus.

2. Geſtum non ſemper ad unam partem, ſed nunc ad hos, nunc ad illos dirigat, tum ad gratam varietatem, tum ut Orator à pluribus videri, & audiri poſſit.

3. In Narratione adhibendus geſtus liberior: in Confirmatione acrior & pugnacior: in Epilogo vehementior, & accommodatus affectibus, de quibus infra.

4. Vultus quoque, oculus, & aſpectus nunc ſit erectus & alacer, nunc demiſſus & triſtis, pro rerum varietate.

5. Uti cavenda eſt geſtuum nimia lenitudo & tarditas; ita etiam nimia celeritas, aut levis geſticulatio, aut etiam nimia vaſtitas, quâ manus ultra humeros, & caput attollatur.

6. In ſupplicando, utraque manus protenſa vel attollenda, vel ſubmittenda eſt, quod etiam fieri poteſt manibus junctis inſtar orantis.

7. In averſando, aut negando, capite ad dexteram partem converſo, & manibus ad ſiniſtram, rem quaſi à ſe propellet. Vel etiam capite leniter concuſſo per modum renuentis.

8. Interrogabit, manu paululum elevatâ, & ad ſeipſum converſâ. Inſtabit vehementius, ſummo indice manus ſiniſtræ apprehenſo, & nonnihil concuſſo: nec deſunt geſtus alii.

9. Demonſtrando ſeipſum, manum vel dexteram, vel utramque ad pectus ſuum convertet. Demonſtrabit res alias, manu plerumque protenſâ ſurſum, vel deorſum, vel aliò conversâ; prout eſt ſupra vel infra ſitus rei quam cupit deſignare: rarò id ſolo digito faciet.

10. Timorem exprimet, manu dexterâ pectori applicatâ.

11. Iraſcetur, pugno compreſſo, voce & vultu aſpero: pulpitum manu; vel terram pede percutiendo: ſed bene cavendum ne percuſſio illa ſit nimis crebra.

12. Pœnitebit digitis pressis, & pectori admotis. Dolebit verò manibus inter se complicatis, vel utrimque deorsim dejectis, & expansis.

13. Vocabit aut sibi sistet alium, manu sursum elevatâ, & ad se inflexâ. Dimittet, aut repellet, manu aversâ cum digitis explicatis. Minabitur, indice erecto, & concusso. Alios denique affectus exprimet eo manus, oculi, capitis, aut aliorum membrorum motu, quem observabit ex impetu naturæ inter homines bene moratos decorè exerceri, modò vitet sequentia.

14. Cavebit ne sit nimis diuturna omnium gestuum intermissio; & è contra, ne gestus idem, præsertim in eadem sententia aut periodo, nimis sæpe repetatur.

15. Solâ sinistrâ rarissimè gestus exhibendus: non rarò tamen in gestu formando sinistra dexteræ sociari poterit, ut cùm ostenditur rerum multitudo, aut magnitudo; vel quando, ad summos affectus ascenditur, in quibus quasi totus Orator abripi videtur.

16. In fine debet ordinariò, uti vox & dictio, ita gestus esse vivacior & vehementior, ut Orator affectum quem intendit altius infixum relinquat; si tamen, uti in meditatione, ad tristitiam, metum, aut compassionem oratio dirigatur, gestu etiam leniori, ac tardiori dictio absolvetur.

CAPUT. IV.

Pro Exordio dictionis formando, & efferendo notanda.

IN Exordio Auditor debet reddi benevolus, attentus, docilis. Hæc fient, *à persona dicentis*, commemorando animum & affectum suum pro salute, utilitate, aut profectu auditorum. Vel ostendendo rem ipsam de qua dicet, esse necessariam, utilem, aut præsenti tempori multum idoneam. Docilis erit auditor, si materia tractanda clarè proponatur, & in sua membra vel puncta distinctè dividatur, indicando quid primo, quid secundo, quid tertio loco dicere intendat. Et hæc erit *Propositio* rei dicendæ, quæ in fine exordii locari solet.

2. Desumi potest exordium, ab aliqua sententia Authoris sacri, aut etiam profani, Vel à Proverbio, Vel à Similitudine, Vel ab Historia evangelica, aut aliâ quæ avidè audiatur. Quandoque etiam proponitur quæstio, aut problema, de quo quasi varia auditorum sententia exquiratur, & cui tandem inopinata responsio depromatur.

3. Vitanda autem sunt exordia nimis communia, nimis prolixa, & nimis longè extra materiam quæsita.

CAPUT. V.

Pro Narratione.

DEbet narratio eſſe clara, brevis, & ordinata, ut nempe res eo ordine narrentur quo geſtæ, aut dictæ fuerunt.

2. Concilianda eſt narrationi vita v. g. interrogando quid hic factum, quid reſponſum putatis? quid vos hic ageretis; audite quid ſequatur, &c.

3. Sic narranda eſt res præterita, ac ſi in præſenti, & coram ageretur. Ad hoc juvat uti verbis præſentis temporis: magis enim movet narratio Chriſti quaſi ante oculos actu patientis, quàm ſi tantùm dicas talia olim paſſum fuiſſe.

4. Cavendum ne bis, aut ſæpiùs in narrationis decurſu idem repetatur.

5. Cavenda etiam crebra digreſſio ad alia extra rem geſtam, aut longæ parentheſes, quæ rei ſeriem interrumpunt.

6. Affectus, etſi breviter miſceri poſſint, non debent tamen in narratione eſſe nimis frequentes, ſed magis pro confirmatione & epilogo reſervari.

CAPUT VI.

Pro Confirmatione, ejusque amplificatione, & ornatu Dictionis.

IN Confirmatione quæruntur argumenta ad ſuadendum virtutem, vel disſuadendum vitium, aut aliud quod ſibi Orator tractandum propoſuit. Argumenta hæc primò ſummatim excogitanda & annotanda; poſtea fuſius deducenda, amplificanda, & exornanda.

2. Pro inventione argumentorum ſive diſcurſuum inſpiciendus eſt Apparatus materiæ, quem ordine alphabetico infra tradimus. Deinde ad iſtius, vel alterius materiæ amplificationem, & ornatum, conſiderari poterunt Loci topici, ſive ſedes argumentorum, quibus quævis materia deduci & inculcari poteſt. Exempli gratiâ, ſi de Charitate agatur, (idem eſt de cæteris,) expendi poterit locus à Definitione. Quid eſt Charitas? eſt unio animæ cum Deo: quanti momenti eſt illa unio, quam jucunda, quam utilis, quam honorabilis, ideoque omni labore comparanda. 2. Locus à partium enumeratione: Charitas alia eſt interna affectuum, alia externa operum; alia erga Deum, alia erga proximum propter Deum.

3. Locus à genere: Si omnis virtus amanda eſt, ut juſtitia, tempe-

temperantia, continentia, humilitas, mansuetudo, fides, spes &c. quanto magis Charitas quæ est suprema, & Regina omnium virtutum. 4. Locus à simili: Sicut elementum non potest requiescere nisi in suo centro, ignis in cœlo, lapis in terra; ita anima in sola charitate & unione cum Deo requiem habet. 5. Locus à Dissimili: Sicut separatio membri â corpore est violenta, ita animæ à charitate Dei. Locus à Contrario: Si odium, & aversio à Deo summum sit hominis malum; sic debet amor Dei summum esse hominis bonum. 6. Locus ab Adjunctis est in quo considerantur omnes circumstantiæ cum re conjunctæ, ut locus, tempus, actus, & modus, & finis quo res exercetur &c. quæ continentur hoc versu; Quis, quid, ubi &c. quem infra explicamus in exemplo dictionis ex apparatu formandæ. 7. Locus est à Causis, in quo res comprobatur, vel improbatur à sua Causa materiali, aut formali qua constat, à finali ad quam dirigitur, ab exemplari cui assimilatur. 8. Locus ab Effectis, sive effectibus bonis, aut malis qui rem faciunt amore, aut odio dignam, uti quod Charitas faciat hominem filium Dei, hæredem cœli, pium, benignum, patientem, Deo & hominibus acceptum. 9. Locus à Comparatione, sive à majori, minori, & paritate rationis: Ut, si sponsa gaudet connubio cum nobilissimo sponso, qui tantum est creatura; quantò magis gaudere debet anima per charitatem uniri Deo, qui est omnium creator. Et hic locus ad amplificandum latissimè patet. Uti & locus ab Authoritate, Testimonio, & Exemplis, quæ infra in Apparatu latius deducimus.

Pro Exornatione dictionis, faciunt Tropi, & Figuræ sive verborum, sive sententiarum, per quas sermoni varietas, copia, & elegantia conciliatur. Præcipuas hic recensebimus, ut Orator non omnes simul, sed modò has, modò illas, instar condimenti, dictioni aspergat, prout materiæ suæ convenire judicabit. Tales Tropi in verbis sunt metaphora, synecdoche, metonymia, antonomasia, onomotopæia, catachresis, metalepsis. In Oratione sunt Allegoria, periphrasis, hyperbaton, hyperbole. Ex Figuris præcipuæ sunt, Repetitio, Conversio, Complexio, Gradatio. Item, Similiter cadens, Contrapositum, Commutatio. Figuræ quæ non in vocibus, sed integris sententiis usum habere possunt præcipuè sunt, Interrogatio, Responsio, Subjectio, Occupatio, Correctio, Dubitatio, Prosopopæia, Apostrophe, Hypotyposis Sustentatio, Prætermissio, Ironia, Permissio, Deprecatio, Exclamatio. Modum quo hæ figuræ, aut tropi in oratione formantur, si non meminerit Orator, consultum est ex Rhetorica eum recolat, & singulorum exempla annotet, quæ illic breviter & commode ex probatis Authoribus exprimuntur.

CA-

CAPUT VII.

Pro Dictionis Epilogo, sive Peroratione.

ARs quæ tradita est pro Confirmatione amplificanda,& exornanda, valet etiam pro Peroratione formanda. Imo hic potissimum omnes eloquentiæ fontes & affectus exprimendi erunt, ut auditori motum quem intendit Orator impressum relinquat.

2. In hunc finem debet ipse orator dicendo ostendere se penitus permotum esse : Nihil enim incendit, nisi ipsum priùs incensum fuerit. Uti Cicero perorando pro commiseratione erga Milonem, profitebatur se non posse lachrymas continere.

3. Conficitur autem peroratio magna parte,ex brevi enumeratione argumentorum quibus in tota oratione rem à se intentam orator probavit,ea animis auditorum altius ac vehementius inculcando, hoc fere modo : Si jam ostenderimus primò quam sit virtus Charitatis jucunda,quia hominem Deo conjungit : quam sit utilis, quia reddit regni cælestis hæredem : quam sit necessaria, quia sine ea anima à Deo perpetuo separatur &c. quis eam totis viribus non quærat,& complectatur.

4. Hæc autem enumeratio argumentorum non debet esse simplex & jejuna repetitio,sed novis subinde sententiis, ac figuris cum pondere inspersa,ac variata. Cavendum tamen ex altera parte, ne argumenta illa iterum prolixè deducantur, sed compendio absolvantur ; sic enim non esset enumeratio, sed potius altera oratio.

Consultum autem est,ut claudatur oratio per aliquam brevem, ac nervosam sententiam, quæ menti ac memoriæ auditorum quasi aculeum infixum relinquat, ut est illa S. Bernardi de mala conscientia peccatoris: Manet anxietas non relictura, Fugit voluptas non reditura.

PRO PRAXI EXPEDITA INVENTIONIS MATERIÆ.

PRimò,Sequitur hic Apparatus Materiæ, ex sacris potissimum Litteris ordine alphabetico breviter & commodè digestæ.

Secundò, Sequitur brevis Index ejusdem Apparatus, ad quem facilè recurritur.

Tertiò, Postea sequuntur Puncta disposita per omnes Dominicas & Festa ex eodem Apparatu, & aliis quæ adducuntur in Catechesi, nec non ex Controversiis, cæterisque materiis, quæ supra in Theologia Tripartita pertractantur.

Quartò, Traduntur partes singulæ Doctrinæ Christianæ selectis Exemplis ac Documentis illustratæ ; quibus succedunt alia ad Functiones sacras pertinentia.

APPARATUS MATERIÆ AD DOCTRINAM SACRAM,

Ex sacris Litteris præcipuè depromptus.

NOta primò: *Excogitatum esse à me hunc brevem & commodissimum materiæ Apparatum, præcipuè in gratiam Missionariorum, quibus ad doctrinam sacram variis locis prædicandam, præter sacras Litteras, pauci sunt ad manum libri: vel etiam in gratiam aliorum, quibus si non desint libri, otium tamen deest ad prolixam plurium voluminum investigationem: quibus nihil gratius esse solet, quàm si in modico spatio multùm aptæ materiæ collectum inveniant, quam facilè possint deducere, & suo usui accommodare.*

Nota secundò: In hoc Apparatu potissimum contineri selectissima Exempla, Comparationes, ac similitudines ad idoneos Titulos alphabeti ordine redacta, ac singulos titulos in varia puncta distribui, ad meliorem Dictionis formandæ ordinem ac varietatem. Nulla enim alia est materia, quæ commodius possit pro Dictione in varia membra cum ornatu dilatari; aut facilius memoriâ retineri, aut utilius ad auditorem permovendum accommodari, quam similitudines, comparationes, exempla, ut testatur tritum axioma, Verba movent, exempla trahunt. *His ad communem captum maximè accommodatis, & rudes optimè instituuntur, & eruditi plurimum delectantur, dummodò solida sint, & sacrarum litterarum authoritate nitantur, qualia sunt illa, quæ in hoc Apparatu assignantur, quæ, ubi opus erit, ex citatis Scripturæ locis fusiùs deduci poterunt.*

Nota tertiò: Praxin ex hoc Apparatu conficiendi integras Dictiones per totum annum, infrà assignari in fine, cum applicatione materiæ ad certa puncta per totius Anni Evangelia.

Ad extremum observa, dum ex his Titulis pro tuo conceptu materiam uberiorem inquiris, si contingat illam sub uno titulo non reperiri, legendum esse Indicem, & quærendum alium titulum significatione similem, aut etiam contrarium: exempli causà, si non inveniatur Charitas *vide* Amor: *si non reperiatur* Amor, *vide* Odium, *& sic de cæteris: quæ omnia tibi frequenti usu & propriâ observatione magis innotescent, observata præsertim praxi in hujus Apparatus calce assignata.*

A.

ABNEGATIO.

QVi cupit ſervire Chriſto debet abnegare mundum, & omnia quæ in mundo ſunt. Patet ex verbis Chriſti *Luc.* 14. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Exemplum eſt in duodecim Apoſtolis qui relictis omnibus, bonis, parentibus, amicis, ſecuti ſunt Chriſtum, & ejus doctrinam. Sed ecce quantum abnegantibus promiſſum præmium: *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Matth.* 19. *v.* 27. Hæc eſt liberalis Chriſti promiſſio, quæ Clauſtra tot Religioſis, & Cœlum tot Sanctis implevit.

Poſt hæc, S. Bartholomæo Apoſtolo Evangelium prædicante, Polemus Rex Indiæ potentiſſimus ad fidem Chriſti converſus & baptizatus, relicto Imperio ampliſſimo, & ſuâ patria, & omnibus amicis, S. Bartholomæo, quocumque pergeret, conſtanter adhæſit, & maluit eſſe pauper Apoſtoli diſcipulus, quam dives Indiæ Dominus. *In vita S. Bartholomæi per Abdiam.* Gallicanus Dux ſupremus Romani exercitus poſt ingentes victorias, & Imperatoris filiam nomine Conſtantiam in uxorem oblatam, abnegato omni honore, & opibus, & Imperatoris filiâ, humilem & pauperem pro Chriſto vitam ſuſcepit, clariorem de ſe, quam de hoſtibus victoriam reportans. *In vita Ioannis & Pauli.*

Alexius nobilis Romani Euphemiani filius, ut rebus omnibus nudatus, Chriſtum nudum ſequeretur, primâ nocte nuptiarum abnegavit ditiſſimam ſponſam, & domum paternam, & poſt multam peregrinationem, tanquam pauper & ignotus delituit per multos annos in angulo domus paternæ, donec poſt obitum divino monitu à ſuo parente, & à Pontifice Romano cum ingenti ſtupore agnitus, & ſummo in honore habitus fuit. *Ita Metaphraſtes, & alii in ejus vita.*

Abneganda eſt etiam propria voluntas Matth. 16. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum.* Exemplum dedit Chriſtus in horto dicens: *Pater, non mea ſed tua voluntas fiat.* Et S. Paulus à Chriſto vocatus, nullâ carnis aut ſanguinis, nullâ propriæ voluntatis habitâ ratione ſtatim reſpondit, *Domine quid me vis facere?*

Abneganda ſunt vitia, & cupiditas rerum temporalium. Abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo. 2. *Tim.* 3. Nempe ſobriè erga nos, juſtè

juſtè erga proximum, piè erga Deum. Exemplum eſt in primis Eccleſiæ Chriſtianis, qui nihil ſuum eſſe dicebant, ſed deponebant bona ſua ad pedes Apoſtolorum, ut omnibus eſſent communia. *Act.* 4. *v.* 33. E contrario Ananias cum Sapphira uxore, quia pecuniæ, quam Deo devoverunt, partem poſtea abſconderunt, ſubitaneâ morte à Domino puniti fuerunt, *Act.* 5. Abraham à Deo vocatus, ſtatim exivit de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui: & ideò Deus benedixit ei, & multiplicavit ſemen ejus ſicut ſtellas cœli &c. *Gen.* 12. Et iterum abnegavit Abraham amorem paternum erga filium ſuum primogenitum Iſaac, quando Deo jubente aſcendit in montem cum gladio & igne ut filium ſuum Domino immolaret, & in holocauſtum offerret. *Gen.* 22. Job omnium bonorum, quæ habuit affectum abnegavit dicens, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum, Iob.* 1. *v.* 1. Chriſtus Dominus cœli & terræ, cum eſſet dives, factus eſt pro nobis egenus, & nudus in cruce mortuus non habuit ubi caput reclinaret. *Matth.* 27. *Luc.* 23.

Sicut athleta qui in ſtadio currit, debet omnia impedimenta abjicere; ita nos ut perveniamus ad bravium vitæ æternæ, debemus mundi bona abnegare, juxta Apoſtolum 1. *ad Cor.* 9. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Ex Breviario habetur exemplum S. Franciſci, qui pro Chriſto omnia abjecit usque ad calceos, 4. *Oct.* S. Antonii, quia omnia deſeruit usque ad ſpeluncam, 17. *Ian.* S. Bartholomæus omnia exuit usque ad pellem vivo detractam, alii Martyres usque ad ſanguinem & vitam. Vide *Abſtinentia. Amor Dei. Humilitas.* A contrario, vide infra *Avaritia. Luxuria. Superbia.*

ABSTINENTIA. JEJUNIUM.

A*Bſtinere* dicitur primò, qui uſum alicujus rei à ſe rejicit: Secundò, qui rei noxiæ affectum & deſiderium in ſe cohibet & refrænat. Hoc modo Tobias docuit filium ſuum *Ab infantia timere Deum, & abſtinere ab omni peccato,* Tobiæ 1.

Abſtinentia ciborum à Deo præcepta eſt ad obedientiam, ad meritum, ad virtutis exercitium. In Paradiſo præcepit Adamo ut à fructu arboris ſcientiæ boni & mali abſtineret, *Geneſ.* 2. Filiis Iſraël varia ciborum genera à Deo interdicta fuerunt, *Levitici* 11. Uxori Manuæ concepturæ Sampſonem Angelus abſtinentiam indixit, *Iudic.* 3. Eleazarus ætate grandis & venerabilis maluit occidi quam carnem vetitam manducare, aut cum aliorum ſcan-

dalo

dalo id ſimulare, 2. *Machab.* 6. Septem fratres Machabæi elegerunt potiùs per varios cruciatus mortem ſuſtinere, quam eſu carnis ſacrilego ſe contaminâre. 2. *Mach* 7.

Abſtinentia mentem illuſtrat, & ſapientiam confert. Moyſes poſtquam 40. diebus à cibo abſtinuit, meruit à Deo in monte Sinai accipere Legem populo explicandam, *Exod.* 24. Danieli propter ſingularem abſtinentiæ amorem oſtendit Deus viſiones cœleſtes. *Daniel.* 12 Imò poſt jejunium eidem revelatum eſt myſterium Incarnationis, *Dan.* 9. Quia Anna Prophetiſſa ſerviebat Domino die ac nocte in jejunio & orationibus, meruit in templo de Chriſto prophetare, *Luca* 2. Eodem ſpectat exemplum Joannis Baptiſtæ Præcurſoris & præconis Chriſti, cujus cibus tantùm erant locuſtæ, & mel ſylveſtre, *Mat.* 11.

Abſtinentia à carnibus hominibus religioſis & piè viventibus maximè propria. Dominus ipſe Danieli per Habacuc pulmentum & panes, non verò carnes transmiſit, *Dan.* 14. Uxor Jeroboam ad Prophetam Achiam panem & mel, non autem carnes attuliſſe legitur, 3. *Reg.* 13. Chriſtus ſæpiùs multiplicavit panes & piſces, carnes nunquam, *Mat.* 14. *Marc.* 6. *Ioan.* 6. Salvatorem noſtrum non legimus comediſſe carnes, niſi in Agno Paſchali, piſcibus verò in alimentum ſæpius uſum eſſe patet *Luc.* 24. *Ioan.* 21.

Abſtinentia ſive jejunium confert victoriam contra hoſtes tam animæ quàm corporis. Chriſtus cum dæmone præliaturus 40. diebus jejunavit, & in tribus quas oppoſuit tentationibus illum debellavit, *Matt.* 4. Joſaphat Rex Juda jejunavit ipſe, & aliis jejunium indixit, atque ita victoriam de hoſtibus obtinuit, 2. *Paral.* 20. Poſtquam Judith diuturnum jejunium & orationem præmiſit; præclaram de Holoferne victoriam reportavit, *Iudith.* 8. & 13. Filii Iſraël bis debellati, poſteà ad jejunium confugerunt, & de filiis Benjamin triumpharunt, *Iudicum* 20. Iterùm debellantur filii Iſraël à Philiſtæis, 1. *Reg.* 4. Sed poſtquam fleverunt & jejunaverunt victoriam obtinuerunt, 1. *Reg.* 7. A contrario, quia Jonathas contra præceptum patris comedit favum mellis, Iſraelitæ ab hoſtibus profligantur. 1. *Reg.* 14. Et in deſerto cæpit populus manducare & bibere, & ira Dei deſcendit ſuper eos.

Iejunio cum oratione Deus ad largiendam gratiam & miſericordiam maximè movetur. Et ideò dicitur *Tobiæ* 10. *Bona eſt oratio cum jejunio.* Sic Eſther miſericordiam populo ſuo petitura ab Aſſuero, jejunavit cum ancillis ſuis & Mardochæo, *Eſther.* 4. Dominus Achab pœnam comminatus fuit, ſed propter jejunium quo ſe humiliavit eam temperavit. 2. *Reg.* 21. Ninivitarum civitas intra quadraginta dies ſubvertenda fuit, ſed propter jejunium

nium quo se Ninivitæ omnes à minimo usque ad maximum afflixerunt, Deus illis pepercit, & pœnam remisit, *Ionæ* 3.

Sicut Naves leviores facilius mare percurrunt, & nimis onustæ submerguntur: ita abstinentia reddit hominem expeditum ut facile currat per viam salutis & mandatorum Dei, crapula autem in barathrum demergit. Et sicut in tempestate nautæ exonerant navem, ita in tentatione faciendum per abstinentiam.

Sicut Febres, & alii morbi corporis curantur per cibi & potus abstinentiam, simili etiam modo curandi sunt morbi animi ut libido, ira, gula &c. *Mar.* 9. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & jejunio.* Abstinentia enim optima est animæ medicina. Hinc Augustinus; *Hoc me docuisti Deus, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. lib.* 10. *Conf. c.* 11.

Sicut Equis fræna sunt imponenda, ne nos præcipites agant; sic corpora nostra jejuniis & vigiliis sunt refrænanda, ne animam per vitiorum præcipita abducant.

Sicut in Navibus sentina sæpius est exhaurienda, ita corporibus nostris sæpe subducendus est cibus & potus, ne in vitiorum sentina putrescant.

Sicut contra Incendium aut ollam nimis ebullientem ligna foco subtrahimus, sic contra ardorem carnis, tumorem superbiæ, ac dæmonis oportet per abstinentiam subtrahere fomenta & alimenta vitiorum. Nam de Satana dicitur, *Iobi* 41. *Halitus ejus prunas ardere facit.*

Sicut nullum Castrum est adeò forte, ut si rebellet, non possit jejunio expugnari excludendo ipsi alimenta: sic quando corpus rebellat spiritui & rationi, optimè potest spiritus corpus sibi per abstinentiam subjugare. Nam *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.*

Non tantum Corpus, sed etiam Anima debet abstinere, & sobria esse. Quid enim juvat currum levem & agilem esse, si Auriga insaniat? Quid prodest navis solida & expedita, si ebrius sit navis gubernator?

Qui à cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus deest. S. Isidorus.

Vide ex Breviario effectus eximios jejunii & abstinentiæ, *Dominica* 3. *Adventus Lect.* 4. 5. *Domin.* 4. *Quadr. l.* 4. 5. *Domin.* 4. *Sept. l.* 5. 6. *Domin.* 3. *Novemb. l.* 2. 3. 4. 5. 6. Jejunium confert formæ præstantiam in Daniele, Juditha &c. *Dom.* 3. *Nov. l.* 2. 3. 4. 5. 6. Abstinentia facit longævos, in festo S. Pauli Erem. 15. *Ianuar. l.* 4. & festo S. Antonii 17. *Ian. l.* 5. Vide *Ebrietas. Gula.*

ACEDIA. OTIUM.

SIcut equus tardus indiget stimulis, ita acediosi maximè indigent reprehensione ut pergant in via salutis.

Sicut Dominus odit servum ignavum & otiosum, ita Deus aversatur desidiosos in exercitio virtutis: otium enim est pulvinar diaboli.

Otiosus est instar aquæ stagnantis, quæ non movetur, ac proindè putrescit, & noxiis vermibus, id est, vitiis repletur.

Rectè comparatur otiosus paralytico, qui non potest manus, aut pedes ad operandum movere. De his *Psal* 13. *Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt.*

Similis est otiosus agro neglecto, & pleno spinis & urticis, *Proverb.* 24. *Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ.* Nec male assimilatur Ferro, quod absque usu & motu contrahit rubiginem. Et cum Veste pretiosa, quæ nisi gestetur, à tineis corroditur.

Otium affert homini animæ & corporis egestatem. Ideò dicit Sapiens, *Qui sectatur otium replebitur egestate*, Proverb. 28. v. 19. *Maledictus qui facit opus Domini negligenter*, Ierem. 41. v. 10. *Propter frigus Piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Prov. 20. v. 4.

Otium sæpè est causa damnationis. Ideò dicit Christus, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, Matth.* 7. *v.* 19. Et ibidem iterùm dicit, *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.*

Acediosos Deus graviter punit, Exemplum est in populo Israëlitico, quando cæpit in deserto tædere itineris & laboris, & de manna cœlesti dicere: *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*; ideo immisit Dominus in illos serpentes ignitos, qui eos laniabant & occidebant. *Numer*, 21. Quinque Virgines fatuæ quæ dormitaverunt, & sine oleo boni operis in lampadibus ad Sponsum serius venerunt, exclusæ sunt, & audierunt, *Amen dico vobis nescio vos: vigilate itaque, &c. Matth.* 25. Sizara in lecto jacens clavo perfossus est à Jahel, ita acediosus à dæmone. Sampson dormiens inter genua Dalilæ fuit captus, catenatus, excæcatus. *Iudicum* 16. *v.* 15.

Acedia est causa multorum peccatorum. David belli tempore manens domi otiosus commisit adulterium cum Betsabea, & postea homicidium. 2. *Reg.* 11. *Cùm dormirent homines venit inimi-*

inimicus homo, & in medio tritici superseminavit zizania, id est, vitia & peccata, *Matth.* 13.

Redarguit Christus in parabolis otiosos, & operantibus præmium addicit. Quid statis hic toto die otiosi? ite & vos in vineam meam: & quod justum fuerit dabo vobis, Matth. 20. Dormiebat Jonas sopore gravi, & ideò gubernator navis redarguit eum, & propter eum orta est tempestas. Sed quid secutum? Projectus est in mare & balena devoravit eum; ita acediosi indicunt in laqueos & fauces diaboli. *Iona* 1. Denique Christus in horto redarguit discipulos dormientes, dum orandum esset, dicens, *non potestis unâ horâ vigilare mecum, Mat.* 25. Servus piger qui noluit negotiari, sed talentum defodit in terram, objurgatur, & talento spoliatur *Matt.* 25. Quomodò brevem laborem æterna requies consequatur v. ex Breviario in festo S. Bonifacii 14. *Majilect.* 2. & in festo S. Matthæi 24. *Febr. lect.* 7. Vide à contraio *Obedientia, zelus, Amor &c.*

ACCUSATIO.

F*Alsa accusationis exempla detestanda*, proponit Scriptura in castissimo Josepho, qui à sua Domina iniquè accusatus est; ac si vim illi inferre voluisset, & ideo in vincula conjectus est; quibus Deus illum cum honore liberavit. *Gen. cap.* 39.

Injustè accusatus, & lapidatus est Naboth, ac si Deo & Regi maledixisset, & ideo Iesabel à canibus devorata est. 3. *Reg. cap.* 21. *v.* 11.

Abimelech iniquè accusatus est à Doëg apud Saulem, eo quod Davidem benignè excepisset; & cum pluribus occisus. *Lib.* 1. *Samuelis cap.* 22. *v.* 9.

Christus à Judæis sæpius falsò accusatus tanquam seditiosus, hostis Cæsaris, potator vini, commercium habens cum dæmone; destructurus templum &c. *Matth.* 26. *Marci.* 14. *Luca* 23. *&c.*

S. Stephanus protomartyr falsò accusatus, & lapidatus. *Act.* 6. *v.* 11. Contra Paulum Apostolum iniquæ accusationes. *Act.* 16. *v.* 20.

Accusatio falsa à Deo graviter punitur, cujus exemplum est in Aman, qui Mardochæum accusans, suspensus est in patibulo quod Mardochæo inique paravit. *Esth.* 7. *v.* 10.

Duo Senes qui Susannam adulterii accusarunt, ipsi loco Susannæ à populo lapidati fuerunt. *Daniel* 13. *v.* 36. Alcimus, cum iniquis fratrum accusatoribus, punitur, 1. *Machab.* 7. *v.* 5. Et in simili crimine periit Simon. 2. *Machab.* 4. *v.* 6.

Utile

Utile est homini seipsum potius quam alium accusare. Iustus prior accusator est sui. Prov. 18. Sic fecit Magdalena coram Pharisæis, & remissa sunt illi à Christo peccata. Sic fecit S. Petrus, & resipuit postquam Christum negavit.

Sic fecit David post adulterium, cum Betsabea, & homicidium Uriæ, & sæpius in psalmis, 2. *Samuel.* 12. *v.* 1. Et *paral.* 1. *c.* 21. Et *psal.* 32. *v.* 5. *psal.* 41. *v.* 5. *psal.* 50. 51, *&c.*

Sic Jonas coram nautis accusavit fugam suam à facie Domini *Ionæ.* 1. *v.* 12. Filius prodigus, *Peccavi in cœlum & coram te* &c. *Lucæ.* 15. *v.* 17. Publicanus *percutiens pectus suum* &c. *Luc.* 18. *v.* 13. Zachæus, *Si quem defraudavi reddo quadruplum, Luc.* 19. *v.* 8. Latro in Cruce, *Nos quidem justè digna factis recipimus. Luc.* 23. *v.* 41.

Accusatio proprii criminis est instar incisionis venæ, aut apostematis, aut salubris vomitorii, quo corpus à corrupto sanguine, & pravis humoribus, & suis morbis liberatur: ita fit in anima per humilem delicti sui accusationem.

Aliorum accusatores importunos comparat Cicero *orat. pro Roscio*, vel cum Anseribus, qui tantummodò clamant, & non nocent; vel cum Canibus qui clamant, & nocent ac mordent bonos ac pios, non minus dum tendunt ad templum, quàm si irent ad prostibulum. *V. Iudicium iniquum. Invidia. Inimicitia.*

ADULATIO.

Adulatores comparantur cum Corvis, qui oculos effodiunt, nempe excæcando & decipiendo eos quibus adulantur.

Et cum Hirundinibus, quæ comparent tantùm tempore æstivo & læto, fugiunt tempore frigido & adverso.

Et cum Venatoribus, qui fistulâ dulcitercan unt ut volucrem decipiant ac deplument.

Et cum Histrione qui omnem vultum induit, & nullam partem seriò agit. Ideò monet Sapiens, *melius est à sapiente corripi quam stultorum adulationibus decipi. Eccles.* 7.

Quomodo adultores aliis noceant, Exemplum est in amicis Aman, qui volentes ei complacere suaserunt, ut pro Mardochæo erigeret altissimum patibulum, ex quo tamen Aman ipse suspensus est. *Esther.* 5. Prophetæ adulantes dicebant Achab prospera de bello futuro, quod ei pessimè cecidit. 3. *Reg. c.* 22. Populus adulando acclamabat Herodi, quod loqueretur voces Dei: & ecce confestim *percussit eum Angelus Dei, & consumtus à vermibus interiit. Actor.* 12.

Adulatores etiam nocent sibi. Exemplum est in Absalone qui

in curia ſingulis adulabatur, dicens, videntur mihi ſermones tui recti, at ipſe cum populo in bello profligatus & occiſus eſt. 2. *Reg.* *c.* 15. Adoleſcens narrans Davidi mortem Saulis inimici ejus à ſe accelaratam, juſſus eſt à Davide ſtatim occidi. 2. *Reg.* 1. Duo Sicarii qui caput Isboſeth occiſi ad Davidem detulerunt ut ei complacerent, ſimili modo pro ſua mercede trucidati fuerunt. 2. *Reg.* 4. Phariſæi per adulationem voluerunt Chriſtum decipere, *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces* &c. ſed ipſi potiùs decepti fuerunt. *Matth.* 22. *v.* 16.

Vide *Aſtutia, Mendacium.*

AMOR DEI, CHARITAS.

Est virtus quâ diligitur Deus propter ſeipſum, & proximus propter Deum. Primum & maximum præceptum eſt Dei dilectio, datum Moyſi à Deo in monte Sinai.

Amor ſive Charitas eſt illa Veſtis nuptialis, candida, & pretioſa, ſine qua Anima non poteſt eſſe ſponſa Chriſti, vel admitti ad convivium, aut ad aulam cœleſtem. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* *Matth.* 22. Amor Dei eſt Oleum quod Prudentes virgines habuerunt in lampadibus, & ſine quod dictum eſt Fatuis, *Neſcio vos.* *Matth.* 5.

Charitas perfecta comparatur cum muliere caſta, quæ uti nullum amat præter ſuum virum, ita charitas nihil præter Deum. Amor Dei ſimilis eſt auro, quia facit opera noſtra tam ſplendida & pretioſa ut mereantur vitam æternam. Comparatur cum igne, quia omnia peccata conſumit, & animum purificat. Charitas ſimilis eſt ſtellis, quæ magis in nocte, quam in die apparent, ita amor Dei magis in adverſis quàm in proſperis dignoſcitur. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non eſt ambitioſa,* & reliquæ ejus proprietates exponuntur 1. *ad Corinth.* 13.

Opera quæ non fiunt in charitate aut gratia non ſunt meritoria vitæ æternæ, etſi appareant maxima. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam factus ſum velut æs ſonans, & reliqua. *ibid. v.* 1.

Amor Dei facit omnia quantumvis ardua apparere levia. Sicut Jocobo ſeptem anni videbantur dies pauci præ amoris magnitudine. *Geneſ.* 29. *v.* 20.

Fortis eſt ut mors dilectio: Quod patet exemplo D. Pauli Apoſtoli. *Certus ſum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, ad Romanos fusè c.* 8.

Cha-

Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. *Petr. c.* 4. Exemplum est in S. Magdalena, cui cum ingenti amore Christi pedes lachrymis irrigaret, dictum est, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

Exemplo suo ad charitatem Deus nos provocat. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. Ioan. 3. Item exemplum Christi qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, & lavit nos in sanguine suo, *Breviar. in Nat. Dom. lectione* 6.

Quanta charitate Apostoli & alii Deo conjuncti fuerunt. Abrahæ unicus filius erat Isaac, & cum unicè illum amaret, manibus propriis mactare voluit, quia Deum magis amavit quam suum filium. *Genes.* 22.

Perfectæ charitatis exemplum fuit in tribus pueris in Babylonem abductis, quos numquam Religionis erga Deum observationem deserentes, in fornacem, septuplum quam solitum erat accensam missos, flamma non adussit, quia majori intus ardebant flammâ charitatis erga Deum. *Danielis* 1.

Machabæi quoque septem fratres neque ingentibus Regis promissis corrupti sunt, neque minis territi, contra Dei legem aliquid agere voluerunt. Sed potius crudeli morte consumpti, plus Deum quàm se diligendum esse, illustri documento fuêre. 2. *Machab. c.* 7.

D. Petrus ter interrogatus, An Christum amaret, Respondit, *Domine tu nosti omnia, tu scis quia amo te* : & ideo Christus illi oves suas pascendas & regendas commisit. *Ioan.* 21.

Hæc charitas Sanctos Dei non modo divitiarum, dignitatum, atque honorum, verum etiam vitæ hujus contemtores effecit. Apostoli omnes nullis tyrannorum minis supliciisve absterreri potuerunt, ne dilectissimum Jesu nomen ubique palam prædicarent & extollerent. Petrus, Andreas, & Philippus pro Christi amore crucifigi non recusarunt : Jacobus & Paulus capite truncari optavit : Jacobus alter de pinna templi dejici, & fullonis fuste mactari : Joannes in bullientis olei dolium nudus dimitti : Thomas & Matthæus lanceis confodi : Matthias securi percuti : Simon & Judas irruente Sacrilegorum impetu se elidi atque obteri gaudebant. Quid post illos de tot millibus Martyrum dicemus? quibus dulcia fuerunt tormenta, & pro nomine & amore Jesu quamlibet contumeliam pati.

Plura motiva ad amorem Dei, Vide in fine libri in praxi assistendi ægris & moribundis.

Eximia eluxerunt exempla charitatis in plurimis Sanctis, ut

in S. Petro : *Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire.* S. Dominicus moriens charitatem fratribus suis tanquam testamentum reliqvit. *in Breviar. die 4. Aug.* Idem de S. Francisco legitur. S. Ignatius Dei amorem & majorem gloriam semper in ore, in corde, in opere habebat, adeò ut diceret se malle gloriam Dei cum periculo suæ salutis promovere, quam securum de salute in cœlum migrare: *die ultimo Iulii.*

De amore Dei plurima occurrunt loca & sententiæ in Scripturis, ut, *Deuter. c.6.7. 19.11.30. Psalm. 17.46. 109.114.118.144. 146.148. Proverb. c. 3.50. Ecclef.13. 43. 45. Matt.17.22. Luc.6. 7. Ioan.2.3.4. Apostolus passim ad Rom. cap. 5.8.9.12. & ad Cor. 1. cap. 2.13.14. & ad Corinth. 2. cap. 5. 6. 12, &c.*

AMOR PROXIMI.

SIcut membra corporis inter se connexa sunt, & se invicem juvant, oculus dirigit manum, manus defendit oculum, & sic de cæteris; sic quisque proximo suo charitatis vinculo conjungi, & auxilio esse debet, uti pulchrè ostendit Apost.

Sicut Navis submergitur nisi tabulæ sint inter se firmiter conjunctæ; ita Respub & familia privata perit, in qua non viget unio charitatis. Hinc secundum præceptum à Deo hominibus datum est, Diligere proximum sicut seipsum. Et Christus sæpius idem inculcavit, *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Ioan. 15. v.12.*

Charitas excusat defectus proximi : Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non consideras? *Matth. 7. v. 3.*

Ignoscendum igitur proximo ut Deus nobis ignoscat: *Si dimiseritis hominibus peccata sua, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra, Matth. 6. 14.*

Amandi sunt etiam homines mali & inimici , & pro iis orandum : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, Matt. 5. v. 44. Sic fecit Christus in Cruce; *Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.* Et S. Stephanus pro lapidantibus oravit, *Act. 7.* Et Abraham apud Deum multum intercessit pro sceleratis Sodomitis, ut fusè habetur *Genesis 18.*

Joseph à suis fratribus in cisternam conjectus, & Ismaelitis venditus fuit, sed ipse eosdem in Ægypto postea convivio excepit, frumento donavit, & singulos osculatus est &c. *Genes. 37.* Moyses pro Maria sorore contra ipsum murmurante Deum orat, & eam

à lepr

à lepra curavit. Jacobus Apostolus de pinnaculo templi præcipitatus, & occisus, pro occisoribus oravit. *Euseb. l. 2. c. 23.*

Amoris studium est amicis benefacere. Hoc apparet in amore fidei Jonathæ erga Davidem: Saul enim ejus pater sæpe vitæ Davidis insidiatus est, semper filius detexit insidias patris, frequenter iratum placavit, & à persecutione Davidis avertit, 1. *Reg.* 18. 19.

Tobiæ charitatem Babylonica captivitas probatiorem fecit: Quippe eadem in captivitate constitutis, quo modo potuit, opitulari non cessavit, nunc verbis consolando, nunc rebus juvando, & eos qui ab impiis hominibus occidebantur, sepeliendo. Hinc cum & ipse Regio Sennacherib jussu necandus perquireretur, Deo favente, unà cùm suis periculum semper effugit. *Tobiæ.* 1.

Beati Job charitatis opera percensentur, dum illi dicitur: *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti, Iob.* 4.

Paulus quoque Apostolus, qualem erga proximos charitatem haberet, ostendit, *ad Romanos* 9. dicens: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Et 2. ad Corinth. 7. *In cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad convivendum.* Et ad Philip. 1. *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos esse in visceribus Iesu Christi.*

Apostolorum postremò omnium, & eorum qui illos secuti sunt unum hoc Charitatis propositum & documentum fuit; Neque rerum præsentium, neque vitæ mortalis ullam habere rationem, dum consulitur spirituali saluti proximorum. Vide *Liberalitas.*

ASTUTIA.

Astuti sunt imitatores dæmonis. Quia dæmom primus Magister astutiæ & calliditatis fuit; & in serpente, qui erat callidior cunctis animantibus terræ, primam mulierem seduxit, & callidè non est aggressus virum, in quo major prudentia residebat, ut dicitur, *Genes.* 20.

Astuti sunt deceptores sociorum, & semper novas vias subtilitatis ad decipiendum inveniunt. Sic Laban multoties voluit Jacob deludere, nunc in uxore, nunc in mercede, & semper novas astutias exquirendo. *Genes.* 29. & 30. Filii Jacob voluerunt patrem astutè decipere mittentes ei tunicam intinctam sanguine, ut crederet Joseph filium à bestiis devoratum *Genes.* 37.

Astuti sunt crudeles & tyranni, qui per fraudes subditos & alios deprimunt & occidunt. Sic fecit Pharao, qui novas adinvenit astutias ut filios Israël extingueret. *Exod.* 1. 2. & 5. Callidè

voluit Saul occidi David, simulans se velle dare filiam ei in uxorem, 1. *Regum* 18. Sceleratam & novam Iezabel invenit astutiam, ut vineam auferret Naboth, & eum occidi faceret sine culpa 3. *Regum* 21. Athalia Regina ut regnare posset, omne semen Regium callidè interfecit. 4. *Regum*. 11. Herodes tyrannus impius callidè cogitavit Christum occidere, procurando innocentes pueros occidi. *Matth*. 2.

Astuti nituntur sua scelera occultare, aliquo velamine bonitatis. Sicut David astutè voluit celare adulterium pietate, quandò misit Uriam ut cum uxore quiesceret. 1. *Regum* 11. Amon volens violare sororem, sub specie ægritudinis iniquitatem celavit, 2. *Regum* 13.

Astuti similes sunt Venatoribus qui ponunt occultos laqueos & retia, ut aviculas simplices & innocentes capiant & decipiant. Similes & sunt Piscatoribus qui tegunt hamum parvis escis, quasi muneribus, ut sic magnos pisces capiant.

Astuti sunt sicut serpentes & anguillæ, quas dum putas te manibus retinere, statim sua lubricitate è manibus elabuntur.

Similes etiam sunt Jano, quem Poëtæ dicunt duas facies, unam ante, & alteram retro habuisse; sic astuti habent duplicem vultum, duplicem linguam; verba duplicia, quæ pro suis lucris, tempori & loco accommodant.

Sed piscis piscem, & lupus lupum devorat, sic justo Dei judicio, unus astutus ab altero astutiore decipitur.

Vide supra *Adulatio*: & infra *Mendacium*, & *Hypocrisis*.

AVARITIA.

A*Varitia solet esse insatiabilis, & impia.* Infernus & perditio nunquam replentur, similiter & oculi hominum insatiabiles. *Proverb*. 1. *Avarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias fructum non capiet ex eis. Eccles*. 5. 9.

Quam sit avaritia impia docet ibidem. *cap*. 10, *Avaro nihil est scelestius.* Et cap. 14. *Qui aurum diligit non justificabitur.* Et ideò monet Eccles. c. 4. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Et cap 14 *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis. Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundatia cujuspiam vita ejus est*. Lucæ 12. Et ideò *Luca* 18. divitiæ dicuntur spinæ, quæ suffocant bonum semen gratiæ, & vitæ spiritualis, & avaros potius pungunt & lacerant quam satiant aut recreant.

Avari cupiditate ducti pervertunt judicium, & veritatem in falsi-

fasitatem commutant. Vinea Naboth fuit causa quod falsi testes contra eum producti fuerunt. 3. *Regum* 21. Per pecuniam corrupti custodes sepulchri, mentiti sunt dicentes, Corpus Christi per discipulos sublatum fuisse. *Matth.* 28. Felix Præses quia à Paulo pecuniam non recepit, ipsum non restituit libertati, *Act.* 2. Giezi ex avaritia accepit pecuniam pro curatione Naaman, quam Heliseus fecerat gratis; & ideo lepra percussus. 3. *Regum* 5. Menelaus propter pecuniam quam promisit Andronico, habuit Sacerdotium. 2. *Machab.* 4. Sacerdotes propter avaritiam permittebant vendi in templo oves & columbas. *Matt.* 21.

Avari propter suam cupiditatem multoties incurrunt mortem. Nam Achior cupiditate ductus tulit de Anathemate Jericho; ideò fuit morti ad-dicatus, ut habetur *Iosue* 7. Nabal qui nunciis David fuit nimis avarus, substantiam & vitam perdidisset, nisi ob largitatem & prudentiam uxoris evasisset. 1. *Reg.* 25.

Avari ob pecuniam proditiones exercent, & amicos supplantant. Nam Dalila propter pecuniam Samsonem tradidit; quem priùs se diligere ostendebat, ut dicitur *Iudicum* 16. Judas propter cupiditatem Christum tradidit & vendidit, à quo tot & tanta receperat beneficia, ut habetur *Matth.* 26.

Avari sunt corrigendi à Prælatis, & à Deo graviter puniuntur. Nam præcipua occasio reprobationis Saul videtur fuisse cupiditas quam habuit in præda Amalech, ut habetur 1. *Regum* 13. Opprimentes alios per usuras & exactiones Neemias graviter increpavit. *Neem* 1. Acerbè est punitus dives Epulo, qui de micis panis erga Lazarum avarus fuit. *Luc.* 16. Emptores boum & villarum ob avaritiam sunt exclusi à Cœna magna, quam Dominus præparavit. *Luc.* 14. Graviter punita est avaritia Ananiæ & Saphiræ per Apostolum Petrum. *Actor.* 5.

Avari similes sunt ebriosis; qui quo plus sunt poti plus sitiunt. S. *Basil. Homil.* 7. *hexaem.* Sicut Mare nunquam est sine fluctibus, ita avari nunquam sunt sine cura & turbatione, inquit *Chrysost. Hom.* 29. Sicut ignis & infernus nunquam dicunt sufficit, ita avari. *August. Epist.* 5. *ad Bon.* Sicut ex mala radice tantùm crescunt mali fructus; sic ex avaritia pullulant omnia vitia: quia teste Scripturâ, *Radix omnium malorum est cupiditas.*

S. Bonaventura, *in diata, de peccat. cap.* 6. non illepidè, sordidè avarum porco comparat, qui dum vivit nec lac, nec lanam, neq aliud bonum illi præbet, sed dum moritur totus est hominibus utilis, ita avarus nihil in vita, sed omnia quæ collegit post mortem aliis dispertit; animam cogitur dare dæmoni, corpus in alimentum vermibus, vestimenta pauperibus, debita creditoribus, loculos hæredibus &c.

Comparat eundem avarum talpæ, quæ cæca cœlum non videt, & semper cumulos terreos congerit, & sibi foveas multiplicat, & intra illas se libenter abscondit, & vix pedes habet ut ex tenebris prodeat, aut in luce ambulet. Similis etiam est pixidi testaceæ undique clausæ, quæ ad pecuniam recipiendam superius perforata est, sed receptam pecuniam nunquam reddit, nisi frangatur; uti nec avarus nisi dum morte solvitur & conteritur, de quo rectè dicitur illud Isaiæ 30. *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli.* Vide *liberalitas.*

B.

BEATITUDO.

Beatitudo consistit in stabili possessione boni, quod per se possit perfectè satiare omnem appetitum sive desiderium humanum. Non potest ergo beatitudo nostra consistere in opibus, aut honore, aut voluptate rerum creatarum, quia hæ non sunt stabiles, nec possunt constanter satiare nostrum appetitum. Id testatur sapientissimus Salomon *Eccles. cap.* 1. *Consideravi universa quæ fiunt sub sole, & vidi* quia *omnia sunt vanitas & afflictio* Spiritus; Et ideo dixit David *psal.* 16. *Satiabor cum apparuit gloria tua.* Nulla est ergo beatitudo in *Superbia*, *Avaritia*, *Luxuria.* Vide illa suis locis.

Quantus futurus sit splendor & fulgor Beatorum in cælo, patet ex eo, quod Moyses etiam in hac vita ex colloquio divino sic radiabat, ut filii Israël non potuerint oculos in ejus faciem intendere. Quanto lucidiores erunt Beati, quorum corpus induet immortalitatem & incorruptionem, jam facti cives Sanctorum, & domestici Dei, & cohæredes Christi.

De Beatis illis dicitur *Danielis* 12. *Fulgebunt justi quasi splendor Firmamenti, & sicut Stellæ in perpetuas æternitates.* Cum sole autem illos comparat ipse Christus *Matthæi* 13. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Quod & Dominus in seipso manifestare voluit, quando in monte Thabor nive candidior, & sole splendidior apparuit, & tantâ dulcedine Apostolos perfudit, ut Petrus expetierit sibi & aliis construi tria tabernacula, quasi illic perpetuò permansurus.

Verumtamen pro meritorum mensura claritas ista singulis impertietur, teste Apostolo, 1. *ad Corinth.* 15 *Alia*, inquit, *claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum, stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* Et 2. *ad Corinth. c.* 3. 18. *Nos verò omnes revelatâ facie Dominum speculantes,*

tes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Et *Ioannis* 1. *cap* 3. *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & omnis qui habet spem in eo sanctificat seipsum sicut & ille Sanctus est.*

Erunt quoque Beati impassibiles, sicut scriptum est *Apocal. cap.* 7. *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam Agnus qui in medio throni est reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrimam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt: & dixit qui sedebat in Throno, Ecce nova facio omnia.* Idemque dicitur Isaiæ c. 49. *Non esurient, neque sitient, neque percutiet eos æstus & sol, quia Miserator eorum reget eos.*

Habebunt quoque corpora Beatorum donum agilitatis & subtilitatis. Per hæc poterunt in momento penetrare corpora etiam solidissima, sicut radii solares per vitrum nec fractum nec læsum momento transeunt. Sic corpus Christi gloriosum clauso sepulchro resurrexit *Ioan.* 20. Sic etiam ad discipulos clausis januis intravit, dicens, *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, Luc.* 24.

Habebunt etiam Beati summum gaudium ex ipsius Cœli pulchritudine & præstantia. Videmus enim illa etiam quæ sub Cælo sunt ingentem habere decorem & pulchritudinem, quæ animos mirificè oblectant, qualis est species & pulchritudo Solis, Lunæ, Siderum, ac totius Terræ, & Maris; quanto illustrius est supremum illud Cæli empyrei palatium quod Deus sibi, suisque Sanctis ad perpetuam eorum oblectationem fabricavit? Hinc cum stupore exclamat Propheta, *Baruch.* 2. *O Israël, quam magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus.* Et David *psal.* 86. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Psal.* 85. Cælestis illa Hierusalem *Apoc.* 7. fusius describitur.

Sed majus erit gaudium in clara Dei visione, & in Societate Christi, & omnium Angelorum, ac Sanctorum. Hoc spondet ipse Christus *Ioan.* 17. *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.* Et Apostolus 1. *ad Cor.* 13. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Denique incompre-

henſam iſtius felicitatis magnitudinem declarat. 1. *ad Cor nth. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta præparavit Deus diligentibus ſe.*

Cæleſtis gloriæ magnitudinem Deus quibusdam aliquo modo in hac etiam vita oſtendit. Exemplum eſt in Jacob. *Geneſ.* 18. Vidit Jacob ſcalam de terra ad cœlum usque extenſam, & Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes, & exclamavit, *Quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.* Et iterum *Geneſ.* 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Eodem modo Dominus, ſe Moyſi oſtendit, *Exodi* 33. Elias curru igneo per turbinem in ſublime raptus fuit, & aliquid cœleſtis gaudii ſaltem à longè prælibavit. 4. *Reg.* 2. Ezechiel Propheta vidit ſuper firmamento ſedentem in Throno: & *hæc* inquit, *viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. Ezechielis* 1. Si illi tam ſtupenda fuit gloriæ ſimilitudo, qualis quæſo eſt ipſa gloria. Stephanus, etiam cum lapidaretur, *Intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Actor.* 7. Paulus Apoſtolus *raptus eſt in tertium cælum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui* 2. *ad Corinth. c.* 12. Joannes Evangeliſta *Apocal. cap.* 3. teſtatur ſe in cælo fuiſſe, non corpore, ſed ſpiritu, ubi vidit ſedentem in Throno, voces cœleſtes audivit, conſpexit lampades & tonitrua, & quatuor animalia Deum laudantia, & viginti quatuor Seniores adorantes ſedentem in Throno, & alia plurima.

Multa quoque cœleſtis gloriæ ſigna oſtenſa ſunt in vita & morte plurium Sanctorum, ut videre eſt nominatim in Vita S. Pauli Primi Eremitæ, S. Odilonis, S. Auguſtini, S. Franciſci, S. Martini, S. Patricii, S. Thomæ Cantuarienſis, S. Alexii, S. Dorotheæ, S. Margaretæ, S. Agnetis, S. Catharinæ, S. Cæciliæ, S. Eulaliæ, quod & in pluribus aliis factum eſt, ut cœleſtibus hiſce ſignis & Sanctorum beatitudo oſtenderetur, & nos ad ardentem beatitudinis futuræ ſpem & amorem incitaremur.

Futura hominis Beatitudo poſt hujus vitæ labores, rectè comparatur Auroræ, quæ poſt nocturnas tenebras nobis ſubito eluceſcit. Comparatur fragrantibus Roſis quæ ex ſpinis emergunt. Comparatur lætis & amænis fructibus, qui ex vili ſemine in terram depreſſo, cum multo fervore conſurgunt. *Seminatur*, inquit Apoſtolus, *corpus animale, reſurget corpus ſpirituale: ſeminatur in corruptione, reſurget in gloria, &c.* 1. *ad Corinth. c.* 15.

BAPTISMUS.

B*Aptiſmus præfiguratus fuit in figuris antiquæ Legis.* Nam per mare

mare rubrum filii Iſraël liberati ſunt, id eſt Chriſtiani ; & Pharao, id eſt, Diabolus cum ſuis ſequacibus, eſt ſubmerſus. *Exodi* 14. Signabatur Baptiſmus per aquam in quam Helizæus miſit ſalem, id eſt, Chriſtus gratiam. 4. *Reg.* 20.

Septena lotio Naaman in Jordane, quæ cum mundavit à lepra, ſignat ſeptem dona Spiritus ſancti, mundantia hominem baptizatum. 4. *Reg.* 5.

Baptiſmus prædictus fuit à Prophetis antiquis & novis: Nam de eo dici poteſt illud Ezechielis, *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* *Ezech.* 36.

Joannes Baptiſta cæpit Baptiſmum aquæ, ſed Baptiſmum Chriſti cum gratia & Spiritu ſancto propheticè prænunciavit. *Matth.* 3. Baptiſmum approbavit Chriſtus, quando baptizatus eſt à Joanne, & Spiritus ſanctus apparuit in Columbæ ſpecie, ut aquis virtutem tribueret ſalutarem. *Matt.* 3. *& Luc.* 3.

Præcepit Chriſtus Baptiſmum de neceſſitate, cum dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum, Ioan.* 3. Prædicari etiam voluit Chriſtus Baptiſmum, & formam baptizandi, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth.* 28. In Baptiſmo & Fide oſtendit Chriſtus eſſe ſalutem noſtram dicens: *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit. Marci ultimo.* Vide de Baptiſmo ſupra in part. 3. de Sacramentis, & infra in Catecheſi.

BENIGNITAS DEI.

B*Enignus eſt Dominus tribulationem ſuſtinentibus.* Ideò fugienti Jacob iram fratris ſui Eſau, Dominus benignè apparuit, & revertentem benignè defendit *Geneſ.* 33. Heliæ in neceſſitate corvus panes & carnes juſſu Dei cum benignitate ferebat. 3. *Reg.* 17. Eidem Heliæ feſſo & dejecto Deus panem & aquam per Angelum deſtinavit. 3. *Reg.* 3. *&* 19. Cum Azaria & ſociis ejus in fornace vidit Nabuchodonoſor ſimilem filio Dei, ad probandum, quod Deus tribulatis adeſſe ſoleat. *Dan.* 3. Danieli exiſtenti in lacu leonum, Deus benignè miſit prandium per Abacuc de longinquo. *Dan.* 14. Diſcipulis de Chriſti receſſu dolentibus ipſe Spiritum paraclitum promiſit, & dedit. *Ioan.* 14. *Actor.* 2. Petrum fluctuantem in mari Dominus benignè de fluctibus liberavit. *Matth.* 14. Stephano poſito in tribulatione Martyrii Dominus benignè cœlum apertum

& seipsum ostendit, cujus aspectu Stephanus recreatus, spiritum suum illi cum lætitia commendavit. *Actorum* 7. Lattonem clamantem in suis tribulationibus consolatus est Dominus dicens; *Hodie mecum eris in Paradiso. Luc.* 23. Jonam devoratum à balena Dominus misericorditer liberavit. *Ionæ c.* 2.

Benignus est Deus justis & rectè viventibus. Ideò Ezechias Rex dixit: *Dominus propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunt Deum.* 2. *Paralip.* 30. Misit Dominus benignè Angelum Raphaelem, qui Tobiam duxit incolumem & reduxit. *Tob.* 5. *usque ad* 12. Magdalenam pio operi intentam Christus benignè, discipulis murmurantibus excusavit. *Matth.* 26. *Marc.* 14. Exaudivit Dominus innocentem Susannam, & benignè eam ab injustis senibus liberavit. *Dan.* 13. Discipulos Christus benignè defendit tempore Passionis, dicens; *Si me quæritis, sinite hos abire. Ioan* 18.

Benignus est Dominus prœliantibus pro justitia, eos confortando & adjuvando. Ideò obedivit Dominus voci Josue dicentis, *Sol contra Gabaon non moveatur, Iosue* 10. Gedeoni dedit bis signum in vellere, qvod de hostibus victoriam obtineret. *Iudic.* 6. Machabæus & qvi cum eo erant, bis à Deo auxilium acceperunt. 1. *Machab.* 10.

Benignus est Dominus peccatoribus volentibus pœnitere. Ideò benignè pepercit David confitenti peccatum cum à Nathan fuit reprehensus. 2. *Reg.* 12. Exemplum Christi de filio prodigo, maximam Dei benignitatem in peccatores ostendit. *Luc.* 20. Zachæus Publicanus qui Christum desiderabat videre, benignè fuit à Domino visitatus. *Lucæ* 19. Lattoni petenti sui à Christo memoriam, promisit brevi tempore Paradisum, *supra Luc.* 23. Magna pietas Christi quâ Petrum ter negantem non abjecit, sed potiùs benignè respexit. *Lucæ* 22. Thomam non credentem non repulit, sed se ab eo tangi & palpari permisit. *Ioan* 20. Saulum persecutorem prostratum & excæcatum benignè erexit & illuminavit. *Actor.* 9.

Benignus est Dominus ægris & infirmis; Nam circumibat Jesus totam Galilæam, sanans omnem languorem & infirmitatem, *Matth.* 4. & 9.

BLASPHEMIA.

BLasphemi in Deum graviter puniuntur, etiam in hac vita.* Nam filius mulieris Israëlitæ, quia blasphemaverat Deum, jussus est à Domino lapidari, *Levit.* 14. Vir Dei dixit ad Regem Israël, qvi dixerat, *Deus montium Dominus, & non Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua.* 3. *Reg.*

Reg 20. Multùm diſplicuerunt Domino blaſphemiæ ſervorum Sennacherib Regis Aſſyriorum, propter quos percuſſit Deus 185. millia hominum de exercitu ejus. 4. *Reg.* 19. Multùm aggravavit Nathan peccatum David, quod fecerat inimicos blaſphemare nomen Domini. 2. *Reg* 12.

Blaſphemia ex magna ſuperbia oritur. Undè Nabuchodonoſor dixit tribus pueris, *quis eſt Dominus qui eripiat vos de manu mea?* Quia ſtatuam ejus adorare nolebant, *Dan.* 3. Holofernes indignatus, quia Achior Dei potentiam commendavit, dixit: *Oſtendam tibi quod non ſit Deus in terra niſi Nabuchodonoſor. Iudith.* 6. Dicentibus Judæis Nicanori: *Eſt Deus potens in cœlo, qui jubet cuſtodiri Sabbathum*, Reſpondit, *& ego potens in terra, qui jubeo ſumere arma.* 2. *Machab.* 15. 4.

Blaſphemant Deum increduli & infideles detrahendo operibus Dei. Undè cùm Jeſus ejeciſſet dæmonem, Phariſæi clamabant: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Matth.* 12. *Luc.* 11. Pendente Chriſto in Cruce *prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes, Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Matt.* 7.

Sicut Canes dicuntur contra Lunam latrare, ita impii ſicut canes rabidi contra Deum & Dominum ſuum blaſphemant. Linguam habent blaſphemi inſtar Serpentis, quæ non novit aliud quàm venenum evomere, etiam contra Deum, qui omnes quaſi in ſuo ſinu fovet.

C.

CASTITAS & CONTINENTIA.

Caſtitas ſervatur in ſocietate bonorum, & perditur in conſortio malorum. Quamdiu Dina fuit cum fratribus ſuis, & patre, manſit caſta, ſed exiens mulieres peregrinas curiosè videre, corrupta eſt. *Geneſ.* 34.

Caſtitatem violantes graviter puniuntur. Nam cùm Sichem violaſſet Dinam filiam Jacob, fratres ejus Sichem & patrem & populum occiderunt. *Gen.* 39. Amon propter deflorationem Thamar ab Abſolone in convivio eſt occiſus, 2. *Reg.* 13. Poſt violationem uxoris Levitæ plusquamſexaginta millia hominum ſunt occiſi. *Iud.* 20.

Caſtitas cara res eſt & multùm diligenda. Ideò Joſeph licet eſſet juvenis & ſollicitaretur à domina, maluit incarcerari & diffamari quàm perdere caſtitatem. *Geneſ.* 39. Sic diligebat Sara caſti-

castitatem ut diceret; *Tu scis Domine quia nunquam concupivi virum. Tobiæ* 3. Graviter fuit Susanna molestata à senibus, sed nec famam, nec vitam præposuit castitati. *Dan.* 13. Virgo Maria non est oblita votum castitatis servare, licet Angelus diceret ei, quod de ea filius Dei nasceretur. *Luc.* 1.

Castitatem maximè servare debent Sacerdotes, & ministri Dei, in cujus figura dicitur quod mundi debeant esse à mulieribus qui panes sacerdotales manducarent, ut habetur 1. *Reg.* 24.

Argumentum est castitatis Prælatis & Clericis, quod Stephanus in primitiva Ecclesia tam castus fuerit, ut non dubitaverint eum mulieribus præficere. *Actor.* 6.

Castè debent vivere relictæ, & viduæ, quibus castitas est difficilior. Ideò Judith post mortem viri sui non cognovit alium virum, sed *cum puellis suis clausa morabatur, habens cilicium supra lumbos, & jejunans cunctis diebus. Judith.* 8. 6. Anna vidua fuit usque ad annos octoginta quatuor, quæ non descendebat de templo jejuniis, & orationibus vacans. *Lucæ* 2.

Castitas debet aliis virtutibus adornari. Quod ostenditur Parabola de decem Virginibus, ubi tot Virgines fatuæ exclusæ, licet castæ erant, oleum tamen bonorum operum non habebant. *Matth.* 25.

Castitas similis est purissimo speculo, quod minimo halitu obscuratur. Similis est rosis, & floribus, qui si tangantur marcescunt, intacti fructum gratissimum ferunt. Vide *Luxuria.*

Calumnia, vide *Detractio.*

CHARITAS. V. AMOR.

A*Mor Dei facit misericordiam obtineri.* Ideò daturus Dominus Legem Moysi dixit: *Ego Dominus facio misericordiam his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Exod.* 20.

Amor Dei principium & finis est omnium mandatorum. Ideò dixit Moyses: *quid petit Deus à te, nisi ut ambules in viis ejus, & diligas eum. Deuteron.* 10. Paulus etiam dixit: *Si quis non amat Deum, anathema sit*: ac si diceret, defectu charitatis hominem à Deo separari. 1. *ad Corinth.* 16. Hoc est etiam quod Paulus dixit; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens &c.* 1. *ad Corinth.* 13.

Vide supra fusius *Amor Dei*, & *Amor proximi.*

CHRISTUS.

CHristi vita, virtutes, doctrina, miracula exponuntur in toto Evangelio, in quo ut singula facilius inveniantur, præcipua myste-

mysteria & loca breviter audiamus. Christi Conceptio, Nativitas, Divinitas. *Matth.* 1. *Luc.* 1. *&c.* Baptismus Christi & vox de cœlo. *Matth.* 3. *Marc.* 1. Jejunat 40. diebus & tentatur à dæmone. *Matth.* 4. Vocatio Apostolorum. *Matth.* 4. Sermo Christi in monte, octo beatitudines, & excellentia legis Evangelicæ enarratur *Matth.* 5. Mittit Apostolos ad prædicandum, & dat ipsis virtutem operandi miracula, *Matth.* 9. *v.* 37. *Luc.* 10, *v.* 1. Transfiguratio Christi gloriosa, & vox de cœlo audita. *Matth.* 17. *Luc.* 9. *v.* 9. Instituit cœnam Eucharisticam sui corporis & sanguinis. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc* 22.

Christi miracula & misericordia in curandis infirmis. Sanat decem leprosos & dæmoniacum. *Luca* 17. Illuminat cœcum. *Marc.* 10, & plures alios infirmos. *Matth.* 15. Sanat undecim infirmos & socrum Petri. *Matth.* 8. Paralyticum per tectum demissum. *Matth.* 9. Hydropicum. *Luc.* 14. Manum aridam. *Marc.* 3. Languidum ad piscinam. *Ioan.* 5. Servum centurionis, *Matth.* 8. Filium Reguli. *Ioan.* 4. Mulierem à fluxu sanguinis. *Matth.* 9.

Christi doctrina in variis parabolis eleganter ab eo proposita. In parabola seminantis explicat effectum varium, verbi & gratiæ divinæ. *Luc.* 8. In zizaniis exponit malitiam dæmonis, hæreticorum, & improborum hominum *Matth.* 13. In grano synapis vim doctrinæ Evangelicæ. *Matth.* 13. In negotiatore e mente pretiosam margaritam, studium regni cælestis præ rebus terrenis. *Matth.* 13. In ove perdita ostenditur charitas Christi in quærendis & recipiendis peccatoribus. *Luc.* 15. Eadem declaratur in filio prodigo, *Luc.* 5. Et in homine à latronibus sauciato & à Samaritano benignè curato.

Charitatem erga proximum in remittendis injuriis, explicat in servo qui debebat 100. talenta. *Matth.* 18. *Humilitatem & superbiam* in Publicano & Pharisæo. *Luc.* 18 *Diligentiam* in exercitio bonorum operum commendat in operariis in vineam missis, *Matth.* 20. *Vocationem* variam ad gloriam regni cœlestis aptè exponit in parabola de invitatis ad nuptias, & cœnam magnam; *Matth.* 22 *Luc.* 14. Et de decem Virginibus, & quinque talentis, *Matth.* 25. *Luc* 19.

Christi pro salute hominum passio, mors, & sepultura. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 12.

Christi Resurrectio à mortuis, & Apparitio varia, Matth. 28. *Ejus gloriosa in cœlum Ascensio.* Marc. 16. Lucæ 24. Joan. 13. *Christus in cœlo noster mediator & advocatus*, Joan. 6. & 14.

CON-

CONFESSIO PECCATORUM.

PLacet Deo humilis peccati confessio. Reprehensus David à Nathan peccatum suum patenter & humiliter est confessus dicens, *peccavi Domino*, & confestim veniam obtinuit. 2. *Reg.* 12. Veniebat ad Joannem omnis populus Juda, Confitentes peccata sua, *Matth.* 3. *Marc* 1. In cujus figura dixit Christus leprosis, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Luc.* 17. *Prædicante Paulo multi veniebant Confitentes peccata sua, Actor,* 19.

Confessio peccatorum debet esse cum spe veniæ, & non cum desperatione. Ideò Confessio Cain Deo non placuit, nec ipsi profuit; quia cum desperatione dixit, *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear, Genes.* 4. Judas confessus est peccatum suum, dicens; *Peccavi tradens sanguinem justum* &c. Sed ipsi non profuit, quia cum desperatione fecit. *Matth.* 26.

Confessio peccatorum debet esse cum proposito ulterius non peccandi. Ideò Pharaoni dicenti, Peccavi, non profuit illa confessio; quia non intendebat desistere à peccato & duritiâ cordis sui, *Exod.* 10. Simile accidit Sauli, cum reprehenderet eum Samuel de inobedientia erga Deum, 1. *Reg.* 15. Sed quia David agnovit suum peccatum cum intentione ulteriùs non peccandi, dixit ei Nathan, *Transtulit Dominus peccatum tuum.* 2. *Reg.* 12.

Confessionem inducit aliquando tribulatio & afflictio. Ideò dixit Psalmista; *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum; posteà acceleraverunt*, scilicet ad confessionem, *Psal.* 15. Afflicti Israëlitæ per serpentes dixerunt Moysi: *Peccavimus, quia locuti sumus contra te, Num.* 21. Oppressi filii Israël à Philistæis & filiis Amon confessi sunt, dicentes, peccavimus. *Iud.* 10.

Confiteri debent homines quantumcumque justi, & se peccatores reputare. Exemplo Neemiæ dicentis; *Ego & domus Patris mei peccavimus, iniquitatem fecimus, Neem.* 1. Orans Daniel, qui erat vir perfectus dicebat, *Peccavimus, iniquitatem fecimus, Daniel.* 9. Sextus illorum septem fratrum, qui pro Domino sustinebant Martyrium dixit: *Hæc patimur quia peccavimus,* 2. *Machab.* 7.

Vide in Catech. *c.* 4. *de Sacram. Pœnit.* Et in *Resol. Theol. Tripart. part.* 3. *cap.* 1. &c.

CONSILIUM BONUM.

COnsilium Sapientum servandum est. Ideò dicebat filio Tobias; *Consilium semper à sapiente perquire, Tobiæ.* 4.

Qui non credit Consiliis Sapientum perit: Sicut filii Israël, qui nolue-

luerunt credere Moysi sapienti & experto dicenti , non ascendatis, ideò victi fuerunt. *Numer.*14. Roboam quia non tenuit Consilium Seniorum ad clementiam , sed consilium juvenum ad jugum durissimum subditis imponendum , magna pars populi ab illo defecit. 3. *Reg.* 12. Daniel plenus sapientiâ dedit bonum consilium Nabuchodonosor, ut peccata sua eleemosynis redimeret ; sed ipse non credidit, ideò ad bestias est translatus. *Daniel.* 4.

Consiliis amicorum credendum est. Nam fidele consilium dabat Achior Holoferni cum quo erat in exercitu , sed quia non credidit, occisus fuit, *Iudith* 5. Godolias qui non credidit Consiliis Joannan ut sibi caveret , mortem incurrit. *Ierem.* 41. Judas cum paucis pugnaturus contra multos noluit acquiescere consiliis amicorum , ut meliorem opportunitatem expectaret, ideò in prælio interiit. 2. *Machab.* 9. Consilia octo Evangelica ad beatitudinem obtinendam præbuit Christus in monte, *Matth.* 5.

Consilium bonum simile est optimæ medicinæ, quâ homines ad salutem perducuntur , & à morte conservantur : consilium verò perversum simile veneno aut pesti , quâ homines inficiuntur, & pereunt.

CONSILIUM MALUM.

Consilium malarum mulierum detestandum est. Nam Eva malè consuluit & persuasit viro, ut de ligni vetiti fructu manducaret ; quod & fecit, ideôque amœnissimum locum paradisi perdidit, *Genes.* 2. Domina cui serviebat Joseph malè consulebat ei, ut castitatem perderet, cui non acquievit , & factus est Dominus Ægypti. *Genes.* 39. Mulieres persuasionibus perverterunt cor Salomonis, ut adoraret idola, ut habetur 3. *Reg.* 11. Nefandum consilium dedit Herodias filiæ, dicens, *nihil aliud petas nisi caput Ioannis.* *Matth.* 14. *Marc.* 6.

Consilium malum aliquando dant subditi Principibus & Prælatis. Sic populus Israël malè consuluit Aaroni ut faceret iis vitulum aureum quem adorarent ; quibus Aaron stultè credidit , & scandalum incurrit. *Exod.* 32.

Malum consilium consultori pessimum. Sic Aman consilium dedit ut suspenderetur Mardochæus, & ideò ipse suspensus fuit. *Esther.* 7. Achitophel videns suum consilium contemni, laqueo se suspendit. 1. *Reg.* 17.

Triplicem similitudinem consilii dolosi adducit Sapiens *Eccles.* 29. *Qui foveam fodit, incidet in eam : & qui stravit lapidem proximo suo, offendet in eo ; & qui laqueum alteri ponit peribit in illo.*

CONSOLATIO DIVINA.

C*Onſolatur Dominus obedientes mandatis ſuis.* Ideò Abraham poſtquam exivit de terra ſua ad mandatum Domini, Dominus conſolatus eſt eum diverſis apparitionibus: *Gen.* 12. 15. *&* 37. Filiis Iſraël qui obedientes Deo exierunt de Ægypto ut ſacrificarent in deſerto, miſit Dominus conſolationes, quando pluit eis in deſerto manna, &c. *Exod.* 16.

Conſolatur Dominus tribulatos poſt tempeſtatem tribulationis; Juxta illud Pſalmi, *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ideò fugiente Jacob à facie fratris ſui, Deus eum multipliciter conſolatus eſt in ſomno. *Geneſ.* 28. Moyſi exulanti apparuit Dominus in deſerto, conſolans eum, quod non accidit ei in domo Pharaonis. *Exod.* 3. Luctum Judæorum convertit Dominus in gaudium, quando per Eſtherem fuerunt à tanto periculo liberati. *Heſter.* 9.

Conſolatur Deus obſeſſos, carceri mancipatos, &c. Sic filios Iſraël obſeſſos ab Holoferne in Bethulia conſolatus eſt in victoria per manum fæminæ Judith. *Iud.* 10. *&* 13. Petrum incluſum in carcere Herodis conſolatus eſt per Angelum ſuum liberans eum. *Act.* 21. Paulum & Silam poſitos in carcere Dominus miſſo terræ motu conſolatus eſt frangens vincula & liberans eos, ut habetur *Act* 16.

Conſolatur Dominus juſtos in operibus bonis. Sic conſolatus eſt Tobiam & Saram liberando à dæmonio, qui viros ejus occiderat, ut habetur, *Tob.* 8. Danielem juſtum bis poſitum in lacu leonum, Dominus conſolatus eſt per Angelum, & Habacuc. *Dan.* 6. *&* 14. Suſannam quæ adulterio nolebat conſentire, morte damnatam Dominus per Danielem liberavit. *Daniel.* 13. Implevit Dominus promiſſam conſolationem, quando in Pentecoſte Apoſtolis Spiritum ſanctum miſit. *Act.* 2.

CONSTANTIA & FORTITUDO.

F*Ortem, ſtrenuum, & audacem reddit hominem puritas conſcientiæ.* Moyſes purus & innocens audacter & conſtanter ſtetit coram Pharaone arguens eum, *Exod.* 5. *& ſeq.* Gedeon fortiſſimus in trecentis viris maximum populum viriliter ſuperavit. Dixerat enim ei Angelus, *Dominus tecum virorum fortiſſime. Iud.* 6. In illa fortitudine liberavit Iſraël. *Iudicum* 8.

David fortiter ſuperavit leonem, & urſum, & Goliatum. 1. *Reg.* 17. Judas Machabæus viriliter tranſivit Jordanem, & irruit in hoſtes

ſtes ſuos. 1. *Machab*. 5. Eleazar audacter irruit in Elephantem & occidit, licet ipſe poſteà ſit mortuus. 1. *Machab*. 6. Machabæus & ſocii more Leonum irruentes in hoſtes, occiderunt multitudinem inimicorum. 2. *Mach*. 11.

Fortitudo perfectiſſima eſt tolerantia adverſorum. Tali fortitudine toleraverunt fornacem 3. pueri dicentes Regi; Deus poteſt nos eripere de camino ignis. *Dan*. 3. Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, viriliter ſuſtinuit lapides; & ſic de aliis Martyribus.

Non debet homo dimittere opus bonum, licet contingat eum tribulationem incurrere. Nam Tobias remanſit in timore Domini, licet plaga cœcitatis eveniſſet ei, *Tob*. 2. Ridetur in Evangelio homo inconſtans qui cæpit ædificare, & non potuit conſummare. *Luc*. 13.

Perſeverandum eſt in bono propoſito, nec reſpiciendum retrò poſt egreſſum de ſocietate malorum, ne accidat homini ſicut uxori Loth poſt egreſſum de Sodomis, quæ retrò aſpiciens, in ſtatuam ſalis eſt converſa. *Gen*. 19. Socii Danielis multùm conſtantes & perſeverantes fuerunt, ne ſtatuam quam erexerat Nabuchodonoſor adorarent. *Dan*. 3.

Eleazar multa tormenta conſtanter ſuſtinuit, ne ad impietatem declinaret, 2. *Machab*. 6. Chriſtus laudavit conſtantiam Joannis Baptiſtæ, quod non ſimilis eſſet arundini, quæ facilè in omnem partem movetur. Salutem denique æternam conſtantiæ promittit, dicens, *Qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit*. V. infra *Fortitudo. Perſeverantia.*

CORREPTIO FRATERNA.

PErfectam Regulam dedit Dominus Petro, dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum &c. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Matth*. 18. Joannes Baptiſta cum magno fervore corripiebat Phariſæos, quod eſſent progenies viperarum. *Matth*. 3. *Luca* 3. Multâ audaciâ & zelo arguebat Herodem, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Matth*. 14. *Marc*. 6. Unus de latronibus qui pendebat in cruce, cum magno zelo alterum reprehendebat, dicens, *neque tu times Deum &c. Luca* 23. Stephanus in Concilio Judæorum ferventer & audacter increpavit eos quod eſſent duri corde, & Deo reſiſterent. *Act*. 7.

Corrigere debent Prælati ſubditos ſuos, & eos de vitio arguere. Sic Sacerdotes reſtiterunt Oziæ Regi volenti offerre incenſum, quod non erat ſui officii, dicentes; *Non eſt tui officii adolere incenſum*, 2. *Paralip*. 26. Sic reprehendit Eſdras filios transmigrationis, qui duxerunt contra legem filias alienigenarum, 1. *Eſd*. 9. & 10.

Item, debent eos reprehendere de violatione Festorum. Sic arguebat Neemias portantem onera Sabbatho, dicens: *quæ est hæc res mala quam vos facitis & prophanatis diem Sabbathi*, ut habetur *Neem.* 14.

Item debent eos reprehendere de mendacio, & pravo exemplo: sic Petrus Ananiam & Zaphiram, *Actor.* 1. Sic Paulus Elymam magum durè reprehendit, qui nitebatur à fide avertere proconsulem. *Actor.* 13. Et S. Petrus Simonem magum volentem emere Spiritum sanctum. *Act.* 8.

Item de, peccato carnis: Sicut Apostolus praviter reprehendit Corinthios de fornicatione. 1. *Corinth.* 5.

Item, de irreverentia circa Sacramenta: Sicut Paulus eosdem arguit de irreverentia erga Eucharistiam. 1. *Cor.* 11. *v. Exhortatio.*

CURIOSITAS.

Curiosi desiderant semper nova scire, & illâ scientiâ majores apparere. Ideò prima mulier, quæ desideravit sicut Deus scire bonum & malum, pomum curiosè aspexit, & divinum præceptum contempsit. *Genes.* 3. Discipulorum curiositatem scire volentium tempus secundi Adventus reprehendit Dominus, dicens: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta. Act.* 1. Athenienses qui erant curiosi, non vacabant saluti, sed ut semper nova scirent. *Act.* 17. Judæi videntes miracula à Christo fieri, adhuc signa de cælo curiosè quærebant. *Luc.* 11. Herodes curiosè desiderabat videre Christum, non ut crederet, sed ut videret ab eo signa fieri. *Lucæ.* 13.

Curiosi debent admoneri à prudentibus ut utilia sectentur, & curiositatem relinquant. Ideò prædicante Apostolo in Epheso multi qui fuerunt curiosa sectati congesserunt libros, & combusserunt coram discipulis. *Act.* 19. Reprehendebat Apostolus quosdam Thessalonicenses curiosè ambulantes, & nihil operantes. 2. *Thessal.* 3. Adolescentiores viduas monet Apostolus esse vitandas, quæ sunt frequenter vagæ & curiosæ. 1. *ad Tim.* 4.

Similes sunt curiosi piscibus & volucribus, quæ per loca aliena & peregrina perpetuò vagantur, nec corpore aut mente secum habitant. *August. in Psal.* 8.

D.

DEIPARA.

Deiparæ laus & imitatio deducenda est ab æstimatione virtutum quæ in ea eluxerunt, ut est humilitas, Amor Dei, Li-

Liberalitas, Oratio perpetua, Abstinentia, Castitas, Compassio sive misericordia erga homines &c. quæ omnia in Apparatu invenies, & harum virtutum exempla in aliis quidem magna, in Deipara autem maxima fuisse ostendes.

2. Exponitur Deiparæ excellentia ex variis ejus Figuris ex Scripturâ desumtis. *Genesis c.* 3. Est secunda & melior Eva, & mater cunctorum viventium per gratiam, quæ serpentis caput contrivit.

Exod. 3. Est Rubus ardens & incombustus, quia Christum ut ignem cœlestem concepit, & virginitatis florem non amisit.

Iudic. 6. Est vellus Gedeonis, quia sola Deipara mansit nullo peccati imbre madefacta.

Numer. 17. Est virga Aaronis, quæ sola floruit absque germine, & Christum peperit absque semine.

Ezech. 44. Est Porta clausa, & vir non transibit per eam, qvoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, in Christi nativitate, &c.

Comparatur etiam appositè cum Rebecca, cum Judith, cum Esthtre, cum Susanna, & aliis mulieribus in Scriptura laudatis.

Item cum Arca Noë, qua per Deiparam à diluvio mortis æternæ salvatum est genus humanum. Vocatur etiam propter eximiam castitatem Hortus conclusus, Fons signatus.

Item ob Pulchritudinem dicitur Columba formosa, lilium inter spinas, oliva fructifera, Rosa in Jericho. Propter Gloriam & potentiam dicitur etiam pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata, & mulier amicta Sole, lignum vitæ in paradiso Ecclesiæ. Tanquam mediatrix inter Deum & homines dicitur scala Jacob, per quam ascendit oratio & descendit misericordia, Civitas refugii, & propitiatorium. Plures alii conceptus percurrendo Litanias Lauretanas facilè occurrent, ut turris Davidica, fœderis Arca, Janua cæli, Stella matutina, &c. Quæ prudens Concionator facilè Virgini applicabit, v.g. considerando proprietates Stellæ, & eas in dotibus Deiparæ demonstrando. Vide de cultu Deiparæ & S.S. contra Novatores *part.* 1. *Tr.* 2. *c.* 8. 9.

DETRACTIO, & CALUMNIA.

DEtrahunt *homines pessimi viris bonis solùm ex malitia, falsa imponentes.* Sicut uxor Putipharis, cui inserviebat Joseph, iniquè detraxit ei apud virum suum, imponens ei quod eam voluisset opprimere. *Genes.* 29. Senes illi pessimi Susannam turpiter infamaverunt, crimen adulterii falsò imponentes. *Daniel.* 13.

 Simon

Simon malè loquebatur de Onia provisore civitatis, & defensore gentis. 2. *Machab*. 4. Falsi testes detraxerunt Stephano dicentes: *Homo iste non cessat loqui contra Deum. Actor*. 7.

Detractio vitium est invidorum, qui alios infamant, ut eos infra se deprimant. Sic Principes detraxerunt Davidi apud Achis, ut amoverent eum. 1. *Regum*. 29. Satrapæ Darii invidentes fœlicitati Danielis, detraxerunt ei apud Darium, *Daniel*. 6. Pharisæi invidentes Christo multoties detraxerunt ei, quia cum Publicanis conversabatur. *Matt*. 9. *Luc* 5.

Detractores graviter puniuntur à Deo in præsenti & in futuro sæculo. Nam Maria soror Moysis contra eum locuta est detrahendo ex modica occasione, sed citò est secuta lepræ pœna. *Num*. 12. Filii Israël detraxerunt terræ promissionis, sed in malum suum, quia nullus eorum intravit eam, sed mortui sunt, ab hostibus & bestiis consumti in deserto. *Num*. 13. & 14. Etiam propter detractionem Chore & multi complices ejus fuerunt occisi. *Numer*. 16.

Detractio à superbia & ambitione procedit. Sic Absolon ambiens regnum patris, detrahebat ei, singulis dicens: *Non est qui audiat te constitutus à Rege*. 2. *Reg*. 15. Aman superbus, quia non adorabatur à Mardochæo, detraxit omnibus Iudæis eorum Rege, *Hester*. 3. Alcimus qui volebat fieri summus Sacerdos, detrahebat Judæ coram Demetrio. 1. *Machab*. 7.

Detractores non debent audiri, nec verbis eorum est adhibenda fides. Nam Siba servus Miphiboseth nequiter detraxit Domino suo coram David, & David temerè fidem adhibuit verbis ejus, & ideo perversum dedit judicium. 2. *Reg*. 16. Sapiens fuit Alexander Rex, qui viros pestilentes, qui venerunt adversus Jonatham detrahentes ei, & interpellantes Regem adversus eum, nullatenus audire voluit, 1. *Mach*. 10.

Detractor vertit semper bona in mala, vel tanquam mala intentione facta. Nam si jejunas, dicit te hypocritam, si comedis, voracem, si quiescis, pigrum, si rides, inquietum, si taces, stultum, si loqueris, præsumtuosum, si tua pauperibus das vel erogas, dicit te esse vanum & gloriosum, si non erogas, avarum, si sapiens es, superbum, si religiosus, dicit te hypocritam. Ideò de Joanne Baptista multùm jejunante dicebant quidam detractores, demoniū habet. De Jesu autem comedente dicebant: *Ecce homo vorax, & potator vini Matt* 11. Viso miraculo de cœco nato detraxerunt Pharisæi, dicentes, *Nos scimus quia hic homo peccator est, & maledixerunt ei. Ioan*. 9 Ejecto dæmonio & loquente muto, quidam detrahentes Christo miraculū perverterunt, dicentes, in *Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, *Luc*. 11. *Matt*. 12. Com-

Comparat Scriptura detractionem cum morsu serpentis, & gladio acuto. Serpens qui non edito sibilo mordet, detractori per omnia similis est, *Eccli* 10. *Filii hominum dentes eorum arma & sagitta, lingua eorum gladius acutus.*

Detractores similes sunt canibus, qui contra omnes prætereuntes latrant, & nemini parcunt,

Sicut porticus olympiæ acceptam vocem per resonantiam septies remittebat, ita detractores contumeliosi uno verbulo offensi sexcenta convitia ingeminant. *Plinius.*

DISCORDIA.

D*Iscordia multoties oritur ex invidia etiam inter fratres.* Patet in prima discordia inter Cain & Abel, quam movit ex invidia Cain, quia munera Abel Deo placebant, *Genes.* 4. Occiso à David Philisthæo, & auditis cantantibus, *Saul percussit mille, & David decem millia!* Saul invidia motus, quia minùs dederant sibi, persecutus es Davidem. 1. Reg. 18.

Discordia fiunt aliquando ex avaritia. Nam propter multam substantiam quam habebat Abraham & Loth, facta est discordia & rixa inter eorum Pastores, *Genes.* 13. Quia Jacob decepit Esau in hæreditate & benedictione paterna, facta est discordia inter eos, *Genes.* 27. Propter avaritiam & tenacitatem Nabal facta est discordia cum Davide, sed per liberalitatem Abigaïl uxoris fuit sapienter sedata, 1. *Reg. c.* 25.

Discordia oriuntur multoties ex superbia & ambitione. Hinc orta est discordia inter Absolon & David. 2. *Reg.* 15. propter superbiam & duram Responsionem quam Roboam fecit populo, divisum est ejus Regnum. 3. *Reg.* 12. Contentio inter discipulos facta est quis eorum esset major, quæ per humilitatem sedata fuit. *Luca* 22.

Discordia sunt frequenter propter mulieres, & luxuriam. Occasione Dinæ quam Sichem oppressit, facta est discordia, & secuta sunt homicidia, *Genes.* 33. Quia Thamar violata est ab Amon fratre ejus, facta est discordia inter fratres, ex qua frater jussit interfici fratrem, 2. *Reg.* 12. & 13. Propter uxorem Samsonis alteri traditam, dissensio facta est cum Philistæis, *Iudicum* 15.

Discordia oriuntur aliquando ex vitio gula. Sicut accidit filiis Israël, qui jurgati sunt contra Moysen ductorem eorum, propter defectum cibi & potus, *Exod.* 16. & 17. Iterùm filii Israël recusantes manna cibum cœlestem, rixati sunt contra Moysen petentes carnes. *Numer.* 21.

Discordes & rixantes debent Prælati & Majores corrigere. Sicut Moyses corripuit rixantes Hebræos contra invicem. *Exod.* 2.

Mulieres rixantes propter infantem vivum, Salomon cum vera justitia prudenter sedavit. 3. *Reg.* 3. Contentionem discipulorum, quis esset major, Christus sedavit, de sua humilitate exemplum præbens. *Luca.* 22.

Sicut inflando, ex scintilla unica excitatur incendium; ita ex modica rixa magnæ discordiæ oriuntur. *Nazian.*

Sicut Mare, quod ex se tranquillum est, ventorum vi agitari & turbari videmus; sic populus in pace tranquillus, turbulentorum hominum vocibus concitari solet.

Quemadmodum singula hastilia seorsim separata facilè franguntur, conjuncta verò frangi nequeunt; sic cives inter se dissidentes facilè superantur, concordes verò insuperabiles manent. *Plutarchus.* Vide *Pax, Concordia.*

DURITIA CORDIS.

D*Vri & obstinati in malo per verba, & prædicationes non emolliuntur:* Sunt enim sicut duri lapides, super quos si cadat aqua, interius non mollescunt. Sic Heli filios verbo corripuit, sed non profuit, ideoque interierunt, ut habetur 1. *Reg.* 2. Nabal fuit ita durus, ut ad dulcia verba nuntiorum David flecti non potuerit. 1. *Reg.* 25. Judas ita fuit durus, ut osculo Christi emolliri non potuerit.

Duri manent obstinati quantumcunque viderint signa & miracula fieri. Sic induratum fuit cor Pharaonis, qui ad nulla signa quæ Moyses de mandato Domini faciebat, emolliebatur ad credendum Domino, *Exod.* 56. 18. & 19. Judæi qui apprehenderunt Jesum fuerunt durissimi, qui neque per sanationem auriculæ, neque per alia signa moti fuerunt, *Luca* 22. *Ioan.* 18.

Duri & obstinati non solùm non quiescunt, sed etiam si reprehenduntur pejores fiunt. Sic tam durus fuit Cain post admonitionem Domini, ut fratrem occiderit, *Genes.* 4. Obstinati Judæi Zacharia increpante & admonente, eum crudeliter occiderunt, 2. *Paralip.* 24. Stephanum increpantem Judæos de eorum duritia, ipsi eum impiè lapidaverunt. *Act.* 7. Vide *Avaritia*; & è contra *Pœnitentia, Obedientia, Liberalitas.*

E.

EBRIETAS.

E*Brietas & gula in tentatione obtinent primum locum.* Prima tentatio filiorum Israël fuit de potu, secunda de cibo,

*Exod.*17. & 18. Volens Diabolus Salvatorem tentare, priùs ipsum gulâ, quam alio vitio aggressus est. *Matth.* 4.

Ebrietas vitium luxuriæ nutrit. Hinc est quod Loth qui in Sodomis bonus fuit, inebriatus cum propriis filiabus peccavit, & duplicem incestum commisit. *Genes.* 19. Sicut enim pinguia facilius flammam concipiunt, ita ebriosi flammam libidinis.

Ebrietas hominem dementat. Nam Noë qui erat vir perfectus, inebriatus sic dementatus est, ut sine verecundia denudatus jaceret, *Genes.* 9. Fatuus & demens factus est Esau, qui propter lentis edulium vendidit primogenituram fratri suo. *Genes.* 25. Propter vesaniam in epulis dives Epulo in siti & flammis cruciatur. *Luc.* 18.

Gula vitium in Clericis & religiosis est maximè detestabile. Ideò dixit Dominus ad Aaron; Vinum & omne quod inebriat non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis tabernaculum, *Levit.* 10. *Numer* 16.

Crapula & ebrietas multoties causa vel occasio est mortis. Undè Philisthæis epulantibus & lætantibus domus cecidit super eos. *Iudicum* 16. Amon in convivio temulentus, fuit ab Absolone occisus. 2. *Reg.* 13. Comedit Jonathas modicum mellis contra præceptum patris, & fuit contemnatus ad mortem; sed populus ipsum liberavit. 1. *Reg.* 14. Benedab Rex Syriæ temulentus per Principum provinciarum pueros ad mortem fugatus est. 3. *Reg.* 20. Filiis Job vescentibus & bibentibus vinum, domus cecidit, & eos oppressit. *Iob.* 1. Propter ebrietatem Holofernis Judith habuit oportunitatem eum occidendi. *Iudith.* 12. Reversus Aman à convivio lætus, statim fuit cum duabus filiabus & cum decem filiis occisus. *Hesther.* 9. Fecit Ptolomæus convivium Simoni, & eum cum duobus filiis interfecit. 1. *Machab.* ultimo. In convivio natalis Herodis innocens Baptista propter veritatem impiè decollatus fuit, ut habetur *Marc.* 6. *Matth.* 14.

En quibus S. *Chrysost.* comparat ebriosos; *Homo*, inquit, *ebrius est mortuus animatus, dæmon voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. Homil.* 1. *ad pop. Antioch.*

Ebriosus similis est Anseri, qui amat semper os in liquido habere, clamare, & otiari; sed sicut Anser in fine deplumatur, & ad ignem assatur; ita ebriosus tandem omnibus bonis deplumatur à creditoribus, & posteà in inferno assatur à dæmonibus.

Ebriosi sunt sicut paludes, in quibus tantum generantur ranæ, & serpentes, & noxia animalia; ita & in ebriosis otium, & luxuria, & insania, & omnia vitiorum genera aluntur. Vide *Gula. Abstinentia.* 1.

ECCLESIA.

ECclesia cum sollicitudine & fervore debet à fidelibus ædificari. Ideò ferventior fuit Salomon in ædificatione templi, quam domus suæ; quia templum in septem annis, domum verò in duodecim perfecit, 3. *Reg.* 3. Magnam curam habuit Dominus de ædificatione Ecclesiæ quando præcepit Cyro ut ædificaret ei domum in Hierusalem, quòd priùs prædixerat per Esaiam, *Esaiæ* 2. & 1. *Esd.* 3.

Ecclesia ædificata debet solenniter & cum gaudio consecrari. Ideò magnam solemnitatem fecit Salomon in dedicatione templi, 3. *Reg.* 8.

Ecclesiam debet homo intrare mundus à peccato. In cujus figura dixit Dominus Moysi; *facies labarum æneum ad lavandum: & missâ aquâ lavabant Aaron & filii ejus manus suas & pedes* cum ingressuri erant tabernaculum. Per manus significantur operationes, per pedes affectiones, *Exod.* 30. Non licebat nisi paucis & mundis intrare templum & tangere vasa ejus, *Numer.* 4. Sæpè mundavit Dominus templum ejiciens vendentes, & ementes, & mensas, & boves, columbas, quæ templum reddebant immundum. *Matth.* 2:. *Luc.* 19.

Instruendi sunt tam pueri quàm provecti, ut Ecclesiam visitent. Exemplo Christi, qui die 40. à nativitate voluit ad templum deferri: & duodennis in templo, in medio Doctorum, fuit à Matre sua inventus, *Lucæ* 2. Petrus & Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam; & tunc claudum Petrus sanavit, *Act.* 3. Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum commendatur, qui de Æthiopia veniebat in Hierusalem ad visitandum templum, *Act*, 8. Vide infra, *Fides*.

Quam firmiter oporteat credere veræ Ecclesiæ, vide exempla in Catechesi de Symbolo cap. 1.

Argumenta octo pro Ecclesia Romana, & contra Sectarios &c. vide supra in Controv. *part* 1. *cap.* 3.

EXHORTATIO.

EXhortatio retrahit à peccato. Sicut exhortatio Abigail Davidem à peccato homicidii retraxit. 3. *Reg.* 15. Quamdiu vixit Sacerdos Jojada, qui exhortabatur Joas Regem Juda, tamdiu Joas probus fuit; sed eo mortuo factus est pessimus, 4. *Reg.* 12. Ad exhortationem Neemiæ Usurarii reddiderunt usuras, & ulterius non acceperunt, *Neem.* :. Baptistâ exhortante populum, multi baptizabantur confitentes peccata sua, *Matt*, 3.

Ex-

Exhortatio bona confortat in tribulatione. Ideò Tobias adibat omnes in captivitate poſitos exhortans eos, ut habetur *Tobiæ* 1. Tribulato Job venerunt amici ejus ad confortandum eum. *Iob.* 2. Primum ſeptem fratrum Machabæorum, cùm in ſartagine torqueretur, cæteri cum matre hortabantur, ut pro lege fortiter moreretur, ut habetur 2. *Machab.* 7.

Exhortatio bona parentum filios facit probos. Sicut parentes uxoris Tobiæ monuerunt eam honorare ſoceros, maritum diligere, & gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere, *Tobiæ* 18. Moriturus Matthatias filios efficaciter hortatus eſt ad agendum viriliter pro lege Domini; quòd ipſi optimè ſervaverunt, 1. *Machab.* 2.

Vide infra, *Filiorum educatio.*

Exhortatio bona excitat alios ad virtutem. Sicut Judith ſuâ exhortatione animavit cives Bethuliæ ad viriliter reſiſtendum Holoferni, & placandum Deum. *Iudith.* 8. Judas Machabæus hortabatur & armabat populum ſermonibus bonis, 1. *Machab.* 3. & 4. & 2. *Machab.* 8. 10. Paulus & Barnabas hortabantur fratres & animabant, ut permanerent in fide, *Act.* 14.

Exhortationes Dei nomine debent Prædicatores liberè & libenter præſtare. Propterea dixit Dominus, *Eſaiæ* 51. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Joannes Baptiſta prædicando monuit Herodem de inceſtu, & Chriſtus Judæos de incredulitate, etiamſi ideò ſe morituros præviderent.

Exhortatione oportunâ peccatores & infideles ad Deum convertuntur. Sicut prædicatio Jonæ convertit Ninivitas, qui propter peccata ſubverti debebant, *Ionæ* 3. Petrus in Pentecoſte ſic prædicavit, ut circiter tria millia hominum converterit ad fidem, *Act.* 2. Iterum ad prædicationem Petri tot crediderunt, ut factus ſit numerus credentium quinque millia, *Act.* 4. Prædicantibus Paulo & Barnabâ Iconiis crediderunt multi Judæi, & Græci, *Actor.* 14.

Vide ſupra, *Correptio, Conſilium bonum &c.*

EUCHARISTIA.

IN hoc Sacramento verè Deus *memoriam fecit mirabilium ſuorum.* Res mira, ſolo Dei verbo cœli formati ſunt, magis mirum, Chriſtum ſolo verbo è cœlo in terras adduci. Solo verbo dixit Deus, *Fiat Lux*, & facta eſt lux; *fiat firmamentum*, & factum eſt firmamentum: Solo verbo juſſit Joſue ſolem ſtare & ſtetit: Sed magis mirandum Chriſtum Filium Dei, Solem juſtitiæ, cœli terræque Dominum, ſolo verbo, *Hoc eſt corpus meum*, è cœlo

è cœlo descendere, sub panis & vini speciebus collocari, & hominibus in alimentum præberi.

Mysterium hujus Sacramenti variis *figuris* in Scriptura adumbratur, & explicatur. *Exod*, 12. Deus jubet offerri & manducari *Agnum Paschalem*, in Eucharistia manducatur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Exodi 16. Deus in deserto filios Israël pavit *manna cœlesti* per 40. annos, Deus in deserto hujus vitæ pascit Christiános sacrâ Eucharistiâ, ut non deficiant in via patriæ cœlestis, & in alimentum vitæ æternæ, ut apertè dicitur *Joan.* 6. *Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna in deserto & mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

Exodi. 40. Offerebatur Domino *Panis propositionis*, qui solùm à puris & sanctificatis sumi poterat; ita ad hoc Sacramentum nemo debet nisi purus accedere, alias ut ait *Apost. Iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Genesis. 14. Melchisedech in gratiarum actionem pro victoria per Abrahamum obtenta *Obtulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi;* sic panis Eucharisticus offertur Deo in Sacrificium pro victoria obtenta vel obtinenda contra carnem, mundum, & dæmonem.

Ad Communionem Eucharistiæ accedens debet priùs *sordes peccatorum* per Pœnitentiam aut Confessionem abluere: Sic enim Christus ante institutionem Eucharistiæ discipulorum *pedes lavit*, *Ioan.* 13. Et Apostolus monet, 1. *Cor.* 11. *v.* 27. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, id est, examinet se, an sit dignus tanto Sacramento. Narratur *Matth.* 27. Joseph ab Arimathia acceptum Christi jam defuncti corpus involvisse in syndone munda, & collocasse in monumento novo; quantò magis oportet Christi viventis corpus in animam mundam suscipere, & cum novo affectu charitatis.

Hujus Sacramenti institutio, fructus, & effectus tribus potissimùm locis in Scriptura exprimuntur, *Ioan.* 6. *v.* 48. *Ego sum panis vitæ &c.* fusè *Matth.* 26. *v.* 17. de ultima cœna. Et 1. *ad Corinth.* 11. ubi exponitur institutio, & dispositio reqvisita ad Eucharistiam.

De hoc Sacramento contra hæreticos vide tradita in controversiis *p.* 1. *tr.* 2. *cap.* 3. Varia exempla &c.

Vide infra in Catecchesi *cap.* 4. de Eucharistia, & Sacrificio Missæ.

F.

FIDES IN DEUM. FIDUCIA.

FIdem *magnam habentes in Scripturis frequentissimè commendantur.* Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam, *Genes.* 15. Moysen ex magna fide commendat Apostolus: Fide Moyses magnus effectus est. *Ad Hebr.* 11. Mariam Virginem ob magnam fidem commendat Elizabeth, dicens: *Beata es quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Luc.* 10. Commendat Salvator fidem Centurionis, dicens: *non inveni tantam fidem in Israël. Matth.* 8. Credentes Dominus dicit Beatos; *Beati qui non viderunt & crediderunt. Ioh.* 20.

Fides aliquando acquiritur ex miraculis, Ideò postquam filii Israël transierunt mare rubrum miraculosè divisum, & viderunt Pharaonem submersum, timuerunt Deum & crediderunt Deo. *Exod.* 14. Magi videntes Stellam in Nativitate Christi miraculosè refulgentem novam in Christum fidem receperunt, firmiter credentes ipsum esse Deum. *Matth.* ·. Viso miraculo de claudo sanato per Petrum & Joannem, factus est numerus credentium quinque milia. *Act.* 4.

Fidei attribuitur victoria: Sancti per fidem vicerunt regna. Hebr. 11. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Ideò dixit Jonathas cum magna fide armigero suo; *non est Deo difficilè salvare in multis vel paucis,* qui posteà victoriam obtinuit. 1. *Reg.* 14. Cum magna fide dixit David ad Goliath: *Tu venis ad me cum gladio, hasta & clypeo: Ego autem ad te venio in nomine Domini;* & sic de eo triumphavit. 1. *Reg.* 18. Magnâ fide dixit Aza: *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus,* & bellando victoriam habuit. 2. *Paralip.* 14. Judas Machabæus idem dicens de hostibus triumphavit. 1. *Machab.* 3.

Fides sæpiùs operatur miracula. Ideò Christus dixit, *Si habueritis tantam fidem, sicut granum sinapis, & dixeritis huic monti tolle & mitte te in mare, fiet ei.* Matt. 21. Marc. 11. *Signa autem eos qui in me credent hæc sequentur: in Nomine meo ejicient dæmonia &c.* Marci ultimo.

Fides sæpè confert salutem animæ et corporis. Ideò mulier patiens fluxum sanguinis ait intra se: *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus salva ero, et sanata est, Matt.* 9. Magna fuit Magdalenæ fides, propter quam dixit ei Christus, *Fides tua te salvam fecit. Luc* 7.

Ex

Ex fide ſanavit Chriſtus cœcum, dicens, *reſpice, fides tua te ſalvum fecit.* Beneficia ex fide accepta enarrat Apoſtolus plurimis Patrum exemplis, *ad Hebræos cap.* 11.

Fidem modicam habentes à Deo reprehenduntur, & puniuntur. Ideò Zachariâ verbis Angeli fidem non adhibente, eum taciturnitate percuſſit, dicens, *Non poteris loqui quouſque hæc fient, pro eo quod non credidiſti, Lucæ* 3. Reprehendit Salvator Petrum, dicens, *Modicæ fidei quare dubitaſti? Matt* 14. Thomam etiam non credentem Dominus arguit, dicens: *Noli eſſe incredulus ſed fidelis. Ioan* 20.

Homo confidens in Domino comparatur in Scriptura, *Ierem.* 17. cum arbore plantata juxta aquas, quæ immittit radices ſuas, & non timebit cùm venerit æſtus, ſcilicet tentationum aut injuriarum quia ſpes illius in Domino firmiſſimè radicata eſt.

Sicut ſpes futuri emolumenti omnes artifices alit, & ad labores animat, ita ad arduum virtutis ſtudium excitare debet ſpes gloriæ & regni æterni.

Sicut Nautæ in gravibus procellis jactâ anchorâ navim ſecuram & tranquillam faciunt, ſic Spes & fiducia in Deo debet eſſe anchora, quâ homo Chriſtianus in omni periculo intrepidus efficitur.

Argumenta pro viva Fide erga Deum, & in veram unicamque Chriſti Eccleſiam &c. vide in controverſiis *cap.* 1. 2. 3. Exempla plura de Fide, vide infra in Catecheſi, *cap.* 1.

FILIORUM EDUCATIO.

F*Ilii inſtruendi ſunt, & erudiendi in Lege Domini.* Præcepit Dominus filiis Iſraël, ut docerent filios magnalia quæ fecerat eis, ut eum magis honorarent, ut habetur *Deut.* 10. Sollicitus erat Job de filiis ſuis, ne fortè Deum offenderet, ideò pro eis quotidie Sacrificium offerebat. *Iob.* 10. Mater ſeptem fratrum ſtrenuè inſtruebat eos, in his quæ fidem & Deum ſpectabant. 2. *Mach.* 7.

Filii corrigendi, & increpandi ſunt de vitiis quæ committunt. Sic Jacob increpabat Joſeph filium ſuum revelantem ſomnia, ne ſuperbâ ambitione videretur Patri, Matri, & fratribus dominari, *Geneſ.* 33. Quia Heli malè corripuit filios ſuos, ipſi cum eo graviter ſunt puniti, 1. *Reg.* 4. Adonias quia non fuit correptus à patre volens ſuperbè regnare, fuit à fratre occiſus. 3. *Reg.* 2.

Parentes debent filios & filias bonis moribus inſtruere. Sicut David appropinquans ad mortem, inſtruxit filium ſuum Salomonem de bono regni regimine, 1. *Paralip.* 28. & 3. *Reg.* 2. Tobias opti-

optimis monitis instituit filium suum ab infantia, *Tobiæ* 1. & postea in juventute, *Tob.* 4. postea in morte, ut habetur *Tobiæ ultimo.* Parentes Saræ monuerunt eam in omnibus seipsam irreprehensibilem exhibere, *Tob.* 8. Quia parentes Susannæ fuerunt justi, & optimè eam erudierunt, ipsa noluit adulterio consentire, *Dan.* 13.

Similes sunt pueri molli ceræ, quibus parentes instar sigilli, quamlibet formam, sive Angeli, sive dæmonis, imprimere possunt.

FORTITUDO.

F*Ortem & audacem reddit hominem puritas conscientiæ.* Moyses purus & innocens audacter & constanter stetit coram Pharaone arguens eum, *Exod.* 5. Judith quia puram & bonam intentionem habebat, contra Holofernem strenuè fecit. *Judith.* 12. & 13. Gedeon fortissimus in trecentis viris maximum populum viriliter superavit. Dixerat enim ei Angelus; *Dominus tecum virorum fortissime, Iudicum* 6. Et post hoc in illa fortitudine liberavit Israël. *Iud.* 8.

Vnus formidolosus dissipat, unus fortis roborat totum exercitum. Ideò dicit Gedeon; *qui formidolosus est, revertatur. Iud.* 7. David fortiter superavit leonem & ursum in eremo, & Goliat, 1. *Reg.* 17. Judas Machabæus viriliter transivit Jordanem & irruit in hostes suos, 1. *Machab.* 5. Eleazar audacter irruit in Elephantem, & occidit, licet videret se casu elephantis opprimendum, 1. *Machab.* 6. Machabæus & socii more leonum irruentes in hostes occiderunt multitudinem inimicorum. 2. *Machab.* 11.

Fortitudo perfectissima est tolerantia rerum adversarum. Undè teste Philosopho, fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Tali fortitudine toleraverunt fornacem 3. pueri dicentes Regi, Deus potest nos eripere de camino ignis, *Dan.* 3. Stephanus plenus gratiâ & fortitudine viriliter sustinuit lapides: & sic de aliis Martyribus.

Fortes comparantur altis & firmissimis rupibus, quas nullæ maris procellæ, nullæ res adversæ commovere valent. Item turri munitissimæ, quæ nullis telorum ictibus expugnari potest. Vide, *Patientia, Perseverantia.*

G.

GLORIA COELESTIS.

G*Loria æterna magnitudo.* Illam exponit Apost. 1. *Cor.* 2. *v* 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

Pro gloria cœleſti calamitates toleranda. Quia inquit Apoſtolus, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*; ad Rom.8.v.18. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur.* 2. Cor. 4. 17. *Omnis qui reliquerit domum; vel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*; *Matth.* 14. Lazarus pauper in ſinu Abrahæ, id eſt, in ſtatu gloriæ, vidit à longè divitem in tormentis.

Beati carebunt omni miſeriâ. Dicitur enim *Apoc.* 11.*v.*4. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, neque erit luctus, neque dolor erit ultra.* Ideò clamat Propheta, *O Iſraël quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Baruch.* 3. *v.* 24.

Comparat ſæpè Scriptura cœleſtem gloriam cum Jeruſalem, civitate ſancta, & ornata auro, ſaphyro, ſmaragdo &c. ut *Apocal.* 21. *v.* 2. 18. & 21. Vide ſupra *Beatitudo*, & infra in Catecheſi alia exempla *cap. ultimo.*

GRATITUDO ERGA DEUM.

GRates *ſunt agendæ generaliter pro multitudine beneficiorum quæ à Deo recipimus*: Ideò Jacob à Deo abundanter ditatus gratias agebat Domino, dicens: *Domine memor ſum omnium*, &c. *Geneſ.* 32. Audiens David multa beneficia ſibi promiſſa, gratias humiliter egit. 2. *Reg.* 7. Daniel pro multis beneficiis quæ à Deo acceperat, benedixit Dominum, dicens: *Sit nomen Domini benedictum. Dan.* 2. Paulus Apoſtolus gratias agebat pro beneficiis fratribus collatis, & omnes homines ad agendas gratias inducebat, dicens; *ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, ad Epheſ.* 5. & *Prima ad Theſſal.* 5.

Gratiæ reddendæ ſunt Deo ſingulariter pro liberatione à periculis. Ideò voluit Dominus ut liberatio filiorum Iſraël de ſervitute Pharaonis nunquam recederet ab eorum memoria, dicens: *Erit quaſi ſignum in manu tua, Exod.* 13. Poſtquam filii Iſraël liberati ſunt, tranſito mari rubro dixerunt; cantemus Domino glorioſè; *Exod.* 15. Tres pueri benedicebant Deum de ignis incendio liberati, *Dan.* 3.

Gratiæ reddendæ ſunt Deo pro triumphis & victoriis. Ideò poſt mirabilem victoriam filii Iſraël obtulerunt Domino dona. *Num.* 31. Similiter poſt victoriam de Siſara, Barach, & Debora Domino gratias cecinerunt. *Iud.* 4. Habitâ victoriâ, & mundato templo per Judam Machabæum benedixerunt in cœlum. 1. *Machab.* 4.

Gratiæ

Gratiæ referendæ ſunt Domino pro bonorum filiorum impetratione. Poſt Conceptionem Filii Dei in ſe, Beata Maria Virgo laudavit Dominum, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* *Luc.* 1. Nato Joanne Zacharias laudavit Dominum, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, Luc.* 1.

Gratias debet homo agere pro ſanitate à Deo recepta. Nam cum Tobias recuperaſſet viſum, ipſe & uxor ejus, & Nati glorificabant Deum, *Tob.* 11. Turbæ videntes Paralyticum curatum à Domino, glorificabant Dominum, qui dedit talem poteſtatem. *Mat.* 9. *Marc.* 2. Unus de decem leproſis curatus reverſus eſt cum magna voce magnificans Dominum. *Luc.* 22.

Homo gratus ſimilis eſt terræ bonæ & fœcundæ, quæ ex Dei donis, tanquam ſemine, gratitudinis fructum copioſum Domino reddit.

Vide *Ingratitudo.*

GRATITUDO ERGA HOMINES.

GRatus debet eſſe homo ei qui eum juvit, vel à periculo liberavit. Sic gratus fuit Abrahæ Rex Sodomorum, qui eum & populum ſuum à captivitate liberavit, offerens ei omnia ſpolia, *Geneſ.* 14. Benè remuneratus eſt Joſue Raab, conſervando totam ejus familiam, quia exploratores ejus ab hoſtibus liberavit, *Ioſue* 6. Cum Gedeon liberaſſet populum, gratus populus dixit, Dominare tu nobis *Iud* 8. Tobias gratus fuit Raphaeli qui liberaverat eum à cœcitate, uxorem à dæmonio, & filium à devoratione piſcis, offerens ei multa munera, quia hominem credebat eſſe. *Tob.* 12. Naaman liberatus à lepra, multa dona obtulit Heliſæo, licet ipſe renueret, 4. *Reg.* 5. Helias ut gratus eſſet propter beneficia recepta à vidua, ejus filium à morte reſuſcitavit, 3. *Reg.* 17. Heliſæus benè remuneratus eſt mulierem Sunamitem, apud quam tranſire & habitare conſueverat, impetrans ei filium, & ſuſcitans mortuum, 4. *Reg.* 4.

GULA.

GVla ab initio mundi ſemper hominibus graviter nocuit. Primos parentes Adamum & Evam in Paradiſo gula perdidit, dum fructum vetitum comederunt, quamvis alimentum licitum ipſis in copia ſuppeteret, *De omni ligno paradiſi veſcimur.* Geneſis c. 3. Eſau ex inordinato appetitu erga lentem ſive pulmentum, vendidit ſua primogenita Jacobo fratri. Qvanto pejus pro eſca vetita ex gula animam dæmoni divendere, *Geneſis c.* 15. Populus Iſraeliticus cui non deerat manna, & alimentum neceſſarium, inhiabat tamen ad ollas carnium quas habebat in Ægypto,

& ideo à Deo graviter punitus fuit. *Numerorum c.* 15. Dum Philistæi securè epularentur, & indulgerent genio, per Sampsonem ruinâ domus oppressi fuerunt, & in sua gula sepulti. *Iudicum c.* 16. Quoniam Heli sacerdos permisit filiis suis contra morem carnes crudas populo extorquere, ut illas sibi lautius præpararent, uno die uterque filius occisus est, & ipse Heli collapsus cervices fregit. 1. *Regum c.* 2.

Dæmon graviter homines ad gulam tentat. Ideò Job pro filiis epulantibus consurgens diluculo sacrificium offerebat per singulos dies, ne filii per epulas in gulam & alia peccata prolaberentur. *Iobi* 1. Prima tentatio qua diabolus Christum in deserto aggressus est, ad gulam pertinebat. *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panis fiant. Luc.* 4.

Illustre est exemplum gulæ graviter punitæ in Divite Epulone, *qui epulabatur quotidiè splendidè*, sed sicut ipse in vita sepultus erat in suis epulis & deliciis, sic post mortem sepultus est in inferno, & frustra quærebat unam guttam aquæ pro refrigerio suæ linguæ gulosæ, quæ inter flammas cruciabatur. *Luca* 16.

Epulæ multum impediunt orationem, & pietatem. Hinc ipsi discipuli post cænam sopore gravati non poterant in horto cum Christo orare, & à Christo increpantur, *Non potuistis una hora vigilare mecum? Matth.* 26. Est enim gula & crapula instar fumi, aut nebulæ densissimæ, quâ homo oppletus non potest lucem divinam videre, aut oculos mentis ad cœlum & res cœlestes elevare, ut notat S. Basilius *homil.* 1. *de jejunio.*

Gulosi similes sunt porcis, qui toto die ventrem replent, & in triclinio tanquam in hara versantur, aras, & templa, & pietatem nihil curant. Sunt etiam gulosi instar muscarum, quæ cadaveribus inhærent, & de uno cadavere ad aliud volitant. Sunt etiam sicut Sepulchra, quæ foris apparent speciosa, sed intus repleta sunt cadaveribus animalium quæ devorant.

Gulæ deditus habet cor in ventre, instar piscis, qui græcè dicitur Onos, id est, asinus, quem Aristoteles dicit solum ex omnibus animantibus cor suum in ventre habere.

Homo qui epulis inhiat solet esse similis militi ignavo, qui horret audire sonitum tympani aut tubæ ad bellum evocantis, sic ut neque iste potest audire sermonem de abstinentia aut jejunio, & maximè in Quadragesima. Sed remedium optimum gulæ est quærere gustum & oblectationem in rebus divinis, & animum illis explere, habent enim se epulæ spirituales & carnales instar bilancis, quantum una pars elevatur, tantum altera deprimitur.

Vide *Ebrietas.*

H

H.

HOMICIDIUM.

H*Omicidium procedit aliquando ex invidia.* Sicut Cain motus invidiâ fratrem suum occidit, *Genes.* 4. Tanta erat cupiditas Saulis ad occidendum Davidem propter invidiam, ut occiderit Abimelech, & alios Sacerdotes, cum mulieribus, & parvulis, 1. *Reg.* 22. Judæi occiderunt Salvatorem solùm moti invidiâ, sciebat enim Pilatus *quod propter invidiam tradidissent eum, Matt.* 27.

Homicidia aliquando committuntur propter superbiam & ambitionem. Sicut Abimelech occidit septuaginta fratres suos, ut ipse solus dominatum obtineret, *Iudic.* 9. Zambri occidit Elam Dominum suum temulentum, ut regnaret post eum, 3. *Reg.* 16. Athalia tantâ libidine exarsit dominandi, ut omne semen Regium interfecerit, 4. *Reg.* 11.

Homicidium valdè Deo displicet, & graviter punitur. Nam homicidium Cain punivit acerbè, dicens, *vox sanguinis clamat ad me, Gen.* 4. Deus noluit ut David qui sanguinem innoxium effuderat, sed potiùs Salomon templum sibi ædificaret. 3. *Reg.* 7. Quia Joas fecit Zachariam injustè occidi, graviter fuit punitus à Domino, neque in sepulchro Regio conditus fuit, 2. *paralip.* 24.

Vide *Inimicitia, Invidia.*

HONOR PARENTUM.

H*Onorare debet homo parentes eis exhibendo reverentiam.* Sic Salomon honoravit Betsabee matrem suam, & surrexit de solio suo in ejus occursum, & posuit eam super sedem suam, 3. *Reg.* 2. Tobias justus inter alia quæ dedit filio documenta, & hoc fuit, *Honorem habe matri tuæ. Tob.* 4.

Honorare debet homo patrem & matrem, in præceptis omnibus obsequendo. Ideò filii Heli, quia non obedierunt Patri, ut desisterent a rapina in Sacrificiis, divinam sententiam gravissimè incurrerunt, 1. *Reg.* 2. Jonathas quia non obedivit præcepto patris, comedendo modicum mellis, mortis sententiam incurrit, 1. *Reg.* 14. Puer Jesus ascendens in Nazareth cum parentibus, erat subditus illis, *Luc.* 2. Et moriens matrem Joanni dilecto discipulo commendavit, *Ioan.* 19.

Honorare debemus parentes propter præmium & pœnam consequentem. Unde ait Dominus *Honora patrem & matrem, ut sis longævus super terram:* & sequitur: *Qui maledixerit patri vel matri, sit ille maledictus, & morte moriatur. Exod.* 20. & 21. Quia Sem & Japheth patrem denudatum honoraverunt, ideò bene-

dictionem acceperunt. Quia verò Cham patrem non honoravit, sed derisit, ejus maledictionem incurrit, *Genes.* 9. Filio Ruben incestuoso dixit Jacob: *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, Genes.* 49. Absolon impiè persecutus est patrem suum, ideò fuit morte pessima interemptus, 2. *Reg.* 18. Vide *Obedientia.*

HOSPITALITAS.

DEus *multum commendat erga peregrinos hospitalitatem, Deuteronomii c.*10. Deus amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum, ergo & vos peregrinos amate, quia & vos advenæ fuistis. Christus testatur seipsum in suis discipulis hospitiò recipi, *Luca* 10. *Qui vos recipit me recipit.* Paulus Apostolus impensè commendat hospitalitatem, *ad Hebræos cap.* 13. *Hospitalitatem nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Inter opera misericordiæ recensetur etiam hospites esurientes pascere, recipere, & eorum pedes lavare.

Hospitalitatem sæpe remuneratur Deus etiam in hac vita. Loth in specie peregrinorum Angelos hospitio recepit, necessaria ministravit, & ab injuriis defendere voluit. Et ideò Deus illum per eosdem peregrinos liberavit ab incendio Sodomæ & Gomorrhæ, *Genesis cap.* 19. Abraham etiam in specie peregrini Angelos suscipere meruit, *Genesis c.* 18. Elias hospitio benignè exceptus, mulieris filium apud quam hospitabatur, à morte suscitavit, 3. *Reg. c.* 17. Eliseus etiam dum transiret sæpius à muliere Sunamite hospitio exceptus, grandi sane mercede filium illi à Deo impetravit, quem postea mortuum resuscitavit, 4. *Reg. c* 4. Martha & Magdalena Christum cum discipulis hospitio excipientes, meruerunt ut earum frater Lazarus, qui jacebat quatriduanus in sepulchro ad vitam excitaretur, *Luca* 10. Zachæus qui Christum & discipulos in domum suam gaudens recepit, meruit ex publico peccatore fieri filius Abrahæ, & amicus Dei, *Luca* 19.

Vide *Misericordia*, & *Liberalitas.*

HUMILITAS.

CVm *humilitate debent homines aliis respondere.* Quia juxta Sapientis sententiam; *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Jacob fratri Esau humiliter respondebat, ideò compescuit iram ejus, *Gen.* 33. Si Roboam humiliter respondisset, nequaquam decem partes populi perdidisset, 3. *Reg.* 12. Quia mulier Chananæa respondit humiliter verbis Christi, quæ aspera videbantur, asserens se esse qvasi catellum qui comedit de micis mensæ Domini, sanitatem integram filiæ procuravit. *Matth.* 15.

Juxta

Juxta Salvatoris sententiam, *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. In cujus figura Saul, qui quærebat asinas, fuit à Domino super regnum Israël exaltatus, 1. *Reg.* 1. Petrus humiliter dixit Christo: *Exi à me, quia peccator sum ego*; & postea officium Apostolatus ipsi Dominus benignè commisit, *Luc.* 5. Optimam regulam humilitatis ostendit Salvator, dicens: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco*, Lucæ 14.

Humiles debent esse homines ne in factis suis quærant ventum vanæ gloriæ. Nam Christus publica sua miracula prohibebat dici, uti patet in leproso mundato, *Matth.* 8. Et de duobus cæcis liberatis, *Matth.* 9. Et de surdo & muto sanato. *Marc.* 7. Et similiter de transfiguratione, *Matth.* 17. Ad fugiendam jactantiam & vanam gloriam, de bonis quæ agimus multum valet exemplum de superbo Pharisæo, & de humili Publicano, *Luc.* 18.

Humilitas meretur Indulgentiam peccatorum. Achab nequissimus imponens sibi pœnam debitam pro peccatis humiliatus est, & Deus ipsi pænam temperavit. 5. *Reg.* 21. Roboam & Principes ejus humiliati sunt, & Dominus mutavit sententiam per Prophetam suum. 1. *Paralip.* 12. Ezechias humiliatus est, idcircò non venit ira Dei in diebus ejus, 2. *Paralip.* 19. Nabuchodonosor humiliatus recognovit statum suum, & reductus est ad statum pristinum, *Daniel* 4. Qvia viri Ninivitæ humiliati sunt, non est eorum civitas subversa, *Ion.* 3. Magdalena quia ad pedes Christi humiliter accessit, peccatorum veniam impetravit, *Lucæ.* 7.

Humilitatis exemplum à Christo accipiendum est. Humilis fuit in statu Nativitatis, vitæ, & mortis. In Nativitate concipi voluit in civitate ignobili Nazareth, *Ioan.* 1. Item de humili matre, *Luc.* 1. Collocari in humili præsepio, *Lucæ* 2. Quomodò humiliter vixit, humiliter docuit, plena sunt omnia Evangelia. De morte autem, fuit vestibus spoliatus, in carne vulneratus, insipiens reputatus, à discipulis derelictus, hostibus traditus, flagellis cæsus, spinis per ludibrium coronatus, & inter duos latrones crucifixus.

Sicut quo profundius est in terra fundamentum domus, aut radices arboris, eo altius domus, & arbor ascendunt ad cœlum, ita fit in iis qui se profundè humiliant.

Sicut rami arboris quantò plures fructus habent, tantò magis se incurvant ad terram; ita faciunt humiles multis virtutibus præditi.

Sicut Aurum & gemmæ in arca absconduntur ne abripiantur; ita optima virtutum custos est humilitas.

Vide *Superbia*.

HYPOCRISIS.

H*Ypocritæ & ſimulatores intendunt ſemper aliquam aliis deceptionem inferre.* Sicut Ammon ſimulavit ſe languere, ut ſororem ſuam Thamar deciperet, & opprimeret, quod & fecit, 2. *Reg.* 13. Giezi ſimulavit Dominum ſuum veſtibus indigere, ut Naaman deciperet, & ipſe acciperet veſtimenta, 4. *Reg.* 5. Phariſæi placida verba Salvatori dicebant, Volentes eum capere in ſermone, *Matth.* 22. *Marc.* 12.

Hypocritæ cavent ſibi à peccatis minoribus, majora non curantes. De quibus dicit Dominus, *excolantes culicem, & deglutientes camelum, Matth.* 23. Phariſæi noluerunt intrare in Paraſceve Pilati prætorium, ut non contaminarentur, & dicebant, ſibi non licere interficere quemquam; Chriſtum tamen innocentem eà die occidere non dubitârunt, *Ioan.* 19.

Hypocritas punit Dominus maledictionibus, & flagellis. Nam uxori Jeroboam quæ de viri conſilio, mutato habitu, ſe aliam ſimulavit, Achias Propheta Domini mandato multas maledictiones, & flagella, ſimul cum nece filii nunciavit, 3. *Reg.* 14. Cum Scriptura divina generaliter impium deteſtetur, tamen ſingulariter hypocritis comminatur, dicens; *Væ vobis hypocritæ, Matth.* 16. Manifeſtè Hypocriſim Ananiæ & Saphyræ Petrus acriter increpavit, & morte punivit, *Act.* 5. Elymam Magum Paulus graviter de hypocriſi increpavit, *Act.* 13.

Chriſtus comparat hypocritas *ſepulchris dealbatis*, quæ foris apparent pulchra & candida, intus plena ſunt tantùm oſſibus mortuorum, ſpurcitia, & fœtore, *Matth.* 23. S. Chryſoſt. *Hom.* 30. Simulatorem comparat meretrici, quæ ad decipiendum, vultum deformem fictis coloribus depingit. Et S. Theophil. comparat Hiſtrioni qui ſemper perſonam mutat, & nunquam ſeriò agit. Vide *Mendacium.*

I.

INFERNUS, DAMNATIO.

A*Nimæ impiorum ſepeliuntur in inferno.* Sic Chriſtus dicit de Epulone divite & avaro: *mortuus eſt dives, & ſepultus in inferno* &c *Luc.* 16. *v.* 2. Et alio loco monet: *Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.*

Ignis inferni in æternum durabit, quia Chriſtus in judicio reprobis dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus, Matth.* 25. *v.* 41. Et poſtea

additur, *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.*

Homines ex delitiis transeunt ad pœnas inferni. Via peccatorum complanatur lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœna, *Eccl.* 11. *v.* 10. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, Job. 11. v. 13. *Quantum glorificavit, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, Apoc. 18. v. 7.

In inferno erit ignis, & luctus, & tenebræ, & vermis conscientiæ. Ideò interrogat Propheta peccatores; *Quis poterit habitare cum igne devorante, aut quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis? Esaiæ* 30. *v.* 14. Et Christus dicit de obstinatis Judæis: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth.* 8. Et iterum, monet melius esse luscum, vel *claudum introire in regnum Dei, quam duos oculos, vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, Marc.* 9. *v.* 47.

Comparat S. Chrysost. Infernum cum carcere ex ferro ardenti, undè nullus unquam dabitur egressus: Alii cum stagno profundissimo ex ardenti sulphure & pice, unde nullus datur ascensus: Alii cum exilio longinquo, ex quo nullus dabitur in patriam regressus. Contra omnem peccandi tentationem semper cogitanda est hæc sententia: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.*

INGRATITUDO.

Ingrati sunt homines Deo, ipsius beneficia oblivioni tradentes: Sic filii Israël educti a Domino de servitute Ægypti, fecerunt vitulum aureum, adorantes eundem, ut habetur *Exod.* 32. Citò etiam obliti sunt beneficiorum Dei, quando fastidiebant manna, & murmurabant, *Num.* 21 Reprehendit Angelus Judæos ingratos, divina beneficia recolendo, *Iud.* 2. Sublimavit Deus Jeroboam super decem tribus, & ille avertit populum à cultu Dei, 3. *Reg.* 12. Ingratus fuit Judas Christo, qui post tot beneficia pro 30. argenteis illum inimicis tradidit, *Matth.* 27. *v.* 3.

Ingrati sunt aliquando homines erga eos qui sibi fideliter serviunt. Sic ingratus fuit Præpositus pincernarum adversùs Joseph, qui succedentibus prosperis sui interpretis ost oblitus, *Genes.* 40. Laban multoties voluit fallere Jacob, sibi fideliter servientem, *Genes.* 29. Multa servitia receperat à Davide Saul, & tamen eum occidere sæpius nitebatur, 1. *Reg.* 18. Valdè ingratus fuit David Uriæ sibi fidelissimo, cui tradidit litteras mortis, 2. *Reg.* 11.

Homo ingratus similis est serpenti, qui illum à quo fovetur veneno inficit.

Ingratitudo est qvasi ventus urens, qui exsiccat fontem gratiæ divinæ, ne plura beneficia profundat.

Ingrati sunt sicut pessimi debitores, qui quo plus debent, eo minus solvunt.

Vide *Gratitudo.*

INIMICITIA.

INimici quærunt bona corrumpere. Sicut diabolus qui dormientibus hominibus superseminavit zizania, ut corrumperet triticum. *Matth.* 23.

Inimicitia surgit ex invidia. Nam invidentes fratres Josepho quod à patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui, *Genesis.* 37. Ægyptii oderant filios Israël, quia creverant & multiplicati sunt, & affligebant eos, *Exod.* 1. Videns Saul, quod David prudenter ageret, & populus eum diligeret, factus est ejus inimicus, 1. *Reg.* 18.

Vide *Invidia, Discordia.*

INTENTIO BONA, AUT MALA.

EX intentione opus judicatur. Judas dixit, peccavi, nec tamen veniam meruit, quia erat intentio ejus depravata, *Matth.* 27. David dixit, peccavi, & Deus illi pepercit, quia rectam intentionem habuit, 2. *Reg.* 12. Ex turbis quidam sequebantur Christum, ut eum nequiter observarent, & hi graviter peccaverunt, ut habetur *Luc.* 14. Quidam ut de panibus ejus saturarentur, & hi nec merebantur, nec peccabant, *Ioan.* 6. Alii ut audirent verbi ejus, & indè ædificarentur, & hi multùm merebantur, *Luc.* 5.

Intentio & voluntas pro facto sæpè reputatur. Nam commendavit Dominus bonam voluntatem Davidis de ædificando templo, licet ipse noluerit ut ædificaretur per eum 2. *Reg.* 7.

Intentio sæpè dissimilis est operi externo. Nam David misit ad Uriam ut veniret & quiesceret, non propter ejus quietem, sed ut suum peccatum celaret, 2. *Reg.* 21. Ornavit se Judith, uti solent se ornare lascivæ mulieres; sed ille ornatus non ex libidine, sed ex maxima virtute patriam defendendi processit, *Iudith.* 11. Herodis intentio erat Christum occidere, sed eam sub adorationis pallio abscondit, *Matth.* 2. Sic orationem, jejunium, eleemosynam præcepit Dominus fieri, non intentione placendi hominibus, sed placendi Deo, qui in abscondito videt, & juxta intentionem remuneratur operantem. *Matth.* 6.

Intentio bona similis est auro, quod omnia quibus applicatur, splen-

ſplendeſcere facit. Comparatur etiam virgæ Midæ, quæ diceba-tur omnia quæ tangebat in aurum convertere.

Intentio mala ſimilis eſt vermi, qui fructum operum noſtro-rum rodit & corrumpit.

Vide *Aſtutia, Adulatio, Hypocriſis.*

INVIDIA.

INvidia occaſio eſt ſpiritualis & corporalis mortis. Nam, ut ſcribit Sapiens, *invidiâ diabali mors introivit in orbem terra-rum.* Cain motus invidiâ Abel fratrem ſuum occidit, quia ejus munera & non ſua Dominus accepit, *Gen.* 4.

Non miſeris ſed poſitis in divitiis & honoribus invidetur. Nam quia Dominus benedixerat Iſaac, & multiplicatus eſt, ideo in-videbant ei Palæſtini, *Geneſ.* 26. Propter honorem quem dabant Davidi canentes, *Saul percuſſit mille, & David decem millia*, in-videre cæpit Saul, & perſequebatur Davidem. 1. *Reg.* 18. Viden-tes Satrapæ & Principes quod Daniel eos honoribus ſuperabat, quærebant occaſionem contra eum, ut dicitur *Dan.* 6. Principes Sacerdotum audientes à pueris Chriſtum honorari, *Oſanna filio David*, & videntes miracula, ſunt contra Chriſtum per invidiam indignati, *Matth.* 21. *Luc.* 19. Audientes Phariſæi Lazarum ſus-citatum, & videntes turbam ſequentem Chriſtum, invidentes contra eum collegerunt Concilium, *Ioan.* 11.

Invidi non parcunt etiam propinquis. Nam Rachel Lyæ ſo-rori ſuæ invidebat propter fœcunditatem, *Geneſ.* 30. Fratres Jo-ſeph invidebant ei videntes quòd à patre plus amaretur, *Geneſ.* 37. Frater filii prodigi videns fratrem ſuum cum honore receptum indignabatur ei, & noluit intrare, *Luc.* 15.

Sicut in ſole ambulantes comitatur umbra; ſic homines vir-tute illuſtres ſequitur invidia.

Sicut vermis qui naſcitur in ligno, ipſum lignum corrodit; ſic invidia ipſum invidum conſumit *Chryſoſtomus.*

Invidi ſimiles ſunt peſſimis canibus, qui non deſinunt contra omnes latrare. Similes etiam ſunt vulturibus, qui amant cum fœ-tidis cadaveribus, id eſt, cum hominum vitiis occupari, *Baſil. Hom. de invid.*

Vide *Inimicitia, Amor proximi.*

JUDICIUM JUSTUM.

JVdex debet cauſam priùs diligenter examinare ut rectè cogno-ſcat, quam ſententiam ferre debeat. Ideò dicitur, *cauſam quam neſciebam diligenter inveſtigabam*, *Iob.* 29. Deus quem nil latere poteſt, ut de hoc Judicibus exemplum demon-

 ſtraret,

ſtraret, deſcendit videre civitatem quam ædificarunt filii Adam, antequam eos puniret diviſione linguarum in Babylonia, *Geneſ.* 21. Noluit Dominus de Sodomitis judicare antequam diceret: *Deſcendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere complerunt, Geneſ.* 19. Salomon ſubtiliter & diligenter inveſtigavit cauſam duarum mulierum, quæ de infante contendebant, & ſic juſtum judicium protulit, ut patet, 3. *Reg.* 3. Diligenter & diſtinctè examinavit Daniel duos ſenes de falſo crimine in Suſannam, *Dan.* 13. Noluit Feſtus Præſes ſubitò Paulum judicare, ſed dixit: *Non eſt Romanis conſuetudo aliquem judicare antequam accuſatus fuerit, & detur locus defendendi ad objecta crimina, Act.* 25.

Iudex ut rectè judicet, conſulere debet Conſilium divinum, pariter & humanum. Sic Moyſes Conſilio Jethro acquievit, ut Dei populum ſalubriter judicaret, *Exod.* 28. Ob hanc cauſam conſtituit Moyſes majores judices, & minores, ut ſimul haberent Conſilium, *Exod.* 18.

Sicut bilanx ſive ſtatera, ut ſit bona & juſta, non debet ex ſe magis in unam partem quam in alteram pendere; ita judex æquus non debet ex ſuo affectu uni parti præ altera favere, ſed debet ſequi pondus rationis.

Sicut qui ad metam jaculatur non debet ſupra vel infra, ſed directè ad ſcopum collimare; ſic qui vult eſſe juſtus, debet omninò contendere ut cauſæ veritatem & juſtitiam attingat.

JUDICIUM INIQUUM.

IUdex tunc iniquè judicat, quando ſignis & relationibus citò credit. Dominus Joſephi nimis citò credidit verbis conjugis. Joſeph falsò accuſantis, & ipſum ſine examine carceri mancipavit, *Geneſ.* 39.

Iudicat injuſtè qui per avaritiam corruptus pervertit judicium. Sicut dicitur de filiis Samuelis: *Declinaverunt poſt avaritiam, & perverterunt judicium*, 1. *Reg.* 8. Injuſtè protulit David ſententiam in Miphiboſeth propter munera quæ dedit ei Siba, 2. *Reg.* 15. De judicibus malis dici poteſt quod de judicibus & Principibus Iſrael: *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, aurum ſequuntur*, ut dicitur, *Eſaia* 1.

Iudicat non rectè, qui judicat cum ira & furore. Sic Nabuchodonoſor malè judicavit, quando in furore & ira præcepit ut omnes Sapientes Babylonis interficerentur, quia ejus ſomnium ignorabant; *Dan.* 2. Herodes iniquè judicium protulit quando iratus occidit omnes pueros qui erant in Hieruſalem & in omnibus finibus ejus, *Matth.* 2.

Iudex

Iudex non rectè judicat quando amore vel timore à via veritatis deviat. Licet Darius Rex Persarum sciret Danielem innocentem, tamen ad petitionem Satraparum fecit eum mitti in lacum leonum, ut ibi à leonibus devoraretur, *Dan.* 6. Ad unius saltatricis petitionem jussit Herodes Joannem justissimum decollari, *Matth.* 14. *Marc* 6. Iniquum judicium dedit Pilatus, qui ad petitionem Judæorum, volens eis placere, Barabam seditiosum dimisit, & Jesum innocentem tradidit morti, *Matth.* 27.

Sicut oculo respicienti per vitrum rubrum omnia videntur esse rubicunda, etsi sint maximè candida; sic qui erga alium habet animum malè effectum, judicat ejus opera pessima, etsi in se sint optima & æquissima: habet enim suum judicium, quod est mentis perspicilium, odio, aut invidiâ, aut aliâ passione infectum.

Sicut aliqui laborant vitio oculorum, quo fit ut res vicinas vix videant, objecta verò remota ipsis maxima appareant; sic aliqui ad sua vitia non respiciunt, sed in aliorum operibus improbandis plusquam lyncei esse volunt. Quos etiam Christus pulchrâ comparatione perstringit: *Vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras, Matth.* 7.

Vide *Inimicitia. Invidia.*

JURAMENTUM.

Ivrare possunt homines licitè ad servandum promissa. Sic Abraham juravit Abimelech quo non noceret ei, *Genes.* 22. Pepigit fœdus amicitiæ Jonathas cum David, & juraverunt ambo, 1. *Reg.* 20.

Faciunt aliqui temerè juramentum perversum observando. Sic temerè jurabat David destruere Nabal, & omnia quæ habebat, 1. *Reg.* 25. Simile juramentum fecit Jezabel, quod occideret Heliam Prophetam, 3. *Reg.* 19. Nabuchodonosor juravit per thronum suum quod vindicaret se de filiis Israël, *Iud.* 1. Malè juravit & pessimè servavit juramentum Herodes, dare saltatrici quidquid volebat, & concessit ei caput Joannis Baptistæ, *Marc.* 6. *Matth.* 14.

Sicut in judiciis hominum non licet personam Regis in testem adducere, utpotè majorem illis qui citant & inducunt, quantò minus licebit temerè & irreverenter Deum in testem advocare.

Sicut qui habet vestem valdè pretiosam non vult eâ abuti quotidie illam gestando; sic maximus est abusus per consuetudinem jurandi pretiosum Dei nomen quotidie in ore habere.

v Blasphemia.

JUS.

JUSTITIA DIVINA.

Justitia exigit ut malis retribuatur eadem mensura quam ipsi aliis retribuerunt. Adonibozeth justè amputatæ sunt manuum summitates, sicut ipse amputaverat Septuaginta Regibus, ut habetur *Iud.* 1. Agab qui sine liberis fecerat mulieres, remansit sine liberis mater ejus, 1. *Reg.* 15. Superbus Aman suspensus est in eodem patibulo, quod paraverat Mardochæo, *Hest.* 7. Hostes Judæorum eodem die occisi sunt, quo ipsi Judæos occidere decreverant, *Hester.* 9. Viri qui Danielem fecerunt mitti in lacum leonum, missi sunt in eundem & devorati sunt, *Daniel.* 14. Duo senes qui voluerunt injustè occidere Susannam, à populo interfecti sunt, *Dan.* 13. In eodem loco in quo Andronicus occiderat Oniam, fecit eum Eunuchus occidi, 2. *Machab.* 4. Jason qui multos interfectos & insepultos abjecerat, insepultus ipse abjectus est, 2. *Machab.* 5. Antiochus blasphemus & homicida, pessimo ulcere interfectus est, 2. *Machab.* 9. A servo nequam qui noluit conservo dimittere, petiit Dominus debitum jam dimissum, *Matth.* 18.

Sicut præsente sole maculæ etiam minimæ apparent; sic coram justitia & judicio divino omnia hominum peccata quantumvis occulta deteguntur.

Sicut per ventum paleæ à tritico separantur; sic justitia divina in extremo judicio separabit malos de medio justorum, & mittet eos in caminum ignis, *Matth.* 13.

L.

LIBERALITAS.

Liberalitatis exempla nobis prebuit Christus. Nam relinquenti temporalia promisit æterna: Centuplum in præsenti, & vitæ æternæ gloriam tribuens in futuro, *Matth.* 19. Non debet liberalis procrastinare beneficia: Sicut Christus non dixit latroni, cras mecum eris in paradiso, sed hodie, *Luc.* 23.

Major virtus reputatur liberalitas erga pauperes, quam divites. Job liberalis fuit ad pauperes qui ait; *Cor viduæ consolatus sum: Pater eram pauperum, Iob.* 29. Liberaliter Magi Christo pauperi pannis involuto in præsepio stabuli reclinato munera obtulerunt, *Matth.* 2. Salvator liberaliter pavit pauperem turbam, quia non habebat quod manducaret, ut habetur *Matth.* 13. *Marc.* 8. Multùm largus erat Zachæus, qui dicebat, *dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus; & si quem defraudavi reddo quadruplum, Luc.* 19. In Evangelio valdè liberalis fuit ille Rex, *qui nuptias fecit filio suo, & misit vocare invita-*

tos

tos ad nuptias, donec menſæ diſcumbentium implerentur, *Matth.* 22.

Liberalitas debet eſſe reciproca. Regina Saba multa attulit Salomoni, & Salomon dedit ei omnia quæ petiit, 3. *Reg.* 10. Julius liberaliter recipit Paulum & ſocios ejus, & Paulus uxorem ejus ægram reſtituit ſanitati, *Act.* 27. Quia viri Sochot & Phanuel non fuerunt liberales Gedeoni, ab eo graviter ſunt puniti, *Iudicum* 8. Nabal in maximo, propter tenacitatem ſuam, fuit periculo, niſi largitas Abigail ſuppleviſſet, 1. *Reg.* 25.

Similis eſt homo liberalis uberrimo Fonti, qui ſuas aquas ſibi non ſervat, ſed eas aliis profluere, & prodeſſe permittit: è contra avarus eſt inſtar ſtagni, in quo aquæ ſemper manent, & putreſcunt.

Sicut ſol circuit orbem ut lucem ſuam diffundat, & homines lætificet, nec tamen per hoc obſcuratur; ſic homo liberalis quærit occaſionem aliis benefaciendi, & omnes ejus aſpectu lætantur.

Sicut vas plenum & vas vacuum, ſi pulſentur, optimum concentum præbent; ita optimè convenit inter divitem benignum & pauperem vacuum & regnum. V. *Avaritia.*

LUXURIA.

Luxuria cauſa vel occaſio eſt homicidiorum. Nam propter violationem Dynæ habitatores civitatis Sichem ſunt occiſi, *Gen.* 34. Amon propter violationem ſororis ſuæ Thamar, ab Abſolonein convivio fuit occiſus, 2. *Reg.* 13. David pulchritudine Berſabeæ captus, cum adulterio homicidium perpetravit, 2. *Reg.* 11. Propter luxuriam Herodis & Herodiadis fuit Joannes Baptiſta decollatus, *Matth.* 6. *Marc.* 14.

Luxuria dejicit potentes. Sic dejicit Sampſonem Dalila, *Iud.* 16. *Decipit prudentes.* Sic decepit Salomonem per mulieres, quibus adhæſit; 3. *Reg.* 11. *Diminuit viribus pollentes:* ſic diminuit Holofernum capite & vitâ, propter Judith quã concupivit, *Iud.* 12. & 13.

Deſtruit ætate ſeneſcentes. Sic deſtruxit duos ſenes propter Suſannam, ejus pulchritudinem aſpicientes, *Dan.* 13.

Luxuriam ſequuntur graves pœnæ. Nam cauſa diluvii videtur fuiſſe luxuria, *quia omnis caro corruperat viam ſuam*, dixit Deus ad Noë: *Delebo hominem, Geneſ.* 6. Quia in animam quæ libidini vacat, habent poteſtatem dæmones, petierunt dæmonia intrare in porcos, id eſt luxurioſos, *Matt* 8. Duo ſenes luxurioſi volentes Suſannam opprimere, à populo ſunt lapidati, *Dan.* 13. Mulier in adulterio deprehenſa jubetur à Moyſe lapidari, *Levit.* 20. Sodoma & Gomorra ob libidinem deleta ſunt.

Si-

Sicut filius prodigus vivendo luxurioſè diſſipavit ſubſtantiam ſuam, & inter porcos veſci & vivere debuit, *Lucæ* 15. Sic alii per luxuriam diſſipant & perdunt patrimonium regni cœleſtis, & digni ſunt ut potiùs inter immundos porcos, quam inter homines vivant.

S. Benedictus ut luxuriæ tentationes ſuperaret, in vepribus ſe tamdiu volutavit, donec voluptatis ſenſus dolore opprimeretur, ut narratur in Breviar. *die* 12. *Martii lect.* 4.

Sicut nemo niſi inſanus vellet haurire venenum mortiferum, etſi modico melle condiatur; ita inſanum eſt luxuriæ peccato animam perdere, propter modicam & momentaneam voluptatem quæ in ea continetur.

Sicut qui ardenti febri laborant, præ ſenſus ſtupore, ſuavitatem cibi non ſentiunt; ſic libidinoſi veræ virtutis guſtum non percipiunt, *Cic. Phil.* 2.

Ut favus diſtillans labia meretricis, noviſſima autem ejus amara quaſi abſynthium, *Proverb.* 5.

Sicut duobus modis ignis extinguitur; ſubtrahendo ligna, vel inſpergendo aquam; ſic flamma luxuriæ ſuffocari debet ſubtrahendo carnis incentiva, vel certè infundendo aquam lachrymarum. V. *Caſtitas.*

M.

MATRIMONIUM.

D*Ebet uxor viri eſſe ſocia, non domina, nec ancilla.* Ad quod deſignandum Dominus formavit Evam de caſto viri, quæ eſt in medio, non de capite, nec de pede, ut eam diligat ſicut cor ſuum, *Geneſ.* 2.

Matrimonio juncti debent habere unitatem. Vir enim unam ſolam debet habere, & è converſo: ideò dixit Deus, *Erunt duo in carne una*, *Geneſ.* 2.

Honeſtiſſima cauſa ducendi uxorem, eſt illa quam expoſuit Angelus dicens: *Accipies uxorem cum timore Dei, & amore filiorum magis quàm amore libidinis*, ut habetur *Tob.* 6. Propter hanc cauſam novi conjugati prius deberent vacare orationi, quam operi conjugali: ſicut Tobias, qui primâ nocte, ſecundâ & tertiâ, docuit uxorem orare antequam conjungerentur, *Tob.* 8.

Matrimonium in novo teſtamento, & veteri Deus multipliciter honoravit. Nam ordinem matrimonialem in Paradiſo conſtituit, quando mulierem homini ſociavit, *Geneſ.* 2. Deſtruente Domino mundum per aquas diluvii, ſolos Matrimonio conjunctos

ctos salvavit, scilicet Noë & uxorem ejus, & tres filios ejus cum uxoribus eorundem, *Gen.* 7. Matrimonialibus nuptiis Christus cum matre & discipulis voluit interesse, & ibi primum manifestum miraculum operari, ut ipsum Matrimonium honoraret, *Ioan.* 2. Cœleste & spirituale convivium, matrimonialibus nuptiis à Domino assimilatur, *Luc.* 14.

Sicut corpus nihil potest operari absque anima, nec anima sine corporis adjutorio: sic ut res familiæ rectè gerantur, vir & uxor inter se concordiam habere debent.

Sicut meritò suspectus est de morbo qui multùm agit cum Medicis; sic infirma judicatur fidelitas viri aut uxoris, si nimiùm affectat consortium cum personis alienis.

MENDACIUM.

Mendaces iniquè quærunt decipere audientes. Sic primum mendacium fuit à diabolo prolatum, scilicet: *Nequaquam moriemini*, ut hominem decipiendo traheret ad peccatum, quod & fecit, *Gen.* 3. Gabaonitæ callidè cogitantes, Josue mendacio voluerunt decipere, sed ille bono usus Consilio pactum initum non fregit, sed eos ut meruerunt in servitutem redegit, *Iosue* 9. Proditoriè Triphon mentitus est Simoni, quando argentum & obsides pro Jonathæ liberatione recepit, qui posteà Jonatham & filios ejus interfecit, 1. *Machab.* 13.

Mendaces pessimi sunt testes falsi. Sic duo falsi testes producti contra Naboth injustè lapidari fecerunt, eum blasphemasse Deum mendaciter asserentes, 3. *Reg.* 21. Contra Susannam falsum testimonium protulerunt duo iniqui senes, & falsi judices, *Dan.* 13. Duo falsi testes qui locuti sunt contra Stephanum, injustè eum lapidari fecerunt, uti patet *Act* 7.

Os illius qui mentitur, occidit animam, & aliquando corpus. Sicut Anania & Saphira excusantes se mendaciter coram Petro, diræ mortis sententiam incurrerunt, *Act.* 5. Christus sæpè exprobravit Pharisæis mendacia, ut *Ioan.* 8. *v.* 44. *Vos ex patre diabolo estis: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Propter quod*, inquit Apostolus, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum.*

Mendaces similes sunt nocti & tenebris quæ ortâ veritatis luce statim disparent. Item latronibus qui libenter in tenebris ambulant. Denique similes sunt araneis, quæ magno labore retia effingunt ut muscas capiant, sed facilimè rumpuntur. V. *Astutia. Adulatio.*

MORS-

MORS.

MOrtis sententiam homo pro peccato incurrit. *Invidiâ enim diaboli mors introivit orbem terrarum, Sapient.* 2. Non solum secundùm corpus sed & secundum animam homo moritur per peccatum, Nam dictum fuit homini à Deo: *quacumque horâ comederitis*, id est, mandatum transgressi fueritis, *moriemini. Gen.* 2.

Mors bona, & in statu bono homini appetenda est. Tobias justus desiderabat mortem, dicens: *Præcipe in pace deponi spiritum meum, Tob.* 3. Apostoli sic sunt post adventum Spiritus sancti confirmati, ut mortem & verbera non timerent. *Act.* 5. Desiderabat Paulus mortem cum dicebat: *Non solum ligari, sed & mori, Act.* 21. Et *cupio dissolvi, & esse cum Christo: ad Philip.* S. Martinus multùm desiderabat ex hac vita migrare: in Breviar. *die* 11. *Nov. lect.* 6. S. Laurentius dolebat quod Sixtus se ad mortem præcederet; in Breviar. *lect.* 4. *die* 3. *infra ejus Octavam.*

Mortem desiderant homines, cùm graves sustinent dolores, ut ab eis citiùs eruantur. Sic Elias sedens sub Junipero, quem persequebatur Jezabel, petiit ut moreretur, 3. *Reg.* 19. Post contumeliam ab ancilla receptam Sara dixit, *Peto Domine, ut de vinculo improperii hujus eripias me, Tob.* 3.

Christianus debet pro justitia mortem libenter sustinere. Sic *Christus factus est obediens usque ad mortem crucis* durissimam, *Matth.* 27. Post Christum pro fide & justitia lapidatus est Stephanus, & mortem libenter subierunt Martyres innumeri, de quibus in Breviario.

Mors omnibus certa. Nam sicut omnia flumina currunt ad mareà quo profluxerunt, ita omnes homines tendunt ad mortem, & ad terram ex qua formati sunt.

Hora autem mortis incertissima. Hinc Christus adventum mortis comparat nocturno furi; Et jubet nos vigilare, quia nescimus diem neque horam. V. *Timor Domini.*

O.

OBEDIENTIA.

OBedire debemus Deo magis quam hominibus, qui nobis præcipiunt saluti contraria. Undè Matathias dixit nuncio Regis Antiochi, *& si omnes obediant Regi Antiocho, ego & filii mei obediemus Deo.* 1. *Machab.* 2. Unus illorum septem fratrum qui noluerunt obedire Regi, ut carnes contra præceptum Domini comederent, dixit, *Parati sumus mori prius, quam transgredi Legem Dei*, ut dicitur 2. *Mach.* 7. Petrus & Joannes Principibus Sacerdo-

tum præcipientibus ne in Nomine Jesu loquerentur, Respondeerunt, *Si justum est vos potiùs audire, quàm Deum, judicate, Act.* 4. Deinde, cùm arguerentur à principibus, dixerunt, *oportet obedire Deo magis quam hominibus*, Act. 5.

Obedire oportet Prælatis, sive sint boni, sive mali, dummodò bona præcipiant. Ideò dixit Christus; *super cathedram Moysi sedebunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis facite, Matth.* 25. Paulus electus in socium Barnabæ *perambulabat confirmans omnes Ecclesias, & præcipiens obedire præceptis Apostolorum*; Act. 15. 41.

Obedire debet homo parentibus, si non præcipiant quæ impediant salutem. Ideò dixit Paulus; *Obedite filii Parentibus vestris in Do: no, ad Ephes.* 6. *ad Colos.* 2. Tobias junior dixit Patri: *Omnia quæ præcepisti faciam Pater*, Tob. 5. *Descendit puer Iesus cum Maria & Ioseph in Nazareth, & erat subditus illis*, Lucæ 2.

Obediendum est promte & non procrastinandum. Sic obedierunt illi Apostoli, qui statim relictis retibus secuti sunt Salvatorem, *Matth* 3. Simile etiam legitur de Matthæo, qui relictis omnibus, secutus est eum, *Matth.* 9. *Luc.* 5. Paulus audiens vocem Jesu, promptè respondit dicens: *Domine quid me vis facere?*

Obedire debet homo quantumcumque mandetur difficile. Nam Abraham mandatum circumcisionis licet esset difficilè, non distulit adimplere, *Genes.* 17. Grave erat Abrahæ de filii immolatione præceptum, quod tamen nisi Deus aliter ordinasset sine mora voluit implere, *Genes.* 22. Propter hanc causam exemplum obedientiæ in Salvatore nostro proponit Apostolus dicens; Factus est obediens Patri usque ad mortem Crucis, & ponit fructum obedientiæ sequentem, dicens: *Propter quod & Deus exaltavit eum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ad Philipp.* 2.

Obedire nolentes graviter puniuntur. Nam prima præcepti transgressio in primis parentibus gravibus maledictionibus est punita, *Genes.* 3. Quia mandatum Josue transgressus est Achior, ideò fuit à populo lapidatus, & Josue & populus ex illa inobedientia in bello fuit superatus, *Ios.* 7. Saul quia contra præceptum Samuelis Sacrificium obtulit, & Agag Regi contra præceptum Domini parcere voluit, fuit à Domino reprobatus, ut habetur 1. Reg. 15. & 16. Dixit Dominus Salomoni, quod si non custodiret mandata Dei, deleret de terræ superficie thronum ejus, 2. *Paralip.* 7. Jonas qui refugiebat Domino obedire, præcipienti ut in Ninive Verbum Dei prædicaret, in mare Domino disponente conjectus fuit, *Ionæ* 2.

Sicut lutum in manu figuli, aut lignum in manu Fabri permittit se scindi, poliri, & in omnem formam mutari, sic homo obediens debet permittere à manu sui Creatoris se dirigi, disponi, & in omni fortuna ab ejus voluntate gubernari. Aliam similitudinem veri obedientis assignat S. Ignatius de baculo in manu senis, qui ad omnem usum ei inservit qui eum manu tenet.

Sicut optimus est equus qui obtemperat fræno; ita obediens, qui se legibus accommodat. Sicut nos volumus ut jumenta & creaturæ nobis serviant & obediant; ita debemus nos Deo per omnia obtemperare.

OPUS & INTENTIO BONA.

OPeratio bona ubique homini necessaria est. Voluit Deus ut in ipso Paradiso homo operaretur: dicitur enim Genesis 2. *Posuit Dominus hominem in Paradiso ut operaretur, & custodiret illum*: sic nullus status quantumvis bonus conservari potest nisi benè operando. Et iterum de homine extra Paradisum posito dicitur, *Emisit eum extra Paradisum ut operaretur terram*, & additur, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, *Genes.* 2.

Arguuntur à Christo qui stabant tota die otiosi; & dicit illis, *Ite & vos in vineam meam*, & pro diversitate operis diversa merces retribuitur, *Matth.* 20.

Servus qui accepit quinque talenta, & cum eis lucratus est alia quinque, à Domino laudatur; sed qui nihil operando abscondit pecuniam Domini sui, talentum perdit; & à Domino reprobatur, *Matth.* 25. Ex opere bono cognosci electos indicat Christus dicens; *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Ioan.* 8.

Operantis intentionem plus Deus attendit quam opus: Cain obtulit de frugibus terræ munera Domino; & Abel de gregibus, optimo scil. affectu & intentione, ideò *respexit Dominus ad Abel & munera ejus, ad Cain verò non respexit, Genesis* 4.

Opera & prodigia in speciem similia fecit Moyses & ministri Pharaonis in Ægypto, sed quia hæc non erant sincera, nec in Dei nomine, non potuerunt Domino accepta esse, *Exodi.* 7.

Ozias Rex Juda voluit incensum super altare Domini adolere, quod in se opus bonum est; sed quia benè, & licito modo non fiebat, Rex subito leprâ à Deo percussus fuit. 2. *Reg. c.* 6.

Opus bonum comparat Apostolus sementi, cujus modica etiam grana, non modicum fructum adferunt. Et ut ad operandum animet, *Qui*, inquit, *parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*; 2. *ad Corinth.* 9.

Vide *Intentio bona.*

ORA-

ORATIO.

ORare primò debent Prælati pro suis subditis, ut suis orationibus à populo iram Dei avertant. Sic cum post adorationem vituli Deus populum vellet destruere, Moyses eorum prælatus pro eis ferventer oravit, & veniam meruit à Domino invenire, *Exod.* 32. Propter orationem Moysi absorptus est ignis, qui devorabat castra murmurantium præ labore, *Num.* 11. Pro afflicto populo ignitis serpentibus oravit Moyses, & erecto serpente æneo, à Deo remedium habuerunt. *Numer.* 21. Samuel dixit ad populum: *Absit à me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis:* Ostendens peccare prælatos qui pro suo populo non orant, 1. *Reg.* 12.

Orare debent omnes homines pro peccatoribus, & inimicis. Sic devotè oravit Abraham Deum ut parceret Sodomitis, *Genes.* 18. Moyses multoties exoravit ut Deus plagam averteret ab Ægypto, & licet Ægyptii essent mali, fuit tamen à Domino sæpius exauditus, *Exodi.* 8. 9. & 10. Salvator noster pro inimicis orare nos docuit, *Matth.* 5. Et ipse pro Crucifixoribus suis oravit, *Luc.* 23. Ferventiùs oravit Stephanus pro suis persecutoribus, quam pro seipso; quia pro se orans stetit, pro suis persecutoribus genua flexit, *Act* 7.

Orare debet homo in tribulatione, ut de adversitatibus liberetur. Sic Tobias cœcus uxoris improperiis tribulatus confugit ad orationis remedium. *Tob.* 3. Filii Israël tribulati ab Holoferne orantes ad Dominum clamaverunt, *Iud.* 4. Afflictus Mardochæus pro se, & populo Dominum exoravit, *Hester.* 4. Azarias & socii ejus in tribulatione fornacis ad orationis remedium confugerunt, *Dan* 3. Jonas afflictus in ventre ceti oravit, & salvus à Domino est eductus, *Ion.* 2. Quando *Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo;* & liberatus est, *Act.* 12.

Placet Deo oratio brevis & humilis. Sic oravit leprosus, qui genu flexo rogavit Dominum dicens; *Domine si vis, potes me mundare, Matth.* 8. *Marc.* 1. Humiliter oravit Centurio pro paralytico servo, indignum se reputans præsentia Iesu Christi, *Matth.* 8. Ad orandum nos humiliter inducit exemplum Publicani, qui brevibus verbis meruit remissionem omnium peccatorum dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori,* ut habetur *Luc,* 8.

Oratio debet esse assidua. Non dimisit Daniel propter Regis decretum, quin oraret ter in die flexis genibus, sicut antè consueverat facere, *Dan. cap.* 6. Ad hoc idem hortatur nos Dominus dicens, *Oportet vos semper orare & nunquam deficere, Luc.* 18.

Ad orationis constantiam etiam Dominus nos inducit exemplo viduæ, quæ judicem cum importunitate judicare petebat; & exemplo amici, qui panes instanter sibi petiit commodari, *Luc.* 18.

Orant quidam & non exaudiuntur, quia non bene petunt, vel indigni sunt qui accipiant bona. Sic David orantem pro populo, licet valdè devotè oraverit, Dominus non exaudivit, quia non erat tunc dignus exaudiri, 2. *Reg.* 12. Sic reprobata erat oratio Jeremiæ, quando dicebat ei Dominus, *Noli orare pro populo isto, nec sumas pro eis laudem vel orationem, quia non exaudiam eos, Ierem.* 11. Jacobus dicit, *Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, Iacob.* 4. Populo indigno & malo dixit Dominus, *Cùm multiplicaveritis orationes vestras non exaudiam vos, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt, Esa.* 1.

Oratio impetrat remissionem peccatorum. Sic per orationem Moysis dicentis, *Dimitte eis Domine noxam hanc, aut dele me de libro in quo me scripsisti:* Dominus populo suo peccatum dimisit, *Exod.* 32. Propter hanc causam docuit nos Salvator ut peccatorum remissionem in Oratione Dominica peteremus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, Matth.* 6. & *Luc.* 11. In cujus figura dimisit Rex omne debitum servo qui eum rogaverat, licet postea ex hujus nequitia, debita dimissa repetita fuerint, *Matth.* 18.

Oratio impetrat filios in sterilitate. Nam Isaac deprecatus est Dominum pro uxore sterili, & filios meruit obtinere, *Genes.* 25. Anna similiter devotè Deum oravit cum lachrymis, & filium à Domino impetravit, 1. *Reg.* 1. Helisæus hospitæ suæ sterili impetravit à Domino filium: quem similiter suis orationibus resuscitavit. 4. *Reg.* 4.

Oratio facit Deum operari miracula. Nam per orationem Heliæ clausum est cœlum ne plueret, & per orationem ejusdem pluviam est apertum, 3. *Reg.* 17. Martha & Maria Dominum orarunt & impetrarunt Lazarum suscitari, *Ioan.* 11. Decem leprosi orantes ad Dominum, meruerunt recipere sanitatem, ut habetur *Luc.* 17.

Similis est oratio scalæ Jacob per quam homines animo & conversatione à terrenis ad cœlestia ascendunt. Est enim oratio ascensio mentis in Deum.

Oratio est instar Thuris suavissimi, cujus odor in cœlum ascendit & Deum oblectat, sicut ait Psal. *Ascendat deprecatio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Sicut corpus vivit per animam, sic anima vivit per orationem.

Oratio eſt ſicut Armatura quà Chriſtianus ſe contra mundi, carnis & dæmonis aſſultus defendere debet.

P.

PATIENTIA.

HOmo patienter ferre debet injurias. Joſeph patienter tulit injuriam quam ei fratres proprii intulerũnt, eisque poſtea illatam injuriam clementer indulſit, ut dicitur, *Geneſ.* 37. Citò oravit Moyſes pro Maria ſorore ſua quæ eum offenderat murmurando, *Numer.* 12. David perſecutionem ſuſtinuit, quam ei proprius filius inferebat, 2. *Reg.* 15. Tobias patienter tulit conſanguineorum improperia pariter & uxoris, ut habetur *Tob.* 2.

Patienter debet homo ferre tribulationes & pœnas à Deo, vel Dei causâ inflictas. Sic Tobias excæcatus patienter ſuſtinuit cæcitatem, *Tob.* 2. Job fuit patiens perdendo ſua, & filios, & quaſi ſeipſum per gravem infirmitatem, *Iob.* 1. & ſequentibus: Eleazarus duros ſuſtinuit patienter pro legum obſervantia cruciatus, 2. *Machab.* 6. Septem fratres cum pia eorum matre in ſuis tormentis, mirabilem patientiam habuerunt, 2. *Machab.* 7.

Homo debet patienter offenſas dimittere ex corde, non ſolùm ſemel ſed pluries. Nam Petro quærenti quoties dimitteret proximo? reſp. non ſolum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, *Mat.* 18. Ad patienter portandum injurias inducit nos Chriſtus exemplo ſervi nequam, cui dimiſſa fuerant decem millia talenta, ut patet, *Matth.* 18. Exemplum etiam patientiæ habemus in Chriſto tempore paſſionis, quia patientiam conſervavit in verbis detractoriis & contumeliis, in factis, & illuſionibus, & verberibus, crucifixione, blaſphemiis, & morte, *Matth.* 26. *Marc.* 14.

Vide *Tentatio, Tribulatio, Perſeverantia.*

PAX.

DEus pacem diligit. Patet ex his, quia in ejus Nativitate Angeli pacem annunciaverunt, *Luc.* 2. Pacem præcepit diſcipulis ſuis inter ſe habere, *Ioan.* 14. Pacem commiſit Apoſtolis prædicare, *Luc.* 10. *Matth.* 10. Pacem in teſtamento reliquit, *Ioan.* 14. Et poſt reſurrectionem ſuam pacem diſcipulis ſuis nunciavit, ut habetur, *Luc.* 24. *Ioan.* 20.

Aliquando pacem perturbat invidia. Nam fratres Joſeph invidentes ei, non poterant ei quicquam pacificè loqui. Ambitio etiam pacem perturbat, & diſcordias ſuſcitat inter propinquos, ut patet in Davide & Abſolone ejus filio, 2. *Reg.* 15.

E contra, *Pacis colendæ amor*, patet in Davide erga Saulem ſe ubique hoſtiliter perſequentem, quem cum in ſpelunca conclu-

sum occidere potuisset, noluit eum attingere, sed maluit potius se amicum præbere, & fateri se esse unum pulicem, indignum quem Saul persequeretur, & sic lenitate magis quam ullis armis Saulis iram, & invidiam superavit, eumque adegit ut Davidem in gratiam reciperet, & illum se meliorem ac justiorem esse fateretur. 1. *Regum cap.* 24. & 26.

Voluit expresse Deus Templum sibi à Salomone ædificari, ex eo quod esset Rex pacificus, & à bellis abstineret 1. *Paralip. c.* 22. Sic & nos Templum Dei esse non possumus, nisi in animo, & cum aliis pacem conservemus.

Pax *falsa & ficta*, apparet in Antiocho, qui cum Arcem nomine Silon expugnare non potuisset, cum obsessis pacem simulavit, & juravit se eam servaturum, sed intra mœnia receptus Arcem & omnia funditus evertit, 1. *Machab. c.* 6.

Alcimus sacerdos cum à Judæis ad Demetrium Asiæ Regem defecisset, simulans tamen se amicum esse suis fratribus & Judæis, pacem illis juravit, & nihil se mali illaturum, sed postea ex illis sexaginta viros uno die crudeliter necavit, 1. *Mach.* 7.

Triphon simulatâ pace cum Jonatha, eum in urbem honorificè introduxit, sed mox clausis portis Jonatham comprehendit, & omnes qui cum eo venerant occidi jussit. 1. *Machab. c.* 13.

Sicut Mundus non potest subsistere nisi inter Elementa terram, aquam, aërem, & ignem sit pax & concordia: sic omnis respublica & familia perturbatur & dissolvitur, nisi pax sit inter cives, & domesticos.

Sicut dissonantia chordarum turbat musicam, ita discordia cordium & animorum perturbat familiam.

Pax est vinculum animorum, quam si sustuleris, perit societas humana, & succedit confusio, sicut factum est per confusionem linguarum in ædificanda turri Babylonica.

Vide *Amor proximi.*

PECCATUM.

PEccatum nocet homini, quia multoties pœnâ corporali punitur. Ut patet in Adamo & Eva expulsis de Paradiso cum aliis pœnis. Sodomitæ etiam pœna ignis & sulphuris sunt puniti, *Gen.* 19. Uxor etiam Loth, quæ peccavit contra præceptum Domini se vertendo retro, in statuam salis est conversa, *Genes.* 19. Pharao etiam propter peccatum cognovit se flagellari, dicens, *Peccavi in Deum verum, Exod.* 19. Quia filii Israël multoties Deum offenderunt, ab eo sæpiùs flagellati sunt, *Num. Iud Iosue, Regum, Iudith.* & per totum quasi vetus testamentum, &c.

Peccatum à Deo clamat vindictam. Sicut illud de quo dixit Domi-

Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, Genes.* 4. Similiter dixit Dominus Abrahæ, *clamor Sodomorum & Gomorreorum venit ad me*, Gen. 18. *Clamor peccatorum vestrorum in aures Dei Sabaoth introivit*, Jacobi 5.

Scriptura comparat peccatum cum Igne ardente, qui hominem absumit. Cum Serpente venenato, *Eccli.* 11. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Et cum Gladio ancipiti: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas, ibid.*

S. Cyprian. *serm. de lapsis*: Peccata sunt lapsis, quod Grando frugibus, quod turbidum Sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.

Peccator, quia transgreditur decem Dei præcepta, decem plagis Ægypti punitur. Prima plaga est Sanguis, quia peccator meretur mortem. 2. est Rana, quia volvitur in sordibus peccatorum. 3. Cinifices, propter aculeum conscientiæ. 4. est Musca, quæ ad candelam alas suas stultè comburit, ita peccator igne infernali. 5. Pestis animalium, quia habet animam peste peccati infectam. 6. Vesica turgens, per peccatum luxuriæ, aut superbiæ. 7. Grando, significat morbos & pænas cælitus immissas. 8. Locusta omnia devorans, opera peccatoris infructuosa, & sine merito. 9. Tenebræ densissimæ, sunt cæcitas peccatoris à via salutis aberrantis. 10. Mors primogenitorum, indicat mortem animæ propriæ, & maledictionem posteritatis juxta Psalmistam; *Semen impiorum peribit.* Et sicut Ægyptii cum Pharaone post has plagas fuerunt submersi in mari rubro, ita peccator in mari igneo inferni, qui paratus est diabolo & angelis ejus.

Vide singula Peccata in particulari, *Superbia, Avaritia, Luxuria, &c.*

POENITENTIA.

P*Oenitentia non debet differri usque ad senectutem, vel mortem.* Hoc est etiam Consilium Sapientis, *Ne tardes venire ad Dominum, & non differas de die in diem.* Ad hoc facit Parabola de servis vigilantibus, & expectantibus Dominum suum, quia diem & horam mortis penitus ignoramus. Nam secundùm Gregorium, nihil certiùs morte, nihil incertius horâ mortis.

Pœnitentia debet esse cum dolore cordis. Sic peccatrix mulier pœnitens lachrymis pedes Domini lavit, *Luc.* 7. Forte quia Dominus vidit magnam Contritionem mulieris in adulterio deprehensæ, levem ei pœnitentiam dedit, dicens: *Vade, amplius noli peccare, Ioan.* 8. Petrus postquam negando Dominum peccavit, *foras exiens, flevit amarè, Matth.* 26.

Pœnitentia post contritionem requirit peccatorum Confessionem. Dominus transtulit peccatum à Davide, quia ad reprehensionem Nathan se humiliter accusavit, dicens se peccatum commisisse, 2. *Reg.* 12. In cujus figura Dominus decem leprosis pœnitentibus dixit, *Ite, & ostendite vos Sacerdotibus:* & sequitur, *dum autem irent mundati sunt, Luc.* 7. Vide *Confessio.*

Pœnitentia post Confessionem requirit integram satisfactionem. Hæc maxime consistit in asperitate jejuniorum, devotione orationis, & largitione eleëmosynarum. Viri Ninivitæ fecerunt pœnitentiam induti sacco, & jejunaverunt, & Deus indulsit, *Ionæ* 3. Machabæus & qui cum eo erant deprecabantur Dominum, capita cinere aspergentes, & lumbos accincti ciliciis, ad crepidinem templi provoluti, 1. *Machab.* 3.

Libenter Deus recipit peccatores ad pœnitentiam. Sic Christus Magdalenam recepit & multum commendavit, ut habetur *Luc.* 7. Ad hoc facit exemplum de filio prodigo, qui benigne fuit receptus à patre, *Lucæ* 15. Deus de se testatur, *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Et Christus ait, *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

PERSEVERANTIA.

H*Omo non debet desistere à bono jam incœpto.* Aliàs accidit exemplum de homine deridendo, *qui cæpit ædificare & non potuit consummare, Luc.* 14. Tobias remansit in timore Domini, licet plaga cæcitatis ei obvenisset, *Tob.* 2.

Perseverandum est in toleratione tormentorum pro Nomine Christi, & defensione fidei. Exemplo Eleàzari qui omnia tormenta perseveranter sustinuit, ne faceret contra legem, 2. *Machab.* 6. Stephanus firmiter persèveravit, duros ictus lapidum alacriter sustinendo, donec Christo moriens Spiritum commendaret, *Actor.* 7.

Perseverandum est in malorum operum detestatione. Quia respiciendum non est retrò post egressum de societate malorum, ne accidat homini sicut uxori Loth post egressum de Sodomis, quæ retrò aspiciens in statuam salis est conversa, *Gen.* 19. Socii Danielis multùm constantes & perseverantes fuerunt, ne statuam quam erexerat Nabuchodonosor adorarent, *Dan.* 3.

Laurentius Justinianus *lib. de ligno vitæ cap.* 10. comparat perseverantiam cum viatore, qui non solet ab incepto itinere desistere, donec ad destinatum terminum perveniat. Cum bellatore, qui non discedit de loco certaminis nisi obtentâ victoriâ. Cum Architecto, cui non sufficit posuisse fundamentum ædificii, nisi

nisi ad culmen perducat. Cum agricola,qui frustra seminat, si nolit messem expectare.

Quid prodest Navarcho quod totum pelagum fœliciter emensus sit, si tandem suâ incuriâ patiatur in portu naufragium? Quid juvat medicum per multa pharmaca ægri salutem promovisse,si postea manum subtrahat, eumque interire permittat. Rhetor non in orationis exordio, sed in peroratione plausum accipere solet. Ita in studio salutis aut virtutis parùm est inchoare, nisi per perseverantiam ad optatum exitum perveniatur, ita ferè S. Chrysost. *Hom.* 24. *ad Hebræos*. Vide *Pœnitentia*.

S.

SABBATHI OBSERVATIO.

S*Abbathum interpretatur requies.* Quia in Sabbathis seu festis debet homo quiescere ab omni opere servili, & festa celebrare: quia requievit Dominus die septimo ab omni opere suo quod patraverat, *Genes.* 1. Ob hanc causam filii Israël colligebant manna pro die festo in duplici mensura, ut Sabbatho feriarentur. Mulieres sanctæ paraverunt aromata ad ungendum Christum, sed Sabbatho siluerunt, *Marc.* 16. In hujus figura requievit Dominus die Sabbatho in sepulchro, *Luc.* 23.

Sabbathum non custodientes debent corripi & puniri. Nam colligens ligna in Sabbatho jussu Domini fuit lapidatus, *Numer.* 15. Arguit Neemias calcantes torcularia, & portantes onera in die Sabbathi, *Neem.* 13.

Vide Catech, de præcepto, 2. Decal. & præcept. Ecclesiæ.

SAPIENTIA. PRUDENTIA.

S*Apientia & prudentia in rebus agendis est optima gubernatrix vitæ humanæ.* Exemplum est in *Rebecca* muliere prudentissima, quæ direxit filium suum Jacob quomodo possit parenti suo placere, & illius benedictionem obtinere præ suo fratre primogenito Esau; & postea prudenter illum recedere fecit à conspectu fratris sui Esau, donec ejus ira cum tempore desineret; *Genesis cap.* 37. Et ipse Jacob postea prudenter egit demulcendo fratrem suum & mittendo ei munera, potius quam litigando,& ejus iram in se provocando, *ibid.*

Summa fuit sapientia Josephi in domo Pharaonis, somnia Regis sapienter exponendo, & famem prædicendo, & omnia rectè ordinando, & fratres qui ipsum vendiderunt pacificè & amicè excipiendo. *Genesis cap.* 41.

De Davide in ipsius laudem dicitur, 3. *Reg. c.* 18. quod in omnibus prudenter se agebat: etiam tunc quando apud Regem

Achis se quasi fatuum simulabat, ut sic illæsus ab eo dimitteretur, 1. *Reg.* 21. Sapientis enim est in loco & tempore suo desipere.

Abigael sapienter admodum Davidem à marito suo Nabal graviter offensum placavit, munera illi præmittendo, & se illi humiliter subjiciendo. 1. *Reg.* 25.

Salomon litem inter duas mulieres, de infante utrius esset, summâ sapientia diremit, quasi volens infantem inter utramque dividere, sic veram illius matrem exploravit, 3. *Reg. c.* 3.

Rex Ezechias intelligens Regem Assyriorum venire ad Hierosolymam obsidendam, sapienter præcepit capita fontium extra civitatem obturari, ne exercitus hostilis aquam haberet, *Paralip c.* 32. Sic oportet fontes & occasiones vitiorum impedire, & amputare.

Prudentia Reginæ Estheris & Mardochæi in liberando populo suo ab exitio quod Aman illis paraverat, pulchrè describitur *in libro Esther. c.* 5. 6. 7.

Daniel adolescens sapienter duos senes ex ipsorum ore convicit, & Susannam innocentem à morte liberavit, *Danielis c.* 13. Idem sapientissimè Nabuchodonosoris somnium exposuit, & ab eo honorari meruit, *Danielis c.* 2. Christus jubet Apostolos & fideles esse *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbas, Matth. c.* 10. Unde patet prudentiam non in versutia, & fraude, sed in simplici veritate, & virtute positam esse.

Virgines quinque in Evangelio, *Matth. c.* 25. dicuntur à Christo prudentes, quia curarunt in lampadibus suis oleum habere, id est, bona opera, fidem, spem, charitatem, &c.

Similitudo est primò inter Sapientes & bonos Medicos, sicut enim Medici sanant morbos corporis, sic Sapientes curant infirmitates, & passiones animorum.

Sapientia est instar Odoramenti fragrantissimi, quia non tantum Sapientem, sed etiam alios vicinos, & qui cum illo agunt Sapientiâ & doctrinâ suâ oblectat, & meliores facit. Hinc Regina Saba aliique concurrebant, ut audirent Sapientiam Salomonis.

Socrates apud Stobæum *serm. de virtute* comparat Os sapientis Januæ templi, quâ apertâ, & altaria, & Sanctorum imagines, & pulcherrima virtutum simulacra conspiciuntur.

Sicut Navarchus novit se ventorum mutationibus variis accommodare, & ita ad portum pervenire; sic etiam Sapiens per prospera & adversa tendit ad Deum ut finem ultimum, & portum salutis æternæ.

Sapientia est instar Salis, quia per eum condiuntur mores hominum ne fiant insulsi, & à corruptione vitiorum conservantur.

Sapien-

Sapientis mores in multis, moribus divinis assimilantur; Deus maximè omnium intelligit, & minimè omnium loquitur; ita Sapiens. Deus per peccata hominum maximas injurias patitur, & minimè turbatur, ita Sapiens. Deus præsens est inter omnes totius orbis mutationes, & ipse nunquam mutatur, ita Sapiens. Deus extra seipsum beati tudinem & solatium non quærit; ita Sapientis proprium est ab animo suo rectè disposito omnem suam lætitam & felicitatem habere, & solatiola à creaturis non emendicare. Hæc sunt prima veræ sapientiæ ac felicitatis principia.

Principium aliud maximæ sapientiæ cum aliis tradit ipse Cicero *lib.* 5. *Tusculan:* Moderari & sistere cupiditates. Sicut (inquit) Stultitia, etsi adepta est quod concupivit, nunquam tamen se consecutam putat, ad alia, & alia inhians: sic Sapientia semper eo contenta est quod adest, & ita nunquam illam sui pœnitet.

SPES, FIDUCIA.

S*Perare debet homo bonum repromissum, licet differatur.* Multis annis expectavit Abraham filium, quia Centenarius erat quando natus est ei Isaac, *Genes.* 21. A promissione facta Abrahæ usque ad ingressum seminis sui in terram promissionis fluxerunt anni 460. *Genes.* 15. Erat Simeon in Jerusalem diu expectans consolationem Israël, id est, adventum Christi, *Luca* 2. Ascensurus Christus in cœlum præcepit Apostolis ne discederent, sed expectarent promissum Patris, *Act.* 1.

Sperare debent homines consolationem in tribulatione. Afflictus corpore, spoliatus rebus, orbatus filiis sic dicebat Job, *Si occiderit me, in ipso sperabo, Iob.* 13. Parentibus Tobiæ irridentibus eum & dicentibus: *Vbi est spes tua?* Respondit, *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam speramus quam daturus est Dominus his qui fidem non mutaverunt ab eo. Tob.* 2. Cum Susanna esset morti condemnata, *erat cor ejus in Domino fiduciam habens, Dan.* 13.

Spes & fiducia in Deum rectè comparatur stellæ polari, ad quam nautæ in tempestate respiciunt, & cursum dirigunt: sic nobis in omni tribulatione respiciendum est ad Deum, & ejus auxilium ac promissa, ut cursum hujus vitæ rectè & securè dirigamus ad portum salutis. Præclarè hanc spem & fiduciam explicat totus *Psalmus* 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi,* &c.

Spem nostram Lucernæ comparat S. Augustinus *in Enchir.* Lucerna, inquit, animæ spes ejus, ad illam operatur omnis homo quidquid boni ad spem facit, & in nocte ardet lucerna nostra Oleum hujus lucernæ est verbum Dei & ejus promissa, quæ faciunt ut lucerna spei nostræ non extinguatur.

Sicut Peregrinantium labores & tædia relevat spes perveniendi in suam Patriam, sic labores hujus vitæ multum mitigat spes perveniendi ad patriam cœlestem: hic enim sumus *hospites & advenæ super terram*, ut loquitur Apostolus.

Spem nostram vocat *Laurentius Iustinianus, in ligno vitæ c. 2*, Columnam firmissimam, qua totum spirituale ædificium sustentatur, spe autem deficiente totum ædificium corruit in barathrum desperationis.

E contra spes quæ extra Deum reponitur in Homine, aut favore, aut opibus, est instar arundinis, cui si innitaris, statim frangitur & te in lapsum præcipitat. Est etiam instar myricæ sive terræ siccæ sterilis in qua nihil crescit, & nullum fructum habes, post inanem laborem. Hinc rectè Hieremias, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus, Hier. c. 17.* Vide *Fides, Benignitas Dei.*

SUPERBIA.

Superbia ducit hominem ad ruinam. Ideò Christus dicit, *qui se exaltat humiliabitur, Matt. 23.* Volentes superædificare turrim in cœlum, dispersi sunt per divisionem linguarum, *Genes.* 11. Graviter fuit punitum peccatum elationis David, quando superbè populum numeravit, 2. *Reg.* 24. Aman qui volebat ab omnibus honorari fuit in patibulo suspensus, *Hester* 7. Nabuchodonosor per superbiam depositus est de solio, & gloria ipsius ablata est, *Dan.* 4. Balthasar per superbiam interfectus est, & Darius successit ei, *Dan.* 5. Herodes superbè indutus, cùm populus ei acclamaret laudes divinas, ab Angelo est percussus, *Act.* 12.

Superbi similes sunt fumo, qui suâ levitate in altum extollitur, & ipsâ elatione in magnum globum intumescit, se quanto globus ille fit altior, tantò magis evanescit, sic superbus quantò magis exaltatur, tantò citiùs deficit. *Ita S. August. in Ps. 36.*

Similis est superbus ebrioso, qui optimo vino abutitur ad vertiginem & insaniam, sic homo per superbiam suas virtutes vertit sibi in arrogantiam, & jactantiam, & aliorum contemptum, *ita S. Hier.*

Quemadmodum corpus perditâ humorum rectâ temperie fit obnoxium omnibus morbis, ita animus amissâ humilitate omnibus passionibus & vitiis exponitur, & redditur tumidus, temerarius, imprudens, arrogans, & tantùm non stultus, ut vix seipsum amplius cognoscat.

Quemadmodum avari quantò plus opum accumulant, tantò magis se egere existimant, ita superbi & arrogantes quantò majori honore fruuntur, tantò magis magisque cupiunt honorari.

Quod

Quod in corporibus tumor, hoc in animabus ſuperbia eſt, ſicut enim corpus quod immodicè turget ſanum eſſe non poteſt, ita & animos tumidorum dicimus mentis ſanitate carere, *S. Chryſoſt. Hom. 13. in Timoth.*

Ut in area extollitur palea ſuper triticum, non quòd ſit dignior, ſed ſit levior: ſic in hac vita ſuperbus fertur ſuper humilem, non ob meritum & virtutem, ſed ob vanitatem & falſam opinionem. Vide *Humilitas.*

T.

TENTATIO.

T*Entat Deus aliquando hominem ut probet illum.* Sic tentavit Abraham & dixit, *tolle filium tuum quem diligis & offer illum, Geneſ. 22.* Dixit Dominus ad Philippum: *Unde ememus panes ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum, ipſe verò ſciebat quid eſſet facturus, Ioan. 6.* Poſtquam Tobias fuit cæcatus ſuſtinuit tentationem, quam permiſit Deus evenire illi, ut poſteris exemplum patientiæ daretur, *Tob. 2.* Judith dixit tempore obſidionis: Memores eſſe debetis quomodò tentati ſunt patres, ut probarentur ſi verè colerent Deum, *Iudith. 8.* Job propter multas tribulationes dicebat, *probavit me Dominus quaſi aurum quod per ignem tranſit, Iob. 23.* Tentavit Deus Petrum ambulantem ſupra mare per ventum validum, id eſt, tribulationem, *Matth. 14.*

Non debent homines Deum tentare. Sicut populus Iſraël multoties tentavit Deum in deſerto, *Num. 8.* Oziam qui ſtatuit populo terminum, reprehendit Judith, dicens: *Qui eſtis vos qui tentatis Deum; Iudith. 8.* Judæis quærentibus, *ſi liceret cenſum dare Cæſari,* ut Jeſum caperent in ſermone, reprehendit eos, dicens: *Quid me tentatis hypocritæ? Matth. 2.* Cum ejeciſſet Jeſus dæmonium, & locutus eſt mutus, *quidam tentantes eum quærebant ſignum de cœlo, Matth. 16.* Petrus increpans dixit Saphyræ uxori Ananiæ, *Quid convenit vos tentare Spiritum ſanctum,* ut patet *Act. 5.*

Tentat diabolus mentiendo, unum pro alio oſtendendo. Sic falsò dixit Evæ: *Nequaquam moriemini*, & promiſit bona ex transgreſſione: *Eritis ſicut Dii, Geneſ. 3.* Salvatori etiam oſtendit regna mundi, dicens mentiendo, *Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraveris me, Matth. 4.*

Tentationes volentes vitare, ſapientiâ uti debent in reſiſtendo. Chriſtus à dæmone tentatus in gula, ſuperbia, & avaritia, ad quæ poſſunt omnes aliæ tentationes reduci, ſapienter oſtendit quo-

quomodò oporteat nos tentationes superare, *Matth.* 4. Vide *Tribulatio. Consolatio divina.*

TIMOR DOMINI.

Omnis Dei timor, etiam ex metu pœna, per se bonus, & utilis est contra peccatum. Timor Domini expellit peccatum, *Eccl.* 1 *Beatus homo qui semper est pavidus.* Prov. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti. Iob.* 9. Et ideo à S. Bonav. timor comparatur ostiario, qui stare debet ad ostium cordis, ne permittat inimicum intrare, scilicet dæmonem, peccatum, tentationes, & pravas cogitationes. S. Bernardus multas breviter similitudines & encomia de timore adducit, in *Cant. Serm.* 86. Timor verecundus & castus est omnium ætatum ornatus: est splendida gemma morum in vultu adolescentis: est bonæ spei nuncius: est bonæ indolis index: est testis innocentiæ: est lampas pudicæ mentis. Est famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, naturæ laus, insigne totius honestatis.

Timere debet homo Deum omni tempore. Quia in hac vita non potest esse securus. Nam Angeli in cœlo, & primi parentes in terrestri Paradiso peccaverunt, ut patet, *Gen.* 3. & *Esaia* 4. Loth qui inter pessimos peccatores in Sodomis fuit bonus, tamen postquam exivit, est inebriatus, & cum filiabus peccavit, *Gen.* 19.

Timor Domini facit hominem à peccatis desistere, & cavere. Obstetrices Deum timuerunt, ideò non necaverunt filios Hebræorum, *Exod,* 1. Eleazarus nolens vetita manducare, ait: *Domine propter timorem tuum libenter hæc patior,* 2. *Machab.*

Timor Domini causa est quod homo benè operetur & diligat Deum. Ideò voluit Dominus filiis Israël timorem incutere, & legem cum tonitru & igne dare, *Exod.* 20. Josaphat docuit judices ut timor Domini esset inter eos, si benè vellent regere populum. Plus timens Tobias Dominum quàm Regem, *rapiebat corpora occisorum & sepeliebat ea,* ut patet, *Tob.* 2. Item commendatur Job, quod esset bonus, justus, & timens Deum. *Iobi* 1.

Timorem Domini non habentes graviter puniuntur. Nam omnes quos misit Rex Babylonis ad inhabitandum Samariam non timuerunt Deum, & misit Deus Leones qui interfecerunt eos, 2. *Reg.* 17. Jonas qui Deum non satis timuit tempestatem meruit, id nautæ videntes, timuerunt Deum, *Ion.* 1. Ob hanc causam dixit Dominus: *Timete eum qui potest corpus, & animam perdere in gehennam, Matth.* 10.

Sicut qui transit angustum pontem semper timet ne cadat antequam ad terram firmam perveniat, sic Christianus inter angustias

ftias & pericula hujus vitæ semper metuit ne labatur in peccatum, antequam veniat ad statum securum vitæ æternæ.

Sicut necesse est ut semper timeat qui thesaurum portat per loca prædonum insidiis infecta, ita necesse est in decursu hujus vitæ formidare, ubi infestissimi animarum prædones, dæmon, mundus, caro nituntur nos pretioso divinæ gratiæ thesauro spoliare.

Quemadmodùm fræno opus est equiti ne à ferociente equo per avia & devia abripiatur, ita fræno timoris divini opus est, ne indomitis cupiditatibus & vitiis nostris in interitum præcipites abripiamur.

Sicut pueri in scholis à negligentia ac petulantia deterrentur, dum vident socios suos examinari & supplicio affici, ita nos ex aliorum interitu debemus nobis formidare, & clamare ad Dominum: confige timore tuo carnes meas.

Uti solis radius quando per foramen domum ingreditur cuncta quæ in ea sunt illuminat; ita si timor Domini fuerit in anima, efficit ut omnia sua peccata etiam minutissima observat. *Climacus de discret. grad.* 26.

Sicut per corium acu perforatum priùs seta, & post eam filum ingreditur, sic timor Domini in animam hominis charitatem & justitiam introducit. *S. August. in Epist. S. Ioan.*

Vide *Pœnitentia, Humilitas.*

TRIBULATIO.

T*Ribulationem libenter & patienter sustinentes sequitur consolatio.* Nam Joseph plus crevit & prosperatus est in exilio, quam si fuisset inter fratres suos, *Gen.* 41. Quantò magis Pharao filios Israël affligebat, tantò plus multiplicabantur, & crescebant, *Exod.* 1. Heliam persecutum à Jezabel Angelus confortavit, & panem & aquam ei attulit, 3. *Reg.* 19. Excæcatum & derisum Tobiam Dominus multipliciter consolatus est, *Tob.* 2. & 10. Pueri in camino ignis receperunt angelicam consolationem, cum quibus Nabuchodonosor vidit similem Filio Dei, *Dan.* 3. Undè per Psalmistā dicit Dominus, *Cum ipso sum in tribulatione.*

Tribulationes veniunt propter peccata hominum. Ideò fratres Joseph dixerunt, *Meritò hæc patimur, Genes.* 42. Quia post obitum Judæ Machabæi surrexerunt iniqui & peccatores, facta est fames magna, 1. *Machab.* 9.

Tribulationum remedium est oratio, Nam *in tempore tribulationis clamaverunt ad te & exaudisti eos, Num.* 9. Susanna in damnatione mortis posita, non habens recursum ad humanum adjutorium, *flens oravit, & suspexit in cœlum. Dan,* 11.

Sicut

Sicut avis à canibus circumdata & in terra posita, non habet refugium nisi elevet se in altum, & volet versus cælum, ita homo in tribulatione. Vide *Tentatio, Patientia.*

V.

VERITAS.

V*Eritas apud malos homines odium parit.* Sic Zacharias filius Jonadæ verè & justè arguebat Regem, & Principes, quod Dominum & ejus legem dereliquissent, & ideo in odium veritatis ad imperium Regis Joas lapidatus fuit, 2. *Paralip. c.* 24. Achior quia narrabat vera quæ Deus fecit populo Israëlitico, indignatus est illi Rex Holofernes, & coactus est exulare, *Iudith. c.* 6. Cum Propheta Baruch ex volumine legis prædixisset Regi Joachim vera de futura captivitate Israël, jussit Rex volumen in ignem projici. *Hieremiæ c.* 36. Et Hieremias Propheta, quia civitatis Hierusalem captivitatem prædixit, in lacum missus fuit. *Hieremiæ c.* 38. Et Daniel quia apertè probavit idolum Beel non esse Deum, in locum leonum missus fuit, unde ipsum Deus & veritas liberavit. *Daniel. c.* 7. Quia Joannes Baptista veritatem dixit Herodi, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; in carcere decollatus fuit, *Matthæi c.* 4. Cæcus à Christo illuminatus; quia Pharisæis veritatem apertè dixit, extra Synagogam eum projecerunt. *Ioan.* 9. Quando Apostoli Principibus Sacerdotum de doctrina Christi vera prædicabant, cæsi fuerunt, & jussi ne de Christo amplius loquerentur, *Actuum cap.* 5.

Cur denique passi sunt tot Martyres, Confessores, & hodie verbi divini prædicatores tot injurias, & contumelias patiuntur? Nisi quia veritatem liberè annunciant, & aliorum erroribus assentiri nolunt.

Qui veritatem studiosè sectantur, Similes sunt illis qui ex visceribus terræ aurum effodiunt: & qui è profundo maris gemmas pretiosas ac lucidissimas educunt.

Comparat S. Augustinus *Epist.* 9. Veritatem Christianam cum pulcherrima Helena Græcorum, pro qua nostri martyres tot sæculis fortius dimicant, quam Græci pro sua Helena adversus Trojanos.

Bonorum ingeniorum est veritatem amare, & non pulchra verba, quid enim prodest clavis aurea, si aperire non potest, hoc est, ad veritatem ducere, idem S. *Aug. l.* 4. *de doct. Christiana c.* 2.

Sicut perdix optimus est cibus, non tamen si proponatur crudus; sic etiam veritas debet proponi excocta & condita sale prudentiæ, id est, suo tempore, & loco.

VOTUM.

Votum offerunt Deo homines tribulationibus oppressi ut liberentur. Debellato Israël & ablatâ prædâ, votum vovit Israël Deo, & postea victor fuit, *Num.* 21. & *Judith* 20. Viri qui erant in navi cum Jona tempore tempestatis timentes immolaverunt hostias, & voverunt votum Domino, *Jonæ* 1. Antiochus postquam percussus est à Domino insanabili plagâ, vovit se mirabilia facturum, si evaderet mortem, *Machab.* 9.

Votum indiscretum non debet homo facere, aut servare. Tale votum fecit Jephte, quando promisit immolare quod primo ipsi occurreret, *Jud.* 11. Pro indiscreta & mala causa vovit Absolon, volens rebellare patri, 2. *Reg.* 15. Crudele votum & impium fecerunt Judæi dicentes, *& devotione vovimus nos nihil gustare donec occidamus Paulum, Act.* 23.

Votum facientes debent votum reddere. Ideò Anna quæ vovit pro filio obtinendo, statim cùm obtinuit filium, adimplevit votum. 1. *Reg.* 1. Aza Rex Juda quæ voverat pater suus, obtulit in domo Domini aurum & argentum, ut ostendatur, quod aliquando vota Patrum debent reddere filii & hæredes, 2. *Paralip.* 15. *Omnis populus post victoriam venit in Hierusalem & tulerunt holocausta & vota sua, Jud.* 16. 22.

ZELUS BONUS.

Zelus bonus est arguere acriter delinquentes. Nam videns Neemias onera portantes, & uxores ducentes alienigenas, objurgavit eos, & acriter arguit, *Neem.* 13. Confidenter arguit Helias errantem populum, & Prophetas Baal fecit occidi. 3. *Reg.* 18. Miro zelo fervebat Joannes Baptista, dicens Judæis, *Genimina viperarum &c. Matth.* 3. *Luc.* 3. Et arguendo Herodem, dicens, *non licet tibi fratris tui uxorem habere, Matth.* 14. *Mar.* 6. Durè increpavit Dominus Scribas & Pharisæos, dicens, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, &c. Matth.* 23. Ardenti zelo Stephanus arguebat Judæos, dicens, *dura cervice &c. Act.* 7. Paulus cum fervore reprehendit Elymam quando dixit: *O plene omni dolo & omni fallaciâ, Act.* 13.

Zelus bonus est etiam punire acriter injuriam Deo inferentes. Moyses iratus est de vitulo facto à populo, & tabulas confregit, & populum arguit, & eos acriter punivit, *Exod.* 32. Multùm placuit zelus Domini quem habuit Phinees, quando transfodit adulterantes, *Num.* 25. Præcepit Josue Achior lapidari, & suppellectilem ejus comburi, quia tulerat de anathemate, *Josue* 7. Magnus erat zelus Mathatiæ, qui trucidabat homines impios super

aram Domini, 1. *Machab.* 2. Plures ejecit Dominus vendentes & ementes de templo, facto flagello de funiculis, *Ioan.* 2. *Luc.* 19.

ZELUS INDISCRETUS.


Zelus indiscretus est quando correctio non procedit ex justitia, sed ira vel vindicta. Sic Abisai voluit amputare caput Semei maledicentis David, sed David id non permisit, 2. *Reg.* 18. Jonas iratus propter hederam desiccatam, volebat ut Deus destrueret Civitatem, *Ion* 4. Jacobus & Joannes irati, quia nuncii Domini non fuerunt recepti, voluerunt ut ignis de cœlo descenderet, & consumeret non recipientes: sed Christus reprehendit eos, *Luca* 9.

Zelus erat indiscretus Judæorum pro observatione Sabbathi, quando Christum reprehendebant quod in Sabbatho infirmos curaret, *Matth.* 12. Item quando arguebant discipulos Christi esurientes, quod in Sabbatho spicas evellerent, & manducarent, *Matth.* 22. Non erat etiam discretus zelus Discipulorum qui indignè ferebant, quod Magdalena effuderit super caput Domini, Juda obmurmurante quod pretium istius unguenti non daretur egenis. *Matth.* 26. Arguit etiam Dominus Petrum, quia ardore & zelo non satis considerato amputavit auriculam servi Principis sacerdotum. *Matth.* 26. S. Paulus ante suam conversionem zelo non bono æmulator existens paternarum traditionum, trahebat Christianos viros ac mulieres vinctos in Hierusalem. *Actor.* 8. Denique Judæi videntes, quod universa Civitas conveniret ad audiendum prædicationem Pauli & Barnabæ, *Repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, Actor.* 13.

Homo zelosus, sed indiscretus est sicut Equus generosus, qui fræ num non habet, currit in incertum, in vepres, in foveas & seipsum & alios lædit aut præcipitat.

Sicut corpus in quo prædominatur humor cholericus, alimentum etiam optimum in choleram & bilem noxiam convertit, sic etiam zelus imprudens optimas actiones corrumpit & noxias facit.

Sicut oculus cui perspicilium viride imponitur, non discernit colores, sed omnia etiam candida, ipsi apparent viridia: sic zelus hominis indiscreti nequit discernere inter bonum & malum, justum & iniquum, sed omnia vult judicio imprudenti accommodare, & suo pede curvo omnia metiri. Vide *Correptio fraterna, Charitas, Ira, Invidia,*



INDEX APPARATUS PRÆCEDENTIS.

A.

Abnegatio. pagina 11
Abstinentia. 12
Acedia, Otium. 13
Accusatio. 16
Adulatio. 17
Ambitio v. *Superbia, infra.*
Amor Dei. 18
Amor Proximi. 20
Astutia. 21
Avaritia. 22
Auxilium Dei. v. *Benignitas Dei.*

B.

Beatitudo. 24
Bellum. v. *Discordia*
Baptismus. 26
Benignitas Dei. 27
Blasphemia. 28
Bonitas Dei. v. *Benignitas.*

C.

Castitas. 29
Calumnia. v. *Detractio.*
Charitas. 30
Christus. ibid.
Communio. v. *Eucharistia.*
Confessio peccatorum. 32
Consilium bonum. ibid.
Consilium malum. 33
Consolatio divina. 34
Constantia. ibid.
Contemplatio. v. *Oratio.*
Correptio fraterna. 35
Curiositas. 36

D.

Deipara. 36
Detractio & Calumnia. 37
Deus v. *Amor Dei, Benignitas. &c.*
Discordia. 39
Dilectio. v. *Amor.*
Duritia cordis. 40

E.

Ebrietas. 40
Ecclesia. 42
Eleëmosyna. v. *Liberalitas. Amor proximi.*
Exhortatio. 42
Eucharistia. 43

F.

Fallacia v. *Adulatio. Astutia*
Fides in Deum. 45
Filiorum educatio. 46
Fortitudo. 47
Furtum. v. *Avaritia. infra.*

G.

Gloria Cœlestis. 47
Gratitudo erga Deum. 48
Gratitudo erga homines. 49
Gula. ibid.

H.

Hæresis, v. *Fides, Ecclesia.*
Homicidium. 51
Honor parentum. ibid.

Hospitalitas. 52
Humilitas. *ibid.*
Hypocrisis. 54

I.

I*Actantia*, v. *Superbia.*
Iejunium. v. *Abstinentia.*
Infernus. 54
Ingratitudo. 55
Inimicitia, odium, discordia. 56
Intentio bona, aut mala. *ib.*
Invidia. 57
Iracundia, v. *Inimicitia.*
Iudicium iustum. *ibid.*
Iudicium iniquum. 58
Iuramentum. 59
Iustitia Divina. 60

L.

L*Ex divina*, v. *Obedientia.*
Liberalitas. 60
Luxuria. 61

M.

M*Aria Virgo.* v. *Deipara.*
Matrimonium. 62
Mendacium. 63
Mors. 64
Mundi contemptus. v. *Abnegatio.*

O.

O*Bedientia.* 64
Odium. v. *Inimicitia. Invidia.*
Opus & intentio bona. 66
Oratio. 67
Otium, v. *Acedia, Opus bonum.*

P.

P*Atientia.* 6
Pax. *ibi*
Peccatum. 7
Pœnitentia. 7
Perseverantia. 7
Prædicatio. v. *Exhortatio.*

S.

S*Abbathi observatio.* 7
Sapientia. Prudentia. *ibi*
Sacrum, v *Eucharistia.*
Sobrietas. v. *Abstinentia. Ebrietas.*
Spes, fiducia. 7
Superbia. 7

T.

T*Emperantia.* v. *Abstinentia, Ebrietas. Gula.*
Tentatio. 7
Timor Domini. 7
Tribulatio. 7

V.

V*Oluptas.* v. *Luxuria.*
Veritas. 8
Votum. 8
Vita æterna. v. *Beatitudo, Gloria cœlestis.*

Z.

Z*Elus bonus.* 8
Zelus indiscretus. 8

PRAXI

PRAXIS

DICTIONEM CONFICIENDI

Ex

Apparatu præcedenti, & ſequenti in Doctrina Chriſtiana.

§. 1. *Praxis conficiendi primam partem Dictionis.*

PRima pars Dictionis, *facile componi poterit ex ſola* Narratione *Evangelii quod præſenti die occurrit, adhibitâ quadam amplificatione, & ornatu oratorio magis obvio, & ex rei natura deſumpto. Ars autem hujus amplificationis in eo conſiſtit primò, ut ſingulæ partes Evangelii pluribus verbis & ſententiis ad populi captum familiari modo exponantur, per interrogationes, reſponſiones, ſimilitudines dicti vel facti Evangelici, cum factis aut moribus populi præſentis, ut ad imitationem virtutis, aut fugam vitii excitetur, ut infra in exemplo oſtendetur.*

Secundò aſſignando cauſas *cur ſingula à Chriſto dicta aut geſta fuerint, v. g. ad noſtram doctrinam, ad pœnam malorum, præmium bonorum, &c.*

Tertiò exponendo modum *rei geſtæ v. g. quanto cum amore, aut dolore, aut patientia res quæ narratur à Chriſto, aut alia perſona, geſta fuerit.*

Quartò, idem declarando aliqua comparatione aut ſimilitudine, quales ſupra in Apparatu ad ſingulos fere Titulos ſubjiciuntur. Debet autem ejusmodi ſimilitudo *non verbo abſolvi, ſed per partes deduci, comparando ſingulas ejus proprietates cum re aut perſona, cui illam applicare intendimus: Exempli causâ: quando Amorem Dei cum Igne comparamus, oportet conſiderare Ignis proprietates, & illas cum Amoris effectibus conferre: hoc modo: Sicut ignis expellit frigus, ita Amor pellit teporem & negligentiam in obſequio divino: ignis diſſolvit glaciem, ita amor cor peccatoris in lachrymas reſolvit: in igne purgatur aurum & alia metalla, per amorem anima à peccatis expiatur: igne accenſo domus illuminatur, ita amor replet hominem lumine gratiæ divinæ: ignis ſemper aſcendit ſurſum, amor divinus ſemper animam à rebus terrenis ad cœleſtia attollit, &c. Simili modo alia* exempla, *& ſimilitudines, quæ breviter aſſignantur, poterunt latius deduci, & ad præſentem materiam applicari.*

Hoc autem ut facilius fiat, in ſingulis dictis aut factis latiùs exponendis, conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, quæ memoriæ causâ hoc

verſiculo aptè comprehenduntur. Quis,quid, ubi,quibus auxiliis, cur,quomodo, quando?

Cujus rei brevem methodum & exemplum ante oculos ponemus in enarrando Evangelio Dominicæ primæ Adventus, de extremo judicio,quæ infra inter Dominicas prima occurret.

Prima partis exemplum, Narratione Evangelii.

PRoponitur nobis (Auditores) hodie Evangelium de ſecundo Chriſti Adventu,& de ſignis præcedentibus judiciũ extremũ.

Quis illa nobis proponit? Ipſe Chriſtus, Deus & homo, judex vivorum & mortuorum, æterna veritas, quæ neminem poteſt fallere, quia eſt bonitas infinita, nec poteſt ipſe falli: quia rerum omnium etiam futurarum ſcientiam habet.

Cur ea nobis prænuntiavit? Ut comparemus nos ad judicium futurum per bona opera, ut deleamus peccata præterita per pœnitentiam, ut caveamus peccata futura in extremo judicio ſevere vindicanda. *Simile*: ſicut latrones ſolent abſtinere à rapinis quando vident coram ſevero judice ſibi brevi comparendum eſſe.

Quomodo Chriſtus illa prædicit? Summo affectu erga noſtram ſalutem, tanquam providus parens, qui ſolicitè monet filium ut caveat à periculo tempeſtatis,aut incendii futuri.

Audite igitur ejus verba: *Erunt ſigna.* Sed *ubi* illa ſigna apparebunt ut poſſimus ea cognoſcere? *In ſole, & luna, & ſtellis* nempe,in loco maximè conſpicuo, ante omnium oculos, in ipſis cœli luminaribus, ut nemo ea poſſit ignorare. Vis ſcire *quænam* erunt illa ſigna *in ſole, &c.* Erunt eclipſes, tenebræ, fulgura, & ſtellæ de cœlo cadentes. *Comparatio.* Cogita quo terrore concutimur quando ex aliqua parte cœli ingentes fragores audimus & horrenda fulgura conſpicimus: *quanto magis*, quando illa totum orbem occupabunt. *Tranſitio.*

Sed ne putemus ſigna judicii extremi in cœlo tantum futura pergit Chriſtus; *Et in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum. Quomodo* trepidabunt homines, & maximè peccatores ad hanc preſſuram ex terra, & horrendum ſonitum ex turbatis totius Oceani fluctibus? *Areſcentibus* (inquit) *hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur. Quantò magis* debent commoveri corda peccatorum & reſolvi ad lachrymas pœnitentiæ. *Simile.* Sicut poſt magna tonitrua ſolent nubes in pluvias ſolvi. *Tranſitio.*

Poſt hæc tremenda ſigna in cœlo, terra, & mari, videamus quid ſequatur. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate.* O quam erit hoc ſignum jucun-

dum Christi amicis, è contrario, quam erit formidandum ejus inimicis. Veniet cum majestate magna, *quare*? quia illum è cœlo comitabuntur omnes Angeli, & coram illo in terra stabunt judicandi omnes Reges, Principes, & universi homines, qui ab initio usque ad finem mundi vixerunt. *Simile.* Sicut Rex solet summa cum majestate & frequentia comparere, quando in publico tribunali judicium exercet. *Simili methodo pergendum est, enarrando reliquam partem Evangelii.*

§. II. *Praxis conficiendi secundam partem Dictionis.*

PRo *secunda parte Concionis, eligenda erit ex eodem Evangelio aliqua* sententia *particularis, quæ erit idonea ad instituendum discursum de aliqua virtute, aut vitio, aut aliâ doctrinâ ex mente Concionatoris.*

Vt pro hoc discursu materia apta inveniatur, in Indice supra concinnato videnda erit virtus, aut vitium, aut alia Doctrina circa quam sententia electa præcipuè versatur: ut, si sit Amor Dei, *Vide in littera A. si sit* Justitia, *vide in littera I. & sic de cæteris. Vbi nota, quando est discursus de* virtute, *posse etiam materiam peti ex* vitio *illi contrario, & contrà, v. g. si agitur de* Amore, *videndus est etiam titulus de* odio *vel* inimicitia, *vel* invidia.

Postquàm in Indice inventa est materia & exempla ad mentem Concionatoris idonea expedit illa fusius legere in ipsa Scriptura loco citato. Deindè debent illa Exempla cum aliquo ordine & ornatu oratorio in charta describi & deduci ad scopum à Concionatore intentum, Deductio autem illa ferè consistet in artificio, quod suprà ostendimus in narratione Evangelii.

Exempli causâ ex præsenti Evangelio eligitur hæc particularis sententia: Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate, *nempè ad judicandum. Quæratur ergò in Indice* Judicium, Justitia, *& ex illis desumatur materia & discursus juxta methodum sequentem.*

Secundæ partis exemplum, in Sententia deducenda.

T*Vnc videbunt Filium hominis venientem in nube, &c. Quinam* videbunt? Tot⁹ mundus, justi, & impii simul congregati. *Quid* videbunt? Filium hominis scil. Christum cujus præcepta peccatores contempserunt, cujus merita neglexerunt, cujus passionem & mortem spreverunt. *Quare* tunc Christum videbunt in nubibus venientem? Ut de omnibus hominibus ex æquo & bono judicium exerceat. (Vide in indice *Iudicium justum*, & ex eo reliqua compone hoc modo:) Judex ut recte judicet, debet causas diligenter examinare. Sic fecit Salomon Rex sapientissimus,

3. *Reg.* 3. Quando duæ mulieres de filio contendebant utra eſſet vera ejus mater: ut veritatem exploraret, voluit infantem in medio collocari, deinde juſſit ſibi gladium adferri, dicens, ſe velle puerum inter utramque mulierem ex æquo dividere. *Quid* hic factum putatis? Mulier quæ non erat vera infantis mater, nulla ejus commiſeratione tacta, voluit illum in duas partes diſſecari. Altera vero totis viſceribus commota extemplo juſſit potius infantem vivum atque integrum alteri conſignari. Hinc ſtatim collegit Salomon cauſæ veritatem, & huic tanquam veræ matri totum infantem adjudicavit. Præclara quoque Sapientia eluxit in Daniele quæ narratur *Dan.* 13. in occulta cauſæ veritate indaganda. Suſanna nobilis matrona à duobus ſenibus adulterii falſo accuſata ad extremum ſupplicium rapiebatur. Daniel, Deo impellente, Suſannæ innocentiam ſibi explorandam ſuſcepit. Quid hic faceret? Cauſa erat occulta, aderant accuſatores ætate & authoritate graves, populus ad ſupplicium convenerat, Suſanna jam jam lapidibus obruenda erat. (*Narretur decore reliqua hiſtoria, & veritas tandem detecta.*)

Ecce quanta cura & ſagacitate opus eſt judicibus ut in rebus humanis occulta veritas detegatur. Sed Chriſto ſupremo judici in illa die nihil erit ignotum, nihil occultum, de quo dicitur, Judex ergo cum ſedebit, quidquid latet apparebit, nil inultum remanebit. Quidquid in cubiculo, quidquid in ſilvis, quidquid in tenebris, quidquid in intima cordis cogitatione geſtum eſt, ante Judicis oculos manifeſte apparebit.

Cognitionem cauſæ & criminis ſequetur juſtitia: (Vide *Juſtitia Dei*, & indè pergè hoc modo.) Juſtitia requirit ut qui peccando mala aliis intulerunt, ipſis pari menſura mala infligantur. Superbus Aman odio incenſus in Mardochæum, eo quod ſibi genua non flecteret, curavit erigi excelſum patibulum ut in eo ſuſpenderetur: *Fuſius Eſtheris* 7. Sed quid tandem factum? Supplicium quod alteri paravit ipſe ſuſtinuit. Nam à Rege Aſſuero morti adjudicatus eſt, ut ex patibulo quod Mardochæo erexit ipſe penderet. *Aman* eſt peccator, qui non dubitat aliis facto, aut verbo, aut pravâ voluntate injuriam inferre. *Aſſuerus* eſt *Chriſtus*, qui peccatorem in extremo judicio pari ſupplicio adjudicabit. Hanc divinæ juſtitiæ menſuram ut clariùs intelligatis, ponite ante oculos Viros iniquos, qui curârunt Danielem in profundum lacum leonibus devorandum dimitti; *Fuſius ex Dan.* 14. Concluſit Dominus ora leonum ne innocentem attingerent. Sed homines ſcelerati qui Danieli injuriam intulerunt, in lacum conjecti extemplò à leonibus devorati fuerunt. Sic in extremo judicio

dicio

dicio instar Danielis homines innocentes à peccatoribus injustè vexati stabunt illæsi & securi. Peccatores autem in profundum inferni lacum præcipitati à tartareis leonibus æternum cruciandi abripientur. *Plura exempla si velis vid. eodem Indice.* Conclusio.

Cavendum igitur peccatum à justo Judice tam severè vindicandum, cavenda injuria proximi, cavenda superbia, cavenda invidia, &c. *Descendendo ad particularia crimina, de quibus Concionator cupit suos admonere, quæ etiam in Indice videri possunt, & per Exempla illic posita dilatari.*

§. III. *Tertiæ partis praxis & exemplum, ut suprà de Sententia.*

LEvate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra. *Quis* hæc verba profert? Christus, qui non tantum est severus judex, sed etiam benignus consolator. *Quibus* hæc dicuntur? Justis & piis hominibus, qui in vita fuerunt injuriis & tribulationibus oppressi, nec permissi caput attollere, tunc tandem in die judicii illis dicetur, *Levate capita vestra.* Vide, *Tribulatio, Tentatio, Patientia*: & ex illis (sicut supra ex *Iustitia*) seligantur exempla Josephi, Tobiæ, &c. quibus ostendatur, justos qui in hac vita multis tribulationibus opprimuntur, in die judicii viso Redemptore habituros gaudium, gloriam, consolationem; pro quo videri potest in Indice, *Consolatio, & gloria æterna. Poterit, si velit, pergere ad aliam sententiam ex Evangelio eligendam, & ex Indice deducendam juxta praxim jam assignatam.*

In fine autem debet Orator majori affectu, & vocis contentione perorare: Scopum etiam dictionis suæ repetere, & ardentius inculcare: quandoque per Apostrophen sermonem ad Deum, aut Sanctos, aut alios pro re nata convertere; auditores denique ad proposita firma, & scopo dictionis consentanea vehementius incitare.

Ad hæc plurimùm conducet, primò ante concionem privatâ oratione gratiam cum fructu prædicandi à Deo suppliciter postulare: Secundò, pro meditationis exercitio affectum illum in se concitare, ad quem cupit auditores impellere: Tertio, modum prædicandi in optimis Concionatoribus accuratè observare, eumque conari in praxim reducere, quantùm propriæ naturæ vires & inclinatio patietur: ille enim dicendi modus maximè placere solet, qui minimè affectatus apparet.

Porrò ut prædictus Apparatus & praxis ex eo concionandi facilius ab incipientibus in usum redigatur, assignamũs infra per reliquas Dominicas, 1. Evangelium diei: 2. Puncta sive sententias

ex

ex eo ſelectas, & conceptus de ſingulis punctis ad concionandum idoneos. 3. Apponimus ad ſingulas ſententias Titulum in Indice ſive Apparatu contentum, ut ex eo in promptu habeat Concionator materiam idoneam, ex qua ſententiam ſuam & conceptum facilè & copioſè deducat.

Denique eâdem praxi, qua nos pro ſingulis Dominicis & Feſtis, pro faciliori tantum norma, aliquas ſententias & materiam adaptavimus, poterit deinceps Concionator, cùm placuerit, ſententias alias ex eodem Evangelio eligere, & illas materiæ quam habet in Apparatu accommodare.

Ad extremum obſerva, materiam pro dictione peti poſſe non tantùm ex Apparatu, ſed etiam ex Controverſiis ſuperiùs tractatis, & exemplis aliisque in Catecheſi infra inducendis, eorum Indices aut titulos percurrendo, ubi pro omnibus Fidei myſteriis, & officiis juſtitiæ Chriſtianæ exempla ſelectiſſima fuſiùs deducuntur.

Dominica I. Adventus.

Evangelium, *Lucæ* 21. *Erunt ſigna, &c.*

NArratur totum Evangelium Dominicæ: *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis*; juxta praxim primæ partis ſuprà.

2. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate.* Adventus Chriſti erit peccatoribus tremendus, quia ſtricto judicio omnia occulta examinabit, & pœnam ex æquo retribuet, Vide ex Apparatu *Iudicium rectum, Iuſtitia divina.*

3. *Tunc videbunt* Hæretici Chriſtum in nube cum tremore, qui noluerunt illum in Euchariſtia, aut in vera Eccleſia agnoſcere, V. *Euchariſtia, Eccleſia. Tunc videbunt.* Avari Chriſtum in nube, qui illum noluerunt videre in paupere. V. *Eleëmoſyna. Tunc videbunt* Chriſtum in nube lucida Operarii tenebrarum, qui non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum. V. *Luxuria, Aſtutia, &c.*

4. *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Juſti & pii qui in hac vita tribulationibus opprimuntur, in extremo judicio levabunt caput cum gaudio & conſolatione. Vide *Tribulatio, Conſolatio.*

Dominica II. Adventus.

Matth. 11. *Cùm audiſſet Ioannes.* &c.

NArratio totius Evangelii, juxta praxim narrationis ſupra.

2. *Cùm*

2. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.* Sicut S. Joannem in carcere, ita juſtorum vitam exercet Deus per vincula patientiæ, morbos, paupertatem, perſecutiones in hoc mundo &c. Nam ut purum aurum in igne probatur, ita juſti in tribulatione. Vide in Apparatu, V. *Patientia*, & varia ejus exempla, & documenta.

3. *Exiſtis videre arundinem vento agitatam.* S. Joannes manſit in adverſis conſtans, ſed homines reprobi inſtar arundinis cum omni vento tentationis facilè inclinantur ad peccatum. V. *Conſtantia, Peccatum*, & ſpecies peccati, *Superbia, Avaritia &c.* Item *Catech. c.* 3. *de præceptis.*

Contra Hæreticos, *Cæci vident, claudi ambulant* &c. Quomodo Fides (præſertim nova) debeat miraculis confirmari, vide ſupra in *Polemicis part.* 1. *pag.* 40.

Dominica tertia Adventus.

Joan. 1. *Miſerunt Iudæi &c.*

NArratio Evangelii, juxta praxim &c.

2. *Tu quis es?* Homines ſuperbi & qui ſe jactant, ſolent alios interrogare, *Tu quis es?* Sed deberent potiùs interrogare & examinare ſeipſos, & ſua vitia. V. in Apparat. *Iactantia, Superbia.*

3. *Ego vox clamantis in deſerto.* S. Joannes ex humilitate dicit ſe tantùm eſſe *vocem* quæ eſt res leviſſima. Sed melius id poſſent dicere multi homines, qui tantùm habent verba & voces, & nihil veritatis. V. *Humilitas, Mendacium.*

4. *Ego baptizo in aqua.* Baptiſmus Joannis tantùm habebat aquam pœnitentiæ, ſed Baptismus Chriſti confert etiam gratiam, & ſalutem. V. *Baptismus*, item *in Catech. c.* 4.

Dominica IV. Adventus.

Luc. 3. *Anno quintodecimo.* Narr. Evang.

P*Rædicans Baptismum pœnitentiæ.* Pœnitentia neceſſaria, eſt ſecundus Baptiſmus. V. *Pœnitentia, Baptismus, Confeſſio peccatorum.* Eadem *in Catech. c* 4.

Hæretici male negant *Baptismum Pœnitentiæ* per Confeſſionem & Abſolutionem Sacerdotis. Vide *in Polemicis part.* 2. *pag.* 137.

2. *Parate viam Domino.* Virtutes quæ requiruntur ad parandam viam Domino in noſtra anima. V. *Amor Dei, Humilitas, Fides, Spes, Oratio, &c.*

3. *Omnis mons, & collis humiliabitur.* Superbi ſicut montes ſupra alios elati à Deo deſeruntur, & humiliantur. V. *Superbia.*

Nativitas Domini.

Luc. 2. *Exiit edictum.* Narr.

N*Atus eſt vobis hodie Salvator.* Quanta Dei bonitas, qui voluit Filium ſuum pro nobis incarnari, & in ſtabulo naſci. V. *Benignitas Dei. Gratitudo erga Deum.*

2. *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Si Filius Dei è cœlo ad ſtabulum ad nos deſcendit, quomodò non debemus pro Deo nos humiliare, & mundi vanitates abnegare. V *Humilitas. Abnegatio.*

3. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Homines bonæ voluntatis debent ex amore Chriſti habere pacem cum Deo, cum proximo, cum propria conſcientia. V. *Pax. Concordia.* Item *Odium. Invidia.*

Dominica prima poſt Nativitat.

Luc. 2. *Erant Ioſeph & Maria.* Narr.

P*Oſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum.* Chriſtus improbis hominibus eſt ſeverus judex ad ruinam, & bonis benignus Salvator ad gloriam. V. *Iuſtitia divina, Benignitas Dei. Gloria cœleſtis.*

2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Sicut hic Deiparæ, ita juſtis hominibus tribulationes proveniunt ad ſalutem. Vide *Tribulatio. Patientia.*

3. *Quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Et ideò meruit Chriſtum videre. V. *Iejunium. Oratio.*

Circumciſio Domini,

Lucæ 2. *Poſtquàm conſummati.* Narr.

P*Oſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer.* Debent Chriſtiani animum circumcidere amputando peccata, luxuriam, gulam, &c. V. *Peccatum. Pœnitentia. Abſtinentia. Luxuria, Gula.*

2. *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus.* Id eſt Salvator. Chriſtus pro ſtrena novi anni offert in circumciſione ſuum ſanguinem pro hominum ſalute. Vide, *Benignitas Dei, Gratitudo erga Deum.*

3. Quot modis ſe Chriſtus hominum Salvatorem demonſtrat. V. *Chriſtus.*

Epiphania Domini.

Matth. 2. *Cùm natus esset &c.* Narratio.

V*Idimus stellam ejus in Oriente.* Fides est stella quæ ducit nos ad Christum. V. *Fides. Obedientia.*

2. *Renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Similes sunt Herodi hypocritæ & hæretici, qui simulant pietatem. V. *Hypocrisis. Intentio mala. Astutia.* Item Genius fallax Hæreticorum, pag. 154.

3. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Per hæc tria munera significatur Christo offerenda Fides, Spes, Charitas sive Amor Dei. Item paupertas sive abnegatio sui, castitas, obedientia. V. *Singulas istas virtutes in Apparatu.*

Dominica prima post Epiphaniam.

Lucæ 2. *Cùm factus esse Iesus.* Narr.

I*Nvenerunt Iesum in templo.* Iesus invenitur in vera Ecclesia, & in oratione, V. *Ecclesia. Oratio.* Item, Notæ veræ Ecclesiæ pag. 32. &c.

2. *Nescitis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse*: Serviendum Deo potiùs, quam mundo aut hominibus. V. *Obedientia, Abnegatio mundi. Amor Dei.*

3. *Et erat subditus illis.* Quantùm debeant honorari parentes. V. *Honor parentum. Educatio filiorum. Et in Catech. c. 3. de præcepto honorandi parentes.*

Dominica secunda post Epiphaniam.

Joan. 2. *Nuptiæ &c.* Narratio.

N*Vptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Matrimonium honorandum est, & ejus leges magnâ curâ servandæ tam à viro quàm à muliere, in mutuo amore, fidelitate, concordia. Vide *Matrimonium.* Et *in Catech. c. 4. de Sacram. Matrimonii.*

2. *Omnis homo primò bonum vinum ponit &c.* Mundus primò præbet voluptatem, posteà dolorem & tribulationem: Deus è contra primò præbet tribulationem, posteà lætitiam & præmium æternum. Vide *Tribulatio, tentatio, patientia.*

3. *Hoc fecit Iesus initium signorum.* Vide *Christi miracula, v. Christus. Benignitas Dei.*

Dominica tertia post Epiphaniam.

Matth. 8. *Cùm descendisset.* Narr.

D*Escendente Jesu de monte, Ecce leprosus venit,* Leprosus dici

dici poteſt quivis peccator plenus ulceribus ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulæ, &c. V. *Peccatum, Superbia, Luxuria, &c.*

2. *Si vis, potes me mundare.* Peccator debet cum fiducia & dolore ad Chriſtum recurrere. V. *Fiducia, Pœnitentia.*

3. *Vade, oſtende te Sacerdotibus.* Debet etiam peccator peccata ſua aperire & oſtendere Sacerdoti in Confeſſione ſacramentali. Vide *Confeſſio peccatorum*: Item *Sacramentum Pœnitentiæ in Catech. c. 4.*

Dominica quarta poſt Epiphaniam.

Matth. 8. *Aſcendente, &c.* Narr.

ASCENDENTE *Ieſu in naviculam, ecce motus magnus factus eſt in mari.* Mundus eſt mare plenum procellis, id eſt, periculis, diſcordiis, litibus. V. *Diſcordia, inimicitia.* Item *pax.*

2. *Domine ſalva nos, perimus.* Remedium in mundi periculis eſt auxilium Dei invocare. V. *Oratio, Auxilium Dei. Fiducia, Et in Catech. c. 2. de Orat. Domin.*

3. *Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.* Si mutæ creaturæ obediunt Dei præcepto, quanto magis homo. V. *Obedientia, Timor Domini. Et in Catech. c. 3. de præceptis.*

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Matth. 13. *Simile factum eſt.* Narr.

SIMILE *factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro.* Semen bonum eſt fides, aut quævis alia virtus, quæ ſeminatur in anima, ut poſteà proferat fructum vitæ æternæ. V. *Fides, Liberalitas, Amor Dei, &c. Et in Catech. c. 1. de fide.*

2. *Venit inimicus ejus & ſuperſeminavit zizania.* Zizania ſunt errores hæreticorum, aut peccata, in quæ dæmon, & hæretici homines inducunt. V. *Tentatio, mendacium, avaritia, luxuria, & alia vitia.*

3. *Sinite utraque creſcere usque ad meſſem.* Deus permittit probos & improbos ſimul vivere in hoc mundo, ſed morte & judicio extremo illos ſeparabit ad præmium, vel pœnam æternam. V. *Mors, judicium, juſtitia divina. Et in Catech. c. 5. de 4. Noviſſimis.*

Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Matth. 13. *Simile eſt.* Narr.

SIMILE *eſt regnum cœlorum grano ſynapis, &c.* Granum ſinapis eſt vera fides in Chriſtum, quæ nunc apparet parva, & humi-

humilis, postea autem crescet in gloriam immensam & æternam. V. *Fides, humilitas, tribulatio.*

2. Granum sinapis dum masticatur elicit lachrymas, sed tamen conducit ad sanitatem: ita pœnitentia nunc causat dolorem, posteà verò salutem operatur. V. *Pœnitentia patientia, tribulatio.* Item *in Catech. c. 4. de pœnit.*

Dominica Septuagesimæ.

Matthæi 20. *Simile est.* Narratio.

S*Imile est regnum cœlorum homini patrifamilias.* Regnum cœlorum est Ecclesia, ad quam Deus homines vocat ut benè operentur. V. *Ecclesia, Obedientia.* Et *Fides Catech. c. 1.*

2 *Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei.* Qui Deo serviunt brevi tempore ex pura intentione, plus apud Deum merentur quam qui pro mundo diu, multumque laborant. Vide *Intentio bona, mala, Gloria cœli.*

3. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Pauci sunt salvandi, eo quod pauci deserunt sua vitia. Vide *Superbia, Avaritia, Luxuria.*

Dominica Sexagesimæ.

Lucæ 8. *Cum turba plurima.* Narratio.

S*Emen est Verbum Dei.* Magni facienda est Fides & Prædicatio verbi divini, quia est semen vitæ æternæ. V. *Fides, Prædicatio.*

2. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Necessaria est ad salutem perseverantia in fide, & bonis operibus inter persecutiones. V. *Perseverantia fortitudo, tentatio, tribulatio.*

3. *Hi sunt qui in corde bono & optimo fructum adferunt in patientia.* Fructus bonorum operum haberi non potest sine patientia. V. *Patientia, abstinentia, abnegatio.*

Dominica Quinquagesimæ.

Lucæ 18. *Assumpsit Iesus, &c.* Narratio.

E*Cce ascendimus Hierosolymam, &c.* Quanta Christi benignitas qui ultrò tendit Hierosolymam ut pro peccatoribus patiatur. V. *Benignitas Dei in peccatores, Amor noster in Deum.*

2. *Et postquàm flagellaverint, occident eum & tertiâ die resurget.* Maxima consolatio in tribulatione & persecutione est futura mortuorum resurrectio. V. *Tribulatio, persecutio, gloria cœlestis.*

3. *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Homines ingrati non intelligunt Christi in se amorem & beneficia. V. *Ingratitudo, benignitas Dei.*

Dominica I. Quadrag.

Matth. 4. *Ductus est Iesus &c.* Narratio.

CVm *jejunasset quadraginta diebus &c.* Quàm utile & sanctum sit jejunium Quadragesimæ exemplo Christi, vide *Abstinentia, jejunium.*

2. *Accedens tentator dixit ei &c.* Christus voluit tentari, ut ostenderet, Christianos debere per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum. V. *Tentatio, tribulatio.*

3. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Dæmon homines tentat & decipit promittendo illis falsa bona, mundi divitias, voluptates, honores, ut vera & æterna bona illis auferat. V. *Avaritia, luxuria, superbia.*

Dominica II. Quadrag.

Matth. 17. *Assumpsit Iesus &c.* Narr.

TRansfiguratus *est ante eos.* Nempe ante discipulos, id est, homines pios, qui deserunt cupiditatem mundi, & ascendunt cum Christo ad montem orationis, aut contemplationis. V. *Abnegatio, contemplatio, amor Dei.*

2. *Domine bonum est nos hic esse.* Quantum bonum & beneficium est esse cum Christo in vera Ecclesia, in oratione, in operibus bonis. V. *Ecclesia, oratio.* Item *in controvers. part.* 1. *c.* 2. *de vera Ecclesia.*

3. *Surgite & nolite timere.* Qui Christum timet & in eo confidit, nihil debet in mundo timere; non minas hominum, nec carcerem, non mortem &c. V. *Timor Domini, fiducia, fortitudo.*

Dominica III. Quadrag.

Lucæ 11. *Erat Iesus &c.* Narr.

ERat *Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Dæmonium mutum habent illi; qui in Confessione non aperiunt peccata sua, & qui non laudant Deum in oratione. V. *Confessio, Oratio.*

2. *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Quanta damna adferat discordia in regno, in civitate, in familia, vide *discordia, Pax.*

3. *Qui non est mecum contra me est.* Deus odit simulationem & hypocrisim, vult autem habere mentem & intentionem rectam. V. *Hypocrisis, Intentio recta.*

Dominica 4. Quadrag.

Joan. 6. *Abiit Iesus trans mare.* Narratio.

ERat *autem proximum Pascha dies festus Iudaeorum.* Quanta apud Catholicos debet esse observatio dierum Festorum & Dominicae, vide *Sabbathi observatio.* Et *in Catech. c. 5. de praeceptis.*

2. *Discubuerunt viri numero quasi quinque millia.* Exemplo Christi quanta debet esse liberalitas fidelium erga peregrinos, maximè pauperes, & Religiosos qui Christum sequuntur. Vide *Liberalitas.*

3. *Iesus ergò ne facerent eum Regem, fugit.* Docemur hic fugere vanos honores, & mercedem liberalitatis à solo Deo expectare. V. *Humilitas, Intentio bona.*

Dominica 5. quae est Passionis.

Joan. 8. *Dixit Iesus turbis.* Narratio.

QVi *ex Deo est verba Dei audit* Signum est praedestinationis Conciones libenter audire & observare. V. *Praedicatio, Obedientia.*

2. *Si quis sermonem meum servabit, mortem non videbit in aeternum.* Per observantiam mandatorum obtinetur vita aeterna. V. *Obedientia, Gloria coelestis.*

3. *Abraham mortuus est & Prophetae.* Nemo mortem evadit, debemus semper esse parati ut transeamus ad alteram vitam. V. *Mors,* Item 4. *Novissima in Catech. c. 3.*

Dominica 6. quae est Palmarum.

Matth. 21. *Cùm appropinquasset,* Narratio.

ECce *Rex tuus venit tibi mansuetus.* Christi mansuetudo & humilitas Christianis imitanda. Vide *Patientia, Humilitas.*

2. *Straverunt vestimenta sua in via.* Hinc collige non tantùm affectum internum, sed etiam saepè bona externa pro Christo exuenda esse. V. *Abnegatio, amor Dei.*

3. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Benedictus & honorandus Deus in suis Sanctis & ministris. V. *Amor Dei, Honor parentum.* Item *cultus Sanctorum in contr. part. 2. fol.* 142.

Dominica Resurrectionis.

Marc. 16. *Maria Magdalene &c.* Narrat.

EMerunt *aromata ut venientes ungerent Iesum.* Aromata Christo gratissima sunt virtutes, quae impediunt corporis

 & ani-

& animæ nostræ corruptionem, & Christi membra ungunt in suis pauperibus. V. *Castitas, amor Dei, liberalitas in pauperes.*

Nolite expavescere, Iesum quæritis Nazarenum. Non debet timere qui seriò Christum quærit. V. *Fides, & fiducia.*

3 *Surrexit, non est hic.* Per pœnitentiam oportet cum Christo resurgere ex sepulchro nostrorum peccatorum. V. *Pœnitentia, peccatum.*

Dominica in Albis.

Joan. 20. *Cùm serò esset.* Narratio.

PAx vobis. Pax servanda cum Deo, cum proximo, cum nostra conscientia. V. *Pax, Discordia.*

2. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quanta Sacerdotibus concessa potestas, vide *Confessio peccatorum, pœnitentia.*

3. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Quantum Dei donum vera fides, v. *Fides. fiducia.* Item *in Catech. c. 1. de fide.*

Dominica 2. post Pascha.

Joann. 10. *Ego sum Pastor bonus.* Narratio.

BOnus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. V. *Zelus gloriæ Dei, Fortitudo.*

2. *Ego sum Pastor bonus & cognosco oves meas.* V. *Christus; benignitas erga suos fideles:* Applicando illi officia boni Pastoris.

3. *Fiet unum ovile & unus Pastor.* V. *Concordia, pax.* Item *Ecclesiæ unitas, Controv. part. 1. c. 3. pag. 2.*

Dominica 3. post Pascha.

Joan. 16. *Modicum &c.* Narratio.

ITerùm & videbitis me. Totum tempus & bonum hujus vitæ modicum censeri debet. V. *Mors, Gloria æterna.*

2. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Vide *Tribulatatio, tentatio, patientia servorum Dei.*

3. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* V. *Consolatio divina, Gloria æterna.*

Dominica. 4. post Pascha.

Joan. 16. *Vado ad Deum.* Narratio.

CVm venerit Paraclitus, arguet mundum de peccatò, & de justitia, & de judicio. V. *Peccatum, justitia divina, judicium iniquum, rectum.*

2. *Paraclitus Spiritus docebit vos omnem veritatem.* Veritas & fides

& fides est à Spiritu sancto; mendacium & hypocrisis à spiritu maligno. V. *fides, mendacium, hypocrisis.*

3. *Non enim loquetur à semetipso.* Hæretici quia loquuntur à semetipso, non à Deo, sunt mendaces & fallaces. V. *Mendacium, fallacia.* Item *vera Ecclesia, Contr. p.* 1. *c.* 2.

Dominica 5. post Pascha.

Joan. 16. *Amen dico vobis.* Narratio.

SI *quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quanta est vis orationis, v. *Oratio.*

2. *Ipse enim Pater vos amat, quia vos me amastis.* V. *Amor Dei, & Benignitas.*

3. *Et credidistis, quia à Deo exivi;* Fides vera in Christum quanti momenti; v. *Fides, & in Catech, c.* 1.

Ascensio Christi.

Marci 16. *Recumbentibus undecim &c.* Narr.

EXprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis. Quantum malum duritia cordis in credendo; & dolendo de peccatis, v. *Duritia cordis, Pœnitentia.*

2. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quantum Dei donum est Baptismus; v. *Baptismus,* Item, *Catech. c.* 4.

3. *Quanta Dei gratia est vera fides,* v. *Fides, Constantia, Perseverantia.*

Dominica post Ascensionem.

Joan. 15. *Cum venerit.* Narratio.

CVm *venerit Paraclitus.* Paraclitus idem est quod consolator, Spiritus enim sanctus consolatur homines in tribulatione, & operibus bonis. V. *Consolatio divina.*

2. *Ille testimonium perhibet de me, & vos testimonium perhibebitis.* Per fidem, spem, amorem, de Christo testimonium perhibemus, quod est ei gratissimum. V. *Fides, Spes, Amor Dei.*

3. *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me;* Hæresis; & peccatum excæcat homines, ut non videant quantam injuriam faciant Deo persequendo innocentes. V. *Persecutio, peccatum, inimicitia.*

Dominica Pentecostes.

Joan. 14. *Si quis diligit.* Narratio.

SI *quis diligit me, Sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum.* Quantum malum non diligere Deum, & quomodo diligendus, v. *Amor Dei.* Et *in Catech. c.* 3. *de charitate.*

2. *Qui non diligit me Sermones meos non servat.* Quantum malum non diligere Deum, ejus præcepta violando, v. *Obedientia.* Item *peccata in specie.*

3. *Pacem relinquo vobis.* Testamentum ultimum quod Christus hominibus in terris reliquit, est pax cum Deo, & proximo, V. *Pax, concordia.*

Dominic. SS. Trinitatis.

Matth. 28. *Data est mihi, &c.* Narratio.

EVntes docete omnes gentes, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quanta sunt dona quæ percepimus à SS. Trinitate per Baptismum, & vocationem ad fidem &c. V. *Baptismus.* Item *in Catech. exempla cap. 4. de Sacram. Baptismi.*

2. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Non sufficit Baptismus, & Fides sine bonis operibus, & observatione mandatorum Dei. V. *Obedientia.* Item *in Controv. part. 2. c. 2,* Item *in Catech. c. 3. Præcepta Decalogi.*

3. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quantum bonum Christum semper habere præsentem, per potentiam divinitatis omni loco, per præsentiam humanitatis in sacra Eucharistia, v. *Christus. V. Eucharistia.* Item *in Catech. c. 4. de Sacramento Eucharistiæ.*

Festum Venerabilis Sacramenti.

Joan. 6. v. 48. *Caro mea.* Narratio.

CAro mea verè est cibus. In institutione Eucharistiæ Deus fecit memoriam mirabilium suorum. Vide *Eucharistia:* Item *in Catech. cap. 4. Sacram. Eucharistiæ:* Item *in controv. tract. 2. pag. 127. De Eucharistia Sacram. contra hæreticos.*

2. *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt.* Quomodò virtus Eucharistiæ variis figuris in Scriptura adumbratur, *ibid.*

3. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quanta prœmia dantur iis qui ad Communionem dignè accedunt, quanta pœna si indignè, *ibid. & infra in Diarii & libri fine.*

Dominica. 2. post Pentecosten.

Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam,* Narratio.

E*T cæperunt omnes simul excusare.* Magna ingratitudo est, Deum per gratiam & Prædicatores suos ad cœnam vitæ æternæ invitantem non sequi. v. *Ingratitudo exhortatio.*

2. *Primus dixit ei, villam emi,&c.* Multi excluduntur à convivio regni cœlestis per cupiditatem & avaritiam. v. *Avaritia,* item *in Catech. c. 5. de peccato capitali Avaritia.*

3. *Alius dixit, uxorem duxi, non possum venire* : Multos etiam cœlo excludit luxuria. v. *Luxuria.* Item *in Catech. c. 5. de peccato capitali Luxuria.*

Dominica 3. post Pentecosten.

Lucæ 15. *Erant appropinquantes.* Narratio.

Q*Via hic peccatores recipit.* Quanta Dei benignitas qui paratus est omnes peccatores per pœnitentiam in gratiam recipere. v. *Benignitas Dei, Pœnitentia.* Item *in Catech. c. 4. de Sacram. Pœnit.*

2. *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quantum placeat Deo seria pœnitentia, *ibid.*

3. Item pax conscientiæ ex pœnitentia & confessione peccatorum, *ibid. & V. Confessio.* Item *Status gratiæ part. 3. tract. 6. in fine.*

Dominica, 3. post Pentecost.

Lucæ 5. *Cùm turba irruerent.* Narratio.

T*Otâ nocte laborantes nihil cepimus.* Superbi, avari, luxuriosi, qui totâ nocte, id est, totâ vitâ laborant pro honore, opibus, voluptate, nullum laboris prœmium à Deo percipiunt. V. *Superbia, avaritia, luxuria.* Item *in Catech. c. 3. & 5.*

2. *Exi à me quia homo peccator sum.* Peccatorem omnia mala comprehendunt, quia deserit illum Christus. V. *Peccatum.* Item *part. 3. tract. 6. de dispos. pœnit. in fine.*

3. *Relictis retibus secuti sunt eum* : Bona hujus mundi sunt retia quibus anima capitur, & ideò pro Christo abneganda. V. *Abnegatio, fallacia mundi.*

Dominica 5. post Pentec.

Matth. 5. *Amen dico vobis.* Narratio.

O*Mnis qui irascitur fratri suo reus erit Iudicio.* Quam rigidè Deus à nobis requirit amorem erga proximum, v. *Amor proximi.* Item *in Catech. c. 3. Charitas proximi.*

2. *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quantam pœnam meretur inimicitia, & contumelia contra proximum, v. *Inimicitia, invidia.*

Dominica 6. post Pentec.

Marc. 8. *Cum turba multa.* Narratio.

M*Isereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me.* Si tam benignus est Christus erga eos, qui tantùm triduò illum secuti sunt, qualis erit illis, qui totâ vitâ mundum abnegantes illum sequuntur. v. *Benignitas Dei, abnegatio mundi.* Item *in Catech. c. 8. consilia evangelica.*

2. *Quot panes habetis? qui dixerunt septem.* Septem panes mysticè designant septem Sacramenta, quibus populus Christianus roboratur & alitur in vitam æternam. v. *Sacramenta in particulari:* Item *in Catech. c. 4.*

3. *Et præcepit turbæ discumbere:* Christi exemplo exercenda liberalitas erga egenos & esurientes. v. *Liberalitas:* Item *in Catech. c. 5. opera 7. misericordiæ.*

Dominica 7. post Pentec.

Matth. 7. *Attendite à falsis.* Narratio.

A*Ttendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Cavendum ab hypocrisi & simulatione, qualis est hæreticorum. v. *Hypocrisis, Astutia, Adulatio.*

2. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* v. *Iustitia divina, mors, Infernus.*

3. *Non omnis qui dixit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum.* Non sufficit fides sine bonis operibus, & obedientia mandatorum. v. *Controv. Tract. 2. c. 2.* Item *in Apparatu.* v. *Fides. Obedientia.*

Dominica 8. post Pentec.

Luc. 16. *Homo quidam erat dives.* Narrat.

R*Edde rationem villicationis tuæ.* Reddenda est ratio operum nostrorum in hac vita per Confessionem, ne à nobis in morte severiùs exigatur. v. *Confessio. Mors.* Item *in Catech. c. 4. Confessio, & c. 5. 4. novissima.*

2. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Redimenda peccata per eleëmosynas. v. *Liberalitas.* Item *in Catech. cap. 5. opera 7. misericordiæ.*

Dominic 9. poſt. Pentec.

Luc. 19. *Cum appropinquaret.* Narratio.

V*Idens civitatem flevit ſuper eam.* Anima peccatrix rectè comparatur Hieroſolymæ brevi deſtruendæ, talem animam Chriſtus luget, quia illa ſeipſam non deflet lachrymis pœnitentiæ, Vide *Peccatum. Pœnitentia ; etiam in Catecheſi, cap.* 4.

2. *Scriptum eſt, quia domus mea domus orationis eſt.* In Templo non fabulis, ſed ſoli orationi vacandum eſt. v. *Oratio, item in Catech. c.* 2. *de Orat. Dominica, &c.*

Dominica 10. poſt Pentec.

Luc. 18. *Dixit Ieſus ad quosdam.* Narratio.

N*On ſum ſicut cæteri hominum :* Vitium eſt jactantiæ præ ſe alios aſpernari. v. *Iactantia.*

2. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Superbis proxima eſt Dei vindicta & ruina. v. *Superbia.*

3. *Et qui ſe humiliat, exaltabitur.* Proprium eſt Deo humiles exaltare in vita præſenti, & futura. v. *Humilitas.*

Dominica 11. poſt Pent.

Marc. c. 7. *Exiens Ieſus.* Narratio.

A*Dducunt ei ſurdum, & mutum.* *Surdus* eſt qui non audit verbi Dei præcones. v. *Prædicatio.*

2. Item *mutus* eſt, qui non audet peccata ſua confiteri. v. *Confeſſio : item in Catech. cap.* 3.

3. *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui.* Inter maxima Chriſti miracula non minimum eſt tales ſurdos & mutos per gratiam ſuam ad pœnitentiam adducere. vide *Chriſtus : item in Catech. cap.* 4. *exemplo pœnitentiæ.*

Dominica 12. poſt Pent.

Lucæ cap. 12. *Beati oculi.* Narratio.

D*Iliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* v. in App. *Amor Dei :* Item *in Catech. cap.* 3. *de Charitate.*

2. *Et proximum tuum ſicut te ipſum.* v. ibid. *Amor, & charitas proximi.*

3. *Homo quidam incidit in latrones, qui & deſpoliaverunt eum.* Hac parabolâ pulchrè exhibetur ſtatus peccatoris, cujus plagas ſanat Chriſtus tanquam pius Samaritanus. v. *Benignitas Dei. Chriſtus, &c.*

Dominic. 13. post Pent.

Lucæ 17. *Dum iret Iesus.* Narratio.

OCcurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè. Decem leprosi mysticè sunt homines infecti peccatis contra decem præcepta, qui ideo longe absunt à Christo. v. *Peccatum.* Idem *in Catech. cap.* 3. *in* 10. *præcepta.*

2. *Ite ostendite vos Sacerdotibus.* Remedium contra lepram peccati optimum est se manifestare sacerdoti per confessionem, V. *Confessio:* item *in Catech. de sacram. Pœnitentia.*

Dominica 14. post Pent.

Matth. cap. 6. *Nemo potest.* Narr.

NEmo potest duobus Dominis servire. Nempe Deo & cupiditati divitiarum. v. *Avaritia:* item *in Catech. cap.* 5. *de* 7 *pec. Capitalibus.*

2. *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis.* Hic pulchro exemplo volucrum, &c. excitamur ad fiduciam in paterna Dei providentia. Vide *Spes, Fiducia:* & *in Catech. cap.* 12. *de Spe.*

Dominica 15. post Pentec.

Luc. 17. *Ibat Iesus in civitatem.* Narr.

NOli flere. In fletu, & tribulatione recurrendum est ad consolationem divinam. v. *Tribulatio. Consolatio divina.*

2. *Adolescens tibi dico surge.* Quanta Christi potentia & bonitas ut homines juvet, & excitet à morte peccati. Vide *Christus. Peccatum.*

Dominica 16. post Pentec.

Luc. 14. *Cum intrasset Iesus.* Narratio.

SI licet Sabbatho curare. Diebus Dominicis & Festis exercenda sunt opera pietatis, non verò servilia, ludi, aut sympofia. Vide *Sabbati observatio:* item *in Catech. cap.* 3. *præcepto* 2.

2. *Recumbe in novissimo loco.* Quiad quærunt pro Christo in hac vita esse novissimi, in futura vita erunt primi, & contra. Vide *Humilitas, Superbia.*

Dominica 17. post Pentec.

Matth. 22. *Accesserunt ad Iesum.* Narrat.

ACcesserunt ad Iesum Pharisai. Peccatores debent accedere ad Christum per pœnitentiam. V. *Pœnitentia, Spes.*

2. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Debent etiam accedere per amorem Dei, & proximi. De hoc vide *supra in Dominica 12.*

Dominica 18. post Pent.

Matth. 9. *Ascendens Iesus.* Narratio.

ET Ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Similes sunt huic paralytico, qui jacent in lecto luxuriæ, acediæ, & aliorum. V. *Luxuria, Acedia.*

2. *Tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum.* Id est, Resurge à peccatis per pœnitentiam, & desere consuetudinem vitiorum in qua jaces. V. *Pœnitentia.*

3. *Et vade in domum tuam.* Nempe ad Ecclesiam & Patrem cœlestem cum filio prodigo, dicens, *Peccavi in cœlum & coram te, &c.* V. *Confessio peccatorum.*

Dominica 19. post Pent.

Matth, 22. *Loquebatur Iesu.* Narratio.

MIsit servos suos vocare invitatos ad nuptias. Deus mittit suos Sacerdotes, ut per prædicationem invitent homines ad fidem Christi, & vitam æternam. Vide *Pradicatio, Fides, Gloria.*

2. *Illi autem neglexerunt.* Quam periculosa est negligentia, & duritia cordis quando à Deo vocamur ad animæ salutem. V. *Duritia cordis, Inobedientia.*

Dominica 20. post Pent.

Joan. 4. *Erat quidam Regulus.* Narratio.

DOmine descende priusquam moriatur filius meus. Si Regulus tam solicitè orat pro vita corporali filii sui, quantò magis oportet habere zelum pro vita spirituali proximi sui. V. *Zelus, Amor proximi.*

2. *Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit.* Quam potens est humilis oratio ad obtinendam à Christo salutem. v. *Oratio, Christus, Benignitas Dei.*

Domi-

Dominica 21. post Pentec.

Matth. 18. *Simile est regnum cœlorum.* Narr.

M*Isertus Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Docet tota hæc parabola, diligendum esse proximum, & injurias ei remittendas. v. *Amor Proximi.* Item *in Catech. c.* 3. *de char.*

4. *Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum.* Deus ex rigore justitiæ meritò nihil remittet illis, qui nihil aliis volunt remittere, v. *Justitia divina.*

Dominica 22. post Pent.

Matth 22. *Abeuntes Pharisæi.* Narratio.

A*Beuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent Iesum in Sermone.* Similes Pharisæis sunt homines fallaces, qui student alios decipere in verbis, contractibus &c. v. *Astutia*, *Mendacium.*

2. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* Ars fallendi præcipua, est adulatio, ideò ab adulatoribus cavendum. Vide *Adulatio.*

Dominica 23. post Pentec.

Matth. 22. *Loquente Iesu ad turbas.* Narratio.

S*I tetigero tantùm vestimenta ejus salva ero.* Si tangere vestimenta & reliquias Christi & Sanctorum confert ad salutem, quanto magis tangere corpus Christi in sacra Communione, v. *Eucharistia.*

2. *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Cum viva fide & fiducia ad Christum, & sacram Eucharistiam accdedendum est, v. *Fides, & fiducia:* Item *in Catech. c.* 1. *de fide.*

Dominica 24. post Pentec.

Matth. 24. *Cùm videritis abominationem,* Narr.

S*Vrgent enim Pseudochristi & Pseudopropheta &c.* Monentur Christi fideles ut caveant à fallacia & hypocrisi hæreticorum. Vide *Fallacia, Hypocrisis.* Item *in Catech. cap.* 1. *de fide.*

2. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & majestate.* Vide supra *in Dom.* 1. *Adventus, de extremo judic.* Item *in Catech. de* 4. *Novissimis.*

PRAXIS

Concionis conficiendæ in Festis Sanctorum ex Apparatu superiori &c.

Praxis prima de quovis Festo.

PRima est communis cum Dominicis. In prima enim parte Concionis enarrari poterit totum Evangelium, quod in Festo Sancti occurrit, deducendo juxta methodum ostensam in Evangelio Dominicæ I. Adventus.

In secunda parte, eligenda est ex Evangelio vel Epistola aliqua Sententia particularis, quæ referri possit ad aliquam virtutem in Apparatu contentam: v. g. de Apostolo referri poterit ad *Amorem Dei, Fidem, Zelum &c.* & ad *Vitia* illis opposita in Auditoribus emendanda. De Martyre ad *Fortitudinem, Patientiam, Perseverantiam &c.* De Confessore ad *Abnegationem, liberalitatem, humilitatem &c.* De Virgine ad *Castitatem, Orationem, Amorem Dei &c.* Prout materia & vita requirit.

Tertia pars eodem modo de alia quapiam Sententia ex eodem Evangelio vel Epistola conficienda erit. Conclusio poterit esse brevis repetitio præcedentium, hortando & commovendo ad imitationem Sancti, vel dehortando à vitiis oppositis.

Praxis secunda de Eodem.

PRima & præcipua pars consistet in vita & morte Sancti enarranda, sive ex Breviario, sive ex alio Authore, applicando ejus virtutes ad mores Auditorum, & hortando ad imitationem.

Secunda pars fiet eligendo ex vita Sancti unum particulare punctum, quod in ea maximè elucet, v. g. in vita S. Nicolai insignem ejus Liberalitatem erga egenos, recurrendo in Apparatu ad v. *Liberalitas*, & eam ex materia ibi inventa fusiùs deducendo, & auditoribus inculcando.

Tertia pars simili modo conficietur, de fœlici morte & gloria hujus Sancti, auditores hortando ad ejus imitationem, fœlicem mortem, amorem Dei, spem gloriæ, recurrendo in Apparatu ad v. *Mors, Amor Dei, Spes, Gloria cœlestis &c.*

Censui etiam, pro majori Lectoris commodo, hic in particulari subjiciendam seriem omnium Festorum per annum, cum brevi annotatione Diei, Mensis, Evangelii, & Materiæ, quæ ex Apparatu, aut aliunde in singulis adhiberi possit.

SERI-

SERIES FESTORUMOMNIUM

Per Annum, cum Annotatione Diei, Evangelii, Materiæ &c.

FEstum PURIFICATIONIS B. MARIÆ. 2. Februarii. Evang. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi &c.* Lucæ 2. Hoc die acquirenda est puritas animi ab omni nævo peccati. Vide in Apparatu, *Pœnitentia, Confessio, Peccatum, Castitas* &c. *Venit in spiritu in templum*, scil. Simeon. Quo spiritu pietatis, & reverentiæ ad templum, & Eucharistiam veniendum, ut Christum in ulnas & animum recipiamus, vide in Appar. *Eucharistia, Ecclesia, Amor, Gratitudo.*

Festum S. MATTIÆ APOSTOLI. 24. Februarii. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ.* Matthæi cap. 11. Quam necessarium est firma fide Deum confiteri, & in ejus paterna bonitate confidere, præsertim inter hujus vitæ tribulationes & persecutiones, vide in Appar. *Fides, Fiducia, Benignitas divina, Tribulatio, &c. Discite à me quia mitis sum.* Vide *bona Patientiæ. Et humilis corde.* Vide in Appar. Exempla *Humilitatis*, in Christo, & Sanctis.

Festum ANNUNCIATIONIS B. VIRGINIS. 25. Martii. *Ingressus Angelus ad eam dixit, Ave gratiâ plena.* Lucæ cap. 1. Quanta sit plenitudo gratiarum in Virgine Deipara, vide in Appar. *Deipara. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Virgo Maria per humilitatem concepit, & Dei Mater effecta, & supra omnes puras creaturas exaltata est: quam ergo nobis optandum humiliari in terris, ut exaltemur in cœlis. Vide in Appar. *Humilitas, Beatitudo, Gloria.*

Festum S. PHILIPPI & JACOBI Apost. 1. Maji. *Non turbetur cor vestrum; creditis in Deum, & in me credite.* Joan. 14. Quanti momenti sit vera fides, vide in Appar. *Fides.* Sed sola Fides non sufficit ad salutem sine bonis operibus. Vide de hoc in Theol. Trip. pag. 113. &c. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* In cœlo quam vasta sint beatis cœlorum

rum spatia, v. Theol. Trip. pag. 5. Quanta & quam diversa animi & corporis felicitas, v. in Appar. *Beatitudo. Ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Abnegandæ sunt creaturæ ut Creator inveniatur, qui solus animum satiat. V. *Abnegatio.*

Festum Nativitatis S. JOANNIS BAPTISTÆ, 24. Junii. *Elizabeth impletum est tempus pariendi.* Lucæ cap. 1. Non sufficit concipere bona proposita, sed debet adesse tempus pariendi in exequendo. Vide *Pœnitentia, abstinentia*, & alias virtutes. Nec parentibus sufficit prolem parere, sed debent illam in bonis moribus educare. V. in Appar. *Filiorum educatio. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto.* Multi magis student repleri vino, aut opibus, quam Spiritu sancto orationis, & amoris Dei Vide in Appar. *Ebrietas, Avaritia, Oratio, Amor Dei.*

Festum SS. PETRI & PAULI Apost. 29. Junii. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matthæi c. 16. Notæ & signa quibus vera Christi Ecclesia à modernis Sectis discernitur, vide in Theol. Trip. pag. 32. &c. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Agnoscenda est necessariò authoritas infallibilis in Pontifice Romano Petri successore, v. in Theol. Trip. pag. 53. & pag. 69. Quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis. Vide ibid. de Confessione peccatorum, pag. 137. & in Appar. ver. *Confessio.*

Festum VISITATIONIS B. MARIÆ, 2. Julii. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Lucæ cap. 1. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. V. in Appar. *Amor. Zelus. Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Accommodandum hoc est adventui Christi ad nos in Communione. V. in Appar. *Eucharistia. Beata quæ credidisti.* Vera fides radix beatitudinis. V. in Ap. *Fides. Beatitudo.*

Festum S. JACOBI Apostoli, 25. Julii. *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi adorans & petens aliquid ab eo.* Matthæi cap. 20. Oportet Deum adorare, id est, per bona opera, Justitiam, Abstinentiam, Obedientiam mandatorum prius honorare, & postea beneficia ab eo postulare: aliqui contrarium faciunt, & ideo quod petunt à Deo non impetrant. Vide in Appar. *Obedientia, Abstinentia, Opus bonum* &c. *Christus autem dixit ei, Quid vis?* Quanta benignitas! paratus est nobis dare quod volumus, modo bona benè velimus, & ad nostram salutem. Vide *Benignitas Dei.* Sed ecce stultam matris postulationem. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram.* Vide *Superbia.* Respondit meritò Christus.

Nesci-

Nescitis quid petatis. Hinc disce quid, & quomodo orandum; Vide in App. *Oratio.*

Festum ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS. 15. Augusti. *Intravit Iesus in quoddam castellum, & mulier quadam Martha nomine excepit eum in domum suam.* Quanta merces Hospitalitatis & liberalitatis, præcipuè erga Sacerdotes, & Ministros Christi; vide in App. *Hospitalitas, Liberalitas. Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* Sic turbantur qui nimis multa volunt habere in divitiis, deliciis, &c. vide in Ap. *Avaritia, Gula, &c. Porro unum est necessarium.* Veræ divitiæ, deliciæ, beatitudo sunt in solo Deo. Vide in Ap. *Beatitudo vera.*

Festum S. BARTHOLOMÆI Apostoli. 24. Augusti. *Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Lucæ 6. Quantum absunt qui noctes & dies totos transigunt in symposiis, aut in otio; & vix mediam horam in oratione, Missa, &c. vide *Ebrietas, Otium, Oratio.* Et exemplum est in ipso S. BARTHOLOMÆO, qui scribitur centies de die, & centies de nocte, & quidem flexis genibus Deum orare solitus. *Et omnis turba quarebat eum*, Christum, *tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Quare nos non sanamur à morbis nostris animi, & corporis? Quia non satis sæpe & devotè quærimus Christum tangere in sacra Communione. Vide in Appar. *Eucharistia.*

Festum NATIVITATIS B. VIRG. 8. Sept. *Liber generationis Iesu Christi*, Matthæi c. 1. Vide in Appar. *Deipara*, & ejus prærogativas, & *Castitatem, Charitatem*, &c. ut supra in aliis ejus festis, præsertim Annunciationis.

Festum S. MATTHÆI Apost. 21. Septembris. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, sequere me.* Matthæi c. 9. Vide hic *Benignitatem Dei* omni generi hominum dicentis, sequere me. O quam fælix de quo exemplo Matthæi dicitur, *Surgens secutus est eum.* Ut Christum sequaris necesse est prius surgere de cœno vitiorũ. *Avaritiæ, Luxuriæ*, &c. Item surgere de lecto otii & Acediæ in quo pigri jacent. Vide in Ap. *Acedia.*

Festum S. MICHAELIS ARCHANGELI. 29. Septembris. *Quis putas major est in regno cœlorum?* Matthæi 18. Sola humilitas hominem exaltat. Superbia autem præcipitat in ruinam; uti patet in lapsu Angelorum; & primorum parentum. V. in Ap. Superbia, Humilitas. Ideo Respondit Christus, *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Expende proprietates parvulorum esse, non studere opibus, aut honoribus, aut luxuriæ, non simulare, non mentiri, sed potius aliis se regendos &

doce-

docendos præbere. Vide in Ap. *Avaritia, Luxuria, Astutia, Mendacium*. E contra qui volunt in mundo magni esse, student artibus politicis, simulationi, mendacio. Vide in Appar. *Simulatio, Mendacium, Hypocrisis*. De his simulandi artibus politicis, præclara sunt quæ deducit S. Gregorius in *lib.* 10. *Moral c.* 6. & habentur in Lect. 2. Nocturni de communi Confessoris non Pont. *Deridetur casti simplicitas, &c.*

Festum SS SIMONIS & JUDÆ. 28. Octobris. *Hæc mando vobis ut diligatis invicem* Joan. c. 15. vide in Ap. *Amor proximi*. Cui contrariatur, *Odium, Invidia*, ibid. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. V. in Appar. *Patientia, Persecutio*.

Festum SANCTORUM OMNIUM. 1. Novembris. *Beati pauperes spiritu*, Marc. c. 5. Mundus ponit suam beatitudinem in divitiis, & honoribus, Christus in paupertate & contemptu mundi. Vide in Appar. *Beatitudo vera. Abnegatio mundi*: contra, *Avaritia, superbia*, ibid. *Beati qui lugent*. v. Pœnitentia, *Beati misericordes*. v. *Liberalitas, Eleemosyna, &c.* ibid. *Beati pacifici*. v. Pax. *Beati qui persecutionem patiuntur*, v. *Persecutio, Odium, &c.*

Festum S. ANDREÆ APOST. 30. Novembris. *Venite post me*. Quanta felicitas abnegare mundum & sequi Christum, v. in Ap. *Abnegatio. Obedientia*, & alias virtutes hominis Christiani. *Faciam vos fieri piscatores hominum*. Tales hominum piscatores sunt qui alios hortatione & exemplo docent, & ad salutem adjuvant. Vide in Appar. *Exhortatio, Zelus animarum*. Denique amor Crucis in S. Andrea cruci affixo, v. *Persecutio, Tribulatio, Amor Dei*.

Festum CONCEPTIONIS IMMACULATÆ B. V. 8. Decembris. *Liber generationis* JESU CHRISTI, *&c.* Matthæi 1. Non possumus esse amici, aut imitatores virginis immaculatæ nisi per castitatem, & puritatem à macula peccati. vide in Ap. *Castitas, Baptismus, peccatum*.

Festum S. THOMÆ APOSTOLI. 21. Decembris. *Thomas unus ex duodecim non erat cum eis quando venit Iesus*, Joan. c. 20. Quam periculosum est abesse à consortio fidelium in templo, concione, sacro, &c. vide in Appar. *Ecclesia, Exhortatio, Eucharistia*. Et contra hæreticos, vide in Theol. Trip. notas veræ Ecclesiæ pag. 34. &c. & de Sacramento Eucharistiæ & Sacrificio Missæ pag. 127. & 134. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, vide in Appar. *Fides, & Eucharistia*: in his Christus feliciter creditur, etsi non videatur.

Festum

Festum S. STEPHANI Protomartyris, 26. Decembris. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & ex illis occidetis.* Matthæi c. 23. Boni & sancti homines sunt qui præcipuè à malis persecutionem sustinent. Vide in Appar. *Persecutio, Tribulatio, Odium.* Sed illæ tribulationes sunt claves cœli. Hinc Stephanus cum lapidaretur dixit: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem.* Vide in Appar. *Gloria cœlestis. Benignitas divina.*

Festum S. JOANNIS Evangelistæ. 27. Decembris. *Conversus Petrus vidit illum Discipulum quem diligebat Iesus.* Quare Jesus Joannem tantopere diligebat? Propter Joannis singularem Castitatem, Humilitatem, Zelum Apostolicum, Amorem erga Christum: sicut enim ignis ignem excitat, ita amor amorem. Vide in Apparatu illas virtutes, & vitia illis opposita.



SUMMA
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
P. PETRI CANISII Soc. Iesu,
Cum brevi Elucidatione, & selectis Exemplis nunc primùm adjectis.

Præfatio, & notitia operis.

Postquam præcedentes Tractatus pœnè ad calcem adduxi, visum est multis ad subsidium animarum, à nobis unicè intentum, plurimum conducere, si huic operi adjungeretur ipsa Doctrina Christiana brevi expositione & exemplis illustrata: ut hac opportunitate tam commodâ Curatores animarum ad Doctrinæ adeò necessariæ frequentem explicationem faciliùs inducantur. Eoque magis, quod simul in eodem Libro adjunctas habeant Controversias Fidei, Theologicas resolutiones, atque Apparatum selectæ materiæ: quæ omnia ad singulas Doctrinæ Christianæ partes doctè accuratéq; exponendas, ac probandas, subsidium optatissimum suppeditant.

Vt igitur huic oportunitati, & amicorum votis operam meam accommodarem, reliquo operi hanc Doctrinæ Sacræ Elucidationem adjungere decrevi, non sine auxilio quorundam Theologorum hujus Collegii Lovaniensis, qui ad hoc animarum subsidium operam, exempla quædam oportuna seligendo, suam promptissimâ voluntate obtulerunt: in hoc imitati, non tantum Bellarminum summosque Theologos, sed ipsum quoque S. Augustinum, qui inter sublimes rerum divinarum commendationes sibi decorum existimavit de Catechizandis rudibus *tractatum utilissimum elaborare.*

Assumpsi autem præ cæteris hac expositione elucidandum Catechismum P. Petri Canisii Soc. Iesu Theologi eximii, tam propter dilucidum ejus ordinem & brevitatem, tum propter communem usum atque approbationem quam in repub. Christiana passim obtinuit. Nam, ut alia prætercam, tam Ferdinandus Imperator, quam Philippus Rex Hispaniarum, hunc unicum Canisii. Catechismum in suis ditionibus prælegendum suâ authoritate ac publico diplomate proposuerunt. Et usus ipse etiamnum

docet quantâ verborùm energia, quantâ ſoliditate Doctrinæ, quâque perſpicua præ cæteris brevitate totam Doctrinæ Chriſtianæ Summam complectatur.

Pro Vſu autem adjunctæ à nobis expoſitionis: Adverte primò, pro meliori diſtinctione, ipſum Catechiſmi contextum, ſive Quæſtionem & Reſponſionem ſeorſim imprimi, & poſt modicum ſpatium, Expoſitionem cum exemplis ſingulis pœne Catechiſmi quæſtionibus ſubjungi, ut una cum quæſtione quæ explicatur, ipſa quoque expoſitio ante oculos habeatur; quod in nullo hoctenus Catechiſmo factum reperimus.

2. *Adverte, ex peculiari delectu aliquas quæſtiones præ aliis fuſius illuſtrari, eo quod ad myſterium aliquod fidei exponendum, vel mores formandos plus momenti habeant; aliquas verò brevius perſtringi, quia vel earum doctrina ſpectat ad quæſtionem principalem quæ explicatur, vel quia in alia Catechiſmi parte magis appoſitè elucidantur; non enim debent de ſingulis ſemper quæſtionibus exempla proferri.*

3. *Quamvis ſæpè de una quæſtione plura exempla apponantur, neceſſe non eſt ut Catechiſta omnia ſimul producat, ſed poterit ſeligere unum vel alterum quod præſentibꝰ magis convenire judicabit.*

4. *Narratio Exempli, ſimilitudinis, aut ſententiæ quam ſelegit, ut majori cum gratia, facundia, & arte proponatur, plurimum conducet expendere ſingulas exempli partes & circumſtantias,* quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, &c. *Iuxta praxim ſupra traditam in fine Apparatus ad Doctrinam ſacram.*

Praxis tradendi Doctrinam Chriſtianam.

PRimò, debet Catechiſta ex maturioribus ſtatuere unum vel alterum ſyndicum, qui pueros advenientes ſuis locis ordine conſtituat, & in modeſtia ac ſilentio contineat.

2. Hora auditâ, & datò per campanam ſigno; Catechiſta ſtans in medio populi ſui, ex utroque latere ſecundum ſexum diſcreti; ſic ut ab omnibus videri & audiri facile poſſit, formabit ſignum Crucis vernaculè; & dum procurat ut omnes ſe præeuntem clarâ, & diſtincta voce ſequantur, cavebit ne quis verba ſua vel antevertat, vel juſto ſerius ſubſequatur.

4. Curabit deinde per unum à ſe deſignatum, & in medio flectentem, clara voce recitari orationem Dominicam vernaculè, cujus verba cæteri per partes diſtinctè repetent: hoc enim modo myſteria fidei facilimè memoriæ mandantur tam à parvulis, quam à majoribus natu, qui alio ferè modo ea addiſcere erubeſcunt.

Tum iterum efformabit crucem, ut ſupra.

4. Primum horæ quadrantem dabit pedentis quæſtiunculis facilio-

facilioribus, potissimum de iis quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, ut Deum esse unum in Natura, trinum in Personis, Remuneratorem nostrorum operum, ac Filium Dei esse nostrum Mediatorem ac Redemptorem. Deinde necessaria necessitate Præcepti, ut Symbolum Apostolorum, decem Præcepta, septem Sacramenta, unaquâque vice unum punctum accurate enucleando, & identidem repetendo variis modis & formulis ut altius inhæreant, errantes suaviter corrigendo, balbutientes juvando, omnes pro merito laudando: neque de facili quemquam corripit, ob ignorantiam, nisi ortam ex supina negligentia.

5. Secundo quadrante quæstiones proponat paulò difficiliores, easque fere desumptas ex ea lectione, quæ Dominicâ proximè præcedenti publicè recitata, & explicata fuit.

Tum jubebit ex modestioribus, doctiorem aliquem clarâ voce pronunciare Exemplum, quod præcedenti Dominica Catechista attulit ad Lectionis explanationem.

6. Tertio quadrante, jubebit binos vel plures ex adverso, stantes in medio Catechismi, & si fieri possit loco etiam eminentiori, clarè pronunciare de memoria lectionem ea die explicandam.

Mox Catechista lectionem jam recitandam clarè & breviter explicabit sermone facili, & ad parvi sui auditorii captum accommodato, ideo sæpiusculè aliis, atque aliis verbis repetens, adhibitis brevibus subinde interrogationibus, & responsionibus, ut majorem sibi conciliet attentionem.

7. Quarto quadrante, unum aut alterum producat exemplum selectum, quod tragicè quidem, & cum emphasi, sed vulgari sermone & phrasi pueris accommodatè narrabit. Postea præmonebit, se proximâ vice visurum quis narratum Exemplũ optimè retinebit.

8. Post hæc iterum formabit crucem, jubebit legi salutationem Angelicam, vel Symbolum Apostolorum, &c. per vices; ut hoc modo omnes qui adveniunt ea addiscant. Concludet ipse omnibus iterum præeundo in formanda cruce, ut dictum supra. Postea pueros sine tumultu binos vel ternos ex ordine dimittat.

Advertat autem ne Catechismus spatium horæ excedat, cum fructus temporis diuturnitate sæpius vel tollatur, vel minuatur.

9. Singulis quos interrogavit, præmiolum aliquod vel notam elargiatur statim, vel his deficientibus eorum nomen in librum referat, ut postea præmio afficiantur: & adjungat ad bona responsa subinde encomium aliquod: mirum enim quantum etiam pueri laude animentur.

Oblatâ opportunitate sæpius inculcet obligationem quam habeat Parentes, ut mittant prolem ad Catechismum, ut Domini

mittant servos & ancillas, Ludimagistri scholares, Magistratus sibi subjectos, præsertim pupillos & orphanos; ac sæpius usu venire, ut quando hac in parte officio suo desunt, & ipsi graviter peccent, & illos, quorum curam gerunt, peccatis & erroribus exponant.

Obligatio Curatorum.

VT autem ipsi Curatores animarum intelligant, quanta ipsis obligatio incumbat ad plebem sibi commissam Doctrinâ Sacrâ instituendam, audiant ea de re Decretum Concilii Tridentini Sess. 5. cap. 2. *Archipresbyteri, Plebani, & quicunque Parochiales, vel qui alios curam animarum habentes Ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis Vitia, quæ declinare, & Virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Atque Episcopis ibidem demandatur, ut qui post admonitionem trium mensium spatio muneri suo defuerint, ad illud exequendum, si necesse sit, per Censuras Ecclesiasticas, aut alias ad Episcopi arbitrium cogantur. Idemque de explicanda Doctrina Christiana singulis Dominicis & Festis solemnibus sub gravi obligatione iterum denunciatur in Trid. *de Reform. Sess.* 24. *c.* 4.

Quod si ad hoc munus explendum Curatores animarum severissimis Conciliorum Decretis ubique adstringantur, quantò magis ea obligatione urgentur illi, qui in partibus Hæreticorum Pastoris officio funguntur. Facile enim inferent Hæretici teneris puerorum mentibus errorum suorum semina, nisi providâ veri Pastoris curâ & institutione præveniantur. Inficient paulatim incautos plebis incultæ animos falsæ doctrinæ veneno mortifero, nisi contra illud virus, Doctrinæ Christianæ antidoto muniantur. Cumque pedetentim hæc pestifera lues occultè irrepserit, ignaros tenellæ ætatis animos infecerit, & cum adolescentibus error & sensim adoleverit, tum demum deprehenditur per longam incuriam morbus incurabilis, & cui frustra sanioris Doctrinæ medicina admovetur. Ne igitur Curatores animarum hanc gregis sui ruinam serò lugeant, & neglecti officii rationem in districto Dei judicio reddere cogantur, ad hoc curam ac cogitationem suam seriò adjiciant, ut à teneris annis commissum sibi populum in Doctrinæ Christianæ mysteriis, ac Dei timore constanter erudiant: quo fiet ut animas pretioso Christi sanguine redemptas ab interitu conservent, & amplam sibi in cœlo laboris sui mercedem acquirant.

SUM-

SUMMA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

CAPUT I.

De Fide & Symbolo Apoſtolorum.

QUÆSTIO.

QVis dicendus eſt Chriſtianus atque Catholicus?

Reſp. Qui Baptiſmatis Sacramento initiatus, *Ieſu* Chriſti veri Dei atque hominis ſalutarem doctrinam in ejus Eccleſia profitetur; neque Sectis vel opinionibus ullis ab Eccleſia Catholica alienis adhæret.

Expoſitio.

SUmma dignitas eſt habere nomen veri Chriſtiani. Quia per Baptiſmum & Fidem Chriſtianam homines fiunt Filii Dei, & hæredes regni cœleſtis. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri*, Joan. 1.

S. Auguſtinus *lib. de Catechizandis Rudibus cap.* 16. comparat veros Chriſtianos cum optimo Tritico, & falſos cum Palea, quæ quamvis ad tempus cum tritico permixta ſit in Area, id eſt, in Eccleſia, non erunt tamen ſimul in Horreo, id eſt, in Cœlo. *Non*, inquit, *ſibi blandiantur quod in Area poſſunt eſſe cum frumento Dei, quia in Horreo cum illo non erunt, ſed igni debito deſtinabuntur.*

Exemplo illuſtri patet quanta ſit Virtus in doctrina veri Chriſtiani, ex facto S. Dominici, qui cum diu diſputaret pro Chriſtiana Religione, contra hæreticos Albigenſes, tandem conventum eſt, ut libellus S. Dominici, & alter libellus Albigenſium pro experimento veræ doctrinæ in ignem projiceretur. Et ecce, libellus partis hæreticæ ſtatim comburitur; Libellus verò doctrinæ Chriſtianæ non tantum ab igne non læditur, ſed etiam ex igne longè proſiliit. Et cum ſecundò ac tertiò in ignem projectus fuiſſet, ſemper in virtute veræ ac Chriſtianæ doctrinæ illæſus permanſit. Ita fuſius tradit S. Antoninus *in Chronico part.* 3. *tit.* 19. c. 1. & Surius 5. *Auguſti.*

Tantam quoque *Virtutem*, ac robur ſuppeditat nomen *Chriſtiani*, ut S. Blandina Virgo cum inter acerbiſſima tormenta inclamaret, *Sum Chriſtiana*, nullum doloris ſenſum paſſa fuerit, imò viſa eſt inter ſummas delicias verſari, ut refert Euſeb. *in hiſt. Eccleſ. lib.* 1, *c.* 5.

Tantus *honor* eſt nominis Chriſtiani , ut S. Ludovicus Rex Galliarum ſolitus fuerit dicere, ſe in nulla parte Regni ſui tantum honoris unquam accepiſſe, quantum Poſſiaci. Quia nempe ea in urbe Baptiſmo initiatus Chriſtiani nomen accepit, ideoque profitebatur ſe ſummo cum lætitiæ ſenſu præ cæteris omnibus in ea urbe commorari, uti per Belleforeſtum in ejus vita narratur,

Hinc Reges Galliæ nomen *Chriſtianiſſimi* , & Reges Hiſpaniæ nomen *Catholici* pro ſummi honoris titulo à Sede Apoſtolica acceperunt, & hactenus ſemper retinuerunt.

Hæretici verò, etſi vocentur Chriſtiani, quia in nomine Chriſti Baptiſmum ſuſceperunt , non ſunt tamen Catholici : quia *Sectis & opinionibus ab Eccleſia Catholica alienis adhærent*: exempli gratiâ negant Miſſam , cultum Sanctorum , & alia puncta fidei, quæ contra hæreticos probantur ſuprà *de Controv. fidei part.* 1. *tract.* 2. *pag.* 127. 134. & 142.

Q. *Quid ſignum hominis Chriſtiani?*

RESP. Signum ſanctæ Crucis, quod formatur hoc modo : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

Expoſ. Signum Crucis docet nos unum eſſe Deum : quia dicimus, *In nomine*, non verò in nominibus, Et tres eſſe perſonas divinas, quia additur nomen trium perſonarum, *Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Deindè manum demittendo à fronte ad pectus, profitemur ſecundam perſonam, ſcil. Filium Dei pro hominum ſalute deſcendiſſe in uterum B. Virginis *Mariæ*. Poſtremò transferendo manum à ſiniſtra ad dexteram, declaramus per Chriſtum nos translatos eſſe à maledictione ad benedictionem. Hæc Myſteria ſcire & credere omnibus adultis neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate medii, ſic ut ignorantia non excuſet. *Vnde cum prædicta praxi formandæ Crucis valdè aptè doceri & retineri poſſunt.*

Signum Crucis eſt Armatura hominis Chriſtiani, ut exemplo declaratur. Conſtantinus Imperator ad Chriſtianam fidem converſus circa annum Chriſti 312. à Maxentio tyranno cladibus variis affectus eſt : & poſtea à Licinio Imperatore circa annum 318. Cum autem divino auxilio fretus cum paucis copiis hoſti potentiſſimo occurrere pararet , virtute ſalutiferæ Crucis ab imminenti periculo liberatus fuit. Nam ſupra ejus copias lucidiſſimum Crucis ſignum in aëre apparuit , & vox de cœlo audita eſt, *In hoc ſigno vinces!* cujus præſidio munitus præclaram victoriam ab hoſtibus reportavit. In cujus rei memoriam deinceps ſignum Crucis ſuis vexillis inſcribi curavit. Baronius *tom.* 3. *ad an.* 312. & 318.

Refert

Refert S. Gregor, *l.* 3. *Dial. c.* 7. quendam Judæum nocte ingruente urbe exclusum, in vetusto Apollinis templo pernoctasse. Hic à tenebricosa dæmonum caterva circumcingitur. In his periculis misero Judæo nulla spes auxilii affulget. Tandem occurrit, Christianos solitos adversus pericula se Crucis signo munire. Signat igitur se signo Crucis, & ecce tota dæmonum turba extemplò in fugam agitur; exclamans, *Vas vacuum, sed signatum.*

Genevam versus Catholicus cum hæretico iter agebant; orta subitâ tempestate cum tonitru & fulgure, Catholicus de more sese identidem cruce signabat: hæreticus verò per jocum & ludibrium percunctatur, an Catholicus se signando muscas abigeret. Sed Deus non irridetur: horrendo statim fragore, crucis contemptorem fulmen è nubibus lapsum extinxit, Catholicus qui ejus lateri adhærebat incolumis permansit. Florimund. *lib.* 8. *cap.* 4. §. 1.

Q. *Quibus de rebus primùm docendi sunt Christiani?*

RESp. De Fide, Spe, Charitate, Sacramentis & officiis justitiæ Christianæ.

Q. *Quid est Fides.*

RESp. Donum Dei ac lumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit: sive scripta illa sint, sive non sint.

Expos. Fides debet esse integra: quia qui peccat in uno, factus est omnium reus. Sicut navis quæ in cæteris integra est, si unam rimam habeat, per eam submergi potest.

Hinc ergo errant hujus temporis Libertini & hæretici, qui dicunt quemlibet Christianum in sua fide posse salvari, quod supra refutatur in *Controv. p.* 1. *c.* 3.

Quanta sit vis veræ fidei singulari Exemplo declaratur Anno Christi 471. Duo Philosophi, quorum alter erat Arianâ hæresi infectus, de fide acriter disceptabant. Tandem orthodoxo Philosopho visum est, relictâ verborum contentione, virtute potius divinâ fidei suæ veritatem comprobare, obtulitque Ariano ut accenso igne luculento uterque in medias flammas descenderet, & victor haberetur, qui in igne immunis persisteret. Hanc conditionem cum Arianus detrectaret, orthodoxus fidei veritati confisus ardentem rogum solus ingressus est, & indè cum Ariano illæsus, & intactis etiam vestibus disputavit. Baron, *tom.* 6. *anno* 471. & Niceph. *l.* 15. *c.* 23.

Simile exemplum legitur in vita S. Particii, qui ut Magum fidei obsistentem convinceret, jussit Benignum comitem suum collocari in domuncula ex aridis lignis & stipulis confecta, Magum ex adverso in domo ex humido & viridi ligno erecta: injecto utrimque igne Benigno penitùs illæso, Magus cum tecto viridi continuò exarsit.

Huc facit exemplum S. Gregorii Thaumaturgi, qui virtute fidei montem è suo loco transtulit, & plura hujusmodi in Martyrum vitis prodigia, vide supra in Apparatu, V. *Fides pag.* 45.

Q. *Quæ summa est fidei seu omnium credendorum?*

RESP. Symbolum Apostolorum, in duodecim distinctum articulos.

Expos. Symbolum Apostolorum quivis Catholicus scire & credere tenetur & peccant parentes si filios suos illud docere negligant. Est enim norma fidei, quâ Christi fideles ab infidelibus distinguuntur. Sicut per tesseram & sacramentum militare Imperator proprios milites ab alienis discernit & dignoscit.

Præclarum in hoc genere est exemplum S. Petri Martyris ex illustri Ordine S. Dominici. Cùm natus esset ex parentibus Manichæorum hæresi infectis; ab ipsa tamen quasi infantia contra hæreses pugnavit. Dum puer septem annorum scholas frequentaret, à patruo hæretico interrogatus, quid in scholis didicisset: respondit intrepidè, se Christianæ fidei Symbolum didicisse. Et quamvis multis Patris, Patruique blanditiis & minis tentaretur, nunquam potuit ab illa fidei constantia & Symboli professione dimoveri. Hujus Professionis magnam illi Dominus coronam præparavit. Cùm enim postea factus Religiosus, magno ardore fidem & pietatem prædicaret, Deumque sæpè rogaret ut pro ea posset vitam profundere: Ecce tibi Mediolanum redeuntem hæreticus Sicarius ex insidiis aggressus est, & stricto mucrone ejus capiti repetitis ictibus lethale vulnus inflixit. Ille verò, in ipso mortis articulo, consuetum fidei suæ scutum assumens, Symbolum Apostolorum quod à pueritia constanter tenuit, magno animi gaudio recitavit, & cum ea tessera ad paupertatem constantiæ palmam in cœlum migravit, uti patet ex Breviar. Rom. 29. *Aprilis.*

Q. *Qui sunt illi duodecim articuli?*

RESP. Hi videlicet:

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.
2. Et in *Iesum* Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum.
3. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

4. Passus

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus;
5. Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.
6. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
7. Indè venturus est judicare vivos & mortuos.
8. Credo in Spiritum sanctum.
9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.
10. Remissionem peccatorum.
11. Carnis resurrectionem.
12. Et vitam æternam, *Amen.*

Q. *Quid sibi vult primus Symboli articulus: Credo in Deum Patrem?*

RESP. Ostendit primam in Deitate personam, Patrem scilicet cœlestem & æternum, cui nihil factu impossibile sit vel difficile, qui cœlum & terram, visibilia simul & invisibilia cuncta ex nihilo produxerit, & producta usque conservat, & gubernat summâ bonitate, & sapientiâ.

Expos. Omnipotentiam suam Deus vel maximè ostendit, creando, seu, è nihilo producendo totum hoc universum, idque sine labore, sed solo nutu, & imperio voluntatis: *Dixit enim, & facta sunt omnia, mandavit, & creata sunt. Psal.* 148. Hanc Dei omnipotentiam (ut refert Polydorus) insigniter edoctus est Canutus Angliæ Rex, qui ob magnam suam potestatem arrogantior, sedili in tumidi maris littore posito, ipsum mare sic allocutus est: Mare tu regni mei pars es, ego tibi impero, tu mihi volo obtemperes! Vix verba protulerat, continuò intumescens mare impetu in Regem facto è solio illum in terram dejecit: Ad se reversus auream hanc protulit sententiam: *Vana est omnium Regum potestas; solus Deus omnipotens:* & coronâ Cruci impositâ pietatis posteâ, ac modestiæ cultor extitit egregius. *Polyd. Virgil. ex Chronic. Germanorum.*

Aliud exemplum divinæ potentiæ notius & illustrius patet *Exodi cap.* 7. Quando Deus per Moysem debellavit Regem Pharaonem convertendo virgam in serpentem, & omnes aquas in sanguinem, & dividendo mare rubrum dum populus Dei transiret, Ægyptios autem omnes maris fluctibus obruendo. *Ibid.* etiam Exodi *cap.* 14.

Si coram adultis doctrina sacra exponatur, poterit Dei existentia & potentia doctè demonstrari ex rebus creatis, per argumenta supe-

superiùs tradita in Controver. *part.* 1. *cap.* 1. Vel per exempla ex Apparatu verbo *Benignitas Dei.*

Q. *Quid verò secundus articulus : Et in Iesum Christum Filium ejus.*

REsp. Commonstrat secundam in Deitate personam, *Iesum* Christum scilicet, filium Dei naturalem, unicum illum, ab æterno genitum, & Patri consubstantialem, Dominum ac Redemptorem nostrum, ut qui nos perditos liberavit.

Expos. Augustissimum nomen JESU in amore & veneratione habendum docuit Apostolus Paulus ad Philip. 2. v. 9. *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Sed an etiam utile est nomen illud invocare in angustiis suis? Multò maximè : Refert Athanasius *in vita S. Antonii* 17. *Ianuarii.* S. Antonium, invocato solo JESU nomine, non semel integram dæmonum cohortem fugasse. Simile exemplum refert P. Petrus Ribadineira in vita S. Ignatii Societatis JESU Auctoris. *l.* 5. *c.* 9. his verbis: Dormientem Ignatium strangulare diabolum voluisse Romæ anno 1541. audivi: Gutturejus quasi manu injectâ præfocare conatus est, tam fortiter ut nullo conatu posset Ignatius SS. JESU nomen invocare: sed cum nervos omnes intenderet, vim vi repellens, in suavissimam vocem tandem erupit, JESUMque inclamavit, quâ voce diaboli conatus repulsus est. Porrò ex contentione Ignatius, quod postea vidimus, per dies aliquot raucus omninò & sine voce fuit. S. Bernardinus ex ordine S. Francisci nominis JESU summus cultor fuit.

Sed quî concipi potest, JESUM Christum esse verum Filium Dei Patris, & ab illo per veram generationem procedere? Id facile colligis ex sequenti similitudine : Dum quis speculum intuetur, illicò producit imaginem adeò sibi similem, ut nullum possit invenire discrimen : quæ imago sine ullo labore, sine instrumento, in ictu oculi momentoque formatur. Pari modo Deus Pater oculo intellectus speculum divinitatis suæ ab æterno intuitus, statim imaginem sibi ipsi simillimam formavit, & hæc imago est Filius. Sed dum nos in speculo producimus nostri imaginem, illa imago non vocatur noster filius ; cur magis divina imago vocatur Dei Filius? Ideò scilicet, quia Deus huic suæ imagini totum esse suum totamque naturam contulit, quod nos intuendo facere non possumus. Si opus sit, plura de Christo dabit Apparatus supra, verbo, *Christus.*

Q. *Quid*

Q. *Quid porrò tertius : Qui conceptus est de Spiritu sancto ?*

RESp. Mysterium proponit Dominicæ Incarnationis. Quia idem Dei filius de cœlis descendens, humanam naturam assumpsit : sed modo singulari prorsùs, ut qui conceptus fuit sine Patre, ex virtute Spiritus sancti, & natus ex Maria Virgine illibata.

Expos. Mirabilem hanc Christi in utero Virginis Conceptionem, partumque virgineum, & illæsam Deiparæ virginitatem ante partum, in partu, & post partum, jam olim à Prophetis prædictam non uno loco testantur Scripturæ. Isaiæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, &c.*

Et verò quamvis hæc verba de Mysterii veritate dubitare non sinant, tamen voluit illam Deus aliquando triplici miraculo certissimam reddere. Hærebat dubius in re certissima magnus Theologiæ Doctor ex Ordine S. Dominici, præposita sibi non fidei, sed rationis difficultate, qui fieri posset ut Maria Mater esset, & Virgo? multos annos hæc anxia fluctuatio viri animum occupavit, cum tandem illi Magistrum misit Deus : quem putatis? Eximium fortassis Theologum? Minimè : sed humilem Fratrem Ægidium ex Ordine S. Francisci, qui hominis tentationem divinitus edoctus, baculo, quo se sustentabat, terram pulsans, his illum verbis antevenit : Frater Prædicator ; Maria, Virgo est ante partum : statimque candidissimum è terra ortum est lilium. Mox iterùm percussâ humo : Frater, Maria, Virgo est in partu : alterumque exortum est lilium. Dein tertiò terram feriens, Maria, inquit, etiam virgo est post partum, simulque tertium prodiit lilium ; quo viso miraculo Doctor Dominicanus omnem deinceps dubitationem libenter deposuit. *In vita S. Ægidii apud Surium 33. Aprilis.*

Similitudinem, si desideres, quæ mirabilem hanc claustri Virginalis in ipso partu integritatem aliquo modo exhibeat, hanc habe : Sol effectum suum, calorem, & lumen producit per medium aliquod corpus vitreum ; ita tamen ut vitrum integrum omninò maneat & illæsum ; sic & Christus in hunc mundum prodiit ex utero Virginis, hunc omninò integrum relinquendo & inviolatum. Plura in Appar. V. *Deipara.*

Q. *Quid verò quartus : Passus sub Pontio Pilato ?*

RESp. Mysterium tractat redemptionis humanæ. Nam idem verus Dei Filius secundum humanam illam naturam assumptam, extrema verè passus est pro nobis & peccatoribus omnibus redimendis. Undè licet agnus esset sine macula,

tamen

tamen sub Pontio Præside in crucem suffixus, in cruce mortuus, & sepultus fuit.

Expos. Seriem totius Christi Passionis, paucis his verbis contentam dabunt fusius Evangelistæ *Matth.* 27, *Marci* 15, *&c.* imo & Prophetæ, qui de Passione & morte Domini multa vaticinati sunt, ut Davidem omittam, Isaiæ oracula tam clara sunt, ut rectè dici queat eam rem gestam potius exposuisse, quam futuram prædixisse, *Isaiæ cap.* 53. *& alibi.*

Sed si Christus Deus fuit: qui mori potuit? Verè mortuus est Christus, qui Deus erat & homo, secundum humanam naturam: sicut rectè loquimur dum dicimus, ille homo mortuus est: cum tamen anima, quæ altera hominis pars est, mori non possit. Figura hujus mysterii in Veteri Testamento fuit Isaac divinam naturam repræsentans, qui occisus non fuit, sed ejus loco aries, qui humanam naturam referebat. Ut notat S. Ambrosius in *Psalm* 39.

Sed age videamus quam grata sit Passionis Christi memoria, de qua Albertus Magnus sic ait: *Simplex recordatio Passionis Dominicæ plus valet, quam si integrum annum jejunare quis in pane & aqua, vel si quotidie virgis & flagellis cæderetur usque ad effusionem sanguinis.* Idem ferè revelasse Deum Sancto cuidam Eremitæ testatur Ludovicus à Saxonia *de Vita Christi cap.* 58. SS. Gertrudi, Brigittæ, Mechtildi, Catharinæ, paria fere revelata tradit Ludovic. Blosius *cap.* 2. *Monit. Spirit.*

Rem subinde prodigio confirmavit Deus. Serviebat tyranno cuidam gentili captus quidam adolescens Catholicus, qui gemebundus & dolens regiam obibat, cum tamen liberalissimè haberetur, causam petiit Tyrannus; reposuit Dei servus, stigmata Domini sui se in corde portare. Indignatus Tyrannus, experiar, inquit, num vera sint quæ dicis: jubet itaque aperto Juvenis pectore cor ejus evelli, & bifariam secari: mirum dictu! apparuere in ipso corde, Christi Passionis instrumenta: rei novitate attonitus Tyrannus cum suis ad Christi fidem conversus est, *Cantiprat. lib.* 1. *c.* 25. *part.* 8.

Similia Christi Passionis instrumenta inventa sunt in corde B. Claræ de Monte Falco, ut legitur in ejus vita 17. Augusti. *Fasti Mariani ex Monum. Eccl. Mont. Fal.*

Q. *Quid autem quintus: Descendit ad inferos?*

RESP. Mysterium Resurrectionis Christi complectitur, qui secundùm animam quidem Patres è limbo liberaturus descendit: tertio verò post mortem die, resumto corpore, vi propriâ factus est redivivus.

Expos. Resurrectionem suam die post mortem tertiâ crebrò in Evangeliis legitur Christum prædixisse, Matth. 13. *Oportet filium hominis pati, & tertia die resurgere.* Et cap. 20. *Filius hominis tradetur ad crucifigendum, & tertia die resurget.* Figuram hujus Resurrectionis habemus in veteri Testamento, *Genes.* 42. In Josepho, qui è carcere ad regnum evectus, Christi post mortem ad suos reditum expressit. Et *Ionæ c.* 2. in ipso Propheta Jona, qui tribus diebus, & tribus noctibus in ventre Ceti, sepulturam Christi & tempus resurrectionis expressit; sicut ipse Christus exposuit, *Matth.* 12. *&* *Luc.* 11.

Sed nec post Christi tempora defuerunt figuræ hujus resurrectionis. Septem erant germani Fratres sub Decio Imperatore à patre proditi, quia Catholici, & in specu conclusi, fame omnes enecandi. Mirum dictu, post aliquot sæcula vivi comparuerunt, eo scilicet tempore quo surrexerat hæresis, quæ resurrectionem mortuorum negabat; ex his Fratribus unus civitatem ingressus omnia videt mutata, pecuniam profert alimenti aliquid cæteris comparaturus, sed nec ipse, nec moneta agnoscitur. Ad loci Episcopum, quin & ipsum Imperatorem Theodosium protrahitur, qui re prudenter examinata comperiunt septem illos fratres annis omnino 372. dormiisse. Paulò post omnes sacro epulo refecti pariter obierunt, & cum illis simul ista hæresis extincta est.

Exemplum aliud potest esse in Lazaro post quatriduum à Christo ad vitam resuscitato, & pluribus aliis. Quod Deo non est magis difficile, quam efficere, ut ex semine quod in terra sepelitur, flores & fructus exurgant, de quo plura infra, *Art. XI. de Carnis Resurrectione.*

Q. *Quid sextus articulus: Ascendit ad cœlos?*

RESP. Mysterium affert gloriosæ Ascensionis Christi, ut qui post expletum Redemtionis nostræ opus, ad Patrem transivit ex hoc mundo, & cœlos suâ virtute Trimphator ascendit, atque in ipsa æterna Patris gloria super omnia est collocatus.

Expos. Christi gloriosa in cœlos ascensio nobis describitur Actor. 1. *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum, &c.* Et olim illam videtur vaticinatus Propheta David. *Psal.* 46. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce Tubæ.*

Hæc Ascensio in Cœlos, uti Christo gloriosa, ita illius grata & pia memoria hominibus salutaris est: Confirmat id Bosius hoc exemplo *tom.* 1. *de Signis Eccl. l.* 5. *c.* 2. Nobilis quidam ethnicus jam pluribus annis jacuerat in lecto paralyticus, invisit illum

illum forte Christianus, narravitque non omninò de sanitate desperatum, si spem poneret in Christo, ejusque nomen imploraret; ejus rei causa, imaginem ægro reliquit Christi ascendentis in cœlum. Ægrotus, hortante Christiano, maximo animi studio Dei nomen imploravit, rogavitque ut per gloriosam in cœlos ascensionem, posset è lecto sanus ascendere. Mirum dictu! multis adspicientibus repentè è lecto sanus ascendit, & Christo nomen dedit: quo cognito Imperator Cochinchinæ Legatos Macaum misit, qui legis Christianæ prædicatores ad se accirent, quo & ipse & sui subditi veram Christi legem amplecterentur.

Q. *Quid septimus: Indè venturus est judicare?*

RESp. Demonstrat extremum judicii diem, quando Christus humana in carne visibilis rursus de cœlo descendet, ac tremendum aget judicem omnium, proborum ac improborum, & reddet unicuique secundum opera ejus.

Expos. Sanctum Divini hujus & extremi judicii timorem conceperat S. Job, deqvo in Scripturis legitur Job. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et cap. 30. *Quid faciam cum venerit ad judicandum Deus?* S. Clemens Petri Successor de beato Apostolorum Principe scribit, frequenter dicere solitum: *Quis peccare poterit si semper ante oculos postremum judicium ponat?* Quam lectionem adeo altè mentibus suis impressam voluerunt viri Sancti, ut semper postremum hoc judicium sibi ob oculos ponerent, quo se à peccatis immunes servarent. S. Hieronymus de seipso testatur ad Eustochium: *Quoties diem illum considero toto corpore contremisco: sive enim comedo, sive bibo, sive aliud quid facio, semper videtur mihi tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.* Exemplum de adolescente quodam narrat S. Vincentius Ferrerius *Concion.* 1. *in Sexages.* Illum proposito sibi extremo judicio, ita cohorruisse, ut repente ex timore omnes ejus capilli instar senis canitiem contraxerint. Vide plura exempla supra in Apparatu, verbo, *Timor Domini.* Et V. *Iustitia Divina.*

Q. *Quid verò octavus; Credo in Spiritum sanctum.*

RESp. Exhibet tertiam in Trinitate personam Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque procedens, unus, verus, æternusque Deus est, & regnat cum Patre & Filio, & proindè cum utroque simul adoratur & conglorificatur.

Expos. Articulus hic exhibet Spiritum sanctum cum Patre &

& Filio eundem esse naturâ, non personalitate: ut clarè testatur S. Joannes Apostolus, Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

Et verò bona non medocria à Spiritu sancto in homines descendunt. Exemplum est in adolescente ex studiosa juventute, quia ad monita salutaria surdus jacebat. Intempestâ nocte virum videt majestate vultus venerandum, Deum scilicet Patrem, qui illum æternæ damnationis reum denunciavit. Sub alteram noctem vir adest integrâ ætate crucem humeris bajulans, & sanguinem suum in faciem ejus projiciens, hæc addens: *Erubesce, & tesseram damnationis cape, futuram salutis si maluisses.* Desperabat jam æger de salute; Fratris tamen suasu ad Spiritum sanctum se convertit, qui tertiâ nocte apparens misero scelerum veniam, & beatam mortem nuntiavit. *Ex Spec. Exem. & Fast. Mar. in Festo Pentecost.* Vide infra in *Catech. cap. 5. ad finem de 7. donis Spiritus sancti, & 12. fructibus ejusdem.*

Q. *Quid nonus articulus: Sanctam Ecclesiam Catholicam, & Sanctorum Communionem?*

RESP. De Ecclesia docet quatuor nobis credenda esse: Primum, Ecclesiam esse unam, nimirum in uno spiritu Christi Jesu, in una fide, fideique & Sacramentorum doctrina, in uno capite ac rectore universalis Ecclesiæ, Vicario Christi scilicet ac divi Petri Successore, & hanc ipsam sanctam esse, quia tùm à Christo capite & sponso suo, cui per fidem, secundo Sacramenta conjungitur, sanctificatur: tum à Spiritu sancto perpetuò gubernatur. Tertiò, eandem esse Catholicam seu universalem, quia toto orbe diffusa, Christi fideles omnes omnium temporum comprehendit. Quarto & postremò, in hac ipsa Ecclesia Communionem esse Sanctorum, puta non eorum solùm, qui in terris credentes peregrinantur, verum etiam qui carnis mortalitate exuti vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi, in igne purgatorio, suorum peccatorum sordibus expiantur. Qui quidem veluti unius corporis membra, se invicem juvant mutuis officiis, meritis, orationibus: & sacrosancti Missæ Sacrificii, Sacramentorumque Ecclesiæ virtutem participant.

Expos. In Sanctorum Communione fundantur Indulgentiæ, ad quas dispensandas in Ecclesia esse authoritatem patet ex Scripturis: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo,* Matth. 18.

Exemplum est in eo quod contigit S. Francisco, qui cum à Christo ad ejus Capellam de Portiuncula, ipsius Virginis

Mariæ

Mariæ instinctu, petiisset Indulgentiam Plenariam omnibus qui istam Ecclesiam contriti & confessi subirent. Annuit Dominus, mandavitque ut Vicarium suum Summum Pontificem ea de causa adiret, à quo hujuscemodi Indulgentias impetraret; quas paulò post illi Honorius 3. Summus Pontifex liberaliter indulsit: *In vita S. Francisci cap.* 38.

Indulgentiarum vim & efficaciam hinc collige: Confluebant ad orbis caput Romam ad Indulgentias lucrandas ex omni orbis parte non pauci, inter alios qui ex Slavonia aderant, mulier fuit, quæ dum in Patriam omnes iter & reditum parant, repentè moritur, suis apparet in via, & declarat se vi Indulgentiarum rectà cœlum petiisse, adens, si Indulgentias lucrata non fuisset, multis annis se igne purgatorio fuisse torquendam. *Pædagog. Christ. de Indulg.*

Unde qui Indulgentias vel negligunt, vel contemnunt, non minùs stulti sunt quam ii, qui cum debita sua gravia facilè possent dissolvere ex ærario Regis aperto, id negligunt. Dum enim Indulgentias lucramur, dissolvimus pœnas, quibus per peccatum obnoxii eramus, ex publico Ecclesiæ thesauro, per Indulgentias ex Christi & Sanctorum satisfactione nobis concessas.

De Indulgentiis fusiùs agitur suprà in Resol. Theol. *part.* 3. *pag.* 413.

Q. *Quid porrò decimus: Remissionem peccatorum?*

RESP. Offert præsentem Dei gratiam peccatoribus omnibus, ne quis de venia peccatorum suorum consequenda unquam desperet, modò in Ecclesia perseveret Catholica, & ritè ejusdem Sacramentis utatur.

Expos. Duo hic articulus comprehendit: videlicet non solùm remissionem peccatorum in Ecclesia Catholica reperiri, quod omnes Catholici admittunt, & passim extat in Scripturis; sed etiam in ea esse potestatem peccata dimittendi per Sacerdotes, quam Petro & Successoribus dedit Christus, Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Unde deplorandum omninò est, Christianos, mediis quæ in Catholica Ecclesia reperiuntur, non perindè ac deberent, uti ad salutem. Nemo qui vel læsus est, vel adversa laborat valetudine, dubitat ea adhibere remedia, quæ sanitati restituendæ possunt conducere, quantò magis illi qui spiritualiter ægri sunt, & in peccatis suis hærent, deberent ea media adhibere quæ Dei sapientia ad curationem animarum, atque adeò ad vitam reparandam instituit, & in sua Ecclesia reliquit?

Porrò in Ecclesia Catholica indubitatam esse peccatorum remissionem declarat exemplum S. Mariæ Magdalenæ, *Luc*, 7. & boni Latronis, *Luc*. 23. Accedit exemplum Clodovæi Regis Francorum, de quo in officio Ecclesiæ Tornac. legitur: Cum excitus famâ S. Eleutherii Tornacum advenisset, occultum gerens animi vulnus, seu peccatum mortale quod confiteri erubescebat: motus piis S. Eleutherii monitis crimen profusis lachrymis fassus est. Sed cùm dubius hæreret, num crimen sibi esset condonatum, S. Eleutherium rogavit, ut pro se Deum deprecaretur, quo id sibi ad securitatem animi constaret. Postero die Eleutherio ad aram facienti adfuit Angelus, qui peccatum Clodovæo remissum nunciavit. Undè Rex Ecclesiæ Romanæ, cui recens se adjunxerat, dein accerrimus defensor extitit.

Pro expositione Confessionis Sacramentalis contra Sectarios, vide argumenta supra in Controv. *tract*. 2. *cap*. 6. Casus ad eam pertinentes traduntur fusè in Resol. Theol. *part*. 3. *cap*. 1. 2. *& deinceps*.

Q. *Quid autem undecimus: Carnis Resurrectionem?*

R Esp. Mortuos ad vitam excitandos asserit, & novissimum judicii diem confirmat: Nam ante Christi tribunal in carne redivivi omnes apparebimus, ut recipiat unusquisque, prout gessit in suo corpore, sive bonum, sive malum.

Expos. Carnis resurrectionem tam Vetus quam Novum Testamentum certam facit: illud quidèm Job. cap. 19. *Et in carne mea videbo Deum, &c*, hoc verò Joan. c. 5. *Qui bona fecerint, procedent in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint in resurrectionem judicii*. Sed quî fieri potest ut exustum corpus v. g. cujus cineres in flumen projecti sunt, reviviscat? Mirum id minimè videbitur, si Deum omnipotentem esse recolamus, qui si potuerit cœlum & terram è nihilo producere, cur nequeat corpus in favillas redactum ad statum pristinum revocare? cum hoc facilius sit quàm illud. Et cum cernamus arbores ornatum suum, fructus, & vitam quasi in hieme amittere, sed vere dein apparente velut quadam resurrectione adveniente erumpere folia, flores germinare, fructus producere, cur ita inquit S. Gregorius *Homil*. 28. *in Evang*. mortuorum corpora Deus nequeat ad vitam reducere?

Mysterii hujus veritatem exemplo comprobat S. Gregorius Turon. *de glor. Confess. c*. 50. S. Severinus cum obequitans fortuitò à mespilo arbore graviter percuteretur, illi maledixit, ipsoque momento arbor arefacta est. Post dies aliquot rediens, videns-

que arborem aridam, orare cæpit Dominum: *Tu Domine in signum quod corpora nostra resurgent, præcipe ut reviviscat hæc arbor.* Mirum dictu! ipso momento arbor frondescere cœpit, & paulatim pristino vigori est restituta. Huc reduci possunt quæ dicta sunt de Resurrectione Christi ad hujus Symboli *Art.* 5.

Q. *Quid demum postremus: Et vitam æternam?*

RESp. Fidei & virtutis Christianæ præmium, beatam immortalitatem ostendit, ut certò sciamus, post hanc vitam superesse aliam longè diversam, vereque securam, beatam, ac sempiternam, quæ credentibus & obtemperantibus Christo destinata sit.

Expos. Hanc vitam æternam, seu gloriam cœlestem certam faciunt passim sacri codices; quanta verò ea sit non explicant, nec porro explicare possunt, ut fatetur Apostolus 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Sed qua in re illa gloria seu vita æterna consistit? In eo potissimum, quod similes Deo futuri simus in gloria, beatitudine & claritate. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est,* 1. Joan. 2. Non minus quam ferrum ignitum, quod etsi ferrum maneat, magis tamen ignis apparet quam ferrum. Vel ut ait S. Cyprian. *de singul. Cleric.* Sicut sol in speculo apparens vero soli simillimus est, ita homo ad cœlestem visionem elevatus Deo similis erit.

Gloriæ hujus magnitudinem ipse dæmon aliàs mendax aliquando professus est F. Jordano Ordinis Prædicatorum, viro Sanctissimo. Interrogatus enim ubi foret lubentius? in cœlo respondit, idque ut faciem Creatoris mei possem intueri: lubentissimè enim unus omnia omnium damnatorum tormenta subirem usque ad diem judicii, ut vel ad minimum temporis spatium Deum & ejus gloriam possem intueri. Rogatus dein aliquam cœlestis pulchritudinis cum terrenis rebus comparationem: frustra id quæri respondit dæmon, cum nihil omnino in terris sit, quantumcumque pulchrum, quod vel per speciem cum cœlesti illa beatitudine possit comparari. *Herold. in promptuario exempl. liter. G. Rho & alii.*

Q. *Quæ est summa omnium Symboli articulorum?*

RESp. Corde & ore confiteor Dominum Deum, quo nihil majus, aut sapientius, aut melius potest excogitari, eum & unum in essentia seu natura divina, trinum in personis esse, ut pote Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; ita ut hi tres unum sint unus verus, æternus, immensus & incomprehensibilis Deus: ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Pater est Conditor universorum, Filius Redemptor hominum, Spiritus sanctus, Eccle-

siæ

siæ, seu Christi fidelium sanctificator & rector. Igitur huic sanctissimæ & individuæ Trinitati respondent Symboli tres partes præcipuæ: Prima, quæ de Creatione est, Patri: secunda, quæ de Redemptione, Filio: tertia, quæ de Sanctificatione, Spiritui sancto accommodatur.

Q. Quid est Ecclesia?

RESP. Est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur.

Q. Qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt?

RESP. Primum Judæi & infideles omnes, atque à fide apostatæ; deinde hæretici, ii scilicet, qui cum baptizati sint, contra Catholicam Fidem cum pertinacia tuentur errorem. Præterea Schismatici, qui à pace & unitate Catholica ipsi se segregant. Postremò qui à Communione Sanctorum, à participatione Sacramentorum, & ab Ecclesiæ suffragiis, divinisque officiis per Ecclesiasticam potestatem legitime excluduntur: undè & Excommunicati dicuntur: Qui omnes à Christi corpore, quod est Ecclesia, sejuncti & alieni sunt, proindèque spiritualis vitæ ac salutis expertes manent, Sathanæ, mortique perpetuæ, nisi resipiscant obnoxii. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, sed inprimis hæretici, & schismatici, non minùs quàm pestes quædam exitiales, fugiendi ac execrandi sunt.

Q. Quæ demùm est simplex, brevis & recta fidei regula, qua Catholici ab hæreticis discernuntur?

RESP. Ea est, Christi fidem atque Ecclesiæ authoritatem integram profiteri, illudque ratum ac fixum tenere oportere, quod Ecclesiæ Catholicæ Pastores atq; Doctores credendum definiunt. Cæterùm si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut ethnicus & publicanus. Non enim habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.

Expos. Unica est Christi Ecclesia, sicut *unus est Deus, una Fides, unum Baptisma*, eaque Romana, Apostolica, Universalis, extra quam, sicuti durante diluvio extra arcam Noë nullus emersit, ita nullus omninò salvari potest, ut præclarè S. August. *lib. 4. de Symb. ad Catech. c. 13. Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum, nec habebit Deum Patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Undè Hæretici & Schismatici neque salvi esse possunt, neque vera sunt membra Ecclesiæ, sed à S. Cypriano dicuntur membra putrida à corpore abscissa, & comparantur ramo ab arbore præciso: item radio, qui si à sole sejungatur, deficit, & fluvio, qui si à suo fonte separetur, necesse est illum exsiccari.

Hanc Ecclesiam contra hostes suos semper Deus defendit, ut staret inconcussa veritas, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Fredericus II. Imperator Schismaticus, Ecclesiæ Romanæ meditabatur exitium, scribebatque Pontifici Innocentio IV. propediem destruendam omnino Romanam Ecclesiam: reposuit illi Pontifex, brevi illum, ni resipisceret, moriturum, & æterno igne puniendum. Ita evenit, nam paulo post à proprio filio Manfredo strangulatus fuit anno Domini 1250. Ita ex Alberico refert Crispinianus, quamvis Pontificum hostis acerrimus, & ex his Bozius *Signo* 19.

De vera Ecclesia, & Hæreticis extra Ecclesiam, explicatio, & exempla data sunt initio hujus cap. 1. ad quæst. *Quis dicendus est Christianus? Quod ejus signum? Quid est Fides? &c.* Argumenta 8. pro Ecclesia Romana vera & unica, habes supra in *Controv. part.* 1. *cap.* 2. & 3. &c. Item pro Pontifice, & aliis fidei Articulis contra Hæreticos, vide *ibid. pag.* 56.

CAPUT II.

De Spe & Oratione Dominica.

Q. QVid est spes?

Resp. Virtus est divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona expectantur.

Q. *Vnde modum rectè sperandi & petendi discimus?*

REsp. Ex Oratione Dominica, quam Christus ipse Dominus & Magister noster ore suo sacrosancto tradidit & præscripsit.

Q. *Recita per partes Orationem Dominicam.*

REsp. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.
2. Adveniat Regnum tuum.
3. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.
4. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.
5. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
6. Et ne nos inducas in tentationem:
7. Sed libera nos à malo. *Amen.*

Q. *Quid sibi vult initium hujus Orationis: Pater noster qui es in cœlis?*

REsp. Præfatiuncula est quæ nos memores reddit summi beneficii, quo Deus Pater per Christum nos sibi in filios adoptivos, & hæredes cooptavit. Atque hoc dulci Patris nomine provo-

provocamur, tum ad eum redamandum, tum ad precandum magna cum fiducia.

Q. *Quid explicat prima petitio, Sanctificetur nomen tuum?*

RESP. Proborum filiorum justum & liberale desiderium: Hi petunt semper & ubique in se aliisque promoveri cognitionem, timorem, honorem, amorem & cultum æternæ majestatis, & quicquid demum ad summi optimique patris gloriam spectat.

Q. *Quid secundâ petitione agimus, Adveniat regnum tuum?*

RESP. Petimus gloriam regni cœlestis, æternæque felicitatis nobis donari, ut citò cum Christo in sempiternum regnemus.

Expos. ORationis hujus præstantiam præ cæteris omnibus orationibus inde collige, quod ab ipso Christo Domino nostro facta sit: si enim picturas & alia manu facta eo majoris solemus æstimare, quo auctorem habent magis celebrem, quomodo hanc non æstimabimus orationem, quæ auctorem habet ipsum Deum?

Quanta autem sit hujus orationis vis, & efficacia, docebit nos hoc exemplum: Episcopus quidam in extasim raptus, puerum vidit aureo hamo mulierem è profundo lacu expiscantem. Ad se reversus, cœpit ea quæ viderat ruminari; ad templum se conferens offendit eundem parvulum sepulchro matris suæ insidentem & orantem: rogatus puer quid ageret; respondit: orare se, & identidem recitare Orationem Dominicam pro anima matris defunctæ; cognovit ergo Episcopus hunc esse quem aureo hamo piscantem viderat, hoc est, Matris animam ex piacularibus flammis per Orationem Dominicam liberantem. *Auctor Speculi Exempl. titul. defuncti. Exemp.* 13.

In secunda Petitione, Regnum Dei quærere jubemur, juxta dictum Christi Matt. 6. *Quærite primum Regnum Dei, &c.* Quæsiverunt hoc diligenter adeo S. Ignatius de Loiola, & S. Nicolaus Tolentinas, ut legitur in eorum vita, ut continuò fere ad Deum aspirarent, cupientes dissolvi hoc mortali corpore, & esse cum Christo. Peregrinamur enim hic omnes in terra, dum ad patriam perveniamus, quæ regnum Dei est quod hic petimus. Pulchrum est quod legitur in hanc rem de S. Adriano apud Adonem Viennens. *in Martyr.* 8. *Sept.* Hic Sanctus etiamnum ethnicus, videns Christianos maxima tormenta cum gaudio sustinere, ab illis petiit, quodnam pro his præmium exspectarent? Reposuerunt illi, *Adveniet nobis regnum Dei.* Hæc audiens Adrianus, suum etiam petiit in Christianorum numerum nomen referri, & post gravia tormenta ad regnum illud Dei illustris etiam Martyr evolavit.

Q. *Quid tertia: Fiat voluntas tua?*

RESp. Petimus divinæ gratiæ nobis opem adesse, ut Patris voluntatem in terra, sicut Beati omnes in cœlo faciunt, sincere, alacriter, & constanter adimpleamus.

Expos. Ad regnum Dei perveniet qui voluntatem Dei fecerit. *Qui facit voluntatem Patris mei qui in Cœlis est, ipse intrabit in regnum Cœlorum.* Matth. 7. Quare S. Gertrudis, ut legitur in ejus vita, subinde trecenties sexagesies quinies hæc verba: *Fiat voluntas tua*, piissimè iterabat, hocque gratissimum Deo fuisse sacrificium, ipsi Deus revelavit. Unde quodam tempore à Christo jussa eligere sanitatem aut morbum; respondit: *Vehementissimè desidero Domine ut non facias voluntatem meam sed tuam.* Plura de hoc exempla leguntur supra in Apparatu verbo *Obedientia.*

Q. *Quid quarta: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?*

RESp. Petimus suppeditari nobis, quæ ad vitam sive corporis, sive animi fovendam & sustentandam spectant, ut victum & vestitum, verbum Dei & Ecclesiæ Sacramenta.

Expos. Panem quotidianum sic rogantibus Deus elargietur uti promisit: *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth 6.

Id aliquando miraculo comprobavit, uti legitur in vita S. Dominici *l.* 3. *c.* 4. Cum domi nihil cibi esset, jussit hic vir Sanctus Fratres mensæ nihilominus accumbere, & illi benedixit. Vix accubuerant, ecce ingressi duo Angeli eleganti specie singulis fratribus (erant numero centum,) singulos candidissimos panes apposuerunt, quo facto exhibita reverentiâ disparuerunt. Simile est exemplum quod legitur in Annal. Minorum P. Lucæ Waddingi *an. Christi* 1219. Accumbente S. Francisco cum quingentis fratribus, pari modo viginti Angeli succincti, panes & vinum ministrarunt. In Apparatu. V. *Benignitas Dei.*

Q. *Quid quinta: Et dimitte nobis debita nostra?*

RESp. Petimus veniam ac remissionem peccatorum, parati vicissim remittere, quod in nos alii pecaverint.

Expos. Si Proximo non dimittamus, neque Deus dimittit nobis peccata, uti Christus disertè asserit Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et patet in Exemplo quod præclare refertur in vita S. Nicephori apud *Henschenium*, 16. *Februarii.* Venit in odium Sapricii Sacerdotis Nicephorus; hic sæpius tum per se, tum per internuncios dimitti sibi petierat, si quid peccasset, sed inexorabilis persistebat Sapricius. Postea capitur Sapricius quia Christianus erat, & pro Christo tormentis

mentis admovetur. Ibat jam ad palmam Martyr Sapricius; per viam ad genua ejus accidit Nicephorus veniam petens: sed iterum repulsam passus est; tandem Sapricius cervicem præbere jussus, mortem turpi vitâ redemit, Christi fide ejuratâ, quo viso se Christianum proclamat Nicephorus, & coronam martyrii quam Sapricius amiserat, justo Dei judicio, adeptus est. Vide in Apparatu, *Amor proximi.*

Q. *Quid Penultima: Et ne nos inducas in tentationem?*

RESp. Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate divinâ virtute fulciri, atque adversus Mundum, Carnem, Dæmonemque defendi, ne quocunque modo tentationi succumbentes, peccato consentiamus.

Q. *Quid septima & postrema: Sed libera nos à malo?*

RESp. Petimus Dei benignitatem, qua ipse nos liberet, & vindicet à miseria tum corporis, tum animi, sive in hac vita, quoad saluti nostræ congruit, sive in futura. Et additur: *Amen,* hoc est, fiat, sive fiet, ut spem desideriumque monstremus accipiendi ea, quæ septem his petitionibus continentur.

Q. *Quæ summa est priorum orationis hujus petitionum?*

RESp. Priores quatuor ostendunt, quæ hic bona sperare ac petere debeamus: Inter quæ primum ac summum est, divinæ Majestatis honor & gloria: proximum, nostra fælicitas: huic accedit Deo debita obedientia: Postremum est, corporis animæque sustentatio necessaria. Hæc summatim continentur prioribus quatuor.

Q. *Quæ summa est reliquarum petitionum?*

RESp. Tres posteriores continent mala, quæ deprecari debeamus: ut sunt peccata, quæ nobis Dei regnum præcludunt: tum tentationes, quæ, nisi ope divinâ protegamur, suâ vi ad peccandum nos pertrahunt: ac postremò hujus ac futuræ vitæ calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

In Petitione 6. & 7. liberari petimus à malis animæ potissimum, cum mala corporis multum subinde conducant ad salutem, & gloriæ augmentum, uti colligimus ex eo, quod Deus multa mala viris sanctissimis evenire patiatur.

Pulchrum est quod ad hanc rem declarandam exemplum adfertur ex actis Nerei & Achillei, *cap. 9. apud Surium 13. Maji.* Cum S. Petrus cum discipulis domi suæ pranderet, ex iis unus Titus nomine à Petro petiit, ne, cum tam multos curaret, filiam suam Petronillam ex paralysi pateretur decumbere? Cui Petrus: hæc ei infirmitas facit ad salutem; in cujus rei veritatem mandavit, ut surgeret & accumbentibus ministraret. Surrexit

& ministravit incolumnis, sed ministerio expleto jussit eam Apostolus iterum ad lectum redire, ne scilicet facili hoc ad perfectionem obtinendam medio frustraretur.

A malo autem animæ Deus hominem liberat per gratiam suam efficiendo ne consentiat tentationi & peccato. Sic liberavit Susannam, quando à duobus Senibus ad committendum adulterium tentata fuit, præbendo illi, ad divinam opem confugienti, tantum gratiæ robur ut diceret: Melius est mihi incidere in manus vestras & mori, quam peccare in conspectu Dei mei. Plura exempla haberi possunt ex Apparatu supro, V. *Tentatio, Tribulatio.*

Q. *Quomodo Salutationem Angelicam recitas Virgini Matri?*

RESP. Ave *Maria* gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui *Iesus*: Sancta *Maria* Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ; *Amen.*

Q. *Vnde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit?*

RESP. Primum ab exemplo Angeli Gabrielis, & sanctæ Elizabethæ; deindè ex usu ipso, & consensu Ecclesiæ Catholicæ ortum ducit.

Q. *Quem verò fructum affert hæc salutatio?*

RESP. Sacrosanctæ Virginis, & Dominicæ Incarnationis gratam, & æquè salutarem nobis refricat memoriam; ac prætereà monet, ut gratiosæ Virginis favorem, atque apud Deum intercessionem nobis conciliemus.

Q. *Quid discimus ex hac Salutatione?*

RESP. Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis, ut quòd Dei donis ac virtutibus amplissimis referta, quòd eadem Virgo & Mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quòd Regis Regum Christi Dei & Domini nostri parens, ac perinde inventrix gratiæ ac genitrix vitæ nobis extitit.

Expos. Quam gratum sit Beatissimæ Virgini hanc Angelicam Salutationem frequenter recitari, collige ex exemplo S. Gertrudis, quod refert Blosius, *Mon. Spir. c.* 3. §. 9. S. Gertrudis lecto affixa cum horas legere non posset, aliasque preces ex voto Beatissimæ Virgini persolvere: quod unum ægre poterat hæc verba identidem repetiit: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Apparuit illi Deipara Virgo induta pallio aureis floribus exornato; cumque flores hos laudaret Gertrudis, reposuit Virgo: hos flores esse Salutationes Angelicas, quas non sine labore protulerat, hoc tam insigni pallio se à Gertrude exornatam, siquidem nihil magis placeret, quam frequens illius orationis repetitio.

Quanta autem sit hujus orationis vis & efficacia, sequens declarabit

clarabit exemplum. Cum quidam è familia B. Catharinæ Sueciæ somno correptus à curru decidisset, equorum ungulis obtritus & rotarum pondere oppressus animam ageret, B. Catharinæ Virginis opem imploravit, recitatâ semel Salutatione Angelicâ. Res mira! è vestigio surrexit, & ita sibi restitutus est, ut nullum mali vestigium superesset. In vita B. Catharinæ Suediæ *apud Surium & P. Henschen. Martii 2*. Alia in Apparatu verbo *Deipara.*

CAPUT. III.

De Charitate & Decalogo.

Q. QVid est Charitas?

Resp. Infusa à Deo virtus, qua ipse propter se, proximus autem propter Deum diligitur.

Expos. Vim Charitatis Divinæ insigniter experta est Beata Virgo Theresia, quæ tanto divini amoris incendio conflagravit, ut viderit Angelum ignito jaculo sibi præcordia transverberantem. Ita habetur in vita illius.

S. Ignatius Martyr tanta in Christum charitate flagrabat, ut summis votis exoptaret pro ejus amore omnium tormentorum genera sustinere, his verbis: Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. Cùm verò in tormentis jam constitutus Sanctissimum JESU nomen sæpius repeteret, rogatus cur nomen illud toties ingeminaret? Respondit, *Quia nomen hoc cordi meo insculptum gero.* Et hoc ita se habere miro prodigio deprehenderunt illi, qui post ejus mortem in medio cordis nomen JESU aureis litteris expressum invenerunt. *Ita Pædag. Christ. ex S. Chrysost. in Epist. ad Ephes. 4. v. 24.* Alia de Charitate sequuntur.

Q. *Quot sunt Charitatis præcepta?*

RESp. Duo sunt principalia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis.* Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum verò simile huic: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* In his præceptis universa Lex pendet, & Prophetæ.

Expos. Rectè dicitur Charitas Dei primum & maximum mandatum: quia ex perfecto Dei amore cæterorum mandatorum observatio procedit. Sicut enim multi arboris rami ex una

radice prodeūt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Ideo *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Cantic.* 8. Sæpissimè S. Joannes Evangelista, discipulos suos ad charitatem proximi his verbis adhortabatur: Filioli, diligite alterutrum, præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. *Ribadeneira in ejus vita.*

Magnus ille Joannes cognomento Eleëmosynarius, qui in charitatis exercendæ occasiones continuò invigilabat, cum ob eximiam planèque profusam in pauperes munificentiam à quodam plurimum laudaretur: *Quiesce inquit, frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus meus Christus.* Lorinus in 1. *Ioan. cap.* 2. *vers.* 17.

Q. *Quo indicio se prodit Charitas erga Deum.*

RESp. Si ejus observes mandata. Hæc est enim Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt. Et Christus ipse docet: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*

Expos. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum sunt præcepta Dei, *& dulciora super mel & favum: Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Psalm. 18. Hac suavitate allectus Rex David exclamat, Psalm. 118 *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*: nempe ardorem charitatis. S. Gregorius Nyssenus, Oratione 2. de pauperibus amandis, explicans hæc verba Christi Joan. 5. *Iugum meum suave est & onus meum leve,* ait: *Tale jugum ne detrectemus, ne excutiamus, suave est, subeuntis cervicem non atterit, sed demulcet.*

De hac Charitate plurima dicta & exempla, si cupis, vide supra in Apparatu, verbo *Amor Dei*, &, *Obedientia mandatorum.* Motiva idonea ad Amorem Dei excitandum habentur in fine in *Praxi Assist. moribundis.*

Q. *Quomodo se prodit & agnoscitur Charitas erga proximum?*

RESp. Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Expos. Omnis homo est hominis proximus, nec ulla est cogitanda longinquitas generis, ubi est natura communis. Ita S. Augustinus scribens in *Psalmum* 118. Paulinus Nolæ Episcopus, ut viduæ filium à Barbaris captum redimeret, seipsum in servum vendidit:

vide

vide *Breviar. Romanum, 22. Iunii.* S. Ignatius de Loyola ut lascivum juvenem ad amasiam properantem corrigeret, aquis se collo tenus hyemali tempore immersit, cumque infelix libidinis mancipium id adverteret, exclamavit Ignatius: Perge miser ad fœdissimas tuas voluptates, impendentem capiti tuo ruinam non vides? Ego me hic tui causâ frigore constringam, donec justissimum Dei furorem in te paratum avertam. *Ribadeneira in ejus vita.*

Sed præterire non possum illustre exemplum summæ in proximum Charitatis, simul & Humilitatis, in *S. Edvvardo Anglorum Rege.* Cum hic in palatio suo juxta Ecclesiam S. Petri moraretur, supervenit unus natione *Hibernus* pedis utriusque officio privatus, sic ut retrosum fœdum in modum pedum articuli carnibus inhærerent, & suppositis scamnis repere cogeretur. Hic ad Regis cubicularium nomine Ugolinum conversus, Sexies, inquit, limina Apostolorum sic rependo visitavi, & sanitatem nondum obtinui: Sed ab ipso Apostolo Petro in mandatis accepi Regem adire, ut me suo dorso subvectum ad Ecclesiam palatio vicinam perferret, & hoc si fecerit, me membrorum meorum integram sanitatem obtenturum. Hæc ubi nunciata sunt Regi, summa statim charitate commotus, pauperem, ut erat, sordibus & sanie oppletus, in Regios humeros attollit, ejusque brachia squallida circa suum collum complexus, cœpit eum inspectante populo ad templum deportare. Alii pauperis arrogantiam, alii Regis simplicitatem ab eo delusam irridebant. At cum Rex paululum processisset, ecce subitò pauperis nervi extenduntur, emergunt ex carne marcida pedum articuli, crura jam vegeta in rectum protenduntur, ex sanie ac sanguine largè profluente Regia vestis ornatur magis quam fœdatur. Quid plura? Omnes stupore attoniti proclamant: Pauperem jam sanatum, ac tempus esse ut Rex sarcinam tam molestam deponat. Rex autem, ut cœpit, populi clamores nihil moratus, usque ad ipsam Ecclesiam constanter pergit, & ante sanctum Altare holocaustum illud charitatis quod hactenus detulerat, Deo ac S. Petro resignat, atque integrè sanatum dimittit. Pauper autem ille tanto beneficio, & consuetâ peregrinandi pietate commotus, suscepto à Rege itineris viatico, gratias Deo, & S. Petro acturus, Romam profectus est. *Ludovicus Granatensis in Conc. 3. de S. Petro part. 1.*

Vide alia Exempla, &c. supra in Apparatu verb. *Amor, proximi.*

Q. *Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?*

RESP. Etsi duo sint Charitatis præcepta, in quibus plenitudo

tudo Legis versatur, tamen præcepta Decalogi idcirco adjiciuntur, ut præcipuè magis omnes intelligant, quæ ad Charitatem tum Deo, tum proximo exhibendam pertinent.

Q. *Quæ sunt præcepta Decalogi?*

RESP. 1. Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, ut adores illud.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.
3. Memento ut diem Sabbathi sanctifices.
4. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.
5. Non occides.
6. Non Mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, non universa quæ illius sunt.

Q. *Quid sibi vult primum præceptum: Non habebis Deos alienos?*

RESP. Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum deorum, artem magicam vel divinatoriam, observationes superstitiosas, omnem denique cultum impium: è diverso autem requirit, ut unum Deum optimum maximum credamus, colamus & invocemus.

Expos. Sæpius in hac vita vindictam sumit Deus de iis qui divinationibus, vanis observationibus, maleficiis & incantationibus magicis animum addicunt. Ochoziæ Regi ob consultum Beelzebub Deum Accaron, mortem Dei jussu prædixit Elias, 4. *Reg.* 1. Saul coarctatus ab hostibus, Pythonissam consuluit, & postridie in peccatis suis mortuus, seipsum gladio peremit, 1. *Reg.* 28.

Quæ spectant ad superstitionem, magiam, & alia contra hoc præceptum exponuntur supra *in Resol. Theol. part.* 5, *cap.* 1.

Q. *Licetne Sanctos colere & invocare?*

RESP. Licet: non ad eum quidem modum, quo jubemur Deum colere & invocare, tanquam Creatorem & Redemptorem, & Largitorem bonorum omnium; at longè inferiori gradu; nimirum, veluti dilectissimos Dei amicos, nostrosque apud ipsum intercessores & patronos.

Q. *Huicne*

Q. *Huicne Præcepto adversatur usus Imaginum Christi ac Sanctorum?*

RESp. Nequaquam: quia Præcepto huic, *Non facies tibi sculptile*, causa mox additur, *Vt adores illud*; videlicet Ethnicorum more, qui falsorum Deorum statuunt simulachra, & idola sua impiè colunt. Nos autem in imaginibus Christum & Sanctos, quos repræsentant, pio à majoribus tradito more veneramur.

Expos. Cultum Sanctorum nobis commendat Deus, qui teste magno Augustino, *Multa non concidit; nisi Mediatoris ac deprecatoris opera & officium intercesserit. Serm. 4. de S. Stephano.* Quapropter SS. Patres Christianos adhortantur ut Sanctorum opem implorent: cæteros ut prætercam, loquentem audiamus S. Basilium, *Oratione ad 40. Martyres: Qui aliqua premitur angustiâ ad hos confugiat, hos oret ut à malis liberetur.*

Quam utilis nobis sit Sanctorum, & maximè Reginæ Sanctorum cultus, probat exemplum quod subjicio. Consueverat pius quidam Virginis cliens Rosarium quotidie persolvere; die quodam iter faciens cum nonnullis, aliqui ipsum præcesserant, qui in latrones incidentes miserè sunt occisi: incidit & hic in eosdem, qui & hunc stricto ferro sunt aggressi, mortem jam jam inferre parati. Procidit hic in genua, breve vitæ spatium tremulo ore flagitat, quo suum de more pensum Virgini persolvat. Conceditur, & ecce mirabile visu, vix preces ad Virginem misericordiæ Matrem fundere inceperat, viderunt latrones ex ore orantis ad *Ave Maria* cadentes Rosas candidas, & ad *Pater noster* rubras; quo facto perculsi latrones, & rei novitate permoti Virginis clientem vitâ donarunt. *Specul. Exemplor. sub titulo B. Maria Virgo.*

Pro cultu Sanctorum, & veneratione Imaginum argumenta theologica vide supra *in Controv. tract. 2. c. 8. & 9.*

Q. *Quid secundum prohibet: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?*

RESp. Vetat abusum divini nominis, & irreverentiam, quæ committitur à perjuris, & blasphemis, per Deum, & Sanctos, vel creaturam aliquam, absque gravi causa, veritate, ac reverentiâ jurantibus.

Expos. Iurationi, inquit Ecclesiast. *c. 23. non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga.* S. Gregorius *lib. 4. Dialogor. cap. 17.* scribit de quodam quinquennio puero, qui eo quod blasphemare didicisset, nec ideo à Patre redargutus fuisset, è sinu parentis à dæmonibus in infernum abreptus est.

Hor-

Horrendum est quod narrat Martinus Delrio *tom. 2. Disquisitionum Magicarum l.3. quæst. 7, sect.* 8. In Saxonia Virgo opulenta formoso juveni, at tenuioris fortunæ, matrimonium promisit: at hic cum illam prædivitem & nobilem esse sciret, fidem verbis illius se minimè habere indicavit: illa vero ut fidem dictis suis faceret, diris se devovere cœpit in hæc verba: Si alteri quam tibi nupsero, dæmon me vivam in illis nuptiis avehat. Post intervallum aliquod animum mutat, nubit alteri priore sponso spreto, qui eam non semel promissi, diræque imprecationis admonuit; sed illa posthabitis his omnibus nuptias cum altero celebrat. Ipso nuptiali die cognatis & amicis genio lætitiæque indulgentibus, sponsa ex remorsu conscientiæ perjurii memor, redditur solito tristior: Quod dum sponsus & parentes observare incipiunt, duo mali genii sub specie duorum equitum ædes pulsant, benignè excipiuntur, & mensæ adhibentur; A mensa choreæ instituuntur, & equitibus tamquam magnis & nobilibus amicis sponsa honoris causâ adjungitur, qui ubi cum sponsa aliquamdiu saltaverant, eam è conspectu parentum & cognatorum avexerunt. Altero die parentes & amici, dum sponsam quærunt, ecce iidem equites occurrunt, vestes & muliebrem mundum referunt, & hæc verba truci vultu adjiciunt: Non hæc ornamenta, sed sponsam nobis concessit Deus, filia vestra in inferno æternis flammis torquetur; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei frustra.

Juramenti & voti si cupis fusiorem explicationem, vide supra in *Resol. Theol part. 5. de Precept, cap.* 2. Et de eodem exempla in Apparatu, verbo *Iuramentum.*

Q. *Quid imperat tertium Præceptum: Memento ut diem Sabbathi sanctifices?*

RESp. Vult Sabbathum, seu diem festum, in Ecclesia piis operibus celebrari: quod fit adeundo templum, & audiendo Missam.

Laborare autem hoc tempore, & occupationibus deditum esse servilibus, plane interdicit.

Expos. Festa celebremus non corporis nitore, non vestitus mutatione, ac magnificentia, non comessationibus & ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias esse didicistis; sed animi puritate, & mentis hilaritate. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. in Julianum. *S.* Gregorius Magnus in Registro, *Rectè ait Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omnimodè orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Dominicæ Resurrectionis precibus expietur.*

Nica-

Nicanor contemnens Sabbathum Judæorum, ab his in prælio cæditur & superatur, 2. *Machab. cap.* 5. Plura exempla de violatione Sabbathi, assignantur supra in Apparatu. V. *Sabbathi observatio*. Et explicatur fusè *in Resol. Theol. Part.* 5. c. 3.

Q. *Quid injungit quartum: Honora patrem & matrem?*

RESP. Ut his qui secundùm Deum vitæ nostræ sunt auctores, reverentiam, obedientiam, opemque præstemus, ac omni demùm officii genere illis ipsis satisfaciamus. Deindè jubet ut Magistratus, cùm civiles, tum Ecclesiasticos, parentum & majorum loco habeamus, illorum dicto lubentes pareamus, & revereamur potestatem atque auctoritatem.

Q. *Qua ratione potestatem & auctoritatem Ecclesiasticam reverebimur?*

RESP. Videlicet, si receptis œcumenicis Conciliis, si receptis Apostolorum ac Patrum institutis ac decretis, si probatis majorum consuetudinibus; denique si summis Ecclesiæ Pastoribus ac Pontificibus tribuerimus, quam singularem illis debemus, observantiam, obedientiamque. Ubi vel maximè peccant, qui cultum divinum, & sanctiones cæremoniasque Ecclesiasticas convellunt, atque contemerant: tum qui Synodis & Pontificibus obtrectant, ac in Sacerdotum jura & templa involant, sacra pròfanantes.

Expos. Apostolus *ad Coloss.* 3. hortatur liberos ut *parentibus obediant per omnia.* Rechabitæ ne à patris consilio umquam discreparent, vino in perpetuum abstinuerunt, Jerem. 36. *Maledictus qui non honorat Patrem & Matrem*, Deuteron. 27.

Nostrâ ætate (ait S. Bernardinus) in qvodam Hispaniæ oppido, adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eo devenerat ut anno 18. propter latrocinia & publica facinora in vincula conjectus & suspendio damnatus sit. Erat tum prorsus imberbis, pendenti vero atque exanimi subitò prorupit barba, moxque spectante populo comæ capitis planè canescunt, ita ut ætatem referret hominis nonagenarii. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus, omnes in genua prostrati Deum orant, dignetur hujus adeo novæ & miraculosæ rei causam patefacere. Non vanæ fuere horum preces, divinitus Episcopo revelatur, adolescentem illum victurum fuisse ad ætatem 90. annorum, nisi parentibus inobediens & contumax extitisset. S. Bernardinus *tom.* 2. *Serm.* 17. *Quadrag.*

Quomodo honorandi sint parentes, explicatur supra in *Resol. Theol. part.* 5. c. 4.

Q. *Quid*

Q. *Quid sibi vult quintum : Non occides?*

RESp. Prohibet vim externam, cædem, & injuriam omnem, quæ corpori & vitæ proximi adferri possit. Ad hæc itam, odium, rancorem, indignationem, & quosvis affectus ad proximi læsionem quovis modo spectantes excludit, & penitus resecat.

Expos. Propter homicidium Deus maledicit Caino : *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, maledictus ,eris super terram.* Genes. 4. De quo S. Ambros. Cum pœna à Do- ,mino cassaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum, ,latebat miser tremens, & timens, & cum adhuc percussor deesset, ipsa se injusti vita cruciabat. S. *Ambros. in Psal.* 35.

Narrat de sicario, Abbas Sabbatius, qui à patrata per summam immanitatem innocentis pueri cæde, quo scelus occultum melius expiaret, & conscientiam oblatrantem obmutescere faceret, religiosæ vitæ rigorem & habitum assumpsit, jamque aliquamdiu in religione piè vixerat, cum ecce scelus semper animo, & vultus exanguis occisi parvuli identidem oculis obversans, exturbat tandem hominem è monasterio. Pueri enim voces continuò auribus ejus insonare illud videbantur, Cur me occidisti? Nec sinebat, ut auctor ait, una hora conquiescere. Quare semper tremens ac pavens tanti cruciatus impatiens ut umbram hanc tristem effugeret, è monasterio excessit, urbem ingressus Diospolim, judici se sistit, carceri traditur, & capite plectitur. Ita P. Engelgrave in cœlo empyreo, *tom.* 2. *in Festo SS. Innocentium.*

Plura si cupis Exempla reperies in Apparatu, v. *Homicidium.* Et de præcepto, Non occides : agitur supra, *part.* 3. *cap.* 6.

Q. *Quid vetat sextum: Non mœchaberis?*

RESp. Fornicationem, adulterium & obscænos, illegitimosque concubitus, quidquid honestati, verecundiæ, & ingenuo pudori adversatur. Nam & *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.*

Expos. Quam grave malum sit luxuria, & quantopere fugiendum, declarat S. Paulinus *Epist.* 2. qui eam vocat paralysim animarum. Clemens Alexandrinus, epilepsiam appellat. S. Basilius Seleuciensis *Orat.* 5. Luxuriam censuit esse *pestem vivacem*, quæ scilicet interiora animæ depascitur. Graves huic vitio Deo vindice decernentur pœnæ.

Exemplo erit infelix muliercula, cum quâ clericus unus aliquot

quot annis male vixerat. Hic in morbum incidit, qui scilicet illi erat opportunus monitor, verùm ut illi esset, non fuit impudenti fœminæ, quæ etiam illum ubi primum convaluit, ad illicitam venerem pellicere dum conatur, eâdem quâ ille prius tabe corripitur, contabescit, & infelicem expuit animam. Vix illius jacuerat cadaver, cum adsunt & ostium pulsant Æthiopes bini, quorum unus frænum manu gestabat, pulsantibus adest clericus, quæritque ecquid velint? cui illi, mulam inquiunt quærimus quam hic habes domi: negat, pernegat ille sibi aliquam esse mulam: tum illi vim inferentes, domumque subingressi muliebri cadaveris ori frænum imponunt, & cum eo mox avolantes domum immani ac tartareo fœtore, clericum ingenti horrore complent, illudque & auribus, & animo clerici ingerebant, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*. Ex litteris annuis Soc. Jesu in Regno Peruano, anno 1652. 31. Julii.

Plura ex Sacris litteris vindictæ divinæ exempla vide in Apparatu, V. *Luxuria*. Alia item notatu dignissima, casus & remedia luxuriæ v. supra *de Præceptis cap. 6. pag. 513.*

Q. *Quid septimo cavetur: Non furtum facies?*

RESP. Omnis rei alienæ illicita contrectatio & usurpatio, ut fit in furto, rapina, usura, lucris injustis, dolis malis, & iniquis contractibus; demum quibusvis commutationibus & distributionibus, quibus Christiana charitas læditur, & proximus circumvenitur.

Expos. Neque fures, neque avari, neque rapaces Dei Regnum possidebunt. 1. *Corinth. 6.*

Usurarius quidam nobilis in Italia confitebatur Sacerdoti peccata sua injustitiæ, absque proposito usuris deinceps abstinendi, aut animo ablata restituendi. Confessarios, quod rectè monerent de restitutione facienda, & propterea absolutionem negarent, diversis vicibus mutavit. Tandem incidit in quemdam confessarium, qui ut isti nobili placeret, hominem injustum toties quoties relapsum absolvebat, & quod prædives esset usurarius ille, epulabatur quotidie splendidè confessario ad mensam sæpius adhibito. Cum autem vespere quodam lautè fuissent epulari, confessario domum reverso, subitanea morte defungitur dives, & una cum confessario à duobus dæmonibus, qui in servorum specie eumdem accesserant, tanquam hero agenti animam spirituales suppetias laturum, ad inferos detruditur, ut qui injustitiæ particeps fuerat, esset & pœnæ. *In Pædag. Christian. part. 2. cap. 3. §. 2.*

Furta oriuntur ex Avaritia, de qua exempla in Apparatu. V. *Avaritia*. Resolutiones de furto & rapina *part. 5.c.7.pag. 513.*

Q. *Quid in octavo agitur: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

RESp. Interdicitur testimonium falsum, mendacium, & omnis linguæ contra proximum abusus, ut est in susurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus, mendacibus ac perjuris.

Expos. Abominatio est Domino, labia mendacia. Prov. 12. & Psal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Ananias & Sapphyra Christiani conjuges interrogati ab Apostolorum Principe, num tanti agrum suum vendidissent, quanti allatum pretium esset? cum per voculas tantum duas falso respondissent, *etiam tanti*, nece repentina quasi fulmine tacti corruerunt ambo, *Actor 5.* Poterant illi retinere sua, nulla eos lex cogebat in alienum ærarium facultates omnes inferre; sed quia videri volebant falsò omnia sua dedisse, subitò sunt extincti. Hinc optimè Job apud animum suum decernens, inquit. *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Job cap. 27.

Plura in Apparatu, V. *Mendacium. Astutia. Detractio.*

Q. *Quid postrema duo præcepta: Non concupisces uxorem, nec rem proximi;*

RESp. Vetant concupiscentiam uxoris, ac rei alienæ: quoniam quod alienum est haud solùm injustè & pro libidine nostra occupare non licèt, sed ne voluntate quidem ad illud expetendum ferri debemus; ita ut nostris rebus contenti, absque omni invidia, æmulatione, & cupidiate vivamus.

Expos. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis, tu autem ô homo Dei hæc fuge. 1. Tim. 6. Cantipratanus *lib. 2. apum.* Vide, inquit, Sanctum virum magistrum Guidonem, qui cum scholas regeret adolescens, incaute semel fœminam contemplatus, per annos tres etiam ipsâ mortuâ sensit acres motus concupiscentiæ & graves tentationes, adeo ut die noctuque illi præsens videretur. Ut turpes & impuras has concupiscentias refrenaret, ad locum, in quo sepulta jacebat mulier, se contulit: de nocte clam tumulum defunctæ aperit, nares & faciem putrefacto cadaveri tamdiu admovet, ut pœnè fœtore nimio suffocatus extingueretur. Quæ res ita compressit carnis stimulos, ut nullum concupiscentiæ motum tota vita passus sit.

Plura in Apparatu, V. *Luxuria, Avaritia.*

Q. Qu

Q. *Quæ ſumma, quisve finis præceptorum Decalogi?*

REſp. Nimirum, ut Deus & proximus ſincere diligantur, cujus rei Symbolum fuit in duas Tabulas Decalogi à Deo facta diſtinctio. In priori quidem tabula tria docentur, quæ ad charitatem Dei; in ſecunda verò ſeptem, quæ ad dilectionem proximi ſpectant, explicantur.

Q. *Quâ ratione præcepta primæ tabulæ charitatem Dei edocent?*

REſp. Quoniam tollunt & prohibent vitia cultui honorique Dei maximè contraria, idololatriam, apoſtaſiam, hæreſim, perjurium, ſuperſtitiones; admonent autem, verum purumque Dei cultum corde, ore ac opere fideliter exhibendum eſſe: quod ubi fit, utique ſolus verus Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

Q. *Quomodò præcepta ſecundæ tabulæ Charitatem proximi explicant?*

REſp. Eo ipſo quòd noſtrum erga proximum officium ordine complectuntur; videlicet, ut non ſolùm majores honoremus, ſed etiam opere, verbis ac voluntate prodeſſe omnibus, & nocere nemini ſtudeamus, ſive corpus proximi, ſive perſona juncta conjugio, ſive bona fortunæ conſiderentur.

Q. *Quæ ſumma eſt præceptorum de proximo diligendo?*

REſp. Hæc ipſa nimirum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia verò quæcumque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis: Hæc eſt enim Lex & Prophetæ.*

Expoſ. Omnes hæ 4. quæſtiones recolunt ea quæ dicta ſunt de Charitate Dei & proximi in ſingulis præceptis decal. de quibus jam actum eſt.

Q. *Suntne præter Decalogum alia præcepta?*

REſp. Sunt utique; nec ſolùm utiliter illa, verùm etiam neceſſariò obſervanda; præſertim Eccleſiæ præcepta, cui veluti ſanctiſſimæ matri, ſponſæque Chriſti aures, & mentes præbere Catholici omnes debemus.

Q. *Quot ſunt præcepta Eccleſiæ?*

REſp. Præcipua quinque numerantur:

1. Statutos Eccleſiæ feſtos dies celebrato.
2. Sacrum Miſſæ officium diebus feſtis reverenter audito.
3. Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abſtinentiam obſervato.
4. Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate ſingulis annis confitetor.
5. Sacroſanctam Euchariſtiam ut minimùm ſemel in annno, idque circa feſtum Paſchæ, ſumito.

Q. *Quem fructum adfert horum observatio Præceptorum?*

RESP. Hæcatque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta, primùm fidem, humilitatem, & obedientiam Christianam exercent: deindè cultum divinum, honestam disciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, conservant, & ornant, eoque mirificè conferunt, ut decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur, præterquam quòd æternam vitam meremur, si illa ex charitate observemus.

Expos. Circa 1. & 2. Ecclesiæ præceptum. De ingenti fructu Sacrificii missæ (quod in diebus festis præcipitur) sic loquitur Trident. Sess. 22. Cap. 2. *Docet sancta Synodus, sacrificium istud* (scilicet Missæ) *vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Etiam bona temporalia per Missæ Sacrificium à Deo obtinemus.

Mechanicæ duo erant artis; quorum unus copiosâ prole gravatus ditior quotidie fiebat, alter vero sine prole & uxore pauperior, cum tamen uterque æque strenuè operam suam impenderet. Rogatus à socio ditior, qui id fieret? respondit, nullam scire causam tam blandæ fortunæ, nisi quod sacro quotidie interesset antequam operari inciperet. Hoc ubi alter intellexit, summâ pietate deinceps quotidie sacro interfuit, & ditior ilico factus, beneficium Missæ agnovit. *Surius in vita S. Ioannis Eleëmosynarii.* Plura in Apparatu, V. *Eucharistia. Sabbathum.* Item in Controv. *de Sacrificio Missæ pag.* 134. Et in Resol. Theol. *part.* 3. *tr.* 2. *de Sacram. Eucharistiæ.* Et *tract.* 5. *cap.* 3. *de celebratione Festorum.*

Ad præceptum 3. de Jejunio servando, S. Leo Serm. 2. de Jejun. verissimè dixit: *Quid potest efficacius esse jejunio, cujus observantiâ appropinquamus Deo, resistimus diabolo: semper virtutibus jejunium fuit: de abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur.* S. Edmundus à teneris unguiculis sextas ferias in memoriam Passionis Dominicæ, pane & aqua contentus transigebat. *Surius in vita* 16. *Novemb.*

Narrat Pelagius interpres Græcus, teste Drexelio *tractatu de Iejunio l.* 2. *c.* 3. §. 1. ad religiosum senem venisse juvenem, qui seipsum accusavit dixitque: Mi Pater, mea me caro trahit ad vetita, nec dæmon feriatur, suggerit impura, non sum ferendo

dotam pravas cogitationes. Cui senex, hæc talia, inquit, mihi nunquam negotium exhibuerunt. Miratur juvenis, & dicti rationem deposcit: senex oratione placida respondet: ex quo Monachus sum, nec panis nec aquæ, nec somni umquam satis admisi. Hinc ego talibus cogitationum molestiis non urgeor. Alios fructus jejunii vide in Apparatu, *ver. Abstinentia.* Et gulæ damna, V. *Ebrietas. Gula.*

Ad quartum Ecclesiæ præceptum: De utilitate annuæ Confessionis, Tertullianus lib. de Pœnitentia c. 12. *Exomologesis*, inquit, *gehennam in corde extinguit, thesaurum ignis æterni dissipat. & adversus gehennam secunda subsidia prabet: mutæ quidem animæ & irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt, cervus sagittâ confixus ut ferrum & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum: hirundo, si excæcaverit pullos, novit illorum oculos rursus de sua chelidoniâ juvare: & peccator restituendæ sibi sanitati, institutam à Domino exomologesim sciens præteribit?* Non præteribit certè si modò attendat quæ sibi ab exomologesi parata animæ bona, si admiserit, & quæ mala, si eam respuerit, aut sacrilegè peregerit.

Exemplum refert Lobbetius *Dominica* 3. *Quadragesima*, ex historia Indica anno 1590. In Urbe Itata, sita in India Orientali, puella fuit Christianis sacris imbuta, quæ fœdæ libidini aliquam diu se dedit: ne porro magis dederet, eam tetigit vindex Dei manus, & lethalem morbum immisit. Ægrotanti adfuit Sacerdos è Societate Jesu, cui novies est confessa, at leviora tantùm peccata, semper enim graviores noxas alto silentio pressit. Moritur sacrilega, & se à morte uni ex domesticis sed horribili specie inter circumstantes flammas sistit, & addit, æternis illis ignibus addictam se, quod sacrilegè leviores in confessione edixisset, celasset autem culpas graviores. Alia in Apparatu V. *Confessio*, Et de hoc præcepto annuæ Confessionis plurima ad Praxim explicantur in Resol. *Theol. part. 3. cap. 1. &c.*

Ad quintum Præceptum, de Communione Paschali, curandum est ut ea cum omni cordis puritate accipiatur. Quia licet Sanctissima Eucharistia in se omne bonum complectatur, non omnes tamen, qui sacramentaliter communicant, eumdem fructum referunt, ut indicat S. Thomas in hymno à se composito: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus: mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.*

De hoc exemplum contigit Cordubæ in viro familiæ satis illustris, qui sacro epulo in statu lethalis peccati munitus obiit.

Nocte insequenti postquam terræ mandatus est, en tibi duo ephœbi, pulsant portam Collegii Cordubensis Societatis Jesu, facem manu gestantes, rogant loqui Confessario defuncti, habere se rem momenti illi communicandam. Adest Confessarius, quem face prælucente deducunt ad summum templum, ubi hic sepultus. Dum ad fores templi ventum est, unus eorum claves patri exhibet, dicens audacter aperiret, non esse quod timeret: hinc deducunt ad summam aram, & dant in manus clavem tabernaculi in quo hierotheca asservabatur: jubent ciborium secum deferat, illumque cum facibus deducunt ad sepulchrum defuncti, quo ut pervenit, unus eorum dixit: Pater, hic conditus est Dominus qui seriò à Reverentia vestra admonitus ut cum inimico in gratiam rediret, si salutarem absolutionem accipere vellet, ficte tantum id præstitit, & maledictum ejus cadaver adhuc in ore habet Sacram Hostiam, quam non valuit deglutire. Quo dicto pede terram pulsant, & ecce cadaver arcanâ vi assurgit, aperit sacrilegum os, & Hostiam exhibet, quam Sacerdos in Ciborium recondit. Tum rursus pede terram pulsant, & subito corpus in abyssum concedit. His peractis Patrem deducunt ad Collegium, illico disparent. *Ex P. Engelgrave in prima parte Lucis Evangelicæ Dominica secunda post Pentecosten.*

De requisitis in Praxi ad Communionem Paschalem, vide supra in *Resol. Theol. p. 3. tr. 2. c. 4.* Et in Apparatu videri potest *V. Eucharistia.*

CAPUT IV.

De Sacramentis.

Q. QUid est Sacramentum.

R. Est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem divinitus institutum. Aliud est enim quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus. Signum videmus externum, occultam verò & spiritualem gratiam, quæ res dicitur Sacramenti, accipimus.

Expos. HUjus quæstionis explicatio de Sacramenti materia, forma, ministro, intentione, effectu, charactere, & c. fusè habetur supra, *part. 3. tr. 4. c. 1. de Sacramentis in communi.*

Q. *Quot sunt Sacramenta?*

REsp. Septem, quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conservata ad nos usque pervenerunt. Sunt autem hæc, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

Expos.

Expos. Cur septem Sacramenta ad hominem salutem à Christo instituta sint, declaratur ex similitudine, quam illa habent cum rebus ad vitam corporalem conservandam & promovendam necessariis. Primò enim per Baptisma homo spiritualiter renascitur: per Confirmationem augmentum gratiæ & robur spiritus additur: nutritur per Eucharistiam, juxta illud Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus.*: Per pœnitentiam sanitati restituitur: Per extremam Unctionem peccatorum reliquiæ abolentur, gratiaque contra hostium nostrorum insidias confertur. Per ordinem Ministris Ecclesiæ potestas datur in Rep. Christiana ad munia Ecclesiastica ritè decenterque obeunda: Per Matrimonium denique datur gratia, legitimâ conjunctione, prolis suscipiendæ & in Domino educandæ.

Numerus septenarius Sacramentorum defenditur contra hæreticos supra in Controv. *part.* 1. *tr.* 2. *cap. ult.*

Q. *Quare Sacramenta veneranda, & summo in pretio habenda sunt.*

RESp. Primum quidem, quia à Deo & Christo Domino in lege nova instituta: deindè, quia gratiam Dei nobis necessariam, eamque uberrimam non modò significant, verum etiam ceu vasa quædam sacra divini spiritus continent, & ritè suscipientibus conferunt: ad hæc, quoniam adversùs peccatum præsentissima sunt remedia, seu divina medicamenta nostri Samaritani: Postremò, quia bonis gratiam habentibus, eam ipsam conservant, augent, amplificant.

Q. *Cur Sacramentis ceremoniæ solemnes & ecclesiasticæ adhibentur?*

RESp. Multis profectò & gravibus de causis. Primum, ut Sacramentorum administrationem spectantes admoneantur, nihil hic profanum, sed arcana quædam, & divinis plena mysteriis geri, quæ singularem reverentiam exigant: Deindè, ut ad Sacramenta ipsa accedentibus cultum promoveant interiorem, quem Deus præcipuè postulat, & cujus veluti signa, testimonia & exercitia sint ceremoniæ. Prætereà, ut Sacramenta ministrantes majori cum dignitate & fructu munus suum obeant, dum veteris Ecclesiæ institutis, Sanctorumque Patrum vestigiis fideliter inhærent. Constat etenim hujusmodi cæremonias plerasque indè à temporibus Apostolorum, per continuam successionem ad nos usque in Ecclesia perseverasse. His demùm retinetur honesta religiosaque disciplina, his fovetur publica tranquillitas, quæ sæpè rituum externorum aut immutatione, aut innovatione graviter interturbatur.

Q. Quid eſt Baptiſmus.

RESp. Primum maximèque neceſſarium legis novæ Sacramentum, quod ſemel in aqua confertur, quod ſpiritualiter renaſcimur, & peccatorum plenâ remiſſione percepta, in filios Dei adoptamur, hæredesque vitæ cœleſtis adſcribimur.

Expoſ. Baptiſmus eſt inſtar Januæ quâ Eccleſiam ingredimur. Neque poteſt aliquis niſi per hanc januam intrare regnum cœlorum. Eſt enim Baptiſmus primò Infantibus neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii: Secundò, adultis neceſſarius eſt neceſſitate præcepti, & medii ſaltem in voto, (extra martyrium,) quando ſcilicet juſtificantur per actum Amoris Dei, quo implicitè deſiderant implere omnia præcepta, adeoque ſuſcipere Baptiſmum à Deo præceptum, juxta decretum Chriſti Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Plura de Baptiſmo traduntur ſupra de Sacramentis part. 3. tract. 4. cap. 2. Et alia in Apparatu, v. Baptiſmus.

Exemplum de virtute Baptiſmi narratur in vita S. Xaverii *lib. 4. c. 3.* Refertur puellam quamdam vivis exceſſiſſe, cujus mors ſummopere parentem affligebat. Hic auditis à averio patratis prodigiis, ad ſui alloquium benevolè eum invitat, adeſt opportunè Xaverius intellecta afflictione animi ejus, bene ſperare jubet, filiam vivere: dum pater interim anceps hæret, occurrunt famuli, qui filiam à mortuis reſuſcitatam nuncient, præ gaudio vix ſuæ mentis compos ad locum in quo mortuam reliquerat, advolat, filiam vivam reperit, illa ſe ab inferis Xaverii precibus ereptam teſtatur, quibus æternum fuerat ob Baptiſmi defectum addicenda. Prima itaque illa ardentiſſimis votis Baptiſmum expetiit: deinde ſecuta cum patre univerſa familia, omnes ſacro fonte luſtrati ſunt.

De Baptiſmi virtute præclarum eſt exemplum de Conſtantino Imperatore, à lepra per Baptiſmum ſanato, quod refertur *in Breviar. in vita S. Sylveſtri 31. Decemb.*

Non licet Catholicis infantes ſuos baptizandos tradere Miniſtris Hæreticis extra neceſſitatem, variis prodigiis id ſibi diſplicere Deus oſtendit. Refert *Bredembachius l. 7. c. 52.* Amſtelodami an. 1579. Catholicam mulierem prolem enixam, cujus maritus Calviniana hæreſi erat infectus. Urgebat hic ut infans in templo Calviniſtarum baptizaretur, illa vero à Catholico Sacerdote ut ſacro fonte luſtraretur, multis precibus inſtabat. Cum itaque nihil his proficere ſe cerneret, clam omnibus ipſa infantem baptizavit. Facti hujus ignarus conjux, puerum defert ad Calviniſtarum templum: at cum hæreticus Miniſter eum baptizare

jam

jam vellet, contigit, ut derepentè factus sit mutus. Rei novitate perculsus parens domum regreditur, quid circa infantem peregisset curiosè uxorem rogat. Hæc intrepidè se puerum priùs baptizasse confessa est, & maritus ejuratâ hæresi cum Sancta Matre Romana Ecclesia se reconciliavit.

Exorcismi adhibentur in Baptismo, ad infringendam dæmonis potestatem, si quam forte in baptizandum habeat.

Per Crucis signa in diversis corporis partibus formata significatur primo, per Baptismum certum animæ caracterem imprimi.

2. Ut sensus omnes aperiantur ad Deum & Jesum Christum cognoscendum & amandum.

3. Ut baptizatus non erubescat, publicè fidem ac Catholicam Religionem profiteri.

4. Ut sint quasi signa, quo baptizatus se suavi jugo Christi subjiciat, paratus mortificationē Jesu Christi in corpore suo portare.

5. Ut baptizatus intelligat membra sua Deo consecrata & facta habitaculum Spiritus Sancti.

6. Denique ut significetur vim omnem baptismatis virtutem suam & efficaciam à Passione & Morte Christi recipere.

Reliquæ vero cæremoniæ adhibentur, ut ejusdem dignitatem, æstimationem, gratias, virtutem, effectusve varios denotent.

Jacobus de Vitriaco *lib.* 2. *vita Maria D' Ognies*, Refert, Beatam hanc Virginem vidisse certo tempore, cum puer in quodam prope Nivellas pago ad Ecclesiæ januam baptizaretur, quod dæmon summâ confusione ex infantis corpore egressus sit. Et cum ipsa accurrens puerum de fonte sacro levaret, visibiliter Spiritum Sanctum in animam ejus descendentem, seque cum eo magna Angelorum multitudine cinctam deprehendit.

Q. *Quid est Confirmatio?*

RESP. Est baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per sanctum Chrisma, & verba sacrosancta confertur gratia, & robur Spiritus additur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic est opus, liberè confitendum.

Expos. Pro præparatione necessaria ut hoc Sacramentum validè quis suscipiat, requiritur ut prius sit baptizatus: Ut vero dignè, debet esse in statu gratiæ.

Quoad fructum quem confert hoc Sacramentum, hæc Doctrina est S. Augustini *in Psalm.* 141. Consignat illis cruce frontem quæ pudoris est sedes, ut constanter & intrepidè nomen Domini confiteantur: impingit & alapam, ut Christianam militiam invicta patientia exercendam & ornandam esse sibi perpetua memoria retineant. Debent autem parentes habere curam

ne

ut quando pueri pervenerunt ad annos discretionis Episcopo offerantur.

Miraculum in conservatione Sacri Chrismatis refert Milevitanus, *lib. 2. contra Donatistas*, Ampullam Chrismatis per fenestram ut frangerent Donatistæ jactaverant: at non defuit manus Angelica, quæ ampullam spirituali subvectione sic deduceret, ut projecta casum sentire non potuerit, atque ita Deo muniente illæsa inter saxa consedit. *De Confirmationis Doctrina*, v. *plura in Resol. Theol. p. 3. tr. 5. c. 3.*

Q. *Quot præcipua de Eucharistiæ doctrina Capita scitu necessaria?*

RESp. Quinque: Primum est ejus Veritas. Alterum est panis & vini in Christi corpus & sanguinem conversio. Tertium, adoratio debita. Quartum, ejus oblatio: Quintum & postremum, ejusdem Sacramenti sumptio.

Q. *Quæ est veritas Sacramenti Eucharistiæ?*

RESp. Nimirum hæc, Christum verum Deum ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri, & nobis adesse, ubi Sacerdos ritè ordinatus panem & vinum verbis illis arcanis, & à Christo traditis consecrarit

Q. *Quæ sit conversio per verba illa, quibus hoc Sacramentum Sacerdos consecrat?*

RESp. Ea, ut per ipsa verba operante Christo, & pnis & vinum in corpus & sanguinem Dominicum convertantur & transubstantientur, atque ita panis & vinum esse desinant in Eucharistia.

Q. *Quæ Sacramento huic debetur adoratio?*

RESp. Eadem sanè, quæ Christo Domino ac æterno Deo debetur, quippe quem illic præsentem agnoscimus. Ideoque religioso cum corporis, tum animi cultu, ut par est, hoc Sacramentum supplices veneramur.

Q. *Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?*

RESp. Quia est legis novæ sacrificium, & oblatio munda, cruentis legis Judaicæ sacrificiis incruenta succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in Missa offertur ac celebratur. Unde fit, ut Eucharistia non solum à fideli populo sumatur, sed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, semperque oblata fuerit in Ecclesia Deo.

Q. *Quid*

Q. *Quid in Sacramenti hujus ſumptione ſervandum?*

RESp. Quod fides & authoritas ſanctæ Matris Eccleſiæ docet, videlicet, Chriſtiano laico ſat eſſe; ſub una ſpecie panis totum Chriſtum accipere: & ex hac ſumtione conſequi, ut, qui non indignè acceſſerit, ingentem Dei gratiâ ac æternam quoque vitam obtineat, qui verus ac integer Sacramenti hujus fructus exiſtit: eoque fit efficacior, quo ſæpius ſacra & ſalutaris illa Communio dignè iteratur.

Expoſ. Hoc diviniſſimum Sacramentum in veteri Lege præfiguratum erat 1. per arborem vitæ, *Gen.*2. 2. per ſacrificium Abelis, *Gen.*4. 3. per Sacrificium Melchiſedech, *Gen.*14. 4. per Agnum Paſchalem, *Exod.*12, 5. per manna cœleſte, *Exod.* 16. 6, per panes propoſitionis, *Levit*, 24. 7. per panem Eliæ 3.*Reg.* 19.&c.

Inſtitutum eſt hoc Sacramentum à Chriſto ad hos fines.

1. In teſtimonium infiniti erga nos amoris.

2. Ut repræſentationem & memoriam paſſionis ſuæ, ac vitæ nobis relinqueret, præſertim cum nobis, ut in memoriam ejus faceremus commendavit.

3. Ut per cibum potumque cœleſtem in vita ſpirituali confirmaremur.

4. Ut contra aſſultus dæmonum nobis eſſet Antidotum.

5. Ut maxima inter ſe, & homines eſſet conjunctio.

6. Ut nos ad Fidei, Spei, & Charitatis exercitium invitaret.

7. Ut perpetuum legis novæ eſſet Sacrificium, & perpetuum ſubſidium.

Quod auditio frequens Sacri profit ad tentationes dæmonis fugandas, & pœna eam non ſatis æſtimantis ſequenti hiſtoriâ declaratur. Erat vir nobilis, qui pro deſiderio quo tenebatur indies Sacrum audiendi, domi ſuæ Sacerdotem alebat. Is certâ Solemnitatis die, quæ in vicino pago celebrabatur, cum facultate Domini ſui ad templum ſe contulerat, iſthic ad aras facturus. Dominus interim ob negotia quædam eo ipſo die intercurrentia moras traxit, & ſerò admodum ad idem templum properavit, multùm per viam anxius ac timens ut iſto die feſto, Sacro intereſſe poſſet. Occurrit properanti villicus quidam, quem rogat, num fortè ſpes eſſet adhuc Sacrum eo die audiendi, cumque villicus reponeret, ſpem nullam ſupereſſe, cum jam inſtaret meridies omneſque Sacerdotes celebraſſent, tantò nobilis cœpit mœrore affici, ut ad commiſerationem villicum moveret, qui temerè nimis hæc ad nobilem locutus eſt:

Quid

Quid dabis mihi, inquit, & omne quod hodie Sacrum audiendo recepi meritum, libens in te transcribam. Chlamydem hanc, reponit Nobilis: conditionem suscipit rusticus. Ille chlamydem, hic transfert Sacrificii meritum, utrimque discedıtur. Nobilis ad pagum properat, si forte adhuc Sacro interesse posset: sed, sic præsens spe suâ frustratus est, quod tamen pacatiori, quam ante animo tulit. Domum regreditur, cum ecce in via cum chlamyde sua ex arbore pendulum videt rusticum, temerarium nimis rei Sacræ venditorem. Scilicet dolor animi, qui nobilem anteà afflixerat, rusticum invasit, eoque perduxit, ut desperans fauces sibi laqueo eliserit.

Quantum verò prosit Sacrificium Missæ tam vivis quam defunctis præclarè docetur sequenti Exemplo, quod refert Beda *in hist. Anglic. lib. 4. cap. 22.* & *Baron. in Annal.*

Anglus quidam aulicus, cæso in acie Rege Elbuino, captus est ab hostibus, & vinculis arctè constrictus in custodia detinebatur. Verùm certâ diei horâ vincula disrupta subitò & sponte sua decidebant, quantumvis novis funibus & catenis constringeretur. Omnibus rem tam prodigiosam admirantibus, postea compertum est, captivi fratrem, qui fuit superior cujusdam Cœnobii, solitum fuisse quotidie pro fratre suo, quem in prælio defunctum putabat, sacrum celebrare; eamque fuisse causam cur Deus voluerit in illo ostendere virtute Sacrificii, uti vivorum, ita mortuorum vincula dissolvi. Quæ res ad curanda pro defunctis Sacrificia populum valdè excitavit. Intellexerunt enim (inquit Beda) quod Sacrificium salutare ad redemptionem valeret & animæ & corporis sempiternam.

Aliæ quæstiones quæ spectant ad Eucharistiam, & Missæ Sacrificium contra Hæreticos traduntur suprà in Controv. *p. 1. tr. 2. cap. 5.* De praxi devotè celebrandi aut communicandi vide *infra in fine med. 5.* Pro resolutionibus Theologicis de Eucharistia & Sacrificio Missæ, fuse illæ traduntur *p. 3. tr. 3. cap. 4.*

Q. *Quid est Pœnitentia?*

RESp. Est secunda post naufragium tabula, & necessarium relapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.

Expos. Potestas absolvendi Sacerdotibus concessa probatur ex Joan. c. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Item ex Tridentino, *Sess. 14.*

Ex D. Ambrosio *lib. 1. de Pœnitentia cap. 1. Peccatores uti leprosi*

leprosi offerre se debent Sacerdotibus ut Levit. 4. Item Matth. 8. *Vade ostende te Sacerdoti & offer munus. quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Item Luc. 17. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus, & factum est dum irent, mundati sunt.* Sic & *qui lepram animæ, id est, peccata Sacerdotibus patefaciunt cum vero dolore, & emendationis proposito, à peccatis emundantur.*

Exempla ex S. Scriptura in Novo testamento de bono pœnitentiæ etiam extra Sacramentum, patent in sequentibus. Matthæus publicanus pœnitens ad Apostolatum vocatur, *Matth.* 9.

Petrus post ternam Christi negationem, pœnitens Princeps Apostolorum statuitur, *Matth.* 26.

Zachæus Publicanus pœnitens Christum hospitio recipere meretur, *Joan.* 21.

Latro pœnitens de cruce in paradisum migrat, *Luc.* 23.

Maria Magdalena quæ peccato servíverat, pœnitens à Christo benignè excipitur, *Luc.* 7.

Adolescens Prodigus per pœnitentiam reversus, epulo & convivio à patre recipitur, *Luc.* 15.

Q. *Quæ sunt partes & actiones Pœnitentiæ?*

RESP. Tres: Contritio, vel dolor animi peccata sua detestantis, & ad vitam meliorem adspirantis. Confessio, seu peccatorum suorum coram Sacerdote facta explicatio: & Satisfactio denique, seu vindicta punitioque criminum de se ipso sumta, ad præstandos fructus dignos pœnitentiæ.

Expos. Exemplum doloris animi habemus 2. Reg. 12. *Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino! Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.*

S. Gregorius *Homil.* 34. *in Evangelia* refert, de quodam Victorino, qui post vitam sat longo tempore perversè in sæculo traductam, meliori afflatus spiritu monasterium petiit, in quo orationis, pœnitentiæ & austeræ vitæ studio ita præluxit reliquis, ut & divino alloquio ac societate frui fuerit promeritus. Quadam nocte cum in secretiori montis latere Monasterii Abbas cerneret prostratum, tanta derepentè claritas illo in loco visa est, ut tota regionis pars luce candesceret, quo fulgore attonitus Abbas aufugit. Post horæ spatium reversus in cubiculum frater à suo Abbate accersitur, de loco rogatur, exponitur visum. Hic se manifestatum videns, & hoc, & vocem pariter de cœlo dilapsam, sibi omnia ob elicitum verum dolorem peccata remissa renunciantem, summo animi gaudio Abbati exposuit.

Confessio requiritur integra, nullo peccato mortali celato, cujus con-

jus conſcientia eſt. Seraphinus Razius in *Hortulo Exemplorum titulo de Confeſſ. cap.* 3. horrendam refert cujusdam mulieris ob peccatum præ pudore in Confeſſione occultatum punitionem. In Italiæ civitate (cujus nomen tacet,) fuit nobilis fœmina, pia ac ſancta, ſi externa opera conſideraſſes, & ſic per omnes audiebat. Hæc mortua unicam reliquit hæredem filiam, quæ pro animæ matris refrigerio indies multas preces effundebat. Elapſis à morte matris aliquot hebdomadis, cum mane more ſuo pro matre oraret, accidit ut ſubito, & inuſitato tremore corriperetur, & convertens oculos ad oſtium cubiculi, unde ſibi videbatur ſtrepitum audiviſſe, horribile viſu monſtrum & graviſſimum fœtorem emittens aſpexit. Unde cum gravi timore conſternata ſurrexiſſet à loco orationis, ad cubiculi feneſtras citiſſimè cucurrit, ut ſeſe deorſum præcipitaret: verum audita hac voce, ſiſte gradum filia, à Deo confirmata ſubſiſtit, quid horrendum iſtud ſpectrum vellet, auditura. Quod voce humana talibus cum ea ſermonibus egit. Scito hoc primum filia, me eſſe infelicem heu ac maledictam matrem tuam, non obſtante vita irreprehenſibili quam ſemper in præſentia hominum duxi, propter enormia tamen quædam clam à me fœde commiſſa peccata, ac præ verecundia nunquam in confeſſione expoſita, æternis inferorum flammis adjudicata ſum. Quare ne poſthac Deum pro me incaſſum depreceris. Atque ita factis per varias cubiculi partes ſaltibus, ſignisque ſuæ præſentiæ quaſi ferro candenti impreſſis, evanuit. Puella damnatione matris admodum afflicta, confeſtim ſe ad Eccleſiam contulit, totamque rem Patri, qui per quadrageſimam pro concione dicebat, plenè enarravit. Et ut uterque certior eventus fieret, ambo ſe ad prædictum cubiculum contulere, ac monſtri veſtigia, ſimulque fœtidum odorem percepêre. Quare Pater loco luſtrali aqua tincto, filiam conſolatus eſt, quæ illi fecit licentiam publicè, ſi viſum eſſet, factum denuntiandi.

3. Pars eſt *Satisfactio*, quæ ſita eſt in adimplenda pœnitentia. Refert Petrus Damiani de Ottone Imperatore, qui Creſcentium nobilem, quod Pontifici infeſtus vim & arma intuliſſet, occidi juſſit, cui tamen vitam & ſalutem ſpondebat. Quod crimen cum ad pedes S. Romualdi Abbatis proſtratus retexiſſet: ſatisfactionis & pœnæ ſuæ nomine juſſus eſt nudis pedibus in montem Garganum proficiſci, ubi Michaëlis Archangeli memoria propter maxima in eo loco ab ipſo accepta beneficia pie frequentatur & colitur. Paruit mandatis Imperator, & per 40. dies ſolemni jejunio deſtinatos, horrido, & aſpero ſacco indutus duro in ſtrato cubavit, aliis-

aliisque pœnitentiæ operibus corpus afflixit. Interim, in genere, talis ordo, & modus ritè confitendi præscribitur.

1. Ut quis Deo grates habeat pro servata ad hoc usque tempus vita dataque facultate secum Deo reconciliandi.

2. Implorandum auxilium divinum, & gratia Spiritus Sancti, ut memor esse quis valeat suorum delictorum.

3. Examen instituitur conscientiæ circa cogitata, dicta, facta, omissa.

4. Elicitur dolor de peccatis ex amore Dei, vel metu gehennæ.

5. Integra instituitur confessio, specie & numero peccatorum recensitis.

6. Impletur satisfactio Uti supra de singulis explicatur, *in Resol. Theol. part. 3. tr. 2, cap. 2. 4. &c.*

Q. *Quid est extrema Unctio?*

RESP. Est Sacramentum, quo ægroti per oleum sacrum, & verba Christi in magnis morbi molestiis relevantur, ut fælicius ex hoc mundo demigrent; & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.

Expos. De hoc Sacramento clarissimum testimonium dat Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei.* Hic recolendum est exemplum quod Joannes Nider *lib. 4. formicarii cap.* 11. refert de Ruperto Rege Romanorum, qui hauserat tartaream hanc animo persuasionem, quâ quidam superstitiosè credunt, se post hujusmodi Sacramenti susceptionem omnino è vita migrare oportere. Tandem juris utriusque periti Doctoris hortatu factum ut salubre adeo corporis & animæ antidotum susceperit. Cum ecce ilico se relevari in morbo sentiens exclamavit: revera si hoc Sacramentum scivissem tantum pro utroque valuisse homine; dudum ipsum avidissimè postulassem. Hic Princeps convalescens multis post annis Romanum gubernavit Imperium, & tandem feliciter in bonis perseverans operibus vita functus est.

Aliud exemplum nobis dant annuæ litteræ Collegii Lugdunensis Soc. JESU an. 1599. Æger magno febris æstu conflictatus, inter confitendum urgente morbo de potestate mentis exierat. Jam de sua salute actum esse, sempiternis se suppliciis apud inferos damnatum clamitabat; nullius orationem auribus admittebat. Confessarius viso ægri furore ad divina præsidia, ubi humana deerant, confugit. Monet domesticos ut Sacrum oleum, quod æger ante mentis excessum postulaverat, celeriter adfe-

adferendum curarent. Mira dictu, visuque res, simulatque Sacro Oleo inunctus est, mentis sanitatem recepit, ac paulo etiam post corporis valetudinem recuperavit.

Recte igitur S. Augustinus, *Serm. 215. de Tempore* : *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, & deinde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo : infirmatur aliquis? inducat Presbyteros, &c. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* Plura supra in Contiov. *part.* 1. *cap. ult.* Et in Resolut. Theol. *part.* 4. *cap.* 6.

Q. *Quid est Ordo?*

RESp. Est Sacramentum quo Sacerdotibus, aliisque Ministris Ecclesiæ potestas confertur ad Ecclesiastica munia ritè decenterque obeunda.

Expos. Propter Sacerdotalis Ordinis dignitatem, in vita S. Francisci legimus, eum aliquando dixisse fratribus, si mihi in platea obvii fierent unâ Sacerdos & Angelus, & utrique mihi exhibenda esset veneratio, Sacerdoti primum, ac deinde Angelo exhiberem: Verè enim Sacerdos Angelum dignitate præcedit. Hinc factum est ut tantæ dignitatis perpetuo memor, seque eâ indignum ratus, numquam Sacerdotio inaugurari voluerit.

Sacros Ordines indignè suscipiens divinitus punitur. *Surius* 3. *Septembris* refert, de quodam Religioso, qui commisso sacrilegio se ad Ordines cum aliis fratribus suis contulerat, nec præmissa confessione, aut de delicto verà contritione conceptâ, sacrum Diaconatus Ordinem indignus susceperat. Vix à templo in hospitium fuerat reversus, dum inter manducandum à mente raptus frendere dentibus, ac mirè se collidere cœpit, idque per horas non paucas, donec post multas sociorum pro eo apud Deum fusas preces sibi redditus est, ac domum reversus. Eâ infestatione liber fuit diebus aliquot, sed à commisso tamen scelere minimè resipiscens, validiori modo à tartareo hoste possidetur, cæpitque diebus ac noctibus summâ fratrum suorum commiseratione ac labore excruciari, & exarescere cæpit ejus brachium dexterum, quo sacrilegum furtum commiserat: quo factum ut Abbati viro altioris considerationis res suspecta esse cœperit. Subornat ergo quosdam qui energumenum dum sibi compos esset rogarent, num fortè sibi gravioris delicti conscius esset, forte ut Dei misericordiam impetraret. Quid multa? Rubore confusus, commissum à se facinus palam facit. Deum ut pro se rogent fratres obtestatur. Nec vanæ preces, etenim Abbatis

jussu,

jussu, jejunia, afflictiones corporis, Sacrificia pro ejus incolumitate indicuntur, quibus citò restitutum pristinæ sanitati brachium, & dæmon ab eo fugatus est.

Q. *Quid postremò est Matrimonium?*

RESP. Sacramentum quo vir & mulier legitimè contrahentes individuam vitæ societatem ineunt, gratiâque divinâ donantur, tum ut soboles honestè & Christianè suscipiatur & educetur, tum ut fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum evitetur.

Expos. Hæc societas in Scripturis commendatur. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, Gen. 2. *Quod Deus conjunxit homo non separet*. Matth. 19. *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere, & vir uxorem non dimittat*, 1. ad Corint. 7. Exemplum in puella quæ matrimonii pactum juramento confirmatum violavit, supra datum est de juramento.

Non decet Matrimonium contra parentum voluntatem inire, quod infaustum esse solet. Apud Surium 1. *Jan.* in vita S. Basilii habetur, quomodo Protetii Senatoris filia ab ejus servo per magum decepta, & insano amore correpta, instanter rogabat patrem ut possit jungi Matrimonio cum illo, qui si consentire voluerit pro ea reddituris esset rationem in die judicii. Aut comple, inquit, desiderium, aut brevi me extinctam videbis. Pater, qui filiam hanc Deo consecraverat, mœrore absorptus, amicorum consiliis jussit fieri quod petebat, ne sibi ipsi exitium adferret. Vade, inquit, misera, multum lugebis aliquando cùm facti pœnitebis, nec tamen mederi poteris. Inito igitur conjugio, quod celaverat maritus jam fecit palam: observatum est eum nunquam ingredi Ecclesiam, imò nec Christianum esse. Hoc ubi advertit uxor, humi se prosternere, suis unguibus se discerpere, vellere capillos, pectus tundere, in has voces erumpere: nemo parentibus non obediens salvus umquam fuit; heu me miseram quæ me spontè conjeci in hanc sortem ipsa morte deteriorem!

Optima admonitio parentum Saræ, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, seipsam irreprehensibilem exhibere. *Tob.* 10. Quantò magis illa dilectio in conjugio Christiano exerceri debet.

Narrat Rodericus Sancius *part.* 2. *Histor. Hisp. cap.* 4. præclarum amoris conjugalis exemplum. Cum Eduardus Regis Angliæ primogenitus ad Domini sepulchrum transfretasset, fuissetque in via proditoriè à Mauro quodam gladio venenato percussus, & medicorum remediis non tam allevaretur, quā alligaretur, tandem in Angliam sine salutis spe reversus est. Ejus itaq; uxor, Regis Hispaniæ Filia, novam

& inauditam, sed amore ac pietate plenam, adhibuit medelam: plagas enim mariti toxico infectas, quæ vi veneni claudi non poterant, lingua indies lingebat, sugebatque humorem & pùs venenosum quasi dulcissimum liquorem. Cujus vigore sic omnem veneni materiam extraxit, ut integratis vulnerum circatricibus ille planè curatus, illa quoque divino favore servata incolumis evaserit. Alia in Appazatu v. *Matrimonium*, Et *in Resol. Theol part. 3. c. ult.*

Q. *Estne inter Sacramenta discrimen?*

RESp. Est sanè: Baptismus enim, Confirmatio & Ordo semel collata nunquam iterantur, sicuti cætera. Item Baptismus necessariò suscipitur ab omnibus, & à relapsis pœnitentia. Arbitrarium est autem uti reliquis, modò nullum contemnas, aut irreverenter sumas, illudvè cum sumendi tempus est negligas.

CAPUT V.

De officiis Justitiæ Christianæ.

Q. QVot sunt officia Iustitiæ Christianæ?

R. Hæc duo: Declina à malo sive peccato, &, Fac bonum sive officium Justitiæ.

Q. *Qui potest homo cavere peccatum, & bonum facere, seu præstare Iustitiam?*

RESp. Non id per se quidem, sed Christi gratiâ ac Spiritu instructus Christianus potest, ac debet, quantum hujus quidem vitæ status admittit, justè vivere, & legem implere.

Q. *Quotuplex est peccatum?*

REsp. Duplex: Originale, & Actuale.

Q. *Quid est Originale?*

REsp. Quod ab ortu nobis congenitum, per Baptismum in Christo condonatur.

Expos. De peccato Originali testatur Scriptura ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Sola excipitur Virgo Deipara, quæ nullo unquam Peccato Originali aut actuali inquinata fuit.

Memorandum est exemplum quod de quodam Brasilo, qui Peccato Originali, sacro Baptismatis fonte, necdum ablutus è vivis decesserat, quod in vita Patris Josephi Anchietæ, Magni Brasiliæ Apostoli è Societate Jesu, refert Sebastianus Bezetarius. Quidam nomine Didacus jam pridem Christiana Religione suscepta inter Christianos tanquam Christianus diu versatus, in domo Lusitani ci-

vi

vis diem suum obierat. Cadaver diu exanime jacuerat, & sepulturæ paratum. Elapso duarum horarum spatio matrisfamilias Gratia Rosergia nomine, videt cadaver moveri, & horrore concutitur. Mox promptior animo accedit, ut quid rei subsit, propius dignoscat. Didacus jam vitæ redditus Dominam rogat, se illo funebri amictu dissolvat, quo effecto P. Josephum Anchietam advocari jubet. Propere accurritur ad ædes Societatis; & Didacus vitæ restitutus P. Josepho nunciatur. Hic celer advolat, quo viso Didacus de animæ suæ salute sermonem ingressus, narravit se, ut è vivis decesserat, monitum non recto itinere in ea loca se venisse, quod per Baptismi ostium, nondum scilicet Peccato Originali deleto, Ecclesiam intrasset. Non negabat se sacro fonte nunquam tinctum fuisse, at inscitiam prætexens ab albis hominibus (sic Europæos indigitabat) se Christianam Doctrinam edoctum, sibique Didaci nomen inditum referebat: ab eo verò tempore, cum se perfectum Christianum putasset, præcepta omnia servanda suscepisse, nulla injectâ mente de suscipiendo Baptismo. Proinde enixe P. Josephum rogavit, se quamprimum sacro Baptismate in Ecclesiam induceret; se enim ad alteram vitam unde regressus esset, properare. Tum Josephus hominem, etsi Christianæ legis non rudem, accuratè tamen instruit, quantum extremi temporis patiebantur angustiæ, & instructum magno cum animi fructu baptizavit.

Jam Didacus decedendi veniâ à matrefamilias petitâ, eam rogavit, ut vilia, quibus tegebatur indumenta, alicui egeno porrigeret, curaretque duo Missæ Sacrificia offerenda, ut saltem cultu illo suo nomine exhibito Deum veneraretur. Tum sibi ardentem Ecclesiæ ritu candelam porrigi postulat, & ad P. Josephum conversus, adsis mihi, inquit, Pater, donec voti compos Deo sacris undis ablutam animam reddam. Pater piis precibus intendit, inter quas animam demum peccati Originalis maculâ abstersâ liberatam emisit, cum qua non poterat in cœlum introire. Exempla alia quæ possint spectare ad Peccatum Originale, tradita sunt supra de Sacramento Baptismi.

Q. Quid est peccatum Actuale?

RESP. Dictum, factum, vel concupitum, contra vel præter legem Dei aut Ecclesiæ.

Q. Quotuplex est Actuale?

RESP. Duplex, Mortale, sic dictum, quia mortem animæ præsentem adfert: (*Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur:*) & Veniale: ut cui venia facilè tribuitur, & sine quo ne justi quidem vivunt.

 Qui

Q. *Quibus gradibus ad peccatum deducimur?*

REſp. His tribus: Suggeſtione, Delectatione, Conſenſu, ſeu deliberata voluntate peccandi.

Expoſ. His gradibus prima parens noſtra Eva ad peccatum adſcendit, & ſe cum poſteris improvida perdidit; *Gen. 5.* Callidus accedit ad incautam ſerpentis larvâ indutus dæmon: *Et, cur præcepit,* inquit, *vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* En ſuggeſtionem. Hanc, ſi te ſalvum velis, repellas illico neceſſe eſt. Secus fecit (prô dolor!) mater noſtra; quæ & alterno eam cum ſerpente fovit ſermone. *De fructu,* ait ipſa, *lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Cui ſerpens: *Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus, quod in quocumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Hoc inquam, diſcurſu, quæ prius erant blandè ſuggeſta fovit mulier maléſana, ſed & eum fructum tulit quem ſolent illi, qui ignem ſinu exceptum non excutiunt; ſubditur enim, *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile:* En delectationem, quæ liberè admiſſa animum jam promptum & expeditum nullo labore ad conſenſum, & hujus præmia pœnas ſempiternas pertrahit. Audite exitum: *Et tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit.* En conſenſum, & extremam peccati ruinam. Quare animæ tuæ ſaluti ſi conſultum velis, dum dæmon ad peccatum pellicit, in limine reſiſte, ne ignem illum ſinu excipias, quo jam nunc æternum incipias ardere.

Q. *Qui ſunt ſupremi gradus peccantium?*

REſp. Eorum, qui ſcientes ac prudentes ex mera peccant malitia: qui etiam de peccato ipſo gloriantur: & qui bene monentibus obſtrepunt, ac ſalutaria conſilia prorſus contemnunt.

Q. *Quare peccatum fugiendum?*

REſp. Quia Dominum Deum offendit, ſummum bonum eripit, & ſummum adfert malum peccanti, dum divinam tollit fruitionem numquam recuperandam, & pœnas, ærumnasque homini accerſit ſempiternas.

Q. *Quæ dicuntur peccata Capitalia?*

REſp. Illa, ex quibus, veluti capitibus & fontibus, omnia alia peccata proficiſcuntur.

Q. *Quot ſunt peccata Capitalia?*

REſp. Septem; Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

Qua

Q. *Qua ratione vitari & vinci hæc peccata possunt.*

RESp. Si Jesu Christi gratiæ cooperemur, peccatorum damna & pericula considerantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes.

Q. *Quæ virtutes peccatis Capitalibus adversantur.*

REsp. Hæ septem: Humilitas, Largitas, Castitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Devotio, seu sedula Pietas.

Superbiæ Exemplum.

ANgelus assumpto corpore cum Eremita gradiens fœtenti cadaveri in via occurrit, dixitque Eremitæ obturanti nares: ecquid nares constringis? Ille fœtorem cadaveris causam esse objecit. Paulò post juvenis pulcher ad superbiam ornatus phaleris & tela aureâ equo vectus transibat, qui cum adhuc longè abesset, obturavit nares Angelus; quod Eremita admirans, interrogavit rationem: cui Angelus: ille juvenis superbus & lascivus plus coram Deo & Angelis fœtet, quàm cadaver illud quod fœtidissimum odorem spirat. *Ex Spec. Exemplorum pag.* 42. V. in Apparat. *Superbia.*

Avaritia.

RIbergerus Nobilis ditissimus in Suevia, prævidens famem subsecuturam, undiq; corraso frumento implevit granaria, idque tanto vendidit pretio ut populus aut mori fame, aut bona omnia ei tradere debuerit. Inter plurimos ecce unus sacculis onustus offert sex talares filiorum vestes, promittens postmodum plenam solutionem. Indignatus dives pecuniam exigens negavit triticum. Discedens pauper maledixit diviti. Post paucos dies Ribergerus servum ad granaria misit ut ea inviseret, rediitque dicens, illic tres atras boves pascere, & servus die postero mortuus est. Misit & alium, & hic redux nuntiavit non tantùm boves, sed & equos, qui frumentum devorarent, se vidisse. Ipse itaque vix credens ascendit, & per foramen aliquod vidit greges pecudum diversos frumentum consumere: attonitus indè mente captus est, eaque dixit, & egit, ob quæ catenis ligari debuit, sicque exemplo punitæ à Deo avaritiæ ab aliis incarceratus fuit. Ita *Mart. del Rio ex Petro Pizarro fol.* 261.

Ex avaritia furando res alienas sæpè homines perdunt res proprias. Quidam dum messem in area colligeret, sustulerat manipulos, proximi sui, & ad cumulum suum illos addebat, ut eum augeret: sed res aliter evenit. Nam statim cecidit fulmen, & area accensa est. Miser ille statim currit ad virum Dei qui propè habitabat, & suam calamitatem & incendium illi exponit, furtum autem suum celare conabatur. Sed vera dicere jussus, furtum etiam suum confessus est. Jussit au-

tem vir Dei ut culpam corrigeret, si vellt à pœna liberari. Nam si tu, inquit, manipulos restitueris, ignis ille à Deo missus extinguetur. Mox ille festinus cucurrit & manipulos obtulit illi cui facta fuerat injuria: quo facto, flamma illa viri sancti oratione statim extincta fuit. Quæ res terrore & horrore furti incolas implevit, & totam civitatem Antiochenam ubi res contigit. Ita narrat *Theodor. in historia S. S. Patrum.*

Quam procul ab Avaritia debeant esse judices, suo exemplo præclarè docuit Thomas Morus Angliæ Cancellarius. Accusatus ille fuit apud Regem, quod à vidua nomine Vaugham poculum aureum accepisset post sententiam in judicio pro ipsa latam. Morus acceptum à se poculum aureum coram Rege fassus est, sed rogavit Regem ut interrogaret viduam quid postea de poculo factum fuerit. Illa rogata agnoscit Cancellarium poculum hilari quidem vultu accepisse, & magnas gratias pro dono egisse; sed convocatâ familia curasse illud vino repleri, sibique hilariter propinasse, & simul cum vino poculum reddidisse. Quo cognito Rex Morum multum collaudavit, & caluminatorem objurgatum Moro pro suo arbitrio puniendum permisit. Rem hanc narrat *Thomas Stapletonus in vita Thomæ Mori cap. 3*, plura exempla vide supra in *Apparatu*, verbo *Avaritia.*

Luxuria.

MIles defunctus amasiæ apparens tormentorum rationem reddidit rauca & horrida voce, nempe quia cantilenis luxuriosis decantandis suavem aliàs vocem impenderat. Crura ei erant nigerrima & scabiosa, gloriatus enim erat in vita de eorumdem pulchritudine, ostendensque roganti puellæ reliquum infelicis corporis statum, amotâ à pectore clamyde, bufonem teterrimum toti corpori quadratum ostendit, dicens se hoc pro lubricis peccatis, aliisque corporis cum illa delictis pati in æternum debere, adeoque vanas quas illa pro eo fundebat, preces futuras. *In Specul. Exempl. tit. Infernus.* V. Apparat. *Luxuria.*

E contra præclarum est castimoniæ Exemplum in S. Thoma Aquinate, qui mulierem, quæ ipsum ad labefactandam castitatem solicitabat, arrepto titione generosè abegit. Et ob hanc victoriam Deus illi perpetuum castitatis donum concessit.

Ira.

FUit nobilis quædam domicella rixosa & iracunda, ita ut domum & templa, totam etiam civitatem suis rixis impleret & discordiis turbaret. Mortua illa & sepulta ante templi valvas, visum est sepul-

chrum

chrum flammas & ignes vomere, quo operto repererunt superiorem partem corporis flammis ambustam & adhuc flagrantem, inferiorem verò partem integram, & in signum virginitatis custoditæ illæsam. Ita *Cæsarius lib. 4. cap. 22.*

Wenceslaus Rex Bohemorum ex quadam occasione contra suum pincernam vehementi irâ commotus fuit, & ex illa iracundia subitanea voluit eum propriis manibus interficere. Sed ex nimio illo furore, & ardore vindictæ, statim Rex in paralysim incidit, & intra paucos dies mortuus fuit. Sic enim ita non tantum nocet animæ, sed etiam corporis mortem accelerat. Ita habet Crommerus *lib. 13. Histor. Poloniæ*, vide in *Apparatu, verbo, Ira.*

Gula.

HOrret animus referre quorumdam Bacho se consecrantium luctuosum exitium. Nobiles Germani duo in Apeldorn Velvæ Pago inter se convenerant, ut vino adusto tamdiu se ingurgitarent donec eorum alter expiraret: Si quis prior surgeret, in eum diabolus potestatem haberet. Quo perducit hominem infrænata intemperantia! Accidit, dum strenuè hac lege potitarent, mercatorem illic fortè transire, quem, ut se tertium adjungeret, coëgerunt. In domum inductus alter mortis metu se Bacchum haustu liberali venerari simulat potius, quam reipsâ veneratur. Tum locum ingressus ferali forma dæmon, duos helluones sibi devotos aggressus est, & utrique, arrepto collo, cervicem fregit. Hæc gulæ deditos manet merces. Ita *Dauroult. in Floribus Exemplorum cap. 6. tit. 17. exemp. 7.* vide in Apparatu v. *Gula, Ebrietas.*

Invidia.

IN vita S. Attali, qui succedens B. Columbano Cœnobium rexit, diabolus in eum aliquot subditorum corda suscitavit, qui recusabant tantæ disciplinæ austeritatem ferre. Ille è contra mediis spiritualibus usus, nec potens ad rectam normam deducere, pertinaces ire permisit; qui postquam segregati sunt, virum sanctum detractionibus laniarunt: sed ecce unus eorum febri ardentissima correptus, nequidquam implorans Attali auxilium, igne fatali accensus, emoritur morbo: exemplo isto docti adstantes ad virum Sanctum recurrere, quos veniâ donatos securos reddidit; contemnentes verò aliqui pœnitentiam diversis morbis disrupti interiere; quorum unus securi, alius flumine, alter mari vitam infelicem finierunt. *In Specul. Exemplor. pag. 268.* vide in Apparatu v. *Invidia.*

Q. Quæ peccata in Spiritum Sanctum committi dicuntur?

RESP. Ea quæ suâ malitia sic divinam excludunt gratiam, ut neque in hoc sæculo, nisi ægrè admodum, neque in futuro remittantur.

Q. Quæ sunt peccata in Spiritum Sanctum?

RESP. Sex: Præsumtio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, Desperatio, Agnitæ veritatis impugnatio, Fraternæ charitatis invidentia, Obstinatio, & Impœnitentia.

Expos. Quodnam luctuosius quam quod subdo, pertinacis & obstinati peccatoris monumentũ haberi potest? Lego in actis pro Beatificatione B. P. Francisci Borgiæ Societatis Jesu, apud Eusebium Nierenbergium in ej⁹ vita, Virum quendam in Hispania, quam sanguine nobilem, tam vitiis ac flagitiis infamem, gravi ægritudine correptum ac de vita periclitantem, tanta obstinatione in sceleribus suis perstitisse, ut recta omnes monentes rejiceret, nolletque de anima per confessionẽ expianda quemquam audire. Venit tum forte eam in Urbem S. Borgias, qui cognito miseri periculo, pro zelo suo illum juvare cupidus, ante Christum crucifixum in genua procidit, eum ardenter obsecrans & obtestans, ut qui orbi universo sanguine suo saluti fuisset, infelici ac pertinaci illi animæ non deesset. Francisco hæc precato, ex cruce Servator, Adi, inquit, confestim ægrum, eumque hortare, ut se expiet, & ego mox illi ut medicus & infirmorum curator adero. Abit B. Pater spei bonæ plenus, ad ægri domum se confert, quo Servator jam præcesserat, medici ac prope famuli specie illi solatia atque obsequia deferens. Excipitur ab infirmo non inurbane B. Borgias; verum ubi de confessione cœpit, ad eam instituendam adduci non potuit. Recedit iterum Dominus, relicto ad ulteriores conatus apud ægrum Francisco, qui & ipse cum operam perderet, etiam recessit, & denuo coram Christo crucifixo in genua provolutus, per sacra illius vulnera obtestatur, ut misero adsit. Cui Dominus: conveni iterum pertinacem illum Francisce, meq; tecum defer, si forte me conspecto, cruci pro se fixo convertatur, & vivat. Rediit Borgias, & submotis arbitris, ut liberior esset æger, verbis ad pietatem omnem compositis, submissis in terram genibus, Christum cruci affixum illi repræsentat, per passionum dolores, sacra Domini Jesu vulnera orans, obsecransque, ut animæ suæ misereatur, æternitatem maturius menti imprimat, nolle Deum mortem peccatoris, sceleribus omnibus ejus misericordiam majorem esse. Ad omnia pertinax obmutescit: addit & vocem suam Dominus Jesus, & vocem sanguinis, quem ex vulneribus copiose effundebat. Per hunc iterum iterumque obtestatur Franciscus; sed nihil profuit. Tum vero Servator revulsa à cruce manu, sacrosanctum cruorem in faciem projicit obstinati peccatoris, qui

quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno judicii die coram orbe universo neglectam & contemptam benignissimi Dei ac Redemptoris sui misericordiam illi exprobrabit.

Q. *Quæ peccata in cœlum clamare dicuntur?*

RESP. Quæ per se vehementer abominanda sunt, & apertè humanæ charitatis jura violant; unde vindictam clamare perhibentur, & horrendis sæpè modis in hac vita divinitus vindicantur.

Q. *Quot sunt peccata in cœlum clamantia?*

RESP. Hæc quatuor: Homicidium voluntarium, Peccatum Sodomiticum, Oppressio pauperum, viduarum, atque pupillorum, demum Merces operariorum defraudata.

Expos. Exemplum *homicidii* voluntarii à Deo puniti exhibetur *Genes. c.* 4. in Caino, qui fratrem suum Abelem fraudulenter quasi ad deambulandum in agrum evocavit. Et ecce cum soli essent in agro contra fratrem violenter insurgens eum occidit: sed quam sibi abominandum esset illud facinus, Deus statim aperuit, qui contra homicidam his verbis intonuit: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, &c.* Sanguis nempe innocens vocem tremendam habet, quæ in cœlum usque auditur, & homicidii vindictam deposcit.

Quam detestandum sit *Sodomiæ* peccatum, apertè patet in eversione ipsius Sodomæ & Gomorrhæ, ubi cum incolæ infando illi carnis peccato addicti essent, ultricibus flammis à Domino consumpti fuerunt, uti gravibus verbis testatur Scriptura, *Genes. c.* 14. *v.* 24. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, &c.*

Oppressio pauperum per vim & potentiam Deo semper execrabilis fuit, uti patet 3. *Reg. c.* 21. *n.* 19. Cùm enim Rex Achab vellet invito Naboth vineam eripere, Jezabel Regina ut Regis voluntatem exequeretur, per suam potentiam curavit Naboth falsò accusari & lapidibus obrui. Sed ecce parem Dei vindictam! dum Achab festinaret ut jam defuncti vineam occuparet, Dei nomine occurrit illi Elias Propheta & pœnam denunciat, dicens: Hæc dicit Dominus; *In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum,* quod justo Dei judicio evenit.

Q. *Quæ peccata dicuntur aliena?*

RESP. Ea quæ ab aliis quidem committuntur, sed nobis interim auctoribus, vel quoque modo adjutoribus, aut saltem non impedientibus, ut idcirco nobis etiam imputentur.

Q. Quot modis aliena peccata nobis imputantur?

RESP. Novem his modis; Consilio, jussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentiâ culpæ alienæ, conniventiâ vel indulgentiâ, rei alienæ participatione, & pravâ facti alieni defensione.

Q. Quæ dicuntur opera carnis?

RESP. Ea quæ homines secundùm carnem viventes, & à Dei filiis spiritualibus degenerantes, committere solent.

Q. Quæ sunt opera carnis?

RESP. Paulus ea recenset in hunc modum: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Expos. Quanta sit malitia in operibus carnis, & veneficiis, & commerciis cum dæmone, sequenti Exemplo luculenter exponitur. Lugduni in Gallia vir militaris Vigiliarum Præfectus, dum nocte quadam ex officio urbis compita circumlustrat, ad commilitiones suos conversus, impurum animi sui sensum hac impiâ voce declarat: Ad satisfaciendum carnis desideriis, si vel ipse dæmon modò se mihi offerret immunis non abiret. Vix hæc verba protulerat, & ecce mulier splendido in speciem habitu, famulo lucernam præferente, impuris hiscè Veneris mancipiis occurrit. Post exhibita ultro citroque urbanitatis officia, illi fœminæ se confestim adjungunt, & domum ad quam se redire fingebat eam deducunt, Ingrediuntur simul, & desideratam cum ea libidinem explent. At res tota ex dæmonis arte composita & phantastica fuit. Nam sublato à dæmone fuco, deprehendunt secum cadavere tabo, sanie, ac vermibus fluente rem habuisse, & in obsoletæ domus ruinis versari. Ad hæc dum attoniti obstupescerent, ecce tibi insolito fulminis ictu prostrati sunt, unus quidem eodem loco & nocte extinctus est, alter verò postridie, tertius denique die tertio interiit. Ex Doultremanni *Pædagogo Christ. part.* 1. *c.* 7. *pag.* 132.

Odii & invidiæ exemplum proponitur nobis 1. *Reg. cap.* 18. & 31. in Saule, qui Davidem ex odio injusto multis modis occidere conatus est, donec tandem ab hostibus superatus violentas manus in seipsum convertens, sese propriâ hastâ interemit.

Aliud æmulationis & inimicitiæ exemplum patet in fratribus Josephi, qui ipsum vestibus spoliatum vendiderunt, sed Deo sic disponente ipsi fame compulsi coacti sunt Josephum venerari, & ab ipso vitam & veniam postulare, *Genesis cap.* 35.

Ebrie-

Ebrietatis & comessationis quam acerbus sit fructus docet Exemplum apud *Cantipratanum lib. 2. apum, c. 56. §. 2. Et in Pædag. Christ. pag. 152.* Dum quidam cum sociis inter pocula Animæ immortalitatem irrisisset, adfuit extemplo quidam sub mercatoris habitu, & statura procerus, cui per jocum socii ajunt, si tu bonus es mercator, en hic hominem qui suam animam venalem habet. Bene est, inquit mercator, qui erat dæmon sub mercatoris specie: Sed velim scire quanto pretio ea vendatur? Non magni, inquit alter, si tot vini amphoras dederis illam referes. Postquam mercator illi pretium quod petebatur pependisset, & communi omnes joco risuque applausissent, & poculis jucundè indulsissent, cum tempus adveniret quo societas illa dissolvenda erat; Heus boni viri, exclamat mercator, quid vobis videtur? Qui emit equum numquid non etiam frænum feret. Cum omnes incepto joco insistentes, id æquum esse pronunciarent, statim veterator infernalis se prodit, arreptumque impium ganeonem coram omnibus cum corpore & anima secum asportat, debitum temulentiæ & impietatis suæ præmium relaturum.

De prædictis omnibus, Luxuria, Invidia, Ira, Ebrietate, consilio malo, Adulatione, &c. superius plura exempla data sunt: Item in *Apparatu* sub propriis titulis.

Q. *Estne satis Christiano, malum fugere & à peccato declinare?*

RESP. Nequaquam; sed præterea bonum agere & virtutes exercere necesse est. Alioqui scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.

Q. *Quid boni faciendum Christiano?*

RESP. In genere quidem quidquid boni lex naturalis, divina vel humana præcipit vel ostendit: in specie verò pro sua quisque vocatione præstare officium, & acceptæ Dei gratiæ cooperari cum gratiarum actione debet. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Q. *Quæ sunt præcipua bonorum operum genera?*

RESP. Ea, quibus sobriè, justè, pieque vivitur in hoc sæculo, & per quæ itidem justi magis magisque justificantur, & sancti indies sanctificantur.

Q. *Quotuplicia sunt hæc operum bonorum genera?*

RESP. Triplicia; utpote Jejunium, Eleemosyna seu misericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: *Bona est Oratio cum jejunio & eleemosyna.*

Q. *Quis*

Q. *Quis est fructus bonorum operum?*

RESP. Habent ea promissionem ac mercedem hujus ac æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conservant, & augent; denique Christiani hominis vocationem certam faciunt atque consummant.

Q. *Quid est jejunium?*

RESP. Est certis diebus, juxta morem & præscriptum Ecclesiæ, carnibus abstinere, & saltem unicâ cibi refectione in die contentum vivere frugalius: Sed si generatim hoc nomen accipias, Jejunium est corporis quædam castigatio piè suscepta, vel ut caro spiritui subjiciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Expos. Jejunii utilitatem declarat nobis ipsa Ecclesia, quæ in Præfat. Missæ Deum sic alloquitur: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.*

Exempla Jejunii præbet nobis Scriptura in Moyse qui per 40. dierum jejunium Dei alloquium & aspectum obtinere meruit, *Exod.* 24. Et Ninivitæ, qui post 40. dies subvertendi erant, per jejunium à Deo veniam meruerunt.

In vita S. Patricii legimus, quod in altissimi montis vertice 40. dies cum solo Deo in jejunio & oratione transegerit.

At nostro tempore sacra Catholicorum jejunia abhorrent Hæretici, atque omnem Ecclesiæ Romanæ de cibis vetitis legem rident & contemnunt. Sed insigni Exemplo violatæ hujus legis pœnas dederunt.

Postquam in Germania Torpatenses in Lutheri impia dogmata concesserant, feriâ sextâ solemne Paschæ festum proximè præcedente, finitâ Lutherani Ecclesiastæ concione, civibus è templo D. Virgini sacro revertentibus, quidam alium concivem & familiarem invitat ad prandium: rogat unà domum comitetur, habere se egregiè paratum Petasonem Westphalicum: arridet alter, & sibi reponit esse Gallum opiparè elixum, hunc se in reciprocum benevolentiæ signum adferre. Mensæ accumbitur, vorant gulosè, horum alteros quoddam rodens imprudens pœnè, ipsum deglutit. Quare cum nec transmittere, neque eximere valeret, multum ejulans debitâ Ecclesiæ mandati violatori pœna, eo ipso die suffocatur. Nec divinæ ultionis manus evasit alter; nam postridie Paschæ malo spiritu correptus, non multò post rabie ac furore exagitatus animam unà cum dæmone exhalat, *Ita Dauroultius in Flor. Exempl. cap.* 1. *tit.* 10. *Exemp.* 7. Vide in Appar. *Iejunium.*

Q. *Quid est Oratio?*

RESP. Est mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliisque petimus, vel Deo benedicimus.

Expos.

Expos. Ad Orationem nos Christus impensè hortatur, *Luc.* 11. *v.* 9. *Ego dico vobis; petite & dabitur vobis, quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis.* Ideò oratio à S. Augustino Clavis cæli vocatur, per quam & cælum aperimus, & omnia beneficia corporis & animæ à Deo impetramus, si cum fiducia, humilitate & perseverantia ad Deum recurramus.

De S. Patricio in ejus vita traditur, quod assiduo centenis ter vicibus Dominum adorando genua flectebat: qualibet horâ diei Canonicâ centies se crucis charactere signabat. Nocturni verò temporis magnam partem divinis precibus cum ducentis genuflexionibus impendebat. Per hanc orationis vim quasi omnipotens omnia à Deo impetrabat, adeò ut velut alter Thaumaturgus templum in unius viri nobilis fundo erigere possit, hujus rogatu fusa prece montem in terram depresserit: sed cum vir ille nobilis promissis stare nollet, iterum ad orationem confugiens, montem prius tellure haustum in priorem altitudinem revocavit.

Addamus Exemplum pauperis Cerdonis Constantinopolitani, cui nomen Zacharias. Hic cum singulis noctibus ad orandum coram Vener. Sacramento Templum S. Sophiæ adire soleret, visus est ab alio totus luce circumfusus, cui etiam ingredienti valvæ templi sponte se aperiebant, & ultrò claudebantur dum templo egressus erat: Deo sic demonstrante, quantum sibi placeat humilis oratio.

Q. *Quid est Eleemosyna seu Misericordia?*

REsp. Est beneficium, quo alterius miseriæ ex commiserationis affectu subvenimus.

Q. *Quotuplex est genus Eleemosynæ seu Misericordiæ?*

REsp. Duplex: Alia quippe sunt opera misericordiæ corporalia; alia verò spiritualia; quoniam vel ad corporalem, vel ad spiritualem miseriam proximi sublevandam spectant.

Q. *Quot sunt opera Misericordiæ corporalia?*

REsp. Septem: Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captivos redimere, ægrotos invisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire.

Expos. Eleemosyna non est solum beneficium, quo alterius miseriæ ex commiserationis affectu subvenimus, sed etiam debitum; quia si non demus pauperi quod nobis superfluum est ad statum secundum conditionem nostram honestè sustentandum, hoc ipsi quasi surripimus, uti asserunt S.S. Patres, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus; sed inprimis breviter & dilucidè Augustinus *in Ps.* 147. *Superflua* inquit, *diviti, necessaria sunt pauperi: res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.*

In

In extremo judicii die dicet Christus : *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, addens causam: *Esurivi enim & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, &c.* Sed duris & tenacibus dicet, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus ; esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Ex quo loco Evangelistæ deducitur hoc argumentum : nullus damnatur ob aliquid omissum quod non obligat sub præcepto : atqui reprobi hic damnantur ob omissam eleemosynam : ergo illa aliquando saltem in necessitate obligat sub præcepto.

Vultis Exemplum Viri Sancti qui hanc opinionem sibi in praxi duxerit servandam ? Audite quid de S. Francisco narret S. Bonaventura *in ejus Vita.* Quæ S. Francisco in eleemosynam data fuerant, si pauperior quis ab eo stipem peteret, illico non tam donabat quam jure suo cedebat. Unde audiens vetulæ cujusdam inediam, dixit, frater mi, restituamus alienum hoc (pallium suum denotans) quod ego retinebam, donec æquioris tituli possessor appareret. Jam apparuit pauperrima quædam soror nostra, ad quam rogo ut mittas hoc meum pallium, cum quibusdam panibus ex eleemosyna collectis : Quæ dum fratres portaverint, dicant quod suum erat sibi dari : reputo enim quæ nobis conferuntur in nostrum usum cedere, donec indigentior supervenerit. Sed vide miram Dei providentiam & remunerationem. Eodem tempore aliqui ex Pontificiis detulerunt tot panni ulnas, quot Sancto Patri, ejusque sociis vestiendis sufficiebant.

Atque ut hæc viri Sancti in pauperes liberalitas à Deo liberaliter compensata, sic alterius tenacitas graviter punita. Refert quippe *Geneb. lib. 4. Chronograph.* Anno Christi 914. cum dira fames Germaniam infestaret, Episcopus Moguntinus Hatto nomine, plurimos pauperes in horreo congregatos ea spe, quod escæ vel panis nonnihil ex Episcopi liberalitate accepturi essent, concremari jussit dicens, nihil differre eos à muribus, frugibus tantum consumendis natos. Quam tyrannidem Deus protinus ultus est. Præcepit namque muribus ut catervatim illum invaderent, ac diu noctuque affligerent vivumque devorarent. Itaque ille in turrim in medio Rheni extructam aufugit : sed nec ibi à morsibus murium tutus esse potuit. Nam mures facto agmine per Rhenum natantes in turrim conscendere, justum Dei judicium executuri : quod agnoscens miser, horrenda tandem morte inter mures periit. Feruntur mures nomen quoque ejus à parietibus & tapetibus abrasisse.

Verum

Verum liberales & munifici erga egenos, non tantùm in altera, ſed etiam in hac vita felices & beati futuri ſunt, & in hac quidem vita providebit Deus, ut nunquam illi inopia laborent, qui opes ſuas in pauperes diſtribuerint, juxta illud Pſaltis, *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et Pauli 2. Cor. 9. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletati abundetis.*

Nitida hoc ſimilitudine illuſtrat S. Baſilius: ſicut putei continuò exhauſti, & copioſiore & puriore fluunt aquâ: clauſi verò & quieti facilè putreſcunt; ſic & opes recónditæ inutiles ſunt, translatæ in pauperes novum fructum pariunt. Item alia non minùs appoſita Clemens Alexandrinus: ſicut ad ubera, quæ ſuguntur, vel mulgentur lac ſolet confluere; ita & opes confluunt ad eos qui erogant illas.

Memorabile hujus rei Exemplum exſtat *in Prato Spirituali*, de nobili quodam Conſtantinopolitano, qui cum omnia ſua in pauperes diſtribuiſſet, filio nihil niſi Chriſtum curatorem reliquit. Quare & Chriſtus ſe ei curatorem præſtitit, monuitque virum egregiè divitem, ut illi filiam unicam in uxorem traderet, eumque omnium bonorum hæredem ſcriberet, qui id ipſum accuratè implevit, monuitque juvenem: ecce bonus curator tuus hanc tibi uxorem miſit. Adeò verum eſt quod dixit Sapiens: *Qui dat pauperi non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit injuriam.* De hac præclara virtute plura in Apparatu, V. *Liberalitas.*

Q. *Quot ſunt opera Miſericordiæ ſpiritualia.*

RESp. Sunt & ipſa Septem: uti, Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, pro ſalute proximi Deum orare, conſolari mœſtos, ferre patienter injurias, offenſam remittere.

Expoſ. Priora ſeptem miſericordiæ opera corporalia vocantur, quod circa corpus verſentur, ut conſideranti patet; hæc ſpiritualia dicuntur, eo quod ad animam referantur, eoque pluris facienda, quantum anima juxta ipſius Chriſti teſtimonium plus eſt quam corpus, quare & impenſius illorum uſus nobis commendatur à Scriptura, ac imprimis à Magno illo gentium Doctore Paulo, ſed nullum æque ac inimicorum dilectio, & remiſſio injuriarum. Hic ad Epheſ. 4. ſic ſcribit: *Eſtote invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis*: Item repetit. c. 5. *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Eandem doctrinam rurſus inculat ad Col. 3. *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſeri-*

cor-

cordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam: sicut Dominus donavit vobis, ita & vos.

Sed quid meriti nobis promittitur ob hanc gloriosam de nobis in diligendis inimicis reportatam victoriam? Audite Matth, 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Quæ cum in manu nostra sint, monet* S. Augustinus lib. 50. Homiliarum Hom. 6. *dimittamus inimicis nostris, ut libera conscientia possimus in oratione Dominica dicere; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Exemplum ad hanc rem accommodatum narrat Henricus Magnus *dist. 9. Exemp. 84.* de quodam viro opulento & nobili, qui dum summa animi pertinacia inimico supplici reconciliari recusasset, subito ex hac vita ereptus est. Mortuo ingenti pompa exequiæ apparantur, corpus à funebri amicorum turba ad templum defertur, ubi pro more qui tum vigebat, decantatum solenniter officium defunctorum ante aram, in qua Christi pendentis è cruce imago erat exposita: cumque Sacerdotum aliquis illam officii lectionem inchoasset; *Parce ei Domine*, visa est imago avulsis à cruce manibus, aurem sibi utramque occludere, horrendum illud intonans, *non pepercit, non parcam.* Ad quæ verba, attonita circumfusa multitudo in cadaver impii involat, & alitibus cœli extra civitatem illud devorandum abjecit. Hinc discite quam verum sit illud Evangelii, oportere nos misereri aliorum, si misericordiam à Deo & nos consequi volimus, juxta parabolam illam servi, qui ideo graviter à Deo punitus, quod ipse non remisisset conservo suo, sicut & illi à Domino familias omne debitum remissum fuerat. Videri potest in Apparatu, V. *Correptio fraterna, Exhortatio. Amor proximi.*

Q. *Quæ sunt virtutes omnium præcipuæ?*

RESp. Post Theologicas quidem illas, de quibus dictum est, Fidem & Spem & Charitatem, præcipuæ sunt Cardinales, quæ Christianos cumprimis decent.

Q. *Quæ dicuntur Cardinales virtutes?*

REsp. Quæ tamquam fontes aliorum & cardines omnes honestæ vitæ rationem continent.

Q. *Quot sunt virtutes Cardinales?*

REsp. Quatuor: Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo: quibus in Christo consequitur homo, ut provide, justè, temperatè ac fortiter in omni vita degat, ac placat Deo.

Expos.

Expoſ. Cardinales quædam virtutes idcircò dicuntur, quod ſint tanquam aliarum fontes & cardines: & quemadmodum oſtium in cardine, ſic omnis honeſtæ vitæ ratio in illis verſetur, ac boni operis univerſa ſtructura eiſdem inniti quodammodo videatur, de quibus ita ſcriptum eſt Sapientiæ 8. *Sobrietatem & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.*

Prudentia.

QUare proderit illarum definitionem fuſiùs paulò proponere? Prudentia eſt virtus, quæ ſecundum honeſti rationem quid expetendum, quid vè fugiendum ſit, homini præſcribit, juxta illud Eccleſiaſt. 32. *Fili ſine conſiliô nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* O ſi omnia ad hujus virtutis normam agerent mortales, quam multa infortunia evitarentur, quam multa omitterentur, de quibus heu poſtea, ſed nimis ſerò, doletur. Exempla prudentiæ maximè ſpectantur in bono conſilio; de hoc in Appar. V. *Conſilium bonum, malum, quale dedit Herodias filiæ, ut peteret caput Ioannis Baptiſtæ.* Item in apparatu V. *Sapientia.*

Iuſtitia.

JUſtitia eſt virtus, quâ cuique ſua tribuuntur. De hac ita Proverb. 14. *Melius eſt parum cum juſtitia, quam multi fructus cum iniquitate.* Item: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

Poteſtne illud ſequi ex neglectu juſtitiæ? Omninò; teſte Auguſtino, *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Horrendum eſt exemplum quod ſupra retulimus ex *Pædagogo Chriſtiano part. 2. c. 5. §. 2.* de uſurario quodam nobili in Italia: qui confitebatur Sacerdoti peccata abſque propoſito ab uſuris impoſterum abſtinendi, & una cum Confeſſario, qui eum abſolvebat, ad inferos abreptus eſt.

E contra inſignis exercendæ juſtitiæ zelus ſequenti exemplo à Deo comprobatur. In Anglia capti erant tres falſæ monetæ fabricatores ſceleſtiſſimi; & juxta legem ad manuum abſciſſionem condemnati. Interea Archiep. Cantuarienſis, in cujus poteſtate illi erant, in die Pentecoſtes celebraturus, interrogat, an juſtitia adhuc impleta eſſet. Reſponſum eſt, propter diem feſtum dilatam eſſe pœnam usque craſtinum. Nequaquam, inquit, ego hodie Sacrum non abſolvam, niſi prius in illis juſtitia impleatur. Quâ peracta, dum in Sacrificio verba recitaret: Eccleſiam tuam pacificare, juvare, cuſtodire & regere digneris, nivea columba, omnibus inſpectantibus ſuper eum deſcendit, & alis ſuper caput expanſis ſic manſit, donec Sacrificium abſolveretur. *Ex Spec. Hiſtor. lib. 25. Et magno Spec. exemp. pag. 504.*

Temperantia.

EST virtus voluptatum carnisque quæ gustu atque tactu percipiuntur moderatrix : ad quam sectandam sic nos hortatur Scriptura 1. Petr. 5. *Sobrii estote & vigilate ; quia adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret* : ut autem hanc virtutem amare , & illi oppositum vitium hodie nimis vulgare odisse possimus, mala quæ secum trahit perpendamus.

Et 1. quidem facultates exhaurit, Proverb. 2. *Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* 2. Corpus imbecillum reddit, hinc oculorum lippitudo, oris graveolentia, membra tremula ; capitis distillationes, tusses, apoplexia, paralysis , articulares morbi , & denique mors, plures enim occidit gula quam gladius. 2. Reddit hominem ad omnia inutilem.

Videte hoc egregia similitudine expressum. Corpora nostra terrena sunt : quo modo pluvia nimis diuturna si fuerit, terra infunditur & in lutum resolvitur , ut nulla in ea cultura fieri possit : sic & caro nostra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam accipere , nec fructus animæ necessarios poterit exhibere.

Estne igitur ebrietas grave peccatum ? Est peccatum mortiferum si voluntaria sit, & pervenerit usque ad violentam usus rationis privationem : Nam Apostolus Paulus 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, &c. neque ebriosi regnum Dei possidebunt.*

Sed nec ad finem vitæ differre solet pœnam qua ebriosos plectere decrevit Deus , quam passim exitu infausto & luctuoso solent finire. Notum est quomodo Holoferni vino somnoque sepulto à Judith caput resectum sit. *Judith. c.* 12.

Balthasar Babyloniorum ultimus Monarcha, dum lasciviæ cum concubinis ebrietatem misceret temulentus , vidit ignotam manum scribentem in pariete : *Mane , Tecel , Phares* , & eadem nocte regno & vita à Cyro spoliatus est, *Dan.* 5.

Aliud Exemplum recentioris memoriæ refert *Mart. del Rio t.* 2. *Disq. Magic. l.* 3. *p.* 1. *q.* 7. Tres helluones in Flandria, quadam die in seram noctem compotationem protraxerunt , cum unus illorum minus impius , sat ait , Baccho datum est , Deo saltem agamus gratias. Ego verò, subinfert alter procacior, cacodæmoni gratias agendas censeo , cui operamur , & cum risu mensâ relictâ in lectos ruunt singuli : vix decubuerant , ecce tibi in triclinium , vi januâ reserata , dæmon magni , & atrocis viri specie, habitu venatorio , & cum eo coci duo parvuli obambulant, & lectos circumspicit torvo vultu ; deinde horrenda voce : ubi est

eft ille qui mihi gratias agit ? adſum, referam grates. Lecto abſtrahit pavitantem, & traditum cocis jubet infigi veru, & lento igne aſſari: Parent promptè, aſſatur infelix, & moritur. Demum venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes vix vivos; digni vos etiam (ait) pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi: ſed vetor vi majore. Invitus nunc abeo, & moneo; reſipiſcite, aut manent vos terribiliora. Diſparent larvæ, nec tamen aliis animus rediit vel vox, niſi clara luce, ubi ſurrexere, collegam inveniunt mortuum & (ne viſum inane putes) aſſatum cum horrore intuentur. Vide huic Exemplo idoneam ſimilitudinem anſeris aſſati cum ebrioſo, ſupra in Appar. V. *Ebrietas infin.* Item V. *Gula.*

Fortitudo.

AD hanc colendam ſatis nos hortatur Scriptura cùm timorem improbum nobis adimit, & Chriſtianæ mentis fiduciam, alacritatem, cônſtantiamque commendat. *Fugit impius nemine perſequente*, inquit Salomon Prov. 28. *Iuſtus autem quaſi leo confidens absque terrore erit.* Et Petrus de fidei ac pietatis hoſtibus hoc admonet: *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini. Quis eſt*, inquit 1. Petri 3. *Qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed etſi quid patimini propter juſtitiam, beati.*

Exemplum Chriſtianæ fortitudinis patet in vita S. Laurentii, qui nec blanditiis, nec terroribus tyranni, nec lento igne, nec craticulâ ardenti, in minimo potuit à fide dimoveri, ut fusè narratur in Breviar. 10. *Auguſti, lect.* 4. 5. 6. Plura Exempla in Apparatu. V. *Fortitudo.*

Q. *Quæ dicuntur dona Spiritus Sancti?*

REſp. Septem illa, quæ ſuper Chriſtum requieviſſe teſtatur Propheta, & quæ ab ipſo, ceu fonte omnis gratiæ, in alios derivantur: ut donum ſapientiæ, donum intellectus, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Q. *Quænam illa quæ fructus Spiritus vocantur?*

REſp. Ea quæ pii ſecundum ſpiritum viventes operantur, & per quæ ſpirituales à carnalibus dignoſcuntur.

Q. *Qui ſunt fructus Spiritus?*

REſp. A Paulo Apoſtolo ſic numerantur: Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.

Expoſ. Quid eſt timor Domini? Eſt Spiritus Sancti donum quo peccator divinæ juſtitiæ timore ſalubriter concutitur ad converſionem. At qua ratione ad hunc Dei timorem pervenitur? Si conſideret attentè inſtabilitatem humanam, & quod ignoret, quid ſibi tandem

futurum sit. Cautiores nos esse convenit exemplo Angelorum qui de gradu suo ceciderunt. De quibus Jobi 4. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis qui inhabitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum.* Adde de Adamo qui cecidit in Paradiso; Judas in consortio Christi turpiter lapsus, suspensus, damnatus fuit, quæ fusius exaggerata materiam exemplo dabunt. Plura exempla in Apparatu, V. *Timor Domini.* Item de *Charitate, Pace, &c.* dictum est tam ibi, quam alibi, in Catechesi.

Q. *Quæ dicuntur Beatitudines Evangelicæ?*

RESp. Illæ, propter quas in Evangelio etiam hi, qui miseri prorsus ac infelices videntur, beati, ac felices pronuntiantur.

Q. *Quot sunt Evangelicæ Beatitudines?*

RESp. Octo, quas ita Christus in monte tradidit.

1. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
2. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.
3. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.
4. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.
5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.
6. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
7. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.
8. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Expos. Hinc collige vanam esse prorsus mundi de beatitudine sententiam, quæ permultos interim fallit, ac perdit. Nam beati fore vulgò putantur divites, præpotentes, gloria & authoritate clari, bonis fortunæ affluentes, voluptatibus indulgentes. Verum Doctrinæ Christi repugnant, qui non divites sed pauperes, mites &c. beatos pronunciat. Hinc rectè Esaias exclamat *cap. 3. Populi meus qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Qui ergo beatus dicendus; Non alii quam quos supra ipsa veritas, quæ falli aut fallere non potest, beatos nuncupavit. Patet hoc in Epulone divite, & Lazaro paupere: moritur uterque, dives sepelitur in inferno; pauper ab Angelis in sinum Abrahæ deportatur. Epulo in inferno Lazarum rogat; quem fuerat in terra aspernatus, ut guttula una arentis linguæ sitim refrigerare dignetur, & negatur. Causam vultis? addit illam Dei nomine Evangelista: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala, ideo hic conso-*

sola-

platur, tu verò cruciaberis. De his beatitudinibus plura alibi in Catechesi, & in Apparatu, V. *Abnegatio, Patientia, Consolatio divina, Liberalitas, Castitas, Pax, Tribulatio, Persecutio.*

Misericordia.

EXemplum commiserationis & misericordiæ legitur in vita S. Patricii apud nos c. 15. quem cum cæcus insequeretur, ut per eum lumen oculorum à Deo impetraret, contigit cæcum alicubi impingere & in terram corruere. Quidam ex comitatu Christianæ misericordiæ immemor cæci lapsum risu excepit. At vir Sanctus in cæcum commiseratione, in ridentem indignatione commotus, Tu inquit, qui oculis ad illudendum misero abuteris, oculorum usu privaberis, huic verò visum à Deo humiliter poscenti oculorum lumen restituetur: ac formato crucis signo illusori visum abstulit, cæco donavit.

Mansuetudo.

S. Thomæ de Villanova Ord. Erem. S. Augustini tanta inerat mansuetudo, ut Valentiæ carcerem à nimio situ & horrore diligenter repurgaret, & cum esset Episcopus, si quando in carcerem compingendi erant homines ecclesiastici, non poterat sibi à lachrymis temperare, adeò ipsam justitiæ severitatem sua mansuetudine temperabat.

Pius V. Pontifex, vel ideo verè pius, quia verè mitis, cum quidam in eum libellum probrosum vulgasset, ideoque majestatis læsæ damnatus esset, ut modum inveniret quo damnatum liberaret, illum ad se adduci jubet. Interrogat an scriptum illud probrosum contra Pontificem Christi Vicarium, an potiùs contra Michaelem Gislerium (hoc erat Pontifici nomen,) in lucem dedisset? Cum reus se contra Michaelem tantùm edidisse respondéret, jussit liberum dimitti. *P. Rho in Hist. virtutum l. 7. c. 8.*

Persecutio ob Iustitiam.

EXemplum peculiare patientis persecutionem propter justitiam enituit in Traversio, insigni fidei pugile in Hibernia, qui cum librum pro authoritate Ecclesiæ Romanæ contra hæreticos scripsisset, captus est, & præ tribunali publicè interrogatus, an talem librum ille composuerit; Mox ille Christiana libertate manum attollens respondit: *Hi sunt digiti qui librum illum conscripserunt.* Cumque ea de causa supplicio affectus, & cadaver exustum foret, digiti illi quibus scriptum illud exaravit illæsi manserunt, quamvis ut consumerentur, à carnifice sæpius in ignē conjecti fuissent. *Ita Spondan. & plures alii.*

Q. *Quæ dicuntur Evangelica consilia?*

REsp. Videlicet quæ per Evangelium non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti suscipientibus magis magis expedita atque

utilia à Christo non præcipiente quidem, sed consulente proponuntur.

Q. *Quot sunt Evangelica consilia?*

RESp. Principalia tria sunt: nimirum, Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur.

Expos. Hujusmodi consilia Christus, non verbo tantùm docuit, uti mox ostendemus, sed etiam *Exemplo* vitæ suæ sanctissimæ confirmavit. Quoad *Paupertatem*, cum dives esset, propter nos pauper factus est, non habens ubi caput reclinaret. Quoad *Castitatem*, ipse semper virgo, etiam ex virgine nasci voluit, & Sanctarum Vinginum Sponsus semper perseverat. Tam sedulus demum fuit in præstanda *Obedientia*, ut Matri Virgini, ac Josepho fabro subditus fuerit, & ad mortem usque crucis obediens factus, de se ipso, testatur: *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.*

Ad hanc voluntariam paupertatem amplectendam adhortatur nos Luc. 18. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Hujus autem cultores ac professores erant Apostoli, quorum nomine fidenter dixit Petrus ad Christum Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.*

Ad Castitatem invitat *Matth.* 19. Item Paulus ad *Cor.* 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Et S. Joannes *Apocalyp.* 14. singulare huic virtuti præmium decernit. Qui, inquit, cum mulieribus non sunt coinquinati sed virgines permanserunt, sine macula ante thronum Dei assistunt, cantantque novum canticum coram Deo & Agno, ac sequuntur Agnum quocumque ierit.

Obedientiam verò commendat Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.*

Hujusmodi autem Christi imitatores, qui dictis consiliis observandis seriò vacarent, semper Ecclesia habuit, nec tantùm de vulgo aliquos, sed etiam Imperatores & Reges, quibus, servatis Christi consiliis, Deo servire erat regnare, eligentes potius abjecti esse in domo Dei sui, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Atque ex his non paucos sibi vendicat Anglia & Hibernia. Ac imprimis *Sigibertus* Rex Northumbriæ in Anglia circa annum Christi 640. abdicato Regno monasticam vitam amplexus est. Et cum postea hoste regnum invadente, totius populi precibus coactus esset aciem ad bellum præcedere, noluit vel tantillum Religiosum habitum dimittere, sed eo indutus ante exercitum ad prælium processit, uti refert P. Platus lib. 2. cap. 26.

In eadem Anglia *Etelredus* Rex anno 740. postquam pluribus annis regnum suum piè justèque administrasset, coronâ in nepotem suum *Chenredum* ultrò translatâ, Religiosam vitam in solitario regni sui Cœnobio elegit. At ecce idem *Chenredus* fæliciorem reputans patrui Religiosi quam Regis fortunam, post quinquennium inanem purpuræ regiæ fulgorem cum religioso habitu commutavit, quem ex manibus Cælestini primi Pontificis Romæ accepit. Neque multo post tempore illum ex eadem Anglia *Inas* Rex Saxonum ad Apostolorum limina secutus est, ubi se regnumque suum Pontifici ultrò subjecit, & mundo valedicens per religiosa vota se Christo mancipavit, ut tradit idem *Platus loco citato.*

In Hibernia anno 650. *Vibeanus* Rex tres habuit filios *Forsaum, Follianum, & Vltanum* : hi omnes cœleste regnum terreno præferentes Religiosum statum amplexi sunt. Utque à mundi luxu, & paterna Aula remotiùs viverent, in Galliám trajecerunt, ubi cum Regis Clodovæi licentia Monasterium ædificarunt, atque in eo tanta pietate vixerunt, ut omnes in Sanctorum numerum relati fuerint. *Platus ibid.*

Ex aliis regnis longum esset recensere Exemplum Carolomanni, Trebellii, Bambæ, Veremondi, Ramiri, aliorumque Regum & Imperatorum, qui Evangelica Christi consilia & religiosa vota omnibus mundi opibus ac regnis prætulerunt.

Q. *Quæ hominis novissima dicuntur?*

RESp. Ea quæ homini ad extremum accidunt; ut Mors, Judicium, Infernus, & Cœlestis gloria, de quibus ita docet Sapiens: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

Expos. De *Morte* sic loquuntur Scripturæ: *Statutum est hominibus semel mori,* ad Heb 9. Et hoc pulchrâ similitudine exponit Eccles. 2. *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur in terram.*

Et in hac quidem mortis certitudine, nihil incertius quam quando simus morituri, teste Eccles. 9. *Nescit enim homo finem suum.* Quare providè monet Servator noster, *Estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet,*

Mortis memoria.

S. Joannes à liberalitate in pauperes dictus Eleemosynarius, ut novissimorum semper recordaretur, sepulchrum sibi exstrui, sed imperfectum relinqui, curavit, ac monitorem statuit, qui diebus festis sibi coram omnibus diceret, *monumentum tuum in hodiernum diem est imperfectum, Domine, jube ergo ut id finem accipiat: incertum*

enim est qua fur ingrediatur, id est mors, & hæc eum cogitatio ad eleemosynas tantas excitavit; ita Leontius *in ejus vita*. Sed ad alios transeamus.

Carolus V. Imperator ac supremus olim orbis Monarcha, ut se ad mortem melius compararet, deposito sceptro & corona, abdicavit à se totum Imperium, & omnia regna Hispaniæ, Indiæ, aliaque quæ per orbem possidebat, seque in solitario Hispaniæ angulo abscondit, ubi adhuc vivens curavit suas exequias se præsente celebrari, ut sic futuræ mortis memoriam sibi altius infigeret, & se ad eam ritè præpararet. Et nos mortis immemores de minimo terræ puncto litigamus.

B. Francisco Borgiæ, Gandiæ Duci, & Catalauniæ olim Proregi, cui à Clmente X. Sanctorum fastis adscripto, dum hæc scribo, orbis Christianus applaudit, en quantum profuerit seria mortis memoria. Francisco commissum fuit cadaver Isabellæ Imperatricis uxoris Caroli V. ad Regum sepulchra Granatam deducendum. Cumque aperto jam loculo ipsi de more jurandum esset, illud esse Imperatricis cadaver, vidit illud adeo deformatum, & sanie ac vermibus scatere, ut nisi aliunde id novisset, affirmare non posset illud esse Imperatricis corpus, quod tamen in vita à summa formæ præstantia celeberrimum fuit. Borgias hoc aspectu commotus, ô, inquit, inanes mortalium spes! Ad hoc devenit tanta majestas & pulchritudo! Sat Aulæ Regum, sat datum est Dominis morituris! Ac postea Aulæ valedicens, Domino immortali in Societate Jesu sic servivit, ut ipse ad immortalem inter Sanctos gloriam pervenerit. *Ita in ejusdem vita*.

Refert P. Cottonus *Serm. de Morte* quandam Domicellam vitæ vanitati ac libertati adeo deditam fuisse, ut ex multis quas Confessarius injunxerat pœnitentiis, semper diceret, se nullam posse implere. Hanc tandem à Confessario propositam admisit, ut quoties manus lavaret, toties sibi ipsi tacita diceret; Hæc caro vermium esca erit. Hac cogitatione in animum altè admissa adeo immutata est, ut aliis deinceps optimo virtutis exemplo præluxerit. V. in Appar. v. *Mors*.

Judicium.

DE judicio Apostolus ad Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, Et 2. ad Cor. 5. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit.*

Refert hoc modo Joannes Climachus, solitarium quendam in Choreb habitasse. Hic cum diu negligentissimè vixisset, non habens animæ curam, morbo tandem ad extrema deductus est; cumque è corpore jam migrasset, post horam ad se rediit, rogans ut inde abscc-

abscederemus. Cellæ vero aditum obstruens mansit intus annis 12, nihil præter panem & aquam gustans, & sedens attonitus volvebat semper quæ viderat, ita fixo cogitatu, ut nec vultum immutaret, vim solum lachrymarum profundens. Cum jam morti foret vicinus, rupto aditu ingressi sumus, cumque ab illo doctrinæ verbum supplices peteremus, hoc tantum audivimus: Ignoscite mihi, nemo qui mortis & judicii memoriam verè agnoverit, peccare unquam poterit. Nos verò mirati sumus talem in eo, qui negligens fuerat, beatissimam reformationem. Alia in Apparatu, V. *Iustitia divina.*

Infernus.

IBi *erit fletus & stridor dentium.* Matth. 18. Ibi *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Marc. 9. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum,* Apoc. 21. Sed quis explicabit quid hoc sit cruciari in sæcula sæculorum? Considera tot annorum millia, quot sunt momenta in tempore â creatione mundi; quot guttæ in mari, quot arenæ in ejus littore, quot in arboribus folia, quot in hominum capitibus pili, quot in cœlo stellæ; nihil hactenus numerando profecisti, plus enim restat quam numeraris, & æternitatis nec principium quidem hactenus attigisti. Hinc rogat Esaias 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?*

Refert Venerabilis Beda *Hist. Angl. l.* 3. *c.* 13. B. Fursæum natione Hibernum, Peronensium in Picardia Divum tutelarem, semel in mentis raptu horrendos inferni cruciatus aspexisse. Ex hoc brevi infernalium pœnarum cognitione ita deinceps afficiebatur, ut etiam in rigida hyeme simplici tectus vestitu ex earum recordatione statim ex toto ejus corpore guttatim sudor efflueret. Si tantam vim habet gehennæ absentis recordatio, quid faciet præsentis perpessio.

Idem Beda in *Hist. Anglic.* narrat, senem quemdam vitæ restitutum in eremum concessisse, ubi supra humanas vires austeram & religiosam vitam duxit: increpabant eum vicini quod se enecaret: quibus ille in lachrymas solutus: O utinam vobis datum esset videre quæ ego vidi! certo certius affirmo, has pœnas nihil esse ad æternas illas, quas vidi. Alia exempla in Appar. V. *Infernus.*

In vita S. Patricii refertur, quomodo Deus voluerit hominibus quandam infernalium pœnarum speciem exhibere, quando S. Patricio orante ingens terræ Antrum cum novem in eo foveis apertum est, in quas si quis pœnitentiæ causâ intrabat, horrenda dæmonum spectra, & ignis, & aquæ, & varii generis tormenta occurrebant; ideoque locus ille in boreali Hiberniæ plaga purgatorium S. Patricii

ab incolis nuncupatur. Idem tradit Gir. Cambrensis *in Topographia Hiber. dist. 2. Salteriensis*, & Dionys. Carthus. *de 4. Noviss. p. 3. a. 14.*

Gloria cœlestis.

S. Stephanus *vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*: & hac cœlesti visione quantumvis exiguâ ita recreatus est, ut nec lapides, nec persequentium furorem, nec mortem ipsam formidaret.

De magnitudine hujus gloriæ Exemplum insigne refertur *in Specul. Exempl. p. 115.* de monacho quodam viro admodum pio & religioso, qui cum manè simul cum aliis ejusdem Monasterii matutinis precibus interesset, & casu in hunc Scripturæ locum incidisset, *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit*: cœpit secum cogitare, qui id fieri posset, & in ea cogitatione reliquis ex choro digressis perstitit aliquamdiu, petivitque sibi illum versum à Deo revelari. Et ecce, continuò pulcherrima Avis ante oculos ejus volat, & avolat; ille insequitur etiam extra templum in nemus aliquod amplum & spatiosum haud procul à Cœnobio; illic avicula subsistens, adeo suavi ac cœlesti modulatione Monachum extra se raptum detinuit, ut ad trecentos annos, sine cibo, sine potu illi suavitati affixus permanserit, donec tandem avis avolans illum dimisit. Ille Monasterium repetit existimans per duas tresve horas ab eo se abfuisse, pulsat januam, accurrit janitor, petit quis homo sit, & quid velit. Sum, inquit, hujus cœnobii Sacrista, qui eo hodie post preces matutinas sum egressus. Janitor insanum aut delirum putans, petit ab eo nomina Fratrum; ille singulorum nomina ordine profert & mirans se non admitti, petivit adduci ad Abbatem, quo deductus, nec ille Abbatem, nec Abbas illum noverat: interrogat itaque Abbatem de prædecessoribus aliisque, qui deprehensi sunt à trecentis annis ibi vixisse, atque ita tandem totum mysterium evolutum fuit. Quod si una tantum cœlestis aulæ avicula, ita hominem veluti extra se rapere potuerit, quantum in cœlo gaudium conciliabunt tot cœlestium spirituum voces, ac ipsius Christi, Deiparæ Virginis, & omnium Sanctorum societas perpetua: Si una gutta tantùm deliciarum contineat, quid erit repleri ubertate domus Dei, & torrente voluptatis potari.

Hujus doctrinæ documentum simul & exemplum in se præbuit Thomas Morus Angliæ Cancellarius. Cum enim Religionis causâ à Rege in vinculis detineretur, uxor ejus nomine Aloysia multis precibus eum solicitare cæpit, ut serviret tempori, & Regis voluntati se accommodaret, neque oblatas opes ac honores repudiaret. Interrogat illam Morus, mea Aloysia, dic amabo quot annis

bonis

bonis illis quæ commemoras fruemur? Respondit illa, viginti annis, si Deo ita visum fuerit. Abi, inquit, stulta mercatrix, tu me vis cum caduca viginti annorum fortuna æternam gloriam & fælicitatem commutare? Si viginti annorum millia diceres, aliquid tu quidem dixisses, quid tamen hoc esset cum æternitate collatum? Pereant omnia vitæ bona, & vita ipsa potius, quam ego tanto periculo vitam in cœlo perpetuò duraturam exponam. Et ut dixit sapienter, ita egit fortiter, ac pro Ecclesiæ Romanæ defensione caput securi, gloriæ æternæ securus objecit. *Sander, de Schism. Angl. l.* 1.

In variis etiam Sanctis Deus gloriæ cœlestis aliquod initium in hac vita ostendit.

S. Paulus Apostolus adhuc vivens raptus est in tertium cœlum, & ibi audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.

In morte S. Francisci unus Fratrum vidit illius sanctissimam Animam in specie Stellæ splendidissimæ ex illius ore emicare, & cum ingenti gloria in cœlum ascendere. Nec mirum; inquit S. Bonaventura, illum cum Christo figuram stellæ præ se tulisse, qui etiam in hac vita stigmata Christi portavit. *In vita S. Francisci.*

In funere S. Patricii Hiberniæ Apostoli exequias celebravit Angelorum chorus, qui cœlesti luce, suavissimo concentu, & odoris fragrantiâ præsentium oculos, aures, atque animos miro modo recreavit. Quinimò totis duodecim diebus quibus corpus inhumatum permansit, exequiarum locus & regio vicina sine noctis vicissitudine continuâ luce collustrata fuere; ut in *ipsius Vita* traditur. Plura vide in Apparatu, V. *Beatitudo.*

Cœlestis gloria ac beatitudinis nostra prima radix & origo est Doctrina Christiana, quam hactenus elucidamus. Hac enim est per quam Deum ut Creatorem, ac remuneratorem nostrum firmissima fide agnoscimus, & agnoscendo in eum speramus, sperando diligimus, diligendo veneramur: & ad promovendam præsentem ejus futuramque gloriam Iustitia Christiana officia exercemus. Hac est lucidissima illa Cynosura, qua nos in ancipiti hujus vita curriculo inter adversa & prospera perpetuò moderatur, ne à recto salutis æterna cursu deflectamus. Hac denique est qua in ipsis vinculis, carceribus, exiliis, bonorum, vitaque periculis, invictos Christiana militia pugiles virtute roborat, patientiâ munit, Constantiâ obarmat. Non enim coronabitur, nisi qui constanter & usque ad finem legitimè certaverit.

Ad hanc Constantiam ne desint posteris præclara suorum Majorum exempla, præsertim in Catholico Hiberniæ Regno, illa hoc loco, post hanc doctrinæ Christianæ elucidationem, opportunè subjiciemus.

EX.

EXEMPLA CONSTANTIÆ,

Inter perpetuas pro fide Persecutiones: præsertim in Catholico Hiberniæ Regno per 12. sæcula.

ECclesiam Christi non immeritò Majores nostri à sui exordio Militantem dixerunt. Hic constanter in acie standum, hic militandum, hic adversus Fidei hostes semper dimicandum fuit. Habet verò hæc Militia id præ cæteris illustre, quod non minus ad Victoriam conferat magna agere, quam multa pati: neque magis gloriosum sit pro Christo in causa Fidei alienum sanguinem, quam proprium fudisse. In hac patiendi nobili palæstra suis constanter præire Dux ipse supremus & voluit, & debuit: *Oportuit* enim *Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Purpureum hoc Ducis vexillum firmo pede contra omnes Tyrannorum minas secuti sunt Apostoli omnes, & ab Ecclesiæ exordio tot Martyrum myriades. Hoc quoque ævo Europam qua patet circumspice universam. Quot in Belgio, aliisque Regnis Christianæ Constantiæ illustres victimæ cecidere? In una Anglia sub uno Henrico 8. quindecim Superiores Regularium constantiam suam pro sustinenda Pontificis authoritate suo sanguine consignarunt: Religiosi alii ad cæterorum terrorem supra quinquaginta fame, pædore carcerum, ac suspendio sublati, ac pœnè totidem Sacerdotes singulari eruditione ac constantia illustres, præter duo Regni ac orbis lumina Joannem Fisherum Episcopum Roffensem, & Thomam Morum Regni Cancellarium, qui pro tuenda fide Romana colla securi intrepidè subjecerunt.

In hoc quoque Constantiæ Theatrum suo jure non postrema prodeat tandem Hibernia, non unius tantum ævi curriculo; sed per duodecim pœne sæcula cum Fidei hostibus, cum Hæresi, cum omnibus Tartari machinis & injuriis, non indecoro Marte conflictata.

Ingentia quidem sunt Miracula, quibus S. Patricius universam Hiberniæ Insulam pariter cum Fidei lumine ab initio collustravit. Verùm illius nullum existimo magis stupendum fuisse prodigium, quam quod in illa Gente quam à principio nactus est mobilem, & ad vagos Gentilium errores maximè proclivem, Fidei radices tam altè infixerit, fundamenta Religionis Romanæ tam validè firmaverit, ut

contra insurgentes omni ævo procellas per annos mille ducentos ad hunc usque diem, firmam immotamque præstiterit. Sapientis scilicet atque excellentis Architecti præcipua laus est, non ædificium exstruere peregrino marmore opulentum, non magnificâ fronte superbum, non dedictis auro laquearibus illustre, sed firmis potius subnixum fundamentis contra omnes temporum injurias, casusque ventuos, sartum tectum illæsumque constituere. Hæc tua laus est, magne Patrici, hæc dos primæva est, quam à te pridem accepit tanto parente ter felix Hibernia: cujus in ea dote conservanda in hodiernum usque diem Constantiam admirandam, mihi brevi tantum compendio exponendam proposui.

Annis â fundata per S. Patritium Hiberniæ Ecclesia, quadringentis, quantis ea fuerit incrementis provecta, quantis pietatis, ac doctrinæ ornamentis illustrata infinitum foret enarrare. Si *Pietatem* spectes, terram pridem incultam & horridam, eo tempore hortum cœlestium deliciarum, & terrestrem Paradisum non immeritò nuncupares. Quod ne à me liberali nimis elogio pronunciatum videatur, testem appello *A* * Jocelinum antiquitatis studio illustrem. Intra (inquit) breve temporis spatium nulla eremus, nullus pœne " terræ angulus, aut locus in Insula tam remotus fuit, qui perfectis " Monachis aut Monialibus non repleretur: ità ut Hibernia speciali " nomine Insula Sanctorum ubique terrarum jure nominaretur. Ut- " que plures in eandem sententiam brevitatis studio prætermittam, instar omnium erit irrefragabile S. Bernardi testimonium *in vita S. Malachiæ*. *Verè*, inquit, *Sanctus locus, fœcundusque Sanctorum, nec modò in præfatas, sed in externas etiam nationes, quasi inundatione facta, illa se Sanctorum examina effuderunt.* Quot ex hoc numero in Europam universam pietatis propagandæ studio æstuantes sese effuderunt † *b* Columbani, quot in Galliam Fiacrii, ac Malachiæ, quot in Germaniam Kiliani, quot in Belgium Auberti, Levini, Rumoldi? Adeo ut quidquid isto ævo Roma armis ac Religione, hæc extrema Europæ Insula Sanctitatis ardore ac studio replevisse videatur.

Quanta verò fuerit cum hac Sanctitatis laude conjuncta *Doctrinæ* excellentia, cum aliis pluribus testem sese offert antiquissimus Beda, natione Anglus, non magis pietatis quam sinceritatis studio Venerabilis: * *c* Qui apertè asserit, è gente Anglorum plurimos etiam Nobilium relictâ suâ Patriâ divinæ lectionis studio solitos esse in Hiberniam commigrare: † *d* qui & duos Angliæ Reges, Osvaldum & Osvinum apud Hibernos optimis disciplinis imbutos ac institutos esse

A * *Iocel. p. 173. in Vita.* † *b Lomb. p. 212.* * *c Lib. 3. cap. 27.* † *d Lomb. p. 103. in Brit. p. 730.*

esse commemorat. Quin & ipse Camdemus ex eadem gente, licet heterodoxus affirmat, ea ætate Anglosaxones in Hiberniam tanquam ad bonarum litterarum mercaturam magno studio confluxisse. In Gallias quoque ex hoc communi artium omnium Emporio integros sacrorum Philosophorum greges enavigasse testatur Altissiodorensis è Francorum gente author amplissimus. Ex hoc denique fœcundissimo scientiarum Lycæo prodiisse per Europam celeberrimarum Universitatum, uti Parisiensis in Gallia, Papiensis in Italia, primos fundatores declarat disertè * *e* S. Antoninus aliique complures. Adeo ut ab accepta per Patricium fidei luce, verè possis exclamare ô Hibernia! *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætata sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista,* Sapientia, *quam sine fictione didici, &* *sine invidia communicavi.*

Invidit tamen hostis tartareus Hiberniæ hanc sanctitatis ac sapientiæ gloriam, quam ne pariter cum fide ad seram posteritatem transmitteret, impia exterorum arma in hoc dicatum pietati domicilium summo impetu concitavit. Eo fortè Divinæ Providentiæ id permittentis consilio, ut gens illa, quæ tot sæculis pietatis ac litteraturæ eadem deinceps Christianæ constantiæ documenta orbi præberet.

Anno siquidem reparatæ salutis octingentesimo, juncti Dani Nortmanni armata classe † *f* Hiberniam ingressi, infestissima utrimque bella suscitarunt, vario eventu per annos pœnè ducentos continuata. Quo tempore vix ulla evasit urbs aut oppidum, vix ulla celebrioris notæ Ecclesia, quam Paganorum impietas, & in gentem Christo fidelem pertinax odium non everterit; adeo ut commemoret D. Bernardus, in Cœnobium Benchorense elatos simul una die nongentos à piratis impiè occisos. His Hibernicæ Ecclesiæ cladibus tam diuturnis successit Procerum tam inter se, quam deinceps cum vicinis Regibus, Hiberniæ dominium affectantibus perpetua pœne dimicatio, quæ nondum obductas priorum temporum cicatrices acerbiori semper vulnere cruentavit. Inter has sibi succedentes temporum injurias, & concatenatas Gentis universæ calamitates, non parum deformata sunt primæva illa Hibernicæ Ecclesiæ ornamenta; abactæ Musæ, suppressa sanctitas, eversa olim florentissima priscæ pietatis monumenta. Mansere tamen, quod mirêre, omni ævo inconcussa à Patricio primum jacta fidei Catholicæ fundamenta. Non defuêre unquam in tot exterorum assultibus domestici Athlantes, qui hujus Ecclesiæ ruinam suis humeris sustinerent. * *g* Non cessavit in populo tot sæculorum cladibus & injuris

* *e Lombar. p. 239. Sap. 7.* † *f Colgan. tom. 1. in praf.*
* *g Bosius l. 8. c. 8.*

juniis effetatō cultus veræ fidei, sacrificium, hostia, libatio. Non exulavit priscorum temporum imitatrix pietas, ac religio, quamvis ad latebras, ad sylvas, ad speluncas toties relata; splenduit illa in latebris, floruit in sylvis, & è speluncis ipsis orbi Christiano latiùs inclaruit.

Volvitur demum ferreum & ferale sæculum, quo suam inertiam & Hiberniæ constantiam indignatus Princeps tenebrarum, toto Acheronte contra hanc Gentem classicum insonuit, stygias phalanges armavit, bella, horrida bella toto furore, viribus totis adornavit. Infremuit enim graviterque indoluit tot Gentium spoliis inflatus Lucifer, post expugnatam & à fidei constantia abductam universam Græciam post eversam Luthero Duce Germaniam, post concussam Calvini fraudibus Galliam, post oppressam tartareo jugo Angliam, Daniam, Sveciam, Hollandiam: infractam adhuc, & suis viribus imperviam stare, & de Erebo triumphare Hiberniæ Constantiam. Concipit igitur in hujus Gentis exitium dignas Lucifero iras & odia, telumque machinatur non unum, non leve, non vulgare, immittit in æthereas auras multiplices orci phalanges, quæ gemina libidinis, & impietatis face regium Henrici VIII. pectus in flammas agant. Neque verò segniter exarsit non tam Henricus quàm infausta Hæresis, quæ Regis animum incautè occupavit. Pervasit illa Angliam, involvit Scotiam, prostravit Walliam, involvendam quoque communi incendio non dubitabis Hiberniam, si nescias quantas habeat vires vera fides, & armata fidei constantia: hæc in periculis intrepida, in suppliciis immota, atque inter ipsas secures sui secura consistit.

Ad hanc cautem marpesiam ubi tandem advertit Henricus sisti suum impetum, frangi furorem, ab inermi gente armata edicta repudiari, tum demum velut adversus gentem sibi inimicam in novas iras assurgit, & parem iracundiæ suæ vindictam meditatur.

Conspexere Hiberni, firmiores fidei Romanæ pugiles undique ad cædem & supplicia sub Henrico designari; nihil hinc de fide in Deum, nihil de fidelitate in Regem remisere: trahuntur intereà in vincula religionis causâ innocentes subditi, eriguntur feralia pegmata, cervices crudeli ferro indies subjiciuntur. At horum fides ex aliorum morte vivacior non dubitat lictorem, ferrum, supplicia intrepidâ cervice expectare, ac si vitam amittere nequirent, quamdiu fidem vitâ ipsa chariorem retinerent.

Utque luculentius scirent universi, Hæresi Regio ferro armatæ nihil esse sanctum, nihil inaccessum, nō dubitavit exemplum in ingens duos ex ipso † *h* Cardinalium Collegio publico supplicio afficere, & venerandam purpuram nobiliori murice cruentare. Duces, Marchiones, Comites, Comitumq; filios, plusquam duodecim tremendo orbi

† *h Sander. lib.* 1. *fol.* 421.

spe-

spectaculo securi subjecit : & inter hos ex hibernis illustrissimum Kildariæ Comitem Thomam Fitsgarrettum, simul cum quinque avunculis uno die ad totius Insulæ terrorem infami supplicio interemit. E Baronum, Equitumque numero supra octodecim capita demessuit. Abbates, & Priores Cœnobiorum tredecim, Presbyteros ac Religiosos septuaginta septem bonis pariter ac vita exuit. In reliquam nobilitatem, ac plebem Catholicam ebria jam cruore hæresis tam latè ferro grassata est, ut, teste qui tunc vixit Sandero, numerum omnem, fidemque superaverit.

Nonne tandem tremere inter hæc Hibernia! nonne fluctuare, nonne fortunæ, soboli, vitæ, aliorum more consulere? Tremeret sanè, meritòque ad hæc fluctuaret Hibernia, nisi à Patricio tanquam cœlesti Apolline in negotio fidei altiùs firmata, inter trepidantes Insulas dudum numerari desiisset.

Sed hæc initia tantùm sunt dolorum ô Hibernia! quantò tu firmiùs in fide persistis, tantò tibi diuturniora prælia Hæresis indicit. Mors quidem Henricum è vivis, sed non Hæresim eripuit. Hæc velut hæreditario jure pariter cum corona ad Elizabetham translata, per totos quadraginta annos parem tibi servitutem, parem calamitatum iliadem exhibebit. At tu malis pro fide tolerandis assueta, et adverso ostendes, neque malorum numero, neque diuturnitate temporum, innatam tibi constantiam frangi posse aut labefactari.

Post tot exhibitas orbi tragœdias parum sibi profecisse visa est vesana Hæresis, ut liberius fureret, exemplo hactenus inviso, fœmineo vertici cum regia corona Pontificis quoque tiaram imponit, ut supremo utriusque potestatis apice formidanda, gemino velut fulmine Sacra omnia ac profana misceret. Pergit igitur hæc dominante Elizabetha majori quam cœperat impetu ac furore Templa olim avità majorum pietate erecta toto Hiberniæ regno Catholicis eripere, Cœnobia omnia pro sua libidine in usus profanos convertere; residua Ecclesiarum bona in novos impietatis ministros transscribere; Regni Antistites, Presbyteros, homines Deo dicatos in latebras, in exilia, in vincula adigere. Hæc ut violentius exequeretur, novo Decreto armatur publicâ Comitiorum authoritate roborato, quo omnibus Missæ Sacrificium, aut Sacramentum aliquod Romano more administrantibus indicitur, ut primâ vice ducentos aureos aut sex mensium vincula incurrant: secundâ quadringentis aureis aut unius anni carceribus adstringantur: tertiâ demum vice ut perpetuo ergastulo addicti, omnibus patriæ fortunæ bonis exuantur. Hæc prima Decretorum fulmina in extremum Religionis exitium toto regno evibrata, Clerum undique tam sæcularem quam regularem vel in

in extremas domi angustias, vel in vaga per Europam exilia adegerũt.

Sed ne quid rei Catholicæ integrum illæsumque permaneret, non leviora in laicos reliquamque gentem tela detorquentur. Quorum ut plurima prætercam: id omnibus in commune indicitur, ut si qui ex universo regno, etiam de plebe infima, festivis diebus à Novatorum templis abessent, toties in pœnam, plebæis cervicibus gravem, asses duodecim in singula familiæ capita persolverent: ut tandem lento hoc supplicii genere consumptis vivendi mediis, aut vitam ipsam, aut fidem prodigerent. Hæc sanè tortura populo inopi, totque antea malis exhausto quavis catasta aut equuleo gravior apparere potuit. Verùm ad labefactandam Hibernicæ plebis constantiam tam parum invaluit, ut inventi sint non pauci, qui omni ære ac peculio hac ratione pœne consumpto, quod reliquum erat in Exactorum manus ultro obtulere, rati servato tantum Fidei thesauro, se satis fore in paupertie divites, in mendicitate opulentos.

Quoniam ergo his artibus lentum videbatur in externas facultates & corpora grassari, compedes deniq; & catastas multò graviores excogitavit impia Hæresis, quibus animas ipsas constringeret, & conscientiæ soli Deo subditæ vim inferret. Hujusmodi fuit novum juramenti genus, quo necesse foret profiteri Reginam esse supremam gubernatricem omniũ suorum Regnorum, non minus in rebus spiritualibus atque Ecclesiasticis, quam temporalibus & politicis, abjuratâ penitus omni potestate ac jurisdictione Pontificia. Qui juramentum hoc præstare recusarent, statutum fuit in prima vice bona eorum omnia fisco cederent, secundâ pœnâ capitis perduellionũ more incurrerent. Hæc violenta animarum carnificina quanto apertius intima veræ fidei penetralia impetebat, tanto constantius ab universa gente, spretis tot pœnarũ terroribus omni tempore rejecta ac repudiata fuit.

Quis mihi nunc calamus describet pro tuenda in fide constantia ea tempestate quot Sacri Pugiles in arenam prodiere, quot vincula decorarunt, quot carceres nobilitarunt, quot regna exiliis, quot tribunalia dirissimis quæstionibus ac suppliciis impleverunt. Ut prætercam è media plebe innumeros partim ferro, partim exiliis tot annorum circulo miserè confectos. Inter supremos Ecclesiæ Hibernicæ Antistites recensere possim primò Archiepiscopos omnino quinque, ex Archiepiscopatu Armacano duos Regni Primates Creaghium, & Gauranum: ex Cassellensi Hurleum & Gibbonum: ex Tuamensi Nicolaum Skerettum: quorum omnium acta eximia, & admiranda constantiæ exempla, nisi brevitati studerem, promptum esset palam orbi Christiano exhibere. Ex Episcoporum numero reperio non pauciores quam tredecim non minus tiara quam virtute conspicuos, qui variis suppliciis & ærumnis pro conservanda ortho-

doxæ fidei integritate vitam ultrò posuere. Ex aliis Prælatis, Presbyteris, ac Religiosis, præter alios mihi ignotos, monumentis consignatos reperio sex supra triginta, qui eadem causâ non dispari exitu vitam pro fide oppignorarunt. Infinitum foret hic ad calculos revocare ex primariis Hiberniæ familiis illustres fidei heroës, quos innata in Religione constantia & persequentium furor in exitium adduxit, quorum aliqui cum tota progenie in perpetuum proscripti, non dubitarunt Religionis veræ causâ in interitum ruere voluntarium.

Post hanc malorum iliadem & continuam per annos quadraginta & quod excurrit bonorum, animorumque in fidei causa torturam, cum Elizabetha è vivis abeunte nondum clauditur feralis Hiberniæ tragœdia. Sub Jacobo, novo Rege, nova calamitatum scena aperitur, quæ Gentem tot malis confectam & pænè exanguem in novum constantiæ theatrum adducet. Spargit primò insana Hæresis per universum regnum avidos prædæ satellites recentibus edictis armatos, qui confractæ gentis reliquias novis rapinis, ac tributis exhauriant. Introducit deindè inextricabiles quæstiones de Religione Romana, † *i* ejusque in singulis pœnè articulis exercitio, de avitis Catholicorum possessionibus ad severum examen revocandis, de fundis, & lætifundiis partim gravandis, partim ad alios Dominos transferendis, de novo Reip. statu constituendo, de novis Anglorum coloniis introducendis, de novis ministris instituendis ac dotandis, de novo titulorum ac hæreditatum jure faciendo, quo facilius possent veteres coloni de avita possessione deturbari. At frustra sævit in electum Christi gregem vesana Hæresis; non frangitur, non flectitur, non labefactatur fida Deo, fida Regi Hibernia; sed Pastoris sui vocem secuta, tanquam ovis ad occisionem ducta, coram tondente se, ac laniante obmutescit. Conspirent in hanc unam omnes Erebi phalanges, non cedet: mille opprimant injuriis, non succumbet: omnia majorum decora ac monumenta posteritati eripiant, hanc illa fortunam quamtumvis diram ac luctuosam non repugnando, sed patiendo superabit. Non recusat illa & corpus, & omnia corporis subsidia secari, dividi, lacerari, modò Caput, hoc est, Regis sui coronam, aut Pontificis tiaram non attingas, his solum protegendis vitam atque arma consecravit.

Hic ego præteritorum temporum Annales & memoriam ultimam appello, si ulla unquam Europæ Regio tanta malorum serie Religionis causâ exagitata, contra omnes hominum dæmonumque injurias, tot annorum lustris, constantiâ tam infractâ, atque incorruptâ, in avita fide permanserit. Græciam concussit Ottomannus & dudum cecidit illa tam nobilis, totque fulta præsidiis Orientis Eccle-

† *i Philad. pag.* 1. *art.* 5.

Ecclesia. Germaniam invasit Lutherus privato potius furore quam publico terrore armatus, & ecce quot regna, quot provinciæ nobilissimæ exiguo temporis spatio Religionis avitæ ruinã sustinuere. Centum jam & amplius annis sine alternâ requie, cum armata furiis hæresi, cum carceribus, cum exiliis, cum stricto lictoris mucrone, sola inops, inermis, exhausta decertat Hibernia: & adhuc laceratis undique fortunis, integra tantum fide in Deum & fidelitate in Principem, in arena & agone persistit. Jactent alia regna opes & potentiam, strata classibus maria, subactos latè populos, advectas ab extremo oriente gazas, Tibi autem, ter beata Sanctorum Insula, absit gloriari nisi in cruce Domini tui; in servitute, in jugo, in pauperie pro Christi Fide constanter tolerata: hisce tu saltem titulis & insignibus decorata, in Catholicorum regnorum Fastis primas non immeritò obtinebis.

Piget fortasse hactenus tristes rerum imagines, & continuas unius regni tempestates sine alterno benignioris syderis aspectu vestris oculis animisque repræsentari. Verum, non est cur pigeat nos dicendo pergere, quamdiu non tædet Hiberniam patiendo perseverare. Vocat nos demum ultima, ac pœne fatalis tragœdiæ hujus catastrophe, in qua non tantum acerba temporum anteriorum vulnera, sed ipsius pœne Sanctorum Insulæ interitum spectare cogemur, si tamen interire dicenda est quamdiu vivit fides, spirat pietas, & securæ vitæ melioris constantia in ipso quasi funere efflorescit.

Postquam igitur Hæresis, nullis umquam cladibus, nullo sanguine saturata, in hæc remotiora regni Anglicani membra, per tot annorum lustra impunè desæviit, non dubitavit demum insolenti facinore in ipsum regni Caput violentas manus injicere: illud, inquam caput truculento ferro præcidere, quod ipsa pridem in Ecclesiæ Anglicanæ caput evexit. Atque ita hæresis eadem uti facinoris hujus auctrix, ita ultrix fuit, dum ausa est uno ictu regni pariter ac religionis suæ caput amputare. Spectavit inulta domesticum scelus ipsa Anglia & cæteri Europæ Principes potentissimi. Non tulit tamen ab ipso exordio illatas Regi suo injurias, uti fide in Deum, ita fidelitate in Regem assueta Hibernia. Erexit se quamvis oppressa, armavit se quamvis hactenus inermis; & præpotentes Anglicani Parlamenti copias in se ultrò concitavit. Ante omnia pro Fidei tutela ac defensione Catholicum Concilium Procerum ac Prælatorum sibi præfecit, qui Regis, licet eo tempore exulis & absentis, nomine regni habenas, & arma administrarent, quoque se, suamque causam Deo, ejusq; in terris Vicario arctius adstringeret, Nuncium Apostolicum à Romana Sede petiit, & impetravit. Neque ex alia parte destitit missis continuò Delegatis Regis sui adventum solicitare, donec tandem Rex

alium qui Catholicis armis præesset suo nomine submisit. Quamvis hinc non ignoraret Hibernia hostes regio nomini infestissimos in suum exitium iras omnes & arma conversuros. Favit quoque ab initio sinceris Hiberniæ conatibus divina clementia, ac fælicibus auspiciis totum pœne regnum Catholicis armis, suique Regis obsequio subjecit. Faustis hisce progressibus, ac lucido Fidei pœnè triumphantis intervallo inefrata iterum † *k* Hæresis, odiis plusquam furialibus omnia domi forisque miscere, turbare, agitare aggreditur, ne Gentem tanto tempore suæ tyrannidi subjectam, in novam fidei libertatem assurgere patiatur.

Cromvvellum igitur ævi sui portentum, ejusque copias Regis sui cæde infames, ad Religionis ac regii nominis interitum in Hiberniam latè effundit: qui omnibus toto regno edicit, ut qui se, suaque servata volunt, relicto tantum Rege ac Religione Romana, Parlamenti Anglicani Leges ac Jura recipiant. His sine mora constanti fide repudiatis, ac demùm post varios casus regni viribus qua vi, qua dolo miserè laceratis, quæ quantaque pro Rege ac Religione Civitates singulæ sustinuerint, ad perpetuum constantiæ exemplum deinceps spectabimus.

Cæsis non ita pridem ad Dublinum Catholicorum copiis, Urbi Pontanensi, quæ à Septentrione Dublino adjacet, hostilia castra admoventur: hæc quamvis externo auxilio destituta, contra perpetuos victricum copiarum assultus tam fortiter stetit ac dimicavit, quam si ex suo lapsu totius patriæ ruinam formidaret. Donec tandem hostium numero magis quàm virtute superata, vitam pacisci coacta fuit. Sed & hanc innata hæresi perfidia promiscuâ cæde innocentibus ademit; extractis quoque è latebris ac publico supplicio affectis quos pro Rege ac Religione fortius stetisse constabat. Inter quos * *l* P. Joannes Batthæus è Societate Jesu, cum fratre Sacerdote ad stipites alligati, & plumbeis glandibus trajecti, nobiles fidei victimæ occubuerunt.

Hoc rerum successu ad novas cædes incitata hostium crudelitas, pari furore atque impetu Wexfordiam aggreditur, Urbem maritimam, avitæ fidei, & authoritatis regiæ omni ævo tenacissimâ. Hæc ut erat insigni civium robore, & natura loci munitissima, prius se hostium dolo captam vidit, quam capiendam formidavit. Irruunt denso agmine hostiles copiæ, obvios quosque prosternunt, ac præ cæteris sacratos Deo homines ad necem deposcunt. Inter hos ex sacra S. Francisci familia septem omnino innocentes victimæ cecidere, tam intrepidâ omnium ordinum in aperta fidei professione constantiâ, ut etiam ex imbelli sexu ultro accurrerint Sacræ Deo Virgines, quæ se numero cæsorum adjiciendas obtulere. Neque

† *k Anno* 1648. 2. *Aug.* * *l Annua Soc.* 1650.

Neque tamen hæc immania crudelitatis exempla cæteras Hiberniæ Urbes permovere potuerunt, ut cum minima Religionis aut regiæ authoritatis jactura, pro se suisque fortunis cum hæretico hoste pacifcerentur. Eodem quippe hostium furore, eodemque civium constantia occupatur *Rossia*, expugnatur *Waterfordia*, frustra civibus oblatâ rerum omnium præterquam Missæ, libertate; ac demum post geminam obsidionem opprimitur magis quam prosternitur *Clonmelia*, quam hostes ipsi ab admiranda fidei firmitate, parvam Romam nuncupavere.

Stabat hactenus inter vicinarum urbium ruinas fida semper Deo, fida semper Regi *Kilkenia*, quæ olim Regni Delitiæ, & Musarum Athenæ, ea verò tempestate Catholici Concilii sedes nobilissima fuit. Hanc velut amputatis membris exanguem, & undique desertam, impius hostis totis viribus sibi tandem oppugnandam suscepit, ut quam non poterat stantem, saltem languentem opprimeret; oblatâ sæpius conditione, ut si in Parlamenti Anglicani fidem se daret, eadem cum *Londino* immunitate gauderet. Maluit tamen illa cum populo Dei affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Incensis itaque, ne ab hoste occuparentur, propriis suburbiis, non tantum violentam obsidionem, sed etiam supremum totiùs exercitus assultum intrepida sustinuit. Donec tandem ruentis patriæ casum secuta, cum suo Antistite Davide Rotho, in hostis potestatem redacta est: à quo deinceps, itâ in longum protractâ, eam subiit pro Fide ac Rege bonorum jacturam, ac primariæ nobilitatis lentam carnificinam, quam & animus meminisse, & manus exarare perhorrescit.

Unum tamen multis testibus eo tempore gestum, non est cur tacitus prætereaam. Stabat tunc, & stat etiamnum Kilkeniæ, in splendido urbis foro moles lapidea ac magnifica, eleganti opere per modum obelisci in sublimè assurgens: huic innituntur quatuor excelsæ columnæ, quæ supremam totius operis partem sustentant: ad has à quatuor partibus per lapideos gradus in altum ascenditur. Supra hanc molem ad publicam venerationem lapidea Crucifixi imago in suprema cuspide eminebat, quam in illum diem nullus hæreticorum furor deformare, aut violare ausus fuit. At verò post urbem à Cromvvelliano milite occupatam, convenere ex illis in forum aliquot impietatis antesignani sclopis armati, ac directis in illam Crucifixi statuam crebris ictibus, ut impietati triumphum canerent, nobile illud Crucis trophæum sibi demoliendum susceperunt, quod & pertinaci tandem rabie perfectum fuit. Sed ecce, hujus impietatis artifices Deo vindice, pede non claudo pœna secuta est. Sic enim omnes divina ultio, & occultus languor invasit, & miserandum in modum afflixit, ut

eorum nullus intra paucos dies superstes fuerit. Hoc ego ex publico & recenti eo tempore testimonio, & ex viris fide dignis, qui eo loco tunc degebant, & ex Annuis in Urbem litteris compertum habeo.

Sed ad te nunc propero nobilis *Corcagia*, in hoc constantiæ theatro cum Fidei hostibus non indecorè decertantem. Urbs hæc per Momoniæ Præsidem sine belli strepitu astu occupata, graviora bellis pro Deo ac Rege certamina sustinuit. Gener namque Præsidis urbi præfectus, ac nulli Catholico fidendum ratus, publico edicto omnibus palam indicit, aut Romanam fidem, aut urbem, ante vesperum esse deserendam: atque in communis fugæ signum ternam bellici tormenti explosionem instituit. Spectaculum urbi miserandum, sed orbi admirandum, ac cœlo gloriosum! Ante tertium tormenti signum, cives omnes, matres cum infantibus, ac graves ætate Senatores cum universa familia in campos effusi, in exilium abiere voluntarium, avitam religionem avitis opibus ac laribus præferentes, manè opulenti, vesperi rerum omnium, præterquam fidei ac fiduciæ in Deum, penitus egeni.

Post tantos vicinarum urbium terrores, nonne aliquid de sua erga Regem ac Religionem observantia remittet *Limericum*, Urbs amplissima, sed omni spe auxilii jam penitus interclusa. Spem quidem illa, in communi patriæ ruina, abjicere potuit, sed fidem non potuit: ut hanc vel ipsâ morte tueretur, hostem intrepida expectavit, diuturnam obsidionem undique deserta sustinuit, & ad extremum cum plurimorum civium, sui Antistitis, ac fortunarum omnium interitu, constantiæ suæ ac fidei famam ad posteros transmisit, immortalem.

Cadente undique patria stabat adhuc in armis *Vltonia*, quam ne dubitares sacro bello manus consecrasse, Episcopum sibi Chlocherensem in supremum armorum Ducem elegit. Hunc pro Deo ac Rege strenuè dimicantem, Carolus Cootus, suâ in Catholicos sævitiâ sat notus, infami tandem astu circumvenit; captumque cum plurimis proceribus, cum fide non posset, vitâ spoliavit.

Deletis copiis, & subactis passim urbibus, sola supererat *Galvia*, ad deditionem ab hoste sæpè solicitata; Sed hæc etiam sola, suorum civium eximia fide ac virtute suffulta, non dubitavit ad annum penè integrum contra ferocissimum hostem totius belli molem sustinere: maluitque demum suo interitu occidenti patriæ parentare, quam cum minima perfidiæ nota se suorumque fortunas à communi exitio conservare.

Quæ mihi nunc manus, quæ lingua exponet vel tenuem umbram illarum calamitatum, quas captarum urbium ac provinciarum in-

colæ à juratis fidei hoſtibus deinceps ſubierunt : dum propriis ſedibus undique expulſi, alii ad diriſſimas quæſtiones & lanienam quæſiti, alii ad longinquas regiones in exilium deportati , alii ad ſteriles Conatiæ ſcopulos compulſi , graviores ipſa morte preſſuras ſuſtinuerunt. Quæ omnia ſi ad calculum hic revocare prolixum non foret, liquidò conſtaret , plusquam centum Catholicorum millia in Romani nominis odium, vita, hæreditate, aut patriâ ſpoliata fuiſſe. Quodque obſtupeſcat ſera poſteritas , ad redimendum tantas tamque diuturnas calamitates , vix in toto Regno inventi ſunt etiam ex infirma plebe , qui in animum induxerint ſuum , deſertâ aut etiam diſſimulata fide , hæreſi manus dare.

Eſt ſanè (inquies) cur Genti fideliſſimæ orbis Chriſtianus meritò gratuletur : Nunc præſertim , poſtquam Cromvvelli impietas ſuum curſum conſummavit , Hibernia fidem ſervavit, repoſita eſt Carolo Regi debita juſtitiæ corona. Rectè id quidem ; At ſit neſcis, extinctus eſt dudum aliis, vivit adhuc Hibernis Oliverius, ſpoliavit ille avita hæreditate ſubditos Regi fideliſſimos : manent illi maxima ex parte etiam hodie ſua hæreditate exuti. Cives toto regno mutatis urbibus ac propriis laribus excluſit : coguntur illi etiamnum velut in patria ſua extorres propriis ſedibus exulare. Nobilium terras ac prædia in perduellem Regi militem diſtribuit : hoc præmio adhuc fruitur perfidia, hac pœna plectitur adjurata Fidei Regique conſtantia.

At credo ego non adverſo Gentis fato, ſed arcano quodam divinæ mentis conſilio , Hibernis in ipſa patria incumbere hanc omnibus admirandam ſuæ patriæ orbitatem. Ne ſcilicet illis unquam deſit ulterior palæſtra , in qua eorum erga Deum Regemque conſtantia exerceatur. Utque cæteris vitæ bonis ac curis exuti, id unum curare pergant, ut acceptum à majoribus ſinceræ Fidei patrimonium ad ſuos hæredes integrum inviolatumque transmittant.

Hæc tua hæreditas, hæc tua gloria eſt, ô magne Patrici ! qui intimis hujus Gentis pectoribus eam infixiſti Romanæ fidei conſtantiam, quam nec longa dies , neque tot retro ſæculorum cum ethnica impietate certamina , neque centum & amplius annis armata ferro hæreſis, neque tota inferorum rabies, per mille & ducentos annos concutere potuit aut labefactare. Quin potiùs ſuis aucta diſpendiis, novis aſſiduo cladibus creſcit , preſſuris aſſurgit, roboratur injuriis , facilis pati rerum omnium , præterquam fidei ac conſtantiæ detrimenta.

Tua, inquam, hæc perennis gloria eſt, ter magne Inſulæ Sanctorum Apoſtole, qui hanc Hiberniæ Eccleſiam tanquam primævâ Petri ſobolem ſupra Romanæ fidei petram ita ſolidaſti, ut adverſus eam

nunquam portæ inferi prævalere potuerint. O Eccleſiam verè petram, ac Romanæ petræ verè æmulam! niſi quod hæc in diuturna pace, tu in perpetuo cum hæreſi bello; hæc in opibus, tu in egeſtate, hæc in gloria, tu in contemptu; hæc in nobili Purpuratorum Senatu, tu tuo tantùm ſanguine purpurata contra omnes Erebi aſſultus immota perſiſtas.

Veſtra quoque hæc eſt gloria poſthuma Patricii progenies toto orbe diffuſa, in quorum pectoribus etiamnum magni Parentis ardor ac ſanguis efferveſcit. Quibus ſatius eſt per exilia, per inopiam, per vagas ſedes, hanc fidei conſtantiam in ſe aliisque tueri, quam degeneres annos ad patrios focos inerti otio conſumere. Ex quorum numero nunquam hactenus defuere antiquæ fidei novi pugiles, qui in hac Patricii arena magno animo decertarent. Quorum alii, ut de viris Apoſtolicis cum Apoſtolo loquar, *vincula & carceres experti*, *alii egentes, anguſtiati, afflicti, alii in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & cavernis terræ*, ut ipſi teſtimonio fidei probati, hanc etiam ſuo ſudore ac ſanguine aliis comprobarent. Hæc nempe omnia etiamnum operatur primævus ille Patricii ſpiritus, qui in germana ejus ſobole hodie perſeverans, ad perferendas pro Chriſti fide ærumnas ac labores conſtantiam animosque ſuppeditat.

Hæc illa fidei conſtantia eſt, ô Hibernia, quæ filios tuos tanto numero Doctrinæ ac Sanctitatis laude domi, forisque illuſtravit. Hæc eſt quæ doctrinâ ac pietate illuſtres ad publicam Eccleſiæ lucem per omnes Europæ gentes toties evexit. Hæc eſt quæ hac etiam tempeſtate, ſobole nunquam deficiente, viros ſummis muneribus pares ad ſupremas patriæ ſuæ infulas ſubminiſtrat. Hæc illa una eſt, quæ tecum omni ævo perſiſtens, orbi admirandam, cœlo glorioſam, hæreſi toties devictæ formidandam efficiet. Habeant ſine invidia aliæ Gentes inanes titulos, fluxas opes, inſtabilem potentiam: habeat ſuas gazas Iberia, ſuas vires Gallia, ſuas artes Italia, ſuas opes & gemmas America: peribunt opes, ſuccumbent vires, deficient artes; tuæ autem ſint artes & divitiæ, pro Chriſto divitiis carere, aliasque gentes non infidis opibus, ſed opulenta Fide & invictâ fidei Conſtantia ſuperare. Hanc tecum ſera poſteritas poſſideat, *Hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per Fidem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo, in quo exultabitis: modicum nunc oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtræ Fidei multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam & honorem, in revelatione Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

PRA-

PRAXIS

ASSISTENDI PER OMNIA AEGRIS MORIBUNDIS, ALIISQUE.

DE dispositione requisita in ægro aut moribundo quoad susceptionem Sacramentorum, tractatum invenies suprà, ubi de Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema Unctione actum est. Hic jam tradimus praxim juvandi infirmum, ut ex parte sua dispositionem illam actu habeat, & alios Actus eliciat, qui conducunt ad statum gratiæ acquirendum, augendum, aut conservandum, maximè in illa ultima lucta & agone, in quo agitur de tota æternitate. Minimè enim suo officio satisfaciunt Confessarii, qui vix ullis remediis instructi, tanquam imperiti medici, ád ægros aut moribundos accedunt: cum sæpè ab oportunis eorum monitis, & auxiliis, morientium salus æterna dependeat.

§. I. *Quid Confessario in primo ad ægrum accessu curandum.*

PRimò igitur Sacerdos ad ægrum vocatus, curet ante omnia in seipso excitare magnum desiderium procurandi salutem ægrotantis, hac brevi consideratione ex S. Dionysio, *Divinorum divinissimum est cooperari saluti animarum*. Et animo ad Deum elevato ex corde dicat: O utinam possim juvare hanc animam, sicut vellem juvari meam in extremo vitæ momento! ô momentum magni momenti, ex quo pendet tota æternitas! Deindè incipiat secum præmeditari, quo modo ex his praxibus debeat cum ægro procedere.

Secundò, Si deprehendat morbum esse periculosum, conabitur impedire frequentem amicorum accessum, & alloquium de rebus mundanis, multò magis inanes eorum gemitus ac ploratus: ut sic æger habeat otium convertendi animum ad cogitationes pias, & salutaria Sacerdotis monita.

Tertiò, Curabit ob oculos decumbentis opponi imaginem crucifixi, aut aliam quæ possit in illo Dei, ac Salvatoris sui memoriam excitare: & Aquam lustralem in promptu haberi, quâ æger & lectus frequenter aspergatur.

Quartò, Si medicus aut amici non audeant ægrum de propinquo mortis periculo monere, ipse Confessarius id suaviter & benignè faciat: Hoc enim omittere crudelitas est non clementia; solet namque æger per notitiam propinquæ mortis ad seriam animæ suæ curam multò magis excitari. Poterit itaque periculum his verbis discretè & molliter indicare: Sumus omnes mortales, nescimus autem diem neque horam, medicus judicat morbum hunc non carere periculo: non nocet igitur tempestivè disponere domui tuæ, imò juvare potest ad corporis & animæ salutem.

Quintò, Moneat ut, si nondum fecerit, Testamentum absolvat, ut tantò liberius curas omnes saluti suæ tantùm impendat. 2. Ut si quid restituere debeat, justitiæ satisfaciat. 3. Ut pro animæ suæ solatio procuret eleemosynam fieri in pauperes, & sacrificia, & alia Ecclesiæ remedia, dicatque ægro, si ipse nunc tui oblivisceris; quantò magis amici tui obliviscentur? 4. Ut ex animo remittat injuriam omnibus qui ipsi inimici & molesti fuerunt, ad imitationem & amorem Christi, qui moriens pro crucifixoribus oravit dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. 5. Ut ipse veniam postulet ab omnibus quos dicto vel facto offendit.

Quando autem advertit infirmum mortis nuncio angi aut turbari, debet in promptu habere motiva, quibus mortis horrorem minuat, & ad sequentes resignationis actus ægrum inducat: qui etiam pro sanis valere possunt ad tollendum nimium affectum erga res mundanas.

§. II. *Remedia inducentia ad Resignationem, contra nimium mortis horrorem.*

COgita N. Deum esse supremum Dominum vitæ ac mortis, ac proinde vitæ usuram quam tibi hactenus gratis dedit, quovis tempore pro suo arbitrio repetere posse. Dic ergo cum Jobo: *Dominus dedit, Dominus abstulit. sit nomen Domini benedictum.*

2. *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, mortuus est ipse Christus, mortua est ipsa Deipara &c. Nemo autem meliùs novit quando nobis expediat finem vitæ imponere, quam æterna Dei sapientia. Ille verò tanquam amantissimus Pater hanc tibi vitæ terminum ab æterno destinavit. Dic ergo cum Christo in horto & brevi morituro: *Pater mi, non mea, sed tua voluntas fiat*. Et cum Apostolo: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Sive vivimus sive morimur, Domini sumus.*

3. Tam stultum est nolle mori, quam nolle esse de numero hominum, quorum ne unus quidem à moriendi necessitate eximitur. Si ergo aliquando moriendum est, quando potiùs quam hoc tempore, in quo habes tam multa adjumenta piè, ac feliciter moriendi, cum præ-

præsentia Sacerdotis, cum Ecclesiæ Sacramentis, cum amicorum precibus & sacrificiis. Quam multi sunt casus in puibus postea facilè contingeret te abripi morte subitaneâ sine cruce, sine luce, sine absolutione, sine extremis Sacramentis, cum periculo salutis æternæ, sicut multis assiduò contingit.

4. Quid est hæc misera vita, nisi carcer animæ, nisi exilium à patria cœlesti, nisi gehenna curarum, dolorum, morborum, molestiarum, in qua semper una miseria alteri succedit; *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* Nonnè præstat simul & semel omnibus his malis liberari, & ad illam patriam tendere, in qua *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.* Ubi *à modo dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.*

5. Multi viri sancti & sapientes finem hujus vitæ magnis votis expetebant, ut malis hujus vitæ, & peccandi periculis liberati ad æternos Christi complexus evolarent. Sic S. Ignatius Martyr, sic S. Catharina Senensis mortem ultrò invitabant. S. Teresia admirans dicebat, ô mors quis te metuat, cùm vitam parias! Dic ergo cum Apostolo, *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et, *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Et cum Regio Propheta, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

6. Inquiro, cujus rei desiderium possit te in hac vita remorari? An cupiditas fruendi amicis? Multò major amicorum & cognatorum numerus te in cœlo expectat: tot majores tui, tot avi, proavi, patrui, vicini, cognati, fratres fortè & sorores, filii & filiæ præcesserunt, reliqui omnes ad unum brevi sequentur. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* An te trahit cupido utendi adhuc tuis bonis, aut hujus lucis usura? At moriendo nihil horum perdis, sed tantùm commutas in melius: nam anima tua cùm sit immortalis, in altera vita fruetur bonis multò majoribus, & nunquam perituris, docente Apostolo, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Si dicas, te tantùm desiderare longiorem vitam, ut possis meliùs Deo servire, & ad æternitatem te comparare. At fortè diutiùs vivendo longius à salute recederes. *Accidit plerumque,* inquit August. *ut qui crescit ætate, crescat & iniquitate.* Uti factum est in ipso Salomone. Fac igitur nunc quod tunc fieri velles. Potes uno die vel horâ, intensis actibus, & ardenti Dei amore plures vitæ annos adæquare. Et testatur ipsa Scriptura, aliquos ex hac vita magno Dei favore citius evocari, ne per longiorem vitam pereant, nec tamen ideò minùs mereri. Audi Scripturam Sapient. 2. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* & *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Dic ergo cum magno erga paternam Dei providentiam affectu: Domine

tu

„ tu optimè nosti quid mihi expediat: da quod jubes, & jube quod „ vis, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*, ut faciam san„ ctissimam voluntatem tuam.

§. II. *Incitamenta ad patientiam contra morbi dolores.*

AMice N. nonnè desideras sequi Christum Salvatorem tuum, qui pro te multa passus est? Dices haud dubiè, desidero. Audi igitur Christum tibi loquentem: *Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Ecce hi dolores sunt tua Crux, quam debes portare ut Christum sequaris. *Si oportuit Christum pati ut intraret in gloriam suam*, quomodò poteris tu sine patientia intrare in gloriam alienam? Dolores tui, fateor, magni sunt, sed dolores & tormenta Christi fuerunt multò majora. Cogita illius sudorem sanguineum, quo ex solâ Passionis suæ consideratione toto corpore perfusus est. Si capitis dolore cruciaris; respice caput ac frontem Christi Salvatoris tui acerbissimis spinarum aculeis undique sauciatam: Si pectoris, aut lateris molestiâ torqueris, aspice latus Christi tui crudelissimâ militis lanceâ perforatum: Si in manu aut pede dolorem sustines, converte oculos ad Christi manus & pedes „ acutissimis clavis Cruci affixos. Deindè magno affectu dices; „ *Non est discipulus super Magistrum*: Si Dominus & Salvator pro delictis meis tanta sustinuit, quantò magis debeo ego ex illius amore aliquid sustinere.

2. Cogita te per morbi dolores patienter toleratos, futuras Purgatorii pœnas ex parte vel ex toto compensare, & magnum cœlestis gloriæ incrementum acquirere, monente Apostolo, 2. *Cor*.4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et iterùm *ad Rom.* 8. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Dic ergo cum S. Augustino, *Domine hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.*

Ecce in hunc finem Christus ex pretioso Calice Passionis suæ hos dolores tibi propinat. Nonnè ipsius Calicem libenter acceptabis, & hos dolores licet amaros ex illius amore exhauries, cum ipso di„ cens: *Calicem quem dedit mihi Pater, quomodo non bibam illum?* „ *Pater, si non potest Calix ille transire nisi bibam illum, fiat volun*„ *tas tua.*

Nonnè magni faceres, si quis tibi sacratissimæ Crucis Christi reliquias insignes aut particulas aliquas donaret? Ecce tibi Christus ipse mittit hos dolores, tanquam particulas gravissimæ Crucis, quam ipse in corpore & in anima sua ex tui amore sustinuit. Dic ergo ex toto corde Salvatori tuo:

Domine JEſu Chriſte ad amorem & gloriam tuam ſuſcipio de paterna manu tua omnes ac ſingulos hujus morbi dolores ac moleſtias, tanquam totidem Reliquias ſanctisſimæ Crucis tuæ mihi à te donatas. Illas tanquam tales amplector & exoſculor: & eas in corporis & cordis mei theca cum patientia, imò etiam cum gaudio portare deſidero. Salve Crux pretioſa, quæ decorem traxiſti de membris Domini mei JEſu Chriſti. Suſcipe me diſcipulum ejus qui pependit in te: ut per te me recipiat qui per te me redemit. Chriſto confixus ſim Cruci, *vivam ego jam non ego, vivat verò in me Chriſtus.*

Cogita quomodò Sancti omnes optabant ſtigmata vulnerum Chriſti in ſuo corpore geſtare. Quomodò S. *Paulus* gloriabatur ſe ſtigmata Domini JEſu in ſuo corpore portare. Quomodò S. *Franciſcus* pro ſummo favore cicatrices quinque vulnerum Chriſti in ſuo corpore ſuſcepit, etiamſi ex illis copioſus ſanguis profluerет. Quomodò S. *Catharina Senenſis* cum ingenti gaudio ſimilem gratiam à Chriſto complexa eſt, licet tantos dolores indè ſentiret, ut ſe morituram putaret. Certiſſimum autem eſt, & fide credendum, illos dolores ac moleſtias magno Dei favore & munere tibi conceſſos eſſe, ſi illos ad honorem aut amorem Dei patienter ſuſtineas. Dic igitur ex animo cum Sanctis illis Deo chariſſimis:

O Deus, ô Salvator dilectisſime, ad amorem & honorem divinæ Majeſtatis tuæ ſuſcipio de manu tua hos cruciatus ac moleſtias, eosque complector tanquam ſtigmata vulnerum tuorum, & veſtigia tormentorum, quæ in ſacratisſimo corpore ſuſtinuiſti. Et utinam eodem amoris ſenſu ea in corpore meo ſuſtinerem, quo S. Paulus Apoſtolus, S. Franciſcus Confeſſor Seraphicus, S. Catharina Senenſis, aliique tibi dilectisſimi.

Utinam haberem illum pro te patiendi ardorem quem habuit *S. Laurentius*, dum ſuper ardentes prunas in craticula verſaretur. Quem habuit *S. Stephanus*, dum inter lapidum imbres toto corpore contunderetur. Quem habuit *S. Sebaſtianus*, dum ſagittis undique configeretur. Quem habuerunt reliqui Martyres & amici tui, quorum maxi-

maximum gaudium erat pro te secari, uri, laniari. Quod mihi deest tu supplere digneris, Salvator mi, cum quo vivere volo & mori. Amen.

§. IV. De exercitio Fidei, Spei, & Fiduciæ in Deum.

UT æger disponatur ad actus efficaces Amoris & Contritionis, plurimùm juvat, illum primò excitare ad vivam Fidem & fiduciam erga Deum, ac merita Christi, aliaque fidei mysteria, quantùm personæ dispositio patietur; nam ut ait Apostolus ad Heb. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo.*

Quod si esset æger qui in Fide vacillaret, & confirmari indigeret, proponi possent illi breviter quædam ex argumentis, quæ pro Ecclesia Romana suprà in controversiis exposuimus.

Itaque inducendus est æger, ut devotè & attentè recitet Symbolum Apostolorum: vel ipse Sacerdos illi præeat singulas Symboli partes pronunciando. Quod si infirmior sit, quam ut hoc commodum aut consultum videatur: procedat Sacerdos per paucas interrogationes hoc modo:

„ Nonnè credis in Deum & Salvatorem nostrum Jesum Christum &c.? *Credo.* Nonnè cupis vivere & mori in fide, quam sancta Romana Ecclesia credendam proponit? *Cupio.* Abrenuncias omni diabolicæ suggestioni, quæ possit tibi in contrarium occurrere nunc & in hora mortis? *Abrenuncio in perpetuum: & utinam possem fidem hanc sanguine meo consignare.*

„ Nonnè spem tuam & firmam fiduciam salutis æternæ habes repositam in Dei misericordia & meritis Salvatoris nostri Jesu Christi? „ Respondet æger: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.*

„ Dic ergo cum Jobo, c. 19. *Scio quia Redemptor meus vivit, & in „ novissimo die de terra resurrecturus sum, & in carne mea videbo „ Deum Salvatorem meum: quem visurus sum, & oculi mei conspecturi sunt & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Debes igitur scire nulla esse peccata tam multa aut magna, quæ remitti non possint per infinita Christi merita, quæ per Sacramenta, aut sinceram cordis Contritionem nobis applicantur. Exemplum habes in S. *Magdalena*, quæ quamvis esset magna in civitate peccatrix, postquam seriò ad Christum conversa est, & de peccatis doluit, dixit ei Dominus: *Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* Et latro, qui tantum in Cruce ultimâ vitæ horâ cum fiducia dixit, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum:* statim à Christo audivit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

Reſpice Chriſtum in Cruce expanſis brachiis, paratum te ad ſuum complexum & gratiam admittere, modo tu velis totâ cordis fiducia ad illum recurrere. Audi illum ultrò invitantem : *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Cogita Deum Patrem eſſe benigniſſimum, *qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat.* Ipſe te creavit, ipſe te ad Eccleſiam ſuam vocavit, ipſe te per Filium ſuum unigenitum redemit. Accurre igitur ad ipſius ſinum tanquam creatura ad Creatorem, ſervus ad Dominum, redemptus ad Redemptorem, filius ad Parentem. Ipſe eſt qui filium etiam *Prodigum* poſt multa flagitia ad ſe reducem cum gaudio recepit. Tu tantum dic corde contrito : *Pater peccavi in cœlum & coram te, & jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Et ipſe cum lætitia paterna viſcera expandet dicens, *gaudere oportet & exultare, quia filius meus hic mortuus erat & revixit, perierat & inventus eſt* Teſtatur enim *majus eſſe gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.*

Poſtquam Sacerdos hæc aut alia fiduciæ motiva cum affectu expoſuit, ſuggeret per intervalla aliquam ex ſequentibus ſententiis identidem ab ægro ore vel corde repetendam.

Domine ſi habes undè me damnare potes, habes etiam undè potes ſalvare : *miſericordia Domini ſuper omnia opera ejus.*

Quomodo pater miſeretur filiorum ; ita miſertus eſt Dominus timentibus ſe.

Domine non timebo mala quoniam tu mecum es. Pone me Domine juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.

Ad te Domine levavi animam, Deus meus in te confido non erubeſcam.

Pater meus & mater mea dereliquerunt me ; Dominus autem aſſumpſit me.

Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit.

Magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

Quis unquam ſperavit in Domino & confuſus eſt? *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum. Hoc poſt-*

quam

quam repetiit æger , concludere poteſt Sacerdos hac oratione:

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram : ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

§. V. *De exercitio Amoris in Deum & perfectæ Contritionis.*

Actus hic maximi momenti eſt,& ad illum æger aut moribundus omni conatu adjuvandus eſt: nam ſi in ſuſceptione Sacramentorum aliquid fortè obicis quocumque modo intervenerit, hic actus eſt, & quidem ſolus,qui peccatorem reddit ſalutis ſuæ abſolutè ſecurum. Proindè ad illum primò per idonea motiva diſponendus eſt, deindè ipſe actus pro viribus eliciendus.

Primò, Conſidera N. Dei bonitatem, Majeſtatem, excellentiam infinitam ſuper omnes creaturas, quas ipſe ſolo nutu voluntatis ſuæ ex nihilo produxit,& infinita benignitate aſſiduò regit & conſervat. Infinitæ ejus majeſtati ac bonitati debetur à te,& ab omnibus,amor infinitus. O utinam poſſimus illum rependere! Sed quia amoris infiniti incapaces ſumus,tantùm mandat nobis, ut diligamus ipſum ut Deum & Dominum ſuper omnes creaturas ex toto corde, & ex tota anima , & ex totis viribus noſtris, ſic ut pro nulla re hujus miſeræ vitæ velimus ipſum offendere,aut ab illo ſeparari. Nonnè N. hoc tibi æquum & juſtum videtur ? Quid enim juſtius quam ut Deum , & Creatorem, & Dominum , qui omnibus creaturis infinitè dignior eſt,ſuper omnes creaturas diligamus? Dic ergo tandem:

Diligo te, Deus meus, diligo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, & totis viribus meis, ſuper omnes res hujus mundi; & utinam amplius & amplius diligerem. Et utinam ab amore tuo nunquam peccando receſſiſſem, certè cum gratia tua nunquam amplius recedam.

Conſidera ſecundò: Quare in hoc mundo creaturas aliquas magno amore complectimur ? Nempe, propter aliquam pulchritudinem quam in illis videmus , vel dulcedinem quam in illis ſentimus, vel benignitatem quam in illis experimur. Illa ipſa pulchritudo, dulcedo,benignitas,eſt in Deo infinities major & perfectior, à quo omnis pulchritudo, & amabilitas creaturarum , ſicut tenuis radius à Sole,& rivus exiguus ab Oceano deſcendit. Si igitur in creaturis te-

nues

nues umbras & rivos divinæ bonitatis adamamus, quantò magis ipsum omnis boni fontem & originem diligere debemus.

O quam serò te cognovi pulchritudo æterna, quàm serò te amavi bonitas infinita! Nunc certè super omnia te unam amo, & amare desidero in æternum.

Deus meus & omnia! Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.

Considera tertiò, Beneficiorum à Deo acceptorum magnitudinem ac multitudinem, ex mera ac gratuita Dei benignitate. Creavit te ad imaginem & similitudinem suam ex innumeris hominibus, quos tuo loco creare potuisset. Corpus tibi dedit præ multis aliis integrum & sanum, non claudum, aut cœcum, aut informe &c. Animam tibi donavit immortalem, rationis capacem, & multis naturæ & gratiæ donis præditam. Et quem in finem sic te creavit? Ut post hanc vitam cum ipso Deo fœlicitatis & gloriæ æternæ particeps efficiaris, quo nullum majus donum excogitari potest. Si ergo diligis parentem qui tantùm corpus tuum genuit, & paucorum tantùm annorum hæreditatem tibi comparavit, quantò majori dilectione & affectu debes Deo adhærere, qui non tantum corpus, sed etiam animam immortalem, & hæreditatem æternam tibi in cœlis præparavit.

O Creator mi, ô Pater æterne, diligo Te super omnem mundi dilectionem, non tantùm quia ego hæc à te bona accepi, sed quia in te ipso tam bonus es, tam pius, tam benignus, ut me indignum tot tuis donis ac bonis prævenire dignatus fueris. Et interim ego in te peccando fui tam ingratus, quando tu erga me fuisti tam gratiosus.

Considera quartò, Postquam Dei dona, & spem salutis æternæ peccato perdidisti, quomodò per Filii sui mortem, Passionem, ac sanguinem te à suppliciis æternis redemit. Quomodo iterum, iterumque relabentem ab inferni pœnis toties conservavit; in quibus hoc momento arderes, nisi Deus erga te divinæ justitiæ rigorem continuisset.

Sic ergo Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: sic dilexit hanc animam meam, ut per ejus sanguinem meâ morte æterna conservaret. *Quid ego retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Suscipe sal-

tem cor meum, & animam meam, & amorem meum, & vitam meam : ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori in ligno Crucis.

Considera quintò, immensam ac perpetuam Dei ac Salvatoris tui in te charitatem, in eo quod velit in Sacramento Eucharistiæ nobiscum assiduò permanere, & seipsum nobis in cibum & alimentum præbere; dicens: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Et, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quænam mater adeò tenerè diligit filium suum ut illi carnem & sanguinem suum in alimentum præbeat? Christi verò in nos amor omnium hominum amorem adeo superat, ut satis illi non fuerit morte suâ nos redimere; sed etiam voluerit carnem & sanguinem, & animam, & divinitatem suam nobis in escam, in solatium, in vitæ æternæ pretium relinquere.

Dic ergo cum S. Augustino. O anima mea, si pigeat amare, non pigeat te saltem redamare Deum & Salvatorem tuum, tali amore te prævenientem. O amor mi! si deliciæ tuæ sunt esse cum filiis hominum, quomodo non erunt deliciæ meæ esse tecum.

Diligam ergo te fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, & amor meus in æternum.

Considera sextò, ingentia beneficia quæ Deus præ multis aliis speciali amore tibi in particulari concessit.

Primò, Vocavit te ad veram Ecclesiam, & fidem sine qua nulla est salvatio, idque peculiari favore & auxilio, teste Christo Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Cogita quam multa hominum millia infidelitate & hæresi æternum pereant, quos si Deus tuo loco ad suam Ecclesiam ita vocasset, fortè multò ardentius illum coluissent & amassent. Cogita quid de te factum fuisset, si Deus permisisset te nasci ex parentibus hæreticis, aut educari inter amicos aut cognatos hæresi infectos, qui te in errorem & damnationem abduxissent.

Secundò, quomodo divina providentia non permiserit ut sine Baptismo in utero matris extinctus fueris, ut multi alii.

Tertiò, Quod ab infantia nactus fueris Magistros probos & Catholicos, qui te in timore Dei, & amore virtutis continuerunt, ne inter homines sceleratos & perditos vitam duceres.

Quartò, Quod tibi præ multis aliis præbuerit usum frequentem Sacramentorum, à subitanea morte, & à damnatione æterna conser-

va-

raverit, ut possis in gremio Ecclesiæ mori, Sacerdotis absolutionem obtinere, in perfecto Dei amore & gratia vitam terminare, & ad salutem æternam cum Christo & Sanctis in cœlo pervenire. Verè potes ex animo cum Propheta dicere:

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quomodo non diligam illum super omnia, qui quodammodo super omnes me dilexit?

O mi Deus, desidero te amare super omnia, sicut te diligunt Angeli in cœlo, sicut te diligunt Apostoli & Martyres, & sicut te dilexit sanctissima Virgo Deipara, cum qua ex toto corde & affectu dico: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Et ut possim quantum in me est, amorem amore compensare:

Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam. Quidquid habeo ac possideo, mihi largitus es, id totum tibi restituo, ac tuæ voluntati trado gubernandum. Amorem tuum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliquid ultra posco in rebus creatis.

Quando advertet Confessarius pœnitentem suum his motivis excitatum, & ad Dei amorem inflammatum esse, dum ferrum candet, poterit primo cum illo recitare aliquos actus Charitatis & Contritionis infra exprimendos, ut ad Confessionem generalem, aut particularem, aut ad alia Sacramenta disponatur.

Secundò, Suadere ut ex Dei amore ignoscat omnibus; qui ipsum offenderunt.

Tertiò, Hortari ut ab omnibus veniam postulet quos dicto, a ut facto offendit.

Quartò, ut morbi molestias; aut mortem ex Dei amore libenter suscipiat.

Quintò, ut promittat præstare debita, aut alia quæ judicat ad ægri salutem necessaria.

Sextò, ut proponat, si Deus vitam ulteriorem dederit, optimo pietatis exemplo aliis prælucere.

§. VI. *Actus varii Contritionis & Amoris Dei super omnia.*

I.

O Magne Deus Te amo super omnia, te diligo ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus meis, O quam doleo quod à sanctissima voluntate tua cogitatione, verbo vel opere unquam peccando recesserim! Nunc ego firmissimè propono omnia mandata tua implere, omniaque te aspirante peccata vitare. Et quare? Non aliâ causâ, quam ob immensam perfectionem, incomprehensam potentiam, altissimam sapientiam, infinitam bonitatem tuam, sive propter teipsum, & quia omni amore dignissimus es. O Pater! ô Fili! ô Spiritus sancte! ô sanctissima Trinitas! ô Deus meus & omnia.

II.

DOmine Jesu Christe, verus Deus & Homo, Creator & Salvator me⁹, doleo ex toto corde meo, quod te offenderim, quia tu Deus meus es, & te amo super omnia, firmiterque statuo, nunquam posthac peccare, sed omnes peccandi occasiones evitare. Propono quoq; peccata mea confiteri, pœnitentiam, quæ injuncta fuerit, exsolvere, & si quid alicui debeam, restituere. Amore etiam tui remitto injuriam omnem à quocumque mihi illatam. Insuper ad expianda peccata mea, offero Majestati tuæ vitam, labores, & bona opera mea universa. Ut verò humilimè peccatorum meorum veniam efflagito; ita confido, ab infinita bonitate tua, per merita sanctissimæ Passionis, sanguinis & mortis tuæ, ea mihi remittenda: præstandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in sanctissimo servitio tuo in finem usque perseverem, Amen,

III.

DElicta mea, Deus me⁹, expavesco, & ante te erubesco cùm veneris judicare, noli me condemnare. Doleo Deus cordis mei, doleo ex toto corde meo, quod offenderim ac læserim supremam bonitatem ac majestatem tuam. O cur unquam displicui tibi amabilissima bonitas! ô Majestas colendissima, doleo jam ex sincerissimo amore tui,

qui

qui amari super omnia infinitè dignus es. Amo te Deus meus, & amare te, & glorificare te volo in æternum Amen.

IV.

O Deus meus, amor meus, omne bonum meum, & in Te infinitè bonus, infinite benignus! utinam nunquam offendissem te infinitè amabilem, nec offenderem posthac in æternum. Hoc ego, Pater sancte præstare desidero omnium creaturarum mihi possibili affectu, & hoc desiderium ac propositum toties renovare, quoties respiro, quoties vivo, nunc & in æternum.

V.

DEus meus & omnia, doleo purè propter te, quod unquam offenderim te infinito honore, amore, obsequio dignissimum, & cum omnibus Sanctis & servis tuis tuum beneplacitum amplector, & amplectar in æternum. Da quod jubes, & jube quod vis.

VI.

O Deus meus! ô Jesu cordis mei, quàm bonus semper fuisti erga me! & heu quàm ingrat⁹ ego erga Te! Doleo Deus meus ex amore tui, non tantum quia tam bonus fuisti erga me, sed quia tu in te ipso tam bonus es, tam benignus, & ideo omni amore & honore dignissimus. Ignosce Pater mi, ignosce Pater misericordiarum, & concede ut ex toto corde deinceps adhæream tibi, & sanctissimæ voluntati tuæ, in tempore atque æternitate, Amen.

§. VII. *Praxis eadem per breves interrogationes, quando æger loqui vix potest.*

NOnne firmiter credis omnia, quæ tibi Deus per Ecclesiam Romanam credenda proponit? Credo, & in ea fide mori volo.

Nonnè fiduciam tuam omnem in Deo Jesu tuo defixisti? Defixi, & fidenter dico; in te Domine speravi, non confundar in æternum, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

Nonnè Deum amas super omnia propter infinitam ej⁹ bonitatem? Amo, & amabo in æternum Deum meum,

Creatorem meum; utinam diligerem Te Salvator mi, eo amore quo dilexit te mater tua, quo diligunt te in cœlo Sancti tui in æternum.

Nonnè doles ex animo te Deum toties offendisse, quem summo amore prosequi debueras? Doleo, idque Dei solius causâ, quia divina illius majestas toties à me peccando offensa est.

Nonnè te Deo totum tradis, qui tibi totum dedit? Trado in manus Dei, vitam & mortem meam, ut de iis pro suo arbitratu disponat.

Nonnè, si Deus te pristinæ sanitati redderet, aliter vitæ tuæ rationes institueres? Instituerem, & ardentius quàm hactenus Deum meum amarem, eique servirem.

§. VIII. *Ad sacrum Viaticum præparatio.*

Viaticum differt à Communione ordinaria, quod in hac petimus à Deo gratiam benè vivendi, per hoc autem gratiam benè moriendi; idque viatici nomen designat, quod nihil aliud est, quàm annona sive commeatus ad futurum iter. Sed quo longior via est à terra in cœlum ad quod moribundus properat, eò S. Mater Ecclesia filios suos decedentes Viatico instruit potentiore Corporis & Sanguinis Christi.

Forma dandi viaticum hæc est: *Accipe Frater* (vel soror) *Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno & perducat in vitam æternam. Amen.*

Forma vero Communionis ordinariæ: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.*

Qui manè celebravit vel communicavit, & posteà eodem die incidit in periculum mortis, potest iterum Communionem sumere non jejunus per modum viatici. Et si posteà periculum duret, & æger id multum desideret, potest idem permitti post unum alterumve diem. Conc. enim Constantiense *Sess.* 13. tempus non limitat, quando dicit in casu infirmitatis Eucharistiam dari posse non jejuno. Alias Interstitium ordinarium solet esse 7. vel 8. dierum.

Potest dari viaticum ægro qui ex febri in delirium incidit, si antea illud desideraverit, aut signa Contritionis ediderit, nec appareat periculum irreverentiæ, Ita *Rituale Rom.* Item damnato ad mortem, etiam non jejuno, si necessitas urgeat.

Quilibet Sacerdos in extrema necessitate si Parochus desit, potest præbere viaticum. Et, si alia hostia non supperat, potest Sacerdos ex hostia

hostia majori, qua celebrat, particulam pro moribundo reservare.

Sacerdos allaturus viaticum conetur antea, si tempus suppetat, excitare in ægro magnum desiderium hujus Sacramenti, idque ut præstet efficacius, verba Ecclesiæ augustissimum convivium venerantis proponat. *O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur! recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Puncta hic quatuor consideret, quasi totidem sacratissimi epuli fercula.

1. Ad illa vera *O sacrum convivium* &c. perpendat S.S. Eucharistiam dari viatoribus per modum cibi, ne deficiant in via ad patriam cœlestem; grandis enim adhuc restat via, hostibus multis ac latronibus infestissima, ideoque Servator tuus, amice, ne animum despondeas, *paravit in conspectu tuo mensam adversus eos, qui tribulant te*: ad hanc mensam ubi dignè accubueris, dices audacter: *si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine.* Quare S. Nicolaus Tolentinas tam enixè S. Eucharistiam expetebat? *Vt tanto*, inquit, *viatico munitus non deficiam in via ad cœlestem patriam profecturus; et si ob demerita mea impius Belial hostis meus mihi occurrerit, possim fidenter dicere,* Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.

2. *Recolitur memoria passionis ejus*: Ideò autem voluit Dominus Passionis suæ apud nos jugem esse memoriam, quod in ea divitias nostras spesque omnes sitas habere debeamus.

B. Hugo à S. Victore tria in votis habuisse dicitur. 1. Ut cibus sibi ultimus esset Eucharistia. 2. Ut ultima cogitatio sive meditatio esset de Passione Domini nostri Jesu Christi. 3. Ut supremum verbum esset dulcissimum Jesu nomen. Quid ni & tu ejusmodi vota concipias.

3. *Mens impletur gratiâ.* Quod corporeus cibus corpori, hoc panis ille cœlestis præstat animæ; ille membra corporis, hic animæ potentias reficit, nutrit, confirmat.

4. *Futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quis ad illud pignus non fidenter aspiret, quod opem certam æternæ vitæ adducit.

Ubi vero allata fuerit venerabilis Eucharistia, quantum infirmitas patietur, Deum præsentem veneretur, atque adoret. Sæpe visa est Eucharistia morituris vires addere, ut in illo supremi temporis articulo, suum in Deum amorem religionemque palam facerent. Exemplo sit S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis, qui, licet animā agere videretur, simul atque Deum suum ad se venire cognovit, perinde ac si morbus omnis remisisset, de strato prosiliens, concito gradu Servatori suo processit obviā, eumq; flexis humi genibus, totusq;

lachrymis diffluens, quanta potuit animi corporisque demissione veneratus est, instantemque illi agonem suum commendavit.

Tum in ægro iterum excitet Sacerdos vehemens sacratissimi viatici desiderium, in quem finem breviter repeti poterunt prædicta, tum exempla adferri eorum, qui ardentissimè cœlesti hoc pane, vitâ excessuri, muniri voluerunt.

S. Maria Magdalena admonita ut cœlum peteret, etsi itineris duces Angelos haberet, hoc tamen iter ingredi renuit, nisi prius Christum Dominum Angelorum, comitem & ducem haberet.

S. Ambrosii Mediolanensium Præsidis desiderio, quod præ morbi magnitudine aperire non poterat, Deus miraculo satisfecit; nam nocte divinitùs admonitus Vercellensis Episcopus, allata venerabili Eucharistia viatico illum refecit.

His aliisque æger accensus, qua maxima potest reverentia divinum viaticum recipiat: quo accepto, consideret nobilis hujus cibi dignitatem, repetitisque fidei, spei, ac charitatis actibus, dicat; Mane „ nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Breves dies mei sunt, & solum corpori meo superest sepulch- „ rum. Bone Jesu esto mihi Jesus & Salvator, tibi corpus & ani- „ mam committo

§. XI. *Ad extremam Unctionem dispositio.*

FOrma conferendi in Rituali exprimitur: iterari potest, quando novum mortis periculum incurrit. Ministranda est etiam amentibus, licet illam anteà non petierint. Pueris etiam danda est post septimum annum, si habeant usum rationis, etsi nunquam communicaverint. Alias resolutiones vide suprà *part.* 4. *c.* 6. ubi de Extrema Unctione agitur.

Effectus hujus Sacramenti ex Concilio Florentino est mentis sanitas, & quantùm expedit, etiam corporis. Hinc Sacerdos refutet errorem & timorem illorum, qui cupiunt semper differri Extremam Unctionem, eo quod persuadeant sibi eo collato de vita actum esse. Cardinalis Bellar. asserit, ideò rariores ægros hunc sanitatis fructum decerpere, quod seriùs ad hanc vitæ arborem accedant.

Narrat Joannes Nider, Rupertum quendam Imperatorem circa annum Christi 1400. hujus opinionis aspergine non leviter tinctum fuisse; at non impunè: nam continuò tot tamque gravibus scrupulis torqueri cœpit, ut propius nil fuerit, quam ut non modò de corporis, sed & de animæ salute deturbaretur. Impediit Dei favor, Spiritualis hæc ei medicina adhibita, dumque orationes ejus pietatis plenissimas percipit; ô me imprudentem, inquit, qui orationes tam pias hactenus neglexerim! Ignoscat Deus insipientiæ meæ: & verò ignovit, vitæ annos insuper non paucos indulsit, quibus imperium suum sospes administravit.

Dum

Dum æger inungitur, animum his aliisque similibus orationibus pasca. *Iesu Fili David miserere mei: Deus in adjutorium meum intende Domine ad adjuvandum me festina: Bone Iesu dic animæ meæ, salus tua ego sum.*

Sacerdos peractâ Unctione ægrum animet ad fiduciam recuperandæ sanitatis, si id animæ profuturum sit, divinoque placito consentaneum: atque in hunc finem has aliasque orationes recitet.

Concede hunc famulum tuum quæsumus, Domine Deus perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitiâ, & æternâ perfrui lætitia.

Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut, redditâ sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones.

§. Ultimus. *Admonitio ad præsentes de morte.*

Postquam æger expiravit, Sacerdos animam ejus circumstantibus commendet, dicatque nullo modo defunctum efficacius ab iis juvari posse, quam si purgatâ statim per Confessionem conscientiâ ad communionem religiosè accedant, ejusque fructum per modum suffragii defuncto impertiant.

Deindè adhortetur præsentes de adhibenda cura ad felicem mortem obtinendam.

1. Quia ab illa, beata æternitas dependet.

2. Moneat, ad hanc obtinendam necesse esse per rectam vitæ innocentis viam ambulare, & frequentem Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ usum adhibere.

3. Considerent pretiosum esse tempus quod ad salutem operandam conceditur.

4. Maximè certam omnibus esse mortem, horam verò mortis incertam.

5. Exiguo labore ingentes thesauros comparari posse.

6. Nihil nos hinc asportaturos, præter virtutum bonorumque operum fructus.

7. Id nunc agendum, quod fecisse optaremus, si modò supremum vitæ momentum adesset.

Pro præparatione securissima ad Mortem, dum rectè valemus, usurpandum est sequens Testamentum, quale sibi viri sancti sæpius confecerunt, & singulis septimanis devotè recitarunt ac renovarunt.

TESTAMENTUM

Devotissimum Hominis Christiani, complectens Actus omnes, quibus possit ad salutem æternam securissime disponi.

IN nomine Dei, ac Sanctissimæ Trinitatis, Amen. Ego N, N, ab Annis... tuo nutu, ô mi Creator, veni nudus in hunc mundum & brevi nudus inde ad te revertar. Cum autem omnia acceperim de manu tua, & tua sint omnia infinitis titulis; hac meâ suprema voluntate tibi me, meaque omnia restituo, quantum possum amore, quanta possum graditudine. Te quoque super omnes Hæredem meum constituo, qui restitues hæreditatem meam mihi, sicut dedisti mihi Teipsum, & pretiosam animam, & Spiritum Sanctum tuum. Et quid potuisti facere amplius animæ meæ, & non fecisti?

Quid verò ego hactenus retribui, & quid deinceps retribuam tibi! O quam meritò ex nunc in æternum cor, corpus & animam, omnesque cogitationes, verba, & opera, tibi dico, & devoveo! Et si mea forent universa, ô Deus, hæc quoque darem tibi. Dignus es enim Domine accipere omnem laudem, virtutem, honorem & benedictionem: & maximè à me, qui te sic N. peccando toties inhonoravi, de quo nunc ex amore tuo medullitus doleo.

Itaque nunc cum omnibus Sanctis tuis, & in æternum dicere incipio: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo tibi Deo nostro in secula seculorum, Amen.

Hos affectus omnes toties renovare cupio, quoties deinceps respiro, & maximè in ultimo vitæ momento, pro quo nunc in manus tuas commendo spiritum meum.

Insuper nunc coram te, & Curia tua cœlesti universa, obsigno meum votum, & desiderium, quo cupio in Fide Catholica, Apostolica & Romana vivere, & mori, & in extrema hora Pœnitentiæ Sacramentum ad veniam peccatorum, Unctionem verò extremam, ad luctam contra Dæmonem, Communionem autem, ad Viaticum longævo æternitatis, toto cordis affectu sumere & complecti desidero.

Hæc desideria Scripto hoc, ideo coram Te Deus meus, & coram Angelis ac hominibus consigno, ut hoc ipsum sit humilis, & explicita Sacramentorum postulatio, si quo casu interceptâ voce, lingua eloqui non possem. Nec revocatum censeri cupio, nisi coram te, & cura tua, & septem testibus, & integris sensibus illud retractaverim-

terim. Pro Pœnitentiæ verò Sacramento ne desit materia etiam explicita: Nunc pro extrema hora fateor dolens ex sincero tui amore, me erga te ingratissimum fuisse; in oratione toties vagum, & negligentem; erga proximum non uti debui affectum, patientem, & benignum; erga me plus nimio indulgentem, & tempus omnium pretiosissimum otiosè perdidisse, cum potuissem eo in immensum per singula ferè momenta augere opes æternas, & pro æterna gloria tua illud ipsum impendere. De his inquam, ceterisque vitæ universæ delictis ex puro Dei amore toto corde doleo, meipsum accuso, & supplex veniam efflagito.

Quod reliquum est de bonis fortunæ, illa relinquo iis N. N. quibus, ut confido, relinqui tibi maximè placet, & in eum usum N. qui sit ad majorem tui nominis gloriam. Tua sunt fateor, Domine, tua sunt omnia. Ego verò redditurus forsitan hodie rationem, cupio esse Dispensator fidelis, ut non studeam honori meo, sed tuo, non vanitati, sed veritati: Tu enim es via, veritas, & vita mea.

Rogo item vos Amicos meos, ut sacrificiis, precibus, Communionibus, Indulgentiis, & eleemosynis juvetis animam meam, ne qua in limine beatæ æternitatis occurrat tristis remora properanti ad Dominum, ad centrum, & omne bonum meum.

Si qui verò, quod absit, quacumque ex causa adversarii mihi, aut offensi estis, aut fuistis, condono ex corde vobis offensam coram Deo, qui scrutatur cor, & renes meos, propter amorem Domini mei: & si quem ipse offendi, supplex veniam peto. Pacem omnibus cum Domino Jesu relinquo, & offero, quia tendo ad Principem pacis, & vobiscum in pace in æternum vivere volo, & habitare in amantissimo corde Christi Jesu.

Hæc sunt Deus meus, judex meus, & refugium meum, hæc sunt desideria pauperis, quæ soles exaudire. Audi obsecro, & exaudi de profundis clamantem: & per misericordiam tuam confirma hoc De⁹ quod operatus es in me. Hæc mea desideria & decreta certè nunc & omni hora, morte & sanguine signare paratus sum. Hæc suprema mea & æterna voluntas est, eritque, Deus meus, per gratiam tuam. Estne ultrà quod possim, ô Pater misericordiarum, ô spes mea, ô Charitas, Deus meus, estne jam, dum adhuc tempus est miserendi, quod ultra faciam? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum exequi per omnia sanctissimam voluntatem tuam, ut securus tecum vivam in æternum, ut nunquam separer à charitate tua, ut amem te propter te, & tecum unum sim in perpetuum. O beatissima Virgo Maria, salutis meæ anchora, & portus, spes, & refugium omnium miserorum, ac proinde meum; & vos beati Spiritus, & custos Angele, vosque Patroni mei, & omnes Sancti, ac Sanctæ Dei; ecce videtis

hoc

hoc Chirographum meum, non mortis, sed vitæ! Auditis clamorem meum, & desiderium meum. Hoc ego in hora mortis meæ firmum & ratum esse volo, & vestro (quod humiliter imploro) auxilio futurum spero, etiam in extremo Judicii die, ac tota æternitate. Ut sic cognoscat mundus, quia diligo te Deum meum, quia sic dilexisti me; & vivo tibi, & in te: ac amore tui mori cupio, quia more amoris mei dignatus es mori in ligno Crucis.

Hæc signavi propriâ manu, gratiâ Dei mei, teste ipso, & curiâ illius cœlesti, & sic signatum cupio in hora mortis, ut Deo meo æternum vivam. Anno... mense... die... hora... N. N.

PRAXIS ASSIDUA
MEDITATIONUM
PRO SACERDOTE.

Ad Vitæ, & Functionum suarum perfectionem.

CUm Sacerdotis sit populum non tantùm verbo, sed etiam exemplo docere, ante omnia opus est ut ipse omnes muneris sui partes piè sanctèque exequatur. Debet enim Sacerdos esse in Ecclesia Dei, *Lucerna ardens & lucens*: lucere autem non potest foris vitæ exemplo, nisi priùs ardeat intùs sincera erga Deum ac proximum charitate, neque hunc divinæ charitatis ardorem concipere, nisi coram Deo seriâ officii sui consideratione intellectum illuminet, & voluntatem ardenti virtutis ac perfectionis desiderio accendat. Hinc sapienter affirmat *Cajetanus in 22. q. 82. a. 3.* neminem posse dici Religiosum, (nec simili ratione perfectum Sacerdotem,) qui semel in die in mentali oratione animum non exercet: quia fieri non potest, ut quis ad Christianæ virtutis perfectionem perveniat, nisi eam seriò desideret; desiderare autem non potest, nisi eam ejusque dignitatem attentè consideret.

Et mos est laudabilis hic in Belgio, ut nemo à Prælatis ad Sacerdotium admittatur, de quo non constet, quod per exercitia spiritualia in sanctis Meditationibus animum excoluerit, quod utinam alibi in praxim inducatur. Ne igitur omninò desideretur medium ad Sacerdotis perfectionem tam necessarium, hic aliquem ad meditationem

nem ingressum, per materias illius statui convenientes, breviter aperiemus, ut meditationis utilitate & suavitate degustatâ, possit paulatim Sacerdos sua industria, & divino auxilio, illius usum sibi reddere magis familiarem.

Hæ autem Considerationes quas subjicio, non sunt obiter legendæ, sed meditantium more in singulis punctis sistendum est, cum pio affectu considerando documenta, quæ Deus illic proponit, quam necesse sit illa observare, quam periculosum negligere, notando virtutem quam commendant, aut vitium quod damnant, in singulis reflectendo ad seipsum, & examinando, in hoc habenus observaverit, aut contrarium vitium evitaverit, proponendo quamprimùm, & in particulari seriam emendationem, & operum suorum dignam Sacerdote perfectionem, ad Dei gloriam, ad proximi ædificationem, & animæ suæ solatium, tam in hac vita, quam in tota æternitate.

DIE DOMINICO.

Considerationes de Dignitate & obligatione Sacerdotum.

COnsidera primò, Sacerdotes plures suam dignitatem & obligationem vel ignorare, vel non satis expendere: & hinc fieri ut in multis more sæcularium vivant, nec obligationi suæ respondeant, nec in debito honore & æstimatione à sæcularibus habeantur. Sacerdotis persona & officium semper apud præcipuas Gentes tanta in æstimatione habita fuit, ut qui erant Reges, debuerint simul esse Sacerdotes, ad majorem reverentiam Regiæ personæ conciliandam. Testatur id S. Ambrosius *serm.* 18. *in Psal.* 118. ubi etiam testem adducens Platonem sicait: *Inter alia didicit* (Plato) *apud Ægyptios non licere Regem absque Sacerdotio imperare.* Quinimò si ex alio genere quispiam regnum usurparet; cogebatur statim sacris initiari ut simul Rex esset & Sacerdos. Asserit etiam Xenophon omnes Reges Lacedæmonios simul Sacerdotes fuisse. Idipsum primi Reges Romanorum firmiter observarunt, ut disertè tradit S. Isidorus *l.* 7. *Etym. c* 12. Sacræ etiam Litteræ *Gen. c.* 14. indicant, Melchisedec Regem simul & Sacerdotem fuisse.

Quin etiam à dignitate, puritate, ac scientia quæ debet inesse Sacerdotibus, in sacris Scripturis Angeli nuncupantur, ut *Malachiæ c.* 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Et ab ipso Christo *Matth.* 5. *& alibi,* Sacerdotes vocantur, Sal terræ, Lux mundi, Lucerna super candelabrum posita. Et etiamnum propter sacri Ordinis reverentiam quilibet Sacerdos vocatur Reverendus Dominus, & alibi, Sir Petrus, Sir Thadæus &c.

Hi-

His expensis, seriò cogita, an tua vita & mores sint Sacerdotio digni. Non enim est tanti officii dignitas, onus, & obligatio temerè suscipienda, aut indignè exercenda. Nulli sunt in toto mundo homines graviori judicio à Deo puniendi quam mali Sacerdotes. Rei optimæ corruptio solet esse omnium pessima.

Errat sanè, & graviter errat, qui ad sustinendum Sacerdotis nomen sibi sufficere putat, à Laicis veste distingui, & Horas ac Sacrificium cursim absolvere. Attende quantum porro ad exercendum hoc Sacrosanctum munus perfectionis requiratur? Audi S. Chrysostomum *conc. ad pop. Antioch.* his verbis graviter monentem:

Quo non oportet esse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem Manum carnem hanc dividentem, Os quod igne spiritali repletur, Linguam quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? Attende etiam S. Ambrosium *lib. de dignit. Sacerd.* graphicè docentem, Sacerdotis dignitati vitam & mores respondere debere. *Nihil,* inquit, *est in hoc sæculo excellentius Sacerdotibus, si quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus: ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane & crimen immane, ne sit honor sublimis & vita deformis, ne sit deifica professio, & illicita actio.*

Considera secundo, Quantam apud omnes æstimationem & venerationem conciliare debeat ordinis Sacerdotalis excellentia & perfectio, & quantam Deo & Ecclesiæ injuriam faciat Sacerdos, qui Ordinem illum malâ vitâ, & pravo exemplo commaculat. Constantinus Imperator tantopere Sacerdotes veneratus est, ut dixerit: Si Sacerdotem viderem peccantem, ne ab aliis videretur, pallio meo illum contegerem. S. Martinus Episcopus Turon. prandens cum Cæsare, prius socio suo, quod esset Sacerdos, poculum porrexit, quàm Cæsari. B. Ambrosius dicit, Regum ac Principum colla genibus submitti Sacerdotum, eosque osculatâ eorum dexterâ credere se eorum orationibus adjuvari. B. Gelasius Papa in *epist. ad Anastasium Imperatorem, Duo sunt,* inquit, *Imperator, quibus principaliter hic mundus regitur. Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino examine sunt reddituri rationem.*

Considera 2. Hinc sanctissimos quosque ob summam ejus dignitatem refugisse Sacerdotium, ut S. Antonium, S. Pachomium, S. Benedictum, & S. Franciscum, cui hærenti, an fieri deberet Sacerdos, cum esset Diaconus, in via occurrit Angelus, gestans vitrum perlucidum clarissimo liquore plenum, dixitque, Sacerdotis animam similem esse debere illi liquori: Unde ille Sacerdos fieri noluit, quia tantam suæ animæ puritatem esse non putavit. Multi quoque Sancti

&

& ætate provecti eremitæ monasteria deseruere, ne ad Sacerdotium proveherentur, alii verò jam ad illud provecti, vel etiam ad Episcoparum, in remotas terras abierunt, ne agnoscerentur, ut Joannes Silentiarius & alii. S. Marcus quoque dicitur sibi abscidisse pollicem, ne fieret Sacerdos, & S. Ammonius aures, ne fieret Episcopus. Et ego, quomodò in hac dignitate me gero? Qua pietate erga Deum? Qua ædificatione erga proximum? Hic vita anteacta seriò consideranda est, & nova melioris vitæ proposita Deo offerenda.

Considera 3. Dignitatem Sacerdotum novæ legis, sumi ex duplici potestate illis collata, ordinis & jurisdictionis. Ratione ordinis possunt consecrare Corpus & Sanguinem Domini: ratione jurisdictionis possunt homines absolvere à peccatis, & Ecclesiam gubernare. 2. Expende quam admiranda sit illa potestas consecrandi. Magnum beneficium credimus præstitum Josuæ, quod imperio suo fecerit sistere Solem *obediente Domino*, ut loquitur Script. Jos. 10. *Voci hominis*, sed multò magis præstitum est cuique Sacerdoti. Ille enim fecit stare Solem, ubi ante erat; at Sacerdos sistit Christum in cœlo existentem, ubi ante non erat, id est, in altari: illi creatura obedivit, huic creator: illi sol semel loquenti obtemperavit, huic Deus, quoties verba consecrationis eloquitur, obedit. Quis Sacerdos tam stupidus est, qui considerans tam stupendam Christi erga se obedientiam, summi Regis ad subditum, Dei ad creaturam, non vicissim libenter obtemperet Dei mandatis? Quis cum Joanne Baptista non dicat Matth. 3. *Ego à te debui baptizari*, tibi debui obedire, *& tu venis ad me*, tu mihi obedis? O me ingratum, & indignum!

Suscipe Domine deinceps universam vitam & operam meam, accipe intellectum & voluntatem, corpus & animam, ut in statu Sacerdotii tam sancto me totum tibi & proximo seriò & sanctè impendam; tribue mihi tuum amorem & hanc gratiam, & nihil ultra posco in rebus creatis. *Addendo alia quæ affectus suggeret.*

DIE LUNÆ.

De Virtutibus, zelo, & scientia quæ debent inesse Sacerdoti.

Considera, Apostolum 1. *ad Tim.* 3. velle ut Episcopus, id est, qui intendit curæ animarum, primò, non sit superbus. 2. non iracundus. 3. non litigiosus. 4. non percussor, vel manu, vel linguâ, id est, detractor & calumniator. 5. non violentus. 6. non turpis lucri cupidus, nec avarus, 7. ut sit irreprehensibilis, id est, quem nemo jure queat reprehendere, quique nullam det occasionem justæ querelæ, vel etiam qui nullius mali sibi sit conscius.

2. Con-

2. Confidera, ideò tantam perfectionem ab Apostolo exigi in Sacerdote, quia, ut omnes Patres docent, quo quis est sublimioris status & ordinis, hoc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur, secundum illud Luc. 12. *Cui plus datum est, plus exigetur ab illo*: & Sap. 6. *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet : & potentes potenter tormenta patientur.* Et S. Gregorius, *Sicut Prælatus*, inquit, *tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit; sic si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit.*

3. Considera Sacerdotem debere esse omnium virtutum, maximè autem fidei, spei, caritatis in Deum & proximum, humilitatis, pietatis & castitatis speculum & exemplar: si enim Lux est mundi, & lucerna super candelabrum posita, debet luce doctrinæ suæ, & vitæ exemplaris illustrare omnes, *Matt.* 5. si Sal est terræ, debet omnes à corruptione peccati conservare: si Pater & Magister est subditorum fidelium, debet in se ostendere exempla quæ omnes imitentur.

Debet enim Sacerdos esse speculum pietatis, & modestiæ, in quo reluceat imago Christi, ad cujus exemplum homines seculares vitam & actiones suas conformare conentur. Nihil decet esse in ipsius verbis leve, nihil in oculis, nihil in gestibus nisi moderatum & verecundum. Dum quidam Sacerdos jocosus interrogasset D. Thomam Aquinatem, an non videret bovem in aëre volantem, & hic statim oculos ad spectandum sustulisset, derisit Sacerdos illius simplicitatem, quod hoc crederet. Respondit autem vir Sanctus, Faciliùs ego crederem bovem volare, quam Sacerdotem mentiri.

4. Considera, Sacerdotem debere habere divinæ Scripturæ, rerumque Theologicarum pro officii magnitudine conjunctam scientiam & sapientiam, &, ut Apostolus monet Timoth. 1. c. 4, *Attende Lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Quilibet enim Sacerdos curam habens animarum, tenetur exponere Evangelium, & Catechesin fidei Christianæ tradere, & eos qui contradicunt redarguere. Si enim S. Petrus Epist. 1. c. 3. vult omnes esse *paratos ad satisfaciendum omni poscenti de fide, quæ in ipsis est*: quantò magis debent esse Sacerdotes, quia aliorum sunt Magistri & Doctores? Quid turpius est, quam Sacerdotem non posse respondere alicui mulierculæ, vel adolescentulo hæretico objectanti, ut hoc tempore fit, Scripturæ sacræ testimonia? Unde Chrysostomus scribit, Sacerdotem in omnibus debere esse sapientissimum, & mille instructum oculis, ut non solum sibi, sed etiam toti populo serviat. Deus verò apud Oseam Prophetam comminatur imperitis repulsam à dignitate Sacerdotii: *Quia*, inquit, capite quarto, *tu Scientiam repulisti, repel-*

repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Unde patet, quantum delinquat, & suo muneri desit Sacerdos, qui otio, aut negotiis sæcularibus vacans, negligit operam impendere utili studio, & lectioni sacræ, quibus se, & alios perficiat. Sicut enim Calix consecratus non debet usibus profanis sed tantum sacris impendi; sic multò magis Sacerdos per Ordines sacros divino obsequio consecratus, debet se totum studiis, & rebus sacris, & proximorum saluti impendere.

His consideratis, in particulari examinabis, quantam curam & studium adhibeas, ut his dotibus præfulgeas, & satisfacias officio Sacerdotis aut Pastoris, cujus severa ratio à te exigetur in hora mortis brevi adfutura, quando sera nimis erit emendatio. Nunc igitur necessariò faciendum est, quod tunc à te factum fuisse optabis. Deindè, per colloquium cum Deo, ad vitæ emendationem gratia humiliter postulanda est.

DIE MARTIS.

De Charitate ad imitationem Christi Sacerdoti necessaria.

POstulatâ gratiâ ad imitandum Christum tanquam tuum Ducem, Regem, ac Magistrum, imaginare illum summâ charitate peragrantem pagos & villas instar optimi Pastoris, ut oves perditas quærat, & ad viam salutis adducat.

Considera primò, Sacerdotem nulla magis virtute, quàm charitate debere flagrare, tum quia fides, spes, aliæque virtutes ad justitiam, teste Apost. 1. *Cor.* 13. sine illa nihil prosunt; tum quia officium Sacerdotis vel Pastoris, tam ratione potestatis Ordinis, ut dignè conficiat & administret Sacramenta, quam jurisdictionis, quatenùs curam animarum habet, id omninò postulat. 2. Nota, typum hujus gessisse veteris Testamenti Sacerdotes, quorum functio erat ignem sacrum quotidie in altari fovere. *Luc.* 6. Quid enim aliud ignis ille designabat, nisi sacram Eucharistiam, Deum & hominem sub specie panis & vini continentem? *Deus autem ignis consumens est*, *Deut.* 4. quem Sacerdotes nostri non solùm quotidie conservant, sed etiam conficiunt. Deindè vestiti esse debebant cocco bis tincto, ut indicaretur, Sacerdotem debere duplici caritate flagrare, in Deum scilicet, & proximum.

2. Considera, Christum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, *Psalm.* 109. cujus vices obeunt omnes Sacerdotes nostri in consecrando Corpore Christi, dum ajunt, *Hoc est*

Corpus meum, maximè declarasse caritatem erga nos, cùm inst[i]tuit Apostolos in Sacerdotes. Nam B. Joannes in *cap.* 2. de ex[...] trema cœna acturus præmittit, quod *in finem dilexit illos*. Dein[de] ex mero in eos amore instituit S. Eucharistiam, id est, excogita[vi]t modum, quo perpetuò nobiscum realiter maneret. Ad hæc lon[]gum habuit sermonem de novo mandato caritatis. Postremò, e[x] nimio amore Sanguinem suum pro nobis profudit. Attende quo[]modò imiteris: qualem charitatem Christo retribuas; an mag[is] lucra, quàm animas quæras.

3. Considera, quod Christus instituens Principem Sacerdotu[m] & Pastorum Petrum, de caritate tantùm eum percunctatus e[st] Joan. 21. *Simon diligis me plus his?* Et ille tantùm respondit *Domine, tu scis quia amo te.* Christus verò: Pasce oves meas, in[]dicans ad pascendas doctrinâ & exemplo oves, & gubernanda[m] Ecclesiam maximè opus esse ardenti charitate in Deum & pro[]ximum. Veri siquidem Pastoris est, *Luc.* 15. ovem perditam requi[]rere, & inventam, relictis licet 99. ovibus humeris sublatam i[n] ovile portare. Ejusdem est, adveniente lupo, & persecutione[m] ortâ, non cum mercenario, qui non est Pastor, fugere, sed anima[m] ponere pro ovibus. *Ioan.* 10. Ejus est cognoscere omnes ov[es] easque exemplo vitæ præcedere, efficereque ut se suamque do[]ctrinam & vitam sequantur, quod non facilè impetrabit, ni[si] multis beneficiis, & amoris indiciis eas sibi devinciat, ac tande[m] ritibus Ecclesiæ, tanquam clave cœlesti, regnum cœlorum ill[is] aperiat.

Hic in particulari circa hujus charitatis actus se examinabit, & nova circa eam proposita Christo Domino, Sponso, Regi, ac Su[]premo Pastori ardenter offeret.

DIE MERCURII.

De puritate vitæ, & castitate in Sacerdote maximè requisita.

COnsidera, si veteris Testamenti Sacerdotes toto tempo[re] quo ministrabant tabernaculo, à domo & uxore abesse te[]nebantur, (ministrabant enim per vices;) quantò magis novi Te[]stamenti Sacerdotes, qui non per vices, sed semper ministrant, de[]bent à conjugio & omni consuetudine fœminarum & omni im[]puritate abstinere. Deinde si Abimelech Sacerdos 1. *Reg.* 21. no[]luit Davidi famelico dare panes propositionis comedendos, nisi priùs intellexisset eum ab uxore aliquamdiu se continuisse. Si idem populo faciendum fuit *Exod.* 19. cùm esset legem à

Deo

Deo accepturus : quantò magis convenit Sacerdotes nostros ab omni fœminarum contubernio alienos esse, quibus quotidiè in Sacrificio Missæ corpus Domini, per panes propositionis præfiguratum, non solum sumendum, sed etiam conficiendum, manibusve tractandum est. Considera Paulum 1. *Cor.* 7. docere eos qui uxorem habent, solicitos esse quę sunt mundi, ut placeant uxori, & ideo esse divisos, id est, in multas solicitudinum partes, ut exponit Hieronymus, distractos; qui autem non habent, cogitare quæ Domini sunt, ut sint sancti corpore, & spiritu: Unde consequens est, Sacerdotes soli Deo adhærere debere, ut cogitent quæ Domini sunt, & sint sancti corpore, & spiritu.

2. Considera, puritatem animi & corporis, non solùm à divinis Scripturis, sed etiam ab omnibus Conciliis, Patribus & Doctoribus, eamque non vulgatam, in Sacerdotibus postulari, idque multis de causis. 1. quia sanctissimum Missæ Sacrificium, quo nihil augustius, crebrius peragere, in eoque purissimum Domini Corpus ore suo consecrare, & manibus tractare, aliisque porrigere, debent. 2. quia assiduè orationi & sacrarum Horarum lectioni, quæ mentem puram, tranquillam & in Deum elevatam requirunt, vocare tenentur. 3. item alios prædicatione, & sanctæ vitæ exemplo ad omnem virtutem & perfectionem inflammare debent. 4. quia debent magnam partem temporis impendere ovibus suis, vel subditis erudiendis, & in viam reducendis, ac si ægri sint, invisendis, solandis, & pascendis: pauperibus item juvandis, peregrinis recipiendis, Sacramentis variis administrandis: quæ omnia sanè requirunt hominem non solùm ab uxore & liberis, sed etiam omnium negotiorum secularium curâ liberrimum. Undè Apostolus 2. Tim. 2. *Nemo*, inquit, *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

3. Considera, Sacerdotem, si castitatem inviolatam non servet, multò gravius peccare, quàm peccent in eodem genere homines seculares, Primò, quia sacrilegium committit: *Si quis Templum Dei violaverit;* inquit Apostolus 1. Cor. 3. *disperdet illum Deus.* At quis templum Dei sanctum, & Deo consecratum propriè est, nisi Sacerdos, toties per varios ordines inunctus; & vices Dei & Angelorum subiens? 2. quia violat votum castitatis ipsâ ordinis susceptione factum. 3. quia summo scandalo est bonis & malis, imò & vilissimis hominibus: quod scandalum tantũ hoc sæculo est, ut causam dederit tot hæresibus. 4. quia si in statu hujus peccati celebret, aliaque Sacramenta administret, Christum suo modo crucifigit, Christo in faciem spuit, Christum cum Juda prodit, imò conculcat, & in cloacam projicit. Quid

enim aliud est os Sacerdotis impudici aut concubinarii, quid aliud ejus anima vel cor, quàm cloaca fœtidissima? Quid est margaritas projicere ante porcos, si hoc non est, cum impudicus Sacerdos audet celebrare, & purissimum Dei, ac Virginis filium manibus contrectare?

Hic examinanda est conscientia, & formanda proposita firmissima, vitandi in particulari occasiones, quæ possint puritati nocere, & adhibendi remedia quæ contra luxuriam assignavimus supra *part.* 3. *cap.* 6. in fine. Quæ omnia confirmari poterunt sequenti ad Deum Protestatione, quæ à multis puritatis amatoribus quotidie, & præsertim occurrente tentatione, usurpari solet:

Ego N. N. Dei & Domini mei JEsu gratiâ & misericordiâ fretus, Tibi me sisto, Deus cordis mei, quem ubique præsentem agnosco & veneror; & coram purissima Matre tua & mea, coram Angelo meo tutelari, & omni Curiâ cœlesti, protestor velle me hodie, & quotidie Tibi mundo corde servire, & fugere quidquid inquinare puritatem potest. Mori malo quàm fœdari, quàm turpi motui vel delectationi scienter causam dare, vel consentire, ne momento quidem. Tu cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Da perficere, qui dedisti velle. Hoc iterùm iterumque Te, Bone Jesu, supplex, per Sanguinem tuum, mortem & passionem rogo: Et te Patrona mea Virgo Maria, nullâ unquam labe inquinata. Et vos omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro me, ut aliquando vobiscum possim sequi Agnum purissimum quocumque ierit, tunc & in æternum. Amen.

DIE JOVIS.

Praxis Brevis

Devotè Missam celebrandi.

PRo dispositione remota; hæc inter alia *à S. Carolo*, & Synodo Mediolanensi salubriter instituta & commendata reperiuntur 1. Ut Sacerdotes quo puriores ad divinam rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata sua confiteantur, etiamsi graviora non occurrant. 2. Ut antequam celebrent se colligant, & orantes mentem in tanti mysterii cogitatione defigant. 3. Ut sacris vestibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos ab omnibus amoveant quibus distrahi possent.

Grego-

Gregorius *XIII.* Pontifex concessit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationem Missæ, quæ sequuntur, 50. annorum Indulgentiam.

EGo volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiæ militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ, Amen.

Gaudium cum pece, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuant nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Posteà sacerdotalia sumens vestimenta, ad *Amictum*, recordaberis illius fasciæ, quà Jesu Christi fuerunt velati oculi. Ad *Albam*, albi indumenti, quo stulti adinstar fuit illusus. Ad *Cingulum*, funium, quibus tam in horto, quàm ad columnam fuit ligatus. Ad *Casulam*, recordare purpureæ vestis, quâ ut fictus Rex illusus fuit, & stude te Christo conformare.

Accedendo ad Altare, reminisceris Domini, quando Cruce humeris impositâ, perrexit ad montem Calvariæ, ut ibi Cruci affigeretur.

1. Ad Altaris descendens gradum, antequam sacrosanctam ordiaris Missam, tuam ad Deum elevabis mentem; ac denuò æterno Patri hoc offeres Sacrificium, in unionem immensi illius amoris, quo unigenitus ejus Filius semetipsum obtulit in ara Crucis.

2. Incipies Missam voce mediocriter altâ, piè, distinctè, & non multum festinanter pronunciando verba, observando ceremonias tempori congruas, cum gravitate, devotione, & circumstantium ædificatione: uti in Rubricis Missalis annnotatæ sunt.

Ad *Gloria in excelsis*, excitandus est affectus ad offerendum Deo Sacrificium laudis, ejusque gloriam pro viribus promovendam.

Ad *Præfationem*, mens iterum sursum elevanda est ad novam intentionem, & offerendum Sacrificium Eucharisticum ardenti affectu gratitudinis, cum omnibus Angelis & Sanctis, in cœlo & in terra.

Hic affectus in toto *Canone* continuandus est, cum attenta ejus lectione, non recitatione de *memoria*.

3. In primo *Memento* præter tuas obligationes, varias poteris Domino commendare necessitates, per hebdomadam sequenti modo distributas.

Dominicâ, Summum Pontificem, omnes Ecclesiæ Catholicæ, & præcipuè hujus Diœcesis & Civitatis, Pastores ac Prælatos.

Die Lunæ, Omnes Principes Christianos: ut inter sese concordent, & Catholicam Religionem ardenter promoveant.

Die Martis, In particulari hujus Civitatis, aut loci Gubernatores & Magistratus; ut pacis ac justitiæ sint amatores.

Die Mercurii, Omnes in Christi vineâ operarios; ut animarum saluti cum zelo & fructu constanter insistant.

Die Iovis, Omnes Ecclesiasticos Ordines, ut sancti sint, & aliis sese exemplares præbeant.

Die Veneris, Omnes peccatores, hæreticos, & infideles; ut convertantur ad Dominum.

Sabbato, Omnes justos; ut in bono usque in finem perseverent.

4. Jamjam consecraturus hostiam priusquam *Consecrationis* pronunties verba, mentaliter sic renovabis intentionem.

Cum illâ, Domine Jesu Christe, humilitate, charitate & intentione, quam habuisti, & sancta Catholica habet etiamnum Ecclesia; ego in hac actione, tua potentissima pronunciabo verba; Hoc est, &c.

Eodem affectu consecrabis & Calicem.

5. In actu *Adorationis*, peractâ jam Consecratione, Domino offeres toto corde in sacratissima Hostia præsenti, eosdem Adorationis actus, quibus illum in cœlo & in terra omnes Sancti, ac universa adorat Ecclesia. Idipsum toties facies, quoties aliquem adorationis exhibebis cultum, genuflexione, aut alio modo.

6. *Elevando* in altum sacratissimam *Hostiam*, forti fide & profunda humilitate ac reverentia, Patri æterno illam offeres, atque unà cum illa teipsum, in perpetuum holocaustum, ad suam gloriam, commendando illi finem, ad quem applicatur Missæ Sacrificium.

Idem facies etiam in elevatione *Calicis*; illum offerendo magno affectu in tuorum delictorum remissionem, ac totius mundi salutem.

7. In secundo *Momento*, præter illos vita functos, pro quibus aliquo titulo obligatus es orare quotidie, commendare poteris Domino sequentes, per singulos itidem hebdomadæ dies assignatos.

Die Dominicâ, defunctos tuos parentes, consanguineos, & affines.

Die Lunæ, alios defunctos, à quibus aliquo modo beneficia tibi impensa sunt.

Die Martis, illos, qui quoquo modo, cùm viverent, te offenderunt, vel persecuti fuerunt.

Die

Die Mercurii, vitâ functos, quos tu quomodolibet offendisti, vel in illorum vita persecutus es.

Die Iovis, defunctos pro quibus ab aliis nullæ speciales funduntur preces.

Die Veneris, illos, qui diuturniore tempore in Purgatorio detinendi sunt.

Sabbato, illas animas, quæ citiùs de purgantibus flammis educendæ sunt in cœlum.

8. Accepturus *Mann* Hostiam, mente illam Domino sacratissimæ ejus Matris offerens puritatem, quâ ab illa infans in ulnas exceptus fuit.

9. Sacrosanctam in Communione accepturus Hostiam, paulisper subsistens, vivâ fide, Domino Jesu, in illa verè præsenti, profundæ adorationis exhibebis actum: desiderando eum suscipere cum illa humilitate, charitate, & sanctitate, quâ sacratissima ejus Genitrix eum in terra suscepit, & quâ illum omnes ejus susceperunt Electi, atque etiamnum sancta Catholica suscipit Ecclesia, in supplementum summæ tuæ imperfectionis, & spiritualis paupertatis.

Accipiendo *Calicem*, similiter corde profundam pretiosissimo Sanguini, pro tuis fuso peccatis, exhibebis adorationem, supplicabisque ejus meritis, & virtute tibi donari omnium offensarum Indulgentiam, & ardentem honoris, & animarum salutis zelum.

10. Si aliis sacram distribues Communionem, mentis oculos diriges ad immensam Unigeniti Filii Dei Charitatem & Humilitatem, quâ seipsum indifferenter omnibus, pro illorum salute dedit in cibum, & inter distribuendum, sacris ejus Vulneribus, intimo cordis affectu, communicantium animas, & simul tuam commendabis.

Post Sacrum Gratiarum Actio, &c.

PRimò, tanquam tuo Domino, vel Patri, vel Medico, &c. profundum adorationis actum exhibebis.

Secundò, Gratiarum actionis, pro tanto beneficio.

Tertiò, Amoris actus ardentes.

Quartò, Contritionis tuorum delictorum.

Quintò, Oblationis tui ipsius ac totius tuæ vitæ.

Sextò, varias, hoc vel simili modo, efflagitabis gratias.

ORATIO,

In qua supradicti Actus continentur.

CLementissime Domine Jesu Christe ; unice Servator meus, toto & intimo corde te adoro ; & pro tanto beneficio immensas gratias ago. Et quia omni dignus es amore, supra omnia te amo : & doleo, quòd non, quantum mereris, te amaverim, nec amem. Et in locum hujus defectus illas tibi offero adorationes, gratiarum actiones , & illos amoris, reverentiæ , & gratitudinis affectus, quibus te tua sacratissima complexa est Mater, & omnes Sancti ac servi tui unquam persolverunt, atque etiamnum in cœlo, unà cum universa Ecclesia Catholica tua Sponsa, persolvunt; *Magnificat anima mea Dominum.* &c.

Doleo super omnia, mi Domine, quòd quomodocunque te offenderim ; & summoperè displicet mihi , quòd non tantum doleam , quantùm tua Bonitas requirit & Majestas : deque tuæ sacratissimæ Passionis virtute , cunctarum offensarum summisse deprecor veniam & remissionem. Offero cum eadem quoque me ipsum, omnesque quos exantlavi, & quos per omnem meã vitam exantlaturus sũ labores, & quicquid sum perpessurus in satisfactionem & remissionem omnium meorum peccatorum, uti infinitæ tuæ Bonitati & Clementiæ confido , quòd omnes mihi noxas sis remissurus. Humiliter insuper precor, ut emendandi, & usque in finem in tuo sancto servitio perseverandi gratiam copiosam concedas, Amen.

DIE VENERIS.

Praxis Brevis

Horas Canonicas devotè recitandi.

COnsideret attentè Sacerdos obligationem quam habet, debito modo, & devotione recitandi Horas Canonicas, juxta illud Decretum Innocentii III. in cap. *Dolentes*, de celebratione Missarum, *strictè*, inquit, *præcipimus in virtute obedientiæ , ut Divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, & devotè.* Ubi non præcipitur tantùm substantia Officii , quæ pridem in Ecclesia constituta fuit ; sed

ſed præcipitur ipſe modus ſtudiosè & devote recitandi, uti etiam Cajetanus accuratè advertit. Ad hoc ſanè quemlibet animæ ſuæ, & ſpiritualis lucri ſtudioſum vehementer invitat & impellit conſideratio præclara S. Hieronymi, in cap. *Non mediocriter*, de conſec. diſt. 1. *Melior eſt*, inquit, *quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, ſerenitate, & ſpirituali alacritate, quam totius Pſalterii modulatio, cum anxietate cordis, & diſtractione.*

Quod ſi habeas etiam curam animarum, pro quibus oportet Deo preces offerre, conſidera te id optimè præſtiturum per attentam, ac devotam recitationem divini Officii in conſpectu Dei & totius Curiæ cœleſtis, ad divinam opem & protectionem, tibi & tuo populo impetrandam, juxta documenta hic ſequentia.

Itaque dum Horas recitas, omni ſtudio conaberis attentionem, devotionem, & intentionem actualem, aut minimum virtualem continuare, aut ſæpius renovare, cum interna, exterque reverentia; memor divinas laudes legendas eſſe, aut canendas, non ſolùm cum debita verborum prolatione, ſed etiam cum ſeria memoriæ, intellectus, & voluntatis applicatione, & religioſa totius corporis compoſitione, juxta illud Pſalmi 46. v. 7. *Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite Regi noſtro, pſallite quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter.* Ubi quinquies repetito verbo, *pſallite*, inſinuatur pſallendum Deo, quoad vocem, diſtinctè; quoad memoriam, attentè; quoad intellectum, intelligenter; quoad voluntatem, ardenter; quoad habitum totius corporis, reverenter.

Hoc aſſequi conaberis 1. opportunum & ſufficiens tempus ſingulis horis Canonicis, ſi extra chorum legas, tribuendo, juxta communem morem Eccleſiæ, & virorum timoratorum, quibuscum vivis, non præcipitando verba, nec mutilando, nec indecorè feſtinando. 2. Locum pietati tuæ magis congruum, & à ſtrepitu, & interpellatione remotiorem, eligendo. 3. Decentem corporis ſitum adhibendo; videlicet, ſi vires ferant, alternatim genua flectendo aut ſtando. 4. Oculorum evagationes, aliasque diſtractionum cauſas declinando. 5. Viva fide Deum præſentem, eique Beatorum choros laudes æternum concinentes crebrò intuendo, cum affectu amoris, gratitudinis, zeli laudandi Deum, eique per omnia placendi. 6. Subindè memoriam renovando eorum, quæ Chriſtus tali horâ fecit, vel paſſus eſt, cum ſimilium piorum affectuum, ac deſideriorum, Chriſtum redamandi, imitandi, ejus merita participandi, inſtauratione

7. Renovando propositum attentionis, si distractionibus agiteris, maximè in initio, & fine cujusque Psalmi: initio quidem desiderando & petendo affectum à Spiritu sancto intentum; in fine verò, *ad Gloria Patri*, ferventi affectu laudando sanctissimam Trinitatem, reverenter, attentè, devotè, cum omni possibili perfectione.

8. Ad certa verba sæpè occurrentia, quæ *Deum*, ejusque attributa, beneficia, opera denotant, conando elicere affectus congruos, admirationis, reverentiæ, adorationis, timoris, spei, amoris, gratitudinis, laudis, congratulationis. Ad voces *Nos homines*, miserias humanas indicantes, affectus humilitatis, contritionis, compassionis, & similes.

9. Ad sensum verborum, vel literalem, vel spiritualem attendendo, & affectus convenientes excitando. Ut in *Pater noster*, cum viva memoria præsentis Dei, filiali fiduciâ, reverentia, resignatione, & zelo gloriæ Dei, petendo illa septem juxta modos orandi supra insinuatos. In *Ave Maria*, excitando desiderium laudandi B. Virginem, benedicendi Christum, & impetrandi per ejus, Matrisque merita gratiam benè vivendi, & moriendi.

In *Credo*, excitando fidem, spem, charitatem, gratitudinem, desideriumque participandi merita Christi: *Ad Domine labia mea*, &c. *Deus in adjutorium*, &c. recitando ea cum affectu fiduciæ in Deum per merita Christi, & diffidentiæ sui, amoris, gratitudinis, zeli glorificandi Deum. In *Invitatorio*, omnes Choros Sanctorum, & suas potentias omnes ad Deum laudandum invitando.

Psalmi recitandi sunt eo effectu quem verba præ se ferunt, & quidem, vel uno affectu præcipuo, e. g. contritionis, ut in Ps. 50. *Miserere.* Vel laudis, in Cantico *Benedicite*, & *Psalm* 135. 140. 150. Vel gratiarum actionis, ut in *Ps.* 102. 104. 105. 106. Vel affectu divini beneplaciti perfectè adimplendi in observatione divinorum præceptorum, conciliorum, inspirationum, ut in *Ps.* 118. & aliis, qui unum tantùm præcipuè affectum continent. Vel diversis affectibus recitando cæteros, qui miram affectuum varietatem suppeditant. Videlicet juxta D. August. *in Ps.* 30. timendo cùm timet Propheta, amando cùm amat, laudando cùm laudat, plorando cùm plorat, postulando cùm postulat, nos humiliando cùm ipse se vilem agnoscit, gratias agendo pro beneficiis nobis spiritualiter collatis, quæ Israëlitis corporaliter collata refert.

Similiter Antiphonas, versus, lectiones, orationes recitando cum affectibus, desideriis & suspiriis congruentibus. In fine, cum

cum memoria brevitatis vitæ, & desiderio beatæ mortis, orando pro defunctis ferventer, prout pro te alios orare optares, dum *ad fidelium animæ*, singulas horas concludis.

Post Officium.

I. Defectus minùs voluntarios in recitatione officii admissos quamprimum expiare stude, recitando Ps. *Laudate Dominum omnes gentes &c.* Vel simile quid, ad lucrandas indulgentias in hunc finem concessas.

II. Offer tuum obsequium quantumvis imperfectum, in unione orationum & meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorum, ad intentiones initio præfixas, idque vel immediatè sanctissimæ Trinitati; vel per Christum æterno Patri; vel primum B. Virgini, deinde Christo, & per hunc, Patri, hac vel simili formulâ, juxta industrias quodvis opus bene peragendi.

O Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, respice oculo pietatis hoc exiguum servitutis meæ obsequium, quod mellifluo cordi tuo emendandum, perficiendum, & repræsentandum, dilecto Filio tuo offero, ad maximam ejus gloriam, amorem, beneplacitum, in gratiarum actionem æternam, & ad gratiam nobis impetrandam illi placendi perfectissimè in tempore, & æternitate, Amen.

DIE SABBATHI.

Exempla Divinæ Vindictæ in Sacerdotes indignè celebrantes.

COnsidera, sicut Corpus, & Sanguis Christi in Sacrificio Missæ indignè accepta conferunt Sacerdoti ingentia Dei dona, & gratiam, & vitam æternam, ut testatur ipse Christus Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: & Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.* Sic è contrariò indigne sumenti, cibus ille salutaris & cœlestis convertitur in mortiferum animæ venenum.

Hinc accedentes ad hoc sacrificium, seriò monet Apostolus 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indigne, judiciũ sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* In quem Apostoli locum audi graviter monentem non me, sed Doctorem Sanctum,

„ Thomam à Villa nova, *Concione 3. de Sacram. altaris.* Reus,
„ inquit, erit Corporis & Sanguinis Domini ; ac si Christi effu-
„ disset Sanguinem. Quascumque enim blasphemias, quascun-
„ que irrisiones, quæcunque opprobria impiissimi Judæi corpo-
„ raliter in Christum exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit
„ impius comestor, Filium Dei rursus in semetipso crucifigens, &
„ ostentui habens.

Quid igitur mirum si Sacerdotes ad tremendum hoc Altaris Sacrificium indignè, aut irreverenter accedentes, horrendis à Deo suppliciis, non tantum in futura, sed etiam in præsenti vita non rarò puniantur? De his pauca ex multis exempla annotemus.

Primo, narrat Palladius, dum quadam die inviseret Macarium Eremitam, se quendam ante ejus fores vidisse Sacerdotem, totum vulneribus saucium, cujus in capite ossa erant putrefacta: qui dum Macario supplex factus esset, ut suis orationibus vulnerum suorum impetraret sanitatem; abnuit Sanctus, asserens, hanc illi à Deo missam infirmitatem, in correptionem & vindictam suæ sacrilegæ temeritatis, quâ ausus fuit celebrare Missam in fornicationis delicto. Nec unquam à Deo illi voluit impetrare sanitatem, quoadusque promitterret, se de cætero ad tremendum Altaris non accessurum Sacrificium. Quod cùm se facturum cum juramento promitteret, nec amplius omni vitæ suæ tempore peccaturum sponderet; intra paucos dies, S. Macarii precibus, pristinæ fuit restitutus sanitati. *In vita S. Macarii cap. 2.*

2. Refert item Thomas Cantipratanus in hunc modum sequens exemplum: Prope villam, in qua natus fui, Sacerdos lubricus & immundus fuit. Et olim quidem cum immundis mulieribus, panem illum legalem Sabbathi, edere non licebat. At infœlix ille Presbyter hunc quotidie polluto ore sumebat. Et vide vindictam Dei. Os ejus circa nasum & mentum, & lingua computruit; ita ut vix posset præ fœtore ab amicissimis sustineri. Sed & alius in Gallia Sacerdos fuit, ut quondam puer audivi, cujus manus super Aram extensæ, ignæ cœlesti, usque ad cubitos combustæ & consumptæ fuerunt, *Lib. 2. Apum. c. 40. part. 5.*

3. Legitur in Speculo Exemplorum, quòd Sacerdos quidam sæcularis, dum quadam die Missam celebraret, alius ei assistens, vidit in Patena tempore sumtionis, non speciem panis, sed infantis. Quem cùm Sacerdos levaret, ut sumeret; cœpit infantulus ille faciem avertere, & ne sumi posset, manibus & pedibus reluctari: & non semel vir ille devotus hoc vidit, sed sæpius. Cui idem

idem Sacerdos quâdam vice dixit inter cætera : Quoties sumo Corpus Christi, cum tanta difficultate sumo, ut mirari non sufficiam. Cui ille : Consulo, ut vitam corrigas ; nam hoc & hoc ego de te vidi. Quod audiens Sacerdos, vitam mutavit, emendationemque proposuit. Et cum posteà celebraret, visus est ille infans ab illo viro devoto, junctis manibus & pedibus, cum summâ velocitate, illabi in os Sacerdotis. *Dist.* 9. *exemp.* 190.

4. Narratur & aliud hoc modo : Fuit quidam Sacerdos, majorem carni, quàm spiritui curam impendens. Is dum vice quadam honestos viros fœminasque ad convivium invitasset, jussit servam (cui hoc ex officio incumbebat,) pisces non vili pretio coemptos igni elixandos apponere, atque hujusmodi cura distractus ad celebranda divina mysteria, ipsis etiam Angelicis humeris formidanda, mente vagus, corde aridus, cura dispersus, rapido cœpit cursu properare. Cumque jam in medio Sacrificio consisteret, solicita mente cogitare cœpit, & importunis curis turbari, ne fortè prædicti pisces, aut plus, aut minùs debito, sale injecto condirentur. Verùm cum ille Sacerdos se ab hujusmodi, & tali horâ indecentibus cogitationibus non cohiberet, ecce tibi Dæmon, terrâ quadam fuligine tectus, subito adfuit, & raptum cacabum è mediis flammis, unà cum piscibus, secum detulit ad Altare. O coce, inquit, non Presbyter, cur fatuis curis in diversa distraheris ? Ecce pisces hic sunt, ecce sal ; (vas enim sale plenum exhibuit,) injice quantùm libuerit, & vel de cætero sacris Altaribus attentior factus assiste : Atque ita irrisâ Presbyteri superfluâ cura, onera quæ portavit, suo loco restituit. O nimis instabile cor humanum, cur in tam tremenda hora in diversa raptaris ! Væ tibi, quisquis es, qui in tam tremendo Sacrificio ipsum Deum, vivorum ac defunctorum judicem, ibidem præsentem, tam vagâ & distractâ mente contrectas. *Distinct.* 10. *Exemplo.* 28.

5. Si in veteri lege Oza Sacerdos, quia indignè attigerat Arcam Domini, repentina correptus est morte : quantò ampliùs timendum illis, à talibus castigationibus, qui non solùm tangunt, verum etiam intra sua immunda pectora tremendum Filii Dei Corpus & Sanguinem recipiunt. Judas quando in ultima Cœna indignè Corpus Domini accepit, statim in illum intravit Satanas, eumque in proditionem, & desperationem, & demum in flammas æternas præcipitavit.

Ex quibus exemplis clarè liquet, Sacerdotes, qui indignè divinum accipiunt Sacramentum, à Deo gravibus subjici infirmitatibus,

tibus, subitaneâ discedere morte, variè divexari à diabolo, facilè in enormia labi peccata, & tandem infaustâ morte vitam finire.

O quam tremendum est Sacerdotem, qui tanta præ cæteris beneficia à Deo in hoc Sacramento quotidie accepit, comparere coram Christo severo Judice, postquam statum tam sanctum peccando maculavit, aut officii sui functiones sacras, erga Deum & proximum, debita cura & pietate non persolvit. Et heu! quantò magis horrendum in ipso mortis articulo à conspectu Dei in perpetuum separari: æternis ignibus ac tenebris in momento absorberi: in ardenti sulphure, pice, ac flammâ nunquam extinguenda, cum dæmonibus ac sceleratis, sine fine cruciari; idque tanto majori cum dolore atque opprobrio, quantò plura habuit Sacerdos in suo statu salutis auxilia, quibus poterat sibi, & aliis suæ curæ commissis, æternam fœlicitatem comparare.

N O T A.


Aliæ Meditationes eodem modo poterunt ab ipso Sacerdote formari, quibus assiduè, matutino tempore, per horam, vel saltem mediam, spiritum in se pietatis excitet ac conservet. Ad hoc ut præsto sit ad manum oportuna Materia, notanda sunt sequentia:

Primò, poterit ex hoc Libro desumere aliquot idoneas meditationes, de virtute Fidei, Spei, & Charitatis, ex Motivis & affectibus quæ deducuntur supra, in Praxi assistendi ægris ac moribundis §. 2. Item, de motivis ad peccati detestationem, & de Remediis contra singula peccata in particulari pag. 577. Denique ex toto Apparatu supra poterit sibi seligere, & formare Meditationes de virtutibus aut vitiis, quæ ibi per exempla ac similitudines proponuntur.

Secundò, Ex ipso Breviario fieri possunt meditationes, de Lectionibus quæ concernunt mysteria vitæ, aut Passionis Christi. Vel de aliquo insigniori Psalmo qui pium affectum & devotionem excitet, ut de Psalmo Miserere, *pro affectu pœnitentiæ: de Psalmo,* Benedic anima mea Dominum, *pro affectu Gratitudinis, & sic de cæteris: singulis scilicet Psalmi versibus cum attenta sensus consideratione inhærendo.*

Tertiò, Formando meditationem, de vita Sancti eo die occurrentis, ex tribus Lectionibus, quæ de eo in Breviario assignantur. Observando modum meditandi initio traditum, singula puncta & virtutes attentè considerando, pios affectus & desideria eliciendo, firma imitationis proposita concipiendo, & Deo, ac Sanctis per pia colloquia & affectus adhærendo. O quam parum inanes hominum fabulas & colloquia affectaret, qui semel in meditatione sancta seriò gustaret & videret, quam suavis est Dominus.

F I N I S.



THEOLOGIA
TRIPARTITA
R.P. Rich: Archdekin